ALFONSI SALMERONIS TOLETANI,

E SOCIETATE IESV THEOLOGI,

COMMENTARII IN EVANgelicam Hiſtoriam, & in Acta Apoſtolorum.

TOMVS TERTIVS,

QVI DE INFANTIA ET PVERItia Domini noſtri Ieſu Chriſti inſcribitur.

Nunc denuò in lucem editus.

PERMISSV SVPERIORVM.



COLONIAE AGRIPPINAE,
Apud Antonium Hierat, & Ioannem Gymnicum Bibliopolas.
ANNO M.DCXII.
Cum gratia & Priuileg. Sacræ Cæſar. Maieſt.

Approbatio Regij Consilij.

EVolui diligēter, & accuratè perlegi iussu Supremi Senatus Regij, librum tertium Commentariorum in Sacrosancta Iesu Christi Euangelia, qui De infantia, & pueritia Domini nostri Iesu Christi inscribitur, compositum à reuerendo, & sapientissimo Patre Alfonso Salmerone Societatis Iesu, vno ex primis decem Patribus eiusdē Societatis. In quo libro nihil reperi, quod Catholicæ Fidei, aut Sanctæ Romanæ Ecclesiæ decretis, aut bonis moribus repugnaret: imò verò ita piè, ita doctè, ita dilucide omnia tractat, vt propter eximiam vtilitatem, quam legentibus hic liber allaturus est, meritò in lucem proditurus esse videatur. Videas autorem vbique bonum Christi odorem spirare, & magnam animi pietatem cum summa doctrinæ laude cōiungere: itaque dignus est liber, qui prelo mandetur. Data Madriti, in nostro Conuentu B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, pridie Idus August. anno Domini 1598.

F. Ioan. Temporal. Magist.

Licentia P. Prouincialis.

L*Vdouicus Guzman, Prouincialis Societatis Iesu in Prouincia Toletana, potestate ad id mihi facta à Reuerendo admodum Patre Claudio Aquauiua, Præposito nostro generali, facultatem concedo, vt tertius tomus* De infantia & pueritia Christi Domini Saluatoris, *quem composuit P. Alfonsus Salmeron, vnus de primis Patribus Societatis Iesu, typis mandetur, quia iam discussus est, & approbatus à viris doctis, & grauibus nostræ Societatis. In cuius rei fidem has literas dedi meo nomine subscriptas, & mei officij sigillo munitas. Villaregij, die decima septima mensis Iunij, Anno Domini 1598.*

Ludouicus Guzman.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

Quàm vtilis ab infantia bonarum artium disciplinarumque perceptio.

QVanti referat, prudens lector, à teneris annis bonas & salutares imbibere opiniones, colendæque virtutis studijs assuescere, & sacræ literæ non obscurè docent, & externi ac profani autores solo rationis naturalis lumine illustrati, non ignorarunt. Quis enim nesciat, progressus magnos in aliqua facultate, vel scientia, vel arte facere posse neminem, nisi à teneris, vt aiunt, vnguiculis bene institutus, & exercitatus in illa fuerit? Quamobrem Salomon de adolescente benè, vel male instituto, rectè pronuntiauit: *Prouerbium est: Adolescens iuxta viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab ea.* Prou. 22.

Exemplis idē à natura sumptis ostēditur.

Nulla enim est ætas, quæ faciliùs impressionem boni, vel mali recipiat, vel receptam retineat, quàm pueritia. Noua planta facilè in quamuis partem dirigitur: tenera cera facilius accipit figuram, quàm dura: equus, dum pullus est, ingredi sine vlla difficultate docetur: captæ ex nido aues commodius cicurantur, & ad venationem & prædam se instrui patiuntur. Admiranda porrò est parentum socordia & negligentia, qui filiorum studia & mores minùs, quàm iumenta sua, curant. Atque ideò iniusta est illorum querimonia: dicentium; Non habemus gubernatores sapientes, non aduocatos fideles, non pudicos sacerdotes, non doctos Verbi Dei ministros, cùm operam suam benè educandis, instituendisque liberis præstare velit nemo: atque hi profectò perinde mihi facere videntur, atque illi, qui agros non colentes, neque seminantes, metere volunt. *Nemo* certè, vt dixit Christus, *colligit de spinis vuas, aut de tribulis ficus.* Tales enim sumus omnes ab initio, spinæ & tribuli, id est, peccatores, nos ipsos & alios pungentes atque lacerantes: & nisi colamur, in omnia vitia & peccata, non modo priuata, sed etiam publica, facilè prolabimur. Vnde & peccata filiorum meritò parentibus imputantur. Nam Heli summus Sacerdos, propter neglectam filiorum suorum institutionem atque correctionem, cum filijs repentina morte oppressus fuit, in typum eorum parentum, qui filios ad virtutis studia capessenda non instituunt: vnde seipsos cum filijs in æternum gehennæ ignem detrudunt. Salomon, Ieremias, & Tobias iunior à pueritia rectè in timore Domini instructi fuerunt: ex quo Ieremias scripsit, *Bonum est viro, quum portauerit iugum ab adolescentia sua.* Christus Dominus infantes amplexu & osculo excipiebat, benedicebatque illis, ac talium esse regnum cœlorum prædicabat, dicens; Quisquis non receperit regnum Dei velut paruulus, non intrabit in illud. Laudatur à Paulo Timotheus, quòd ab infantia sacras litteras didicerit. Notauit Moyses infandi criminis authores ciues Sodomæ, quod pueros abominando illo vitio inuoluerent. *Prius autem*, inquit, *quàm irent cubitum, viri ciuitatis vallauerunt domum illius à puero vsque ad senem, omnis populus simul.* Ethnici quoque multa de bene instituenda iuuentute scripserunt. Timotheus ille, insignis, & decantatus musicus, duplicem mercedem exigendam esse censebat ab eo, qui cùm ab alio didicisset, eius tamen disciplinæ se instituendum tradebat: quòd duplicem subire laborem cogerentur; alterum, vt discipulus dedisceret, quæ ab alijs acceperat; alterum verò, vt sua doceret: simplicem verò mercedem ab eo, qui nihil ab alio autore didicisset, exigebat. In hunc sanè modum in-

Quorum sit iniqua criminatio parentū.

Quales ferè nascantur omnes. — Matth. 8.

Heli summus sacerdos repētina à Deo morte percussus, quorum typus. — 1. Reg. 2. & infrà 3. Infra 4.

Thren. 3. Mar. 10. 2. Tim. 3. Gen. 19.

Timotheus Ephesius à quo duplicem exigebat mercedem.

fantes ac pueri, qui nullis mundi fallacijs, falsisve Philosophorum opinionibus imbuti sunt, minori labore ad Euangelicam, ac coelestem Christi Philosophiam amplectendam instituuntur. Lycurgus mediam partem facultatis donaturum se magistro pollicebatur, qui filios suos meliores redderet. Alexāder Magnus vitia, quæ puer à pædagogo acceperat, vir factus retinuit. Est enim verissima illa Horatij sententia:

Quo semel est imbuta recens, seruabit odorem Horat. in arte.
Testa diu.

Vnde & Quin. dum oratorem magnum instituere conatur, ab ipsis incunabulis, & à nutrice exordiendum esse voluit, vt cum lacte simul ad rectè pronuntiandum, & ad illam dicendi artem imbuatur. Vegetius de re militari, non alium futurum fortem, ac insignem militem docet, quàm illum, qui à pueritia in bellicis exercitijs & artibus fuerit instructus. Qua de caussa & gigas Goliath à Saule vocatur vir bellator ab adolescentia sua. Danda est igitur opera, vt cerea illa & mollis ac flexibilis ætas probè educetur, ac instituatur. Nam quemadmodum fructus non inuenitur in arbore, in qua flos priùs non apparuit: sic in senectute honorem legitimum consequi poterit nemo, qui in adolescentia disciplinæ alicuius exercitatione non laborauerit. Debent autem institutores non tantùm verbo agere, sed etiam exemplo, quo illa ætas maximè permouetur: qua de caussa Satyricus quidam egregiè scripsit:

Q. Fab. li. 1.

1. Reg. 17.

Puerilis institutio duo exigit.

Maxima debetur puero reuerentia, si quid Iuue. Sat. 14.
Turpe paras, nec tu pueri contempseris annos,
Sed peccaturo obsistat tibi filius infans:

Sanè Christus Dominus, omnium ætatum sanctificator atque institutor, propterea ad carnem nostram suscipiendam de coelo descendit, & per infantię, pueritiæ, adolescentiæ, atque virilis ætatis curriculum ad mortem vsque peruenit, vt benè viuendi, & nos ad Dei voluntatem in omni ætate, statuque accommodandi præceptor existeret: neq; tantùm verbo, quod multorum est, sed præcipuè exemplo: nec tantùm suo (ne fortè diceremus Christum Deum fuisse, atque adeò inimitabilem) sed etiam puri hominis Ioannis Bapt. aperto documento. In hoc ergò tertio libro ingressum Christi in mundum per Incarnationem, & ortum, simul cum omnibus mysterijs sanctæ eius pueritiæ expedire contendimus: in quibus etsi quædam sint magis admiranda, quàm imitanda, multa tamen non solùm admiratione, verùm etiam imitatione digna inueniuntur, non infantibus modò & pueris, sed adolescentibus etiam, viris, ac senibus: Omnis namque ætas, omnis sexus, omnis hominum gradus & conditio in vno Christo, etiam infante, omnium habet amplectendarum virtutum exemplum, vitiorumque omnium fugiendorum documentum. Et ante nos quidem hoc nouit, & scripsit Irenæus, qui lib. 2. cap. 39. sic ait: *Omnes enim venit per semet ipsum saluare, omnes inquam, qui per eum renascuntur in Deum, infantes & paruulos, & pueros, & iuuenes, & seniores. Ideò per omnem venit ætatem, & infantib infans factus, sanctificans infantes; in paruulis paruulus, sanctificans hanc ipsam habentes ætatem, simul & exemplum illis pietatis effectus, & iustitiæ, & subiectionis; iuuenibus iuuenis, exemplum iuuenibus fiens, & sanctificans Domino: sic & senior in senioribus, vt sit magister perfectus in omnibus, non solùm secundùm expositionem veritatis, sed secundum ætatem sanctificans simul & seniores, exemplum ipsis quoque fiens, deinde & vsque ad mortem peruenit, vt sit primogenitus ex mortuis, ipse primatum tenens in omnibus princeps vitæ, prior omnium, & præcedens omnes.* Hæc ille. Est autem dulcissimum, iocunditatisq; ac suauitatis plenissimum, à puero discere quid sequi, quid vitare debes, à puero dulciter reprehendi,

Argumentum libri huius.

Luc. vlt.
Act. 1.

Christus homo vt omnes sanctificauerit ætates.

D. Iren.

Colos. 1.

corri-

Esus capitis agni cum intestinis, quid mystice. corrigique vbi peccaueris, & vbi benè egeris, laudari, & commendari. Inter agni Paschalis edendi cæremonias, præcipiebat Deus Exod. 12. *Caput*, inquit, *cum pedibus & intestinis vorabitis.* Quibus verbis nos ad meditanda atque medullitus ruminanda tria Christi maxima mysteria adhortatur. Primùm quidem caput agni est, Incarnationis, & Natiuitatis Filij Dei mysterium. Deinde pedis agni passionem eius humilem, mortemque designant. Postremò intestina sunt, nempè virtutes illæ maximæ, atque illustres, quæ in anima eius sanctissima delitescebant, scilicet charitas, obedientia, humilitas, & patientia, cùm reliquis. Sunt ergo à nobis diligenter tractãda hæc tria mysteria, sed præcipuè Incarnationis hoc, & Natiuitatis Sacramentum, quod præ manibus gerimus. Nam & Maria illa soror Marthæ, non tantùm Christi pedes vnxit, sed etiam effudit in caput ipsius recumbentis alabastrum vnguenti. Siquidem illis duobus mysterijs, Incarnationis, & mortis præcipuè, quę sunt caput eius & pedes, salutem nostram operari dignatus est. Sunt autem ordinatè & distinctè hæc omnia in hoc lib. pertractãda. In primis Annuntiatio ad Virginem sacram ab Angelo facta, cum mysterio Incarnationis illam immediatè consecuto: deinde B. Virginis cognatam suam Elisabetham visitantis mysterium: tertio loco natiuitas Præcursoris, & Circuncisio: quarto, genealogia Christi à Matthæo, Lucaque descripta: quinto, cogitatio Ioseph de dimittenda B. Virgine coniuge sua prægnante: sexto, Christi Iesu sancta ex Virgine in Bethleem impolluta natiuitas: septimo, Circuncisio, & sacrosancti nominis Iesu impositio: octauo, aduentus Magorum, stella dirigente, ad adorandum Christum Regem Iudæorum, illumque muneribus honestandum: nono, sanctæ Virginis Purificatio, cum Præsentatione Filij Dei in templo: decimo, Fuga Iesu in Aegyptum, dum sæuiret Herodes in Innocentes: & reditus eius in Nazareth: vndecimo, admirabilis Christi annos duodecim nati in templo cum Doctoribus disputatio: postremo, descẽsus eius in Nazareth, & parentibus eius exhibita subiectio: eiusque progressus in gratia, & sapientia apud Deum & homines: In his autem duodecim mysterijs quatuor Cantica continentur, nempè Canticum Virginis, & Zachariæ, & illud in Christi natiuitate ab Angelis decantatum, & Canticum Simeonis. Quare mirum esse non debet, si liber hic tot mysteria explicaturus, paullò sit futurus prolixior. Verùm, vt quidam Ethnicus prudenter dixit:

Exod. 12.

Matth. 26.

Ordo libri, & diuisio.

Prolixitas quę minime vitiosa.

Non sunt longa, quibus nihil est quod demere possis:

maximè si prolixitas cum vtilitate ac delectatione sit coniuncta.

TRACTATVVM HOC LIBRO CONTENTORVM INDEX.

TRAACTA-

TRACTA-

R. P. ALFONSI SALMERONIS TOLETANI, THEOLOGI E SOCIETATE IESV; COMMENTARIORVM IN EVANGElia, & Acta Apostolorum;

LIBER TERTIVS.

TRACTATVS. I.

In quo quid sit Deus mittens Angelum ad B. Virginem, vtcunq; declaratur.

IN *Mense autem sexto missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatē Galilaæ, cui nomē Nazareth; ad Virginē despōsatam viro, cui nomen erat Ioseph de domo Dauid: & nomen virginis, Maria.*

Suauissimum hoc, & pulcherrimum annunciationis Euangelium, insignem, & omni ex parte illustrem legationē cōtinet, quam Deus per Angelum Gabrielem ad B. Virginem Mariam super negotio Incarnationis Filij sui fieri voluit: in qua dialogus inter Angelum missum, & prudentissimam Virginem proponitur. Omnis autē honorifica & ampla legatio, ex multis capitibus ponderari solet. Sed tunc re vera habetur magnifica, omnesque partes cōplere censetur suas, si magnus sit Princeps ille qui mittit: Deinde si magnus & ille, qui mittitur: Rursus, si is, ad quē legatio destinatur, magnus quoque sit: Adhæc si, de quo tractari debet negotium, sit magnum, non quidem particulare, sed vniuersale, atq; ad omnium salutē spectans, ac libertatem: Postremò, si felicem exitum consequatur legatio, quando scilicet pax optata, & per legatos postulata obtinetur; vel quando bellantibus, & longo tempore dissidentibus magnis duobus regibus, eorum filij pro pace firmanda matrimonium inter se contrahunt: tunc enim omnia incommoda, lugubria, & funesta, quæ bellum secum solet adferre, cessant, & in communē lętitiam, & felicitatem populorum, ac principum conuertuntur.

Amplæ & honorificæ legationis partes quænam illæ.

Hæc autem, quam in manibus habemus, legatio, tantò cæteris, quæ hominum ministerio fiunt, legationib⁹ antecellit, quātò Deus maior est homine, & quātò negotium incarnationis Filij (quo vno salus toti mundo parta est) omnia mundi negotia superare dignoscitur. Namque ex eo aurea, & salutaris illa generis humani cum Deo pax, & concordia subsecuta est, & naturæ humanæ cum diuina Verbi hypostasi connubium, ad pacem perpetuò stabiliendam conciliatum. Hæc autem missio, seu legatio in illa, quam Abraham per seruum suum, & procuratorem Eliezer ad Bathuelem, & Laban destinauit ad accipiendam ex filiabus eius vxorem filio suo Isaac, eleganter repræsentata est. Nā pulchrè in Abraham omnium patre credentium, Deus Pater designatur: in Eliezer verò, quod interpretatur Domini adiutorium, aptè Gabriel Angelus significatur. Angeli enim adiutores nostri sunt, & nostræ salutis procuratores, nobisque propter Deum libēter ministrant. Adiutores Domini etiam, quia iuxta Dauidem: *Potentes virtute ad faciendū verbum illius*: id est, potentes ad exequendum, siue ad perficiendum ea omnia, quæ Deus vult. In Rebecca verò, casta, pulchra & gratiosa virgine vulchrè B. Virgo Maria est adumbrata: nisi quòd illa, vt esset vxor Isaac, est electa; hæc verò, vt esset mater vnigeniti Filij Dei. Et quemadmodū explorata est eius voluntas, an vellet acceptare Isaac in virum, & cum seruo eius venire in terrā Chanaan: cui illa promptum præstitit assensum: sic B. Virginis explorata est voluntas, & ad vocem Angeli gratum præbuit assensum, dum dixit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Sed quemadmodū Eliezer, postquam consensu parentū puellam tradi in vxorem Isaac filio Domini sui intellexit, prę gaudio procidens in terram adorauit Dominum; prolatisque vasis aureis, & argēteis ac vestibus, donauit ea Rebeccæ pro munere, fratribus quoque & matri dona obtulit: ita ad cōsensum virginis mirificè lætatus est Angelus, & humilis Deo gratias egit: atque statim in eam descendit Spiritus sanctus, tāto vt eam mysterio præpararet, ac dignā redderet. Neque mirum est, quin propter eam quoque Iosepho viro eius, & Annæ, atque Ioachim parentibus suis multa dona spiritualia,

Dei ad Virginem legatio qualis sit.

Vbi illa præfigurata. — *Gen. 24.* — *Rom. 4.* — *Abraham, & Eliezer ab eo missus quid præfigurauerint.* — *Hebr. 1.* — *Psalm. 103.* — *Hebr. 1.* — *Rebecca cuius typus extiterit.* — *Luc. 1.* — *Quid quod Eliezer visa Rebecca, adorauit Dominum, vasáque aurea & argentea Rebeccæ donauit.* — *Gen. 24.*

tualia, vt rationi, ac pietati est consonum, Deus Opt. Max. affluenter donauerit.

Angelicæ legationis ad B. Virginem circumstātiæ sex proponuntur breuiter, atq; explicantur.

Vt ergo ad tanti mysterij explicationem accedamus, sex potissimùm circumstantias in hac legatione expendendas, & presius examinandas esse duximus. Prima quidem est, Deus mittens: Secunda, Angelus Gabriel missus: Tertia, Maria virgo ex Nazareth Galileæ sanctissimo viro Ioseph desponsata. Quarta, temporis, & loci circumstantia, quia mense sexto, & in ciuitate Galilææ, cui nomen Nazareth: Quinta, modus annunciationis, quia ingressus est Angelus ad eam: vbi imprimis eam reuerenter salutat: *Aue*, inquit, *gratia plena*; deinde Euangelizat, negotiumque, ad quod destinatus sit, proponit, cùm dixit: *Ecce concipies in vtero, & paries filium*: Postremò modum futuræ incarnationis explicat, cùm ait; *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altißimi obumbrabit tibi*. Et quidē Elisabethæ cognatæ sterilis, quæ virtute Dei in senectute Præcursorem conceperat, exemplo confirmat. Sexta, & postrema circunstantia est, ad Virginis consensionem incarnationis fructus in silentio subsecutus: quia de illo nihil apertè traditur, sed fidei nostræ, atque prudentiæ cogitandus relinquitur.

Quod si oratio ista pasiua, scilicet: Missus est Angelus Gabriel à Deo ad Mariam, in actiuam conuertatur, proculdubiò diceretur: Deus misit Angelum Gabrielem ad Virginem Mariam. Ideò magna ratione in primis de Deo tantæ legationis, & mysterij auctore, Christianè nobis agendum, & philosophandum est: triaque de illo distinctè enucleanda sunt, quatenus tamen humana mens cōcipere, & lingua nostra valet effari. Primum quidem, quid sit Deus, quātum ad rem, siue essentiam eius spectat: deinde quid sit secundum hoc nomen, quo illum Deum dicimus: Postremum, cur sub hac voce & notione, Dei legationē hanc peragi voluerit.

Deus nomine tenus quid sit.

¶ Quod ad ipsam rem igitur spectat, cū cognitio Dei, quid sit, ponat Deum esse, de hoc priori loco, & breuiter est præmittendum, scripturam sacram hanc veritatem nobis nō celasse, dum eum facit creatorem, conseruatorem, gubernatorem, & legislatorem, potentia, sapientia, & iustitia, & misericordia præditum. Nec probat Scriptura eum esse, quia id vt omnibus notum, & compertū ponit: *Qui est*, inquit, *misit me ad vos*; &, *Ego sum qui sum*; Et Apostolus: *Credere oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirentibus se remunerator sit*. Vnde vel ipse insipiens dixit in corde suo, nō in ore, sed in corde, id est, voluntate potius, quam mente (quæ omninò in tantā cœcitatē peruenire nō permittitur) nō est Deus; hoc dicit omnis homo dum peccat; & creaturam præfert creatori suo Deo.

Deum esse Scriptura cur non probet.
Exod. 3.
Ibidem.
Hebr. 11.
Dicat quis in corde suo: non est Deus.

Hinc Clemens Alexand lib. 5. Strom. *Nam Dei quidē manifestatio erat vnius omnipotentis, quod omnes qui rectè sapiunt, omninò naturalis, & æternū ex diuina prouidentia beneficium apprehenderunt plurimi, qui nō planè omnem exuerunt pudorem aduersus veritatem. Atq; vt summatim quidē dicā, Xenocrates Carthaginensis nō spem omnem abijcit, quin etiam in rationis expertibus animātibus sit Dei notitia. Democritus autem, etsi nolit, confitebitur per dogmatum cōsequentiam. Fecit enim easdē imagines in homines incurrentes, & in animantes rationis expertes, ex diuina essentia. Longè certè abest, vt sit homo expers diuinæ notionis, quem etiam scriptū est, participem fuisse inspirationis in generatione, vt qui fuerit purioris essentiæ particeps, quàm alia animantia. Hinc Pythagoras dicit mentem diuina sorte venire ad homines, sicut fatentur Plato, & Aristoteles. Sed nos quidem dicimus, Spiritum sanctū inspirari ei, qui credidit, &c.*

Clem. Alex. tom. 2.
Dei notitiam in animātibus esse, dicit Xenocrates Carthaginensis.
Gen. 2.

Arnob. lib. 8. aduersus Gentes, siue potiùs Octauius in dialog. illo, qui post septē libros Arnobij circumfertur: *Nec mireris, si Deum non vides: vento, & flatibus omnia impelluntur, vibrantur, agitātur, & sub oculis tamen non venit ventus, & flatus. Solem adeò, qui videndi omnibus causa est, videre nō possumus.* Et lib. 2. propè fin. *Quem esse omnes Deum naturaliter scimus; siue cum exclamamus, ô Deus! siue cùm illū testem cōstituimus improborum, & quasi nos cernat, faciem subleuamus ad cælum.*

Arnobius.
Cur Deus nobis inuisibilis.
Idem.

Et Lactant. lib. 7. *Quoniam Deus ab homine videri non potest; ne quis tamen ex eo ipso putaret Deum non esse, quia mortalibus oculis nō videretur, inter cætera institutorum suorū miracula, fecit etiam multa, quorum vis quidem apparet, substantia tamen non videtur; sicut est vox, odor, ventus: vt harum rerum argumento & exemplo etiam Deum, licèt sub oculos nō veniret, de sua tamen vi, & effectu, & operibus cerneremus. Quid voce clarius? aut vento fortius? aut odore violentius? Hæc tamen, cùm per aërem feruntur, ad sensusq; nostros veniunt, & eos potentia sua impellunt, non cernuntur acie luminum, sed alijs corporis partibus sentiuntur:*

Lactant. c. 9. initio.

Athanas. lib. 1. aduersus Gentes: *Siquidem ideò omnia etiamnum consistunt, quia non inordinatio, sed ordo est in omnibus: neq; immodestia, sed modus: neq; rudis indigestio, sed mundus (qui nihil aliud est, nisi congruens vndecunq; dispositio) necessum est igitur oriri cogitationem de eo Domino, qui ista in vnū coëgit, & concentū istum, cōgruentiamq; iniunxit: qui tametsi oculis nō conspiciatur, ab ordine tamen congruentiaq; rerū dißidentium, eum intelligere possumus istorū omnium principem, Ducem, & Regem esse.* Et addit exemplum Athanas. *Nam si Lyræ sonum quis audiat, pulsatorem esse aliquem, licèt*

Athanas. oratione contra idola, inter medium & fin. tom. 1. initio.
Mundus quid secundùm Athanasium.

eum non videat, agnoſcit. Quod explicans

Nazian. to. 1.

Greg. lib. 2. Theo. ait: *Nec quæ dixi, ſic accipi velim, quaſi, an Deus ſit, ceu dubium proponam; ſed quid Deus ſit quæq; eius natura, hoc verò neſciri dico: ſiquidem Deum eſſe, eundemq; omnium effectricem, cõſeruatricemq; eſſe cauſam, & oculi, & naturæ lex nos docent. Illi quidem dum ad ea, quæ hu videri poſſunt, conuertimur, & omnia pulchrè compacta, pulchrius progredi, ac, vt ſic dicam, ſine erroris motu moueri, ferriq; miramur: Hac verò, dum per ea, quæ oculis ſunt expoſita, eoq; ordine compoſita, Principem eorũ autorem, & velut architectum ratiocinando colligimus. Et profectò, vt qui bellè fabricatam cytharam, eiusq; concinnitatem, compoſitionemq; miratur, aut concentũ audit, nihil aliud quàm ipſius cytharæ vel artificem, vel moderatorem cytharædum animo cõcipit, eoq; tota cogitatione conuertitur, etiam ſi oculus eum fortaſſe nõ cernat: ita & nobis ſe ipſum prodit illud, quod & facit omnia, & facta mouet, atq; cõſeruat, cùm interim quid illud tandem ſit, mentis noſtræ anguſtijs nequeat comprehendi.*

Deum eſſe, nõ tamen quid ſit, ſciri poſſe pulchre oſtendit exemplo Nazianzenus.

Idem.

Et lib. 4. initio doctiſsimè ait: *Tres de Deo ſunt præcipuæ opiniones, quarum prima, nullum Deum, nullum Dei imperium: alia Deos multos, & cuiq; ſuum imperium: tertia, vnũ ſolum, eiusq; vnicum imperium ſtatuit. Duabus prioribus luſerunt Græci, atq; adeò ad ſatietatem vſq; ludant: ſiquidem vbi nullũ eſt imperium, ibi nullus ordo: vbi multorum dominium, ibi ſeditio: vt & ſic nullũ imperium, nullus ordo exiſtat.*

Tres de Deo olim fuerunt opiniones extremæ, eodem autore.

Hilarius.

Hactenus ille. Hilarius in Pſalm. 29. *Humanæ infirmitatis religioſa confeſſio eſt, ex Deo hoc ſolùm noſſe quod Deus eſt.*

Paulin. Epiſt. 2. circa finem.

Et Paulin. ad Seuerum Sulpit. *Quod Deus eſt, hoc (vt dixi) omnis anima videt: ad hoc mens nulla caligat: hoc etiam infidelium fides recipit: ſed Deum in Chriſto, vel Chriſtum in Deo eſſe non videt: occupatus, & curarum terreſtrium nube circumdatus. Verbum enim carnem factum, ſapientia huius mundi ſtultitia eſt.*

Ioan. 1.

Deum eſſe, rationibus euincitur.

Ratio prima Anſelmi in proſologio, cap. 2. & 3.

Ratio etiam, præter Patres, Deum eſſe apertiſsimè euincit, & probat. Primò, quia cùm Dei nomine ſummum quid intelligamus, quo nil maius, vel melius cogitari poſsit (vt omnes ſapientes tradiderunt) profectò eum non eſſe, vehementer repugnat. Si enim reuera non eſſet, ſed tantùm mente illum eſſe cogitaremus, & conciperemus, tali profectò alter maior cogitari poſſet, ille ſcilicet, qui nõ ſolùm mente concipitur, ſed reuera exiſteret: præſertim cùm Deum exiſtere nullam includat repugnantiam. Alioqui quælibet alia res, quæ cogitari, & eſſe poſſet, vt homo, & formica, Deum excederet, qui cogitari quidem, ſed nõ exiſtere poſſet. Adhæc Deum eſſe honorandum, & parentes, per ſe notum eſt; at hoc eſſe nequit, niſi eo poſito, quòd Deus & parentes exiſtant: eſſe ergo Deum, & parentes, erit per ſe notum. Quòd ſi obijcias: Qui aſſerit Deum non eſſe, non ſolùm Deum tollit ex rerum natura, ſed etiam ex omnibus mentium cõceptibus, & ex omnib' conſequenter linguis: at hoc falſum eſt omninò, & impium: nam in omnium bonorum, & ſapientum mẽtes nihil magis incurrit quàm conceptus Dei: & vt lingua nõ integrè aſſequitur conceptum mentis, ita nec mentis conceptus rem exiſtentem, quæ ſemper maior eſſe ſolet quàm conceptus, & voces.

Secundò.

Secundò, Deo minimè exiſtente, nihil profectò eſſe poſſet, quoniam præterquam quod cùm Deus infinitè bonus ſit, eius ablatio, ſiue priuatio infinitum eſſet malum, quod planè omne finitũ bonũ (quale conſtat eſſe omne creatũ) deſtrueret, cùm Deus tãtus ſit, vt eo maior concipi nequeat: profectò omnium rerũ ipſe erit cauſa producens, conſeruans, & coefficiens: quia maius eſt ad omnia ſe diffundere, & omnibus eſſe, & benè eſſe largiri, quàm ſterilem, & ocioſum eſſe. Ex quo efficitur, Deo ablato, nihil poſſe ſubſiſtere, quia ſine cauſa effectus nõ eſt, nec poteſt quicquam ſeipſum efficere: aut enim, quod non eſt, ſibi eſſe præſtaret, aut eſſet antequã eſſet. Sine actu enim puro (qui ſolus Deus eſſe poteſt, & ſolus eſt) nec materia poteſt eſſe, neque quod ex actu, & potentia cõſtat: quia vt hæc coniungantur, & vnum fiant, actu puro, & cauſa efficiente egent, quia hic actus ante ipſam potentiam nõ eſt: potentia etiam per ſe impotens eſt, vt ſe actui ſola coniungat. Omnis etiam ordinata multitudo ab vno pendet principio, ad quod conuerſa, & intenta omne bonum ſuum cõſeruet, & perficiat. Vt meritò totus mundus aſſerere videatur Deum eſſe: nã nec imperfecta multa eſſent, niſi vnum eſſet perfectum, à quo recederent. Vnde Boët. lib. de conſolat. *Omne enim quod imperfectum eſſe dicitur, id minutione perfecti imperfectum eſſe perhibetur. Quo fit, vt ſi in quolibet genere imperfectum quid eſſe videatur; in eo quoq; perfectum aliquid eſſe neceſſe ſit. Etenim perfectione ſublata, vnde illud, quod imperfectũ perhibetur, extiterit, nec fingi quidẽ poteſt.* Hæc ille. Contraria quoque, quæ in mundo cernimus, in vnum coire nõ potuiſſent, niſi ab vno Deo manu tenerentur, in quo longè plus cõſentiant, & vniantur, quàm in ſe ipſis repugnent. Ratione quoque carentia, quæ finẽ ſibi incognitum nõ rarò, ſed frequenter aſſequuntur, Deum eſſe demonſtrant, qui in eis inclinationẽ ad finem imprimat, & viam, qua ad Deum perueniant, ſuppeditat. Idcircò omnia Deum eſſe oſtendunt: vt meritò dicat Arnobius lib. contra Gentes: *Nonne cogitatio vos ſubijt conſiderare diſqui-*

Deo minimè exiſtente, nihil omninò in rerum natura eſſe poſſe.

In quo oſtendat mundus Deum eſſe.

Boet. lib. 3 de conſol. proſa. 10. initio.

In quolibet genere imperfectum aliquid.

Dei quoque exiſtentiam vt probent irrationalia.

Arnob. lib. 1 aduerſus Gentes, aliquantò ante dimidiũ

disquirere, in cuia possessione versemini? cuia in re situ? cuius ista sit, quam fatigatis, terra? cuius iste aer, quem vocali reciprocatis spiritu? cuius abutamini fontibus? cuius liquore? quis ventorum dispofuerit flamina? quis vndosas excogitauerit nubes? quis seminum frugiferas potestates rationum proprietate distinxerit? Sic ille.

Tertia ratio ita ab absurdo.

Tertia ratio est: quia ablato Deo, & ceteris positis, omnia essent misera, & confusa; nam & sine motu essent deficiente primo, & immoto motore, qui omnis motus est caussa: & sine appetione essent deficiente vltimo fine, cuius participatione medij fines essent appetibiles. Superiora quoque ac nobiliora, viliora essent, & ignobiliora, quia (ablato Deo) summo & infinito, non enti, hoc est, nihilo viciniora: inferiora rursus essent perfectiora, vt quæ plus à nihilo, id est, infinito ente recederent: præcellerêt accidentia substantijs, elementa compositis, terra cœlo, planta brutis, bruta hominibus, homines Angelis, & materia prima omnibus creatis: quæ omnia contrario cursu, quàm nunc, eoq; pessimo currerent, & in nihilum tenderent: nihilque omniũ esset finis, vel saltem accidentia, hoc est, operationes ipsę fines essent substantiarũ; & super omnia homo esset omniũ rerũ infelicissimus, vaneq; appeteret bonum infinitũ, & futuram æternam vitam, vaneq; ac frustra virtutê exerceret, vanè viueret, & frustra à ratione esset deceptus, quę Deum esse dictat. Sed vanus potius & stultus in corde suo dicens, *Non est Deus*: & vanus qui amplius in hoc comprobando laborat, dicête Arnobio: *Aiunt sana sentientes, contradicere rebus stultis stultitia esse maioris.*

Psalm. 13.
Arnob. loco supradicto inter initium ac medium.
Dei notio communis omnium gentium.

Cùm igitur Deum nominamus; nihil aliud concipimus, siue intelligimus, quàm summum, maximum, & perfectissimũ ens, quo maius, melius, aut perfectius cogitari non potest: quę quidem Dei notio, & apprehensio est nobis cum Iudæis, Paganis, ac Saracenis communis. Hinc Lactât. lib. Diuina. institut. producit ex Senecæ exhortationibus: *Magnum*, inquit, *nescio quid, maiusq́ quàm cogitari potest, numen est, cui viuendo operam damus.* Laudat autem eiusmodi notionem Lactantius. Atq; ob eam rationem tribuenda illi esse perfectissima quæq; semotis cũctis defectibus asseueramus. Nam dicimus, Deum esse substantiam sine accidêtibus, formam sine materia, actum purum sine potentia; spiritum simplicissimũ absq; compositione; sine quantitate immensum; sine qualitate optimum; vbiq; existentem, & extra omnia; in omni tempore, & extra omnia tempora æternum; sine situ supremum; sine habitu lumine vestitum: quod

Lactant. lib. 6 instit. diuin. cap. 24. ante medium.
Seneca de Deo quid senserit.
Dei qualis qualis descriptio.
Psalm. 103.
1. Tim. 6.

sit sine labore operans, sine passione patiens; summè viuens, sine morte; summè sapiens, sine vlla ignorantia; summè bonus, sine admixtione mali; summè beatus & contentus sine miseria: tantæ magnitudinis, vt omnia impleat; tantæ sapientiæ, vt nô possit comprehendi; tantæ misericordiæ, vt excedat omne cor nostrum; tantæ potentiæ, nemo vt possit illi resistere; tantæ iustitiæ, vt nullus valeat eius opera reprehendere, aut dicere, cur ita facis? tantæ gloriæ, vt maiestatis suæ scrutatores opprimat; tantæ, vt sic dicam intelligibilitatis, vt lucem habitet inaccessibilem, quam nullus hominum vidit, sed nec videre potest; tâtæ denique perfectionis, vt nullam per creaturam vel excellentissimam, siue per uullam entis creati speciem, quemadmodũ in se est, cognosci queat: nam omnia creata infinito modo superat. Erant autem omnes creaturæ in eo, antequã essent in se ipsis, quemadmodum effectus subsistunt in causa, formæ in agente earũ datore, numeri in vnitate, lineæ in puncto, circulus in centro, colores in luce, conclusiones in principio, flores & fructus in radice plâtæ, domus tota in fundamêto. Audi B. Hilarium in libro de Patris, & Filij vnitate de Deo philosophantem: *Certè (ait) hoc est Deus, quod & cum dicitur, non potest dici; cùm æstimatur, non potest æstimari; cùm comparatur, non potest comparari; cùm definitur, ipsa definitione sua crescit. Qui cælum manu sua operit, pugno omnem mundum claudit, quem totum omnia nesciunt, & metuendo sciunt, cui nomini, & virtuti famulantur.* Sic ille bonus Pater. Quemadmodum autem summum in quouis genere per se incognitum est ab eo, qui illud non vidit, & per alia inferiora, & deriuata vix intelligitur (nam qui solem, vel aurum nunquam vidisset, vix, & magna certè cum difficultate per stellas, solem, aliaúe per inferiora metalla aurum valeret apprehendere) ita sanè cuncta, quæ creata sunt, modicam & tantillam nobis cognitionem præstant Creatoris, à quo in infinitum distant.

Hierem. 23.
Iob 11.
Sap. 12.
Prouerb. 25.
1. Tim. 6.
Ioan. 1.
Ibidem.
Creaturæ omnes in Deo antequã essent, vt fuerint.
B. Hilar. prope fin. operis.
Deus quid secundum Hilarium.
Psalm. 118.
Quàm minimè nos Deum ex creaturis agnoscamus.

Quod si fortè obijcias, Paulum asserere: *Inuisibilia enim ipsius, à creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur; sempiterna quoq; eius virtus, & diuinitas*: & Salomon: *A magnitudine enim speciei, & creaturæ, cognoscibiliter poterit horum Creator videri.* Respondendum est, creaturas quidê rectè intellectas aliquam creatoris cognitionem porrigere; sed nô omninò perfectam. Nam à creatura nota ad Creatorem non nisi infinita distantia est. Impossibile est autem, vt per finitum cognitum ad infinitum videndum quis assurgat: sed per creaturas quidê

Rom. 1.
Sap. 13.
Creaturæ nobis de Deo qualem tantũ cognitionem præbeant.

agnosci-

agnoſcitur quod Deus ſit, & quod lógè ante omnia creata ſit; in cœleſti verò gloria viſus agnoſcitur vti eſt, quemadmodum Ioannes ait: *Scimus quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, & videbimus eum ſicuti eſt.* Nullibi autem videri poteſt à nobis quid eſt, quia ipſe ſe ſolùm comprehendit, & definitè nouit quid ſit. Cùm ergo Deus cogitationibus noſtris incomprehenſus prorſus exiſtat, & lógo interuallo vincat ſcientiam noſtram; magis ignotus dici poteſt, quàm notus; inuiſus, quàm viſus; & abſconditus, quàm manifeſtus; iuxta illud Iſaiæ: *Verè tu es Deus abſcóditus, Deus Iſraël Saluator.* Quemadmodum verò de Sole magis apprehendimus quod ſit in rerum natura, & à ſignis & effectis qualis ſit, quàm quid in ſeipſo ſit: ſimili ratione Deus in ſe à mortalibus agnoſci nequit. Vt Simonides ille poeta interrogatus de Deo, quid eſſet, & diuerſa temporis ſpatia ad cogitandum, & reſpondendú poſtulans, apertè indicauit: Ná quò plus cogitabat, eò minùs intelligebat; & longius tempus ſubinde ſibi dari ad reſpondendum exigebat. Ideò hoc loco nos de Deo non quid ſit, verùm quod ſit, & certis ſignis proprijſque, ac peculiaribus notis qualis ſit, explicabimus: quemadmodum etiam dum contra Hæreticos de Eccleſia diſſerimus, illam apud nos eſſe, & non apud Hæreticos, certis & proprijs notis demonſtramus. Sunt autem quædá notæ omnibus communes, aliæ verò perfectis viris compertæ, & exploratæ. Ex communibus ergo notis, illa prima Deus verus, ab alijs diſcernitur in hoc, quod creauit cœlum & terram, vt prima ſentétia Geneſis, primuſque Fidei oſtendit articulus. Vnde Abraham veri Dei iureiurando ſe aſtringere volens, cùm per falſos deos iurarent alij, dixit: *Leuo manum meam ad Dominum Deum excelſum, poſſeſſorem* (vel vt alij vertunt) *creatorem cœli & terræ.* Quaſi diceret; Nullus alius eſt mihi Deus, quàm ille ipſe qui mundum condidit. Sicut ait Dauid: *Omnes dij Gentium, dæmonia; Dominus autem cœlos fecit.* Ipſe etiam Dauid auxilium non à talibus dijs, ſed à vero Deo implorans, dixit: *Adiutorium noſtrum in nomine Domini, qui fecit cœlum, & terram* Hieremias quoque cap. 10 ait: *Sic dicetis eis: Dij qui cœlos, & terram non fecerunt, pereant de terra, & de his, quæ ſub cœlo ſunt. Qui facit terram in fortitudine ſua, præparat orbem in ſapientia ſua, & prudentia ſua extendit cœlos.*

I. Ioan. 3.
Dei ſubſtantia & natura ſibi ſoli nota atq; comprehenſa.
Iob. 36.
Iſai. 45.
Deus Soli comparatur.
Simonides de Deo interrogatus, quid dixerit.
Communes de Deo omnibus notiones proponuntur.
Deus verus cœli, terræque conditor exiſtit.
Gen. 1.
Infra 14.
Pſalm. 95.
Pſalm. 123.
Hierem. 10.

Secunda nota veri Dei eſt: eum vbique exiſtere, cœlumque, & terram implere: id quod Ethnici minime ignorârunt, quorú vnus dixit:

Ab Ioue principium Muſæ, Iouis omnia plena;

Et alius:

Iuppiter eſt quodcunq; vides, quocunq; moueris.

Deus omnia implet.
Hierem. 23.
Virg. Eclog. 1
Lucan lib. 9.

Homo enim tantùm implet locum vbi eſt, ſed non occupat aliorum locum; Angelus quando eſt in cœlo, non eſt in terra; octaua ſphæra in loco ſuo eſt, at locum aliarum nequaquam implet: ſecus Deus, qui omnia, & totum mundum implet, nec adhuc mundo creato capitur. Hinc eſt Dauidis illa vox: *Quò ibo à Spiritu tuo? aut quò à facie tua fugiam? Si aſcendero in cœlum, tu illic es: Si deſcendero in infernum, ades.* Et vox filij eius Salomonis: *Si cœlum, & cœli cœlorum te capere non poſſunt: quantò magis domus iſta quá ædificaui?* Eſt enim Deus in omni cogitabili perfectione infinitus: nam aliàs qui ipſum finiret, & terminaret, maior, & prior illo eſſet. Rurſus tam paruus eſt, vt ſit in minimo grano arenæ, vel ſeminæ ſinapis. Rurſum tá magnus, vt ſit in omnibus, & ſuper omnia. Et vt pius & acutus quidam Theologus aiebat: *intra cuncta, extra cuncta, ſubter cuncta, ſuper cuncta: Super cuncta, neq; elatus: ſubter cuncta, nec ſubſtractus: extra cuncta, neq; excluſus: intra cuncta, nec incluſus. Super totus, præſidendo: ſubter totus, ſuſtinendo: extra totus, complectendo: intra totus, implendo: extra, nullo dilatatur: intra, nullo coarctatur: ſubter, nullo fatigatur: ſuper, nullo ſuſtentatur.*

Homo & Angelus, qui locú impleant.
Pſal. 138.
3. Paral. 6.
Deus quàm paruus, quàm magnus ſit.

Tertia nota veri Dei conſiſtit in hoc, quod operatur omnia naturalia: *Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia, & operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ:* & Dauid: *Omnia quæcunq; voluit Dominus, fecit in cœlo & in terra, in mari, & in omnibus abyſſis: educens nubes ab extremo terræ, fulgura in pluuiam fecit. Qui producit ventos de theſauris ſuis, &c.* Quibus veluti ſcopis quibuſdam, aërem, ne putreſcat, permundat. Hieremias quoque cap. 10. omnia opera naturæ Deo tribuit: *Ad vocem ſuam,* inquit, *dat multitudinem aquarum in cœlo, & eleuat nebulas ab extremitatibus terræ,* & cætera quæ ſequuntur.

Deus verus operatur omnia naturalia.
Rom. 11.
Epheſ. 1.
Pſal. 134. & Gen. 1 & ſeq.
Deus cur producat ventos de theſauris ſuis.
Hierem. 10.

Quarta nota veri Dei eſt, omnia quæ creata ſunt, in natura, atque in ſtatu ſuo conſeruare. Nam cœlum eodé modo manu tenet, & mouet: terram ſtabilem, aerem, ignem, ac ſpecies rerum quæ corrumpuntur, per continuam earum productionem ſeruat. Vnde rectè ait Ioannes: *Sine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt.* Et rurſus Dauid: *Dante te illis, colligent: aperiente manum tuam, omnia implebuntur bonitate. Auertente autem te faciem, turbabuntur: auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur.*

Deus verus omnia, quæ creata ſunt, in natura, atque in ſtatu ſuo conſeruat.
Pſalm. 103. & Eccleſ. 1.
Ioan. 1.
Pſalm. 103.

Quinta nota: Deus verus eſt, qui omnia gubernat, & ad fines ſuos cóſequendos ſuauiter perducit. Vnde ait: *Ego Dominus Deus*

Deus verus omnia gubernat, & ſuauiter diſponit.

tuus docens te vtilia, gubernans te in via qua ambulas. Item Salomon: attingit à fine vsq; ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. Tantaque est eius prouidentia, vt nec folium arboris & passerculorū ne vnus quidem, &c. in terrā cadat sine eius voluntate: & pullis coruorū eum inuocantibus cibum suppeditet. Tātaque est eius sapientia, vt bonum quidē faciat, ac disponat; malum verò culpæ, vel pœnæ permittat quidem; & permissum, in aliquem bonum finem conuertat.

Isai. 48. *Sapient. 8.* *Psalm. 46.*

Sexta nota: Deus omnia eminenter continet cū infinita perfectione: quemadmodum sol omnia lucida, & aurum inferiora omnia metalla. Ab ipso omnes perfectiones in creaturas deriuantur; quas si non haberet ipse, quomodo alijs donare posset? Omne datū, inquit Iacobus Apost. optimum, & omne donum perfectum, desursum est, descendens à Patre luminū. Dauid etiam ait: Qui plantauit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat? Dionysius Areopagita testatur, Deum præhabere se in oēs perfectiones creaturarum sine vlla, vt sic dicam, imperfectione. Quemadmodū enim aureus nummus continet eminenter vndecim, duodecimúe iulios argēteos sine argento, verum in re magis pretiosa q̄ argentū sit: ita in Deo sunt oēs perfectiones, remotis imperfectionibus. In homine enim est sapientia, sed imperfecta, quoniā parua: in Angelis inuenitur fortitudo, & pulchritudo, at cū compositione, & varietate, quia sunt finiti: Deus verò infinitā habet sapientiam, immensam bonitatem, perfectissimā potentiam, denique omnes perfectiones in infinito gradu, sine compositioneque vlla, imò cū summa simplicitate. Quare rectè in libro Sapientiæ scriptū est: Hoc quod cōtinet omnia, scientiam habet vocis. Postulauit à Domino Moyses: Ostende mihi gloriam tuam. Cui respondit: Ego ostendam omne bonum tibi: id est, infinitum, abbreuiatum, & simplicissimum bonum, in quo, & ex quo sunt omnia bona.

Deus in se omnia eminentia continet. *Iacob. 1.* *Psalm. 93.* *Dion. Areop. lib. de diuin. nom. cap. 5. ante med. & inde.* *Vt sint eminenter omnia in Deo.* *Sap. 1.* *Exod. 33.* *Quale sit bonum Deus.*

Septima nota: Deus est æternus, semper & eodem modo existens, sine principio, & sine durans: nec respicit à tergo præterita, quia nihil illum præterire potest: nec respicit ante se futura, quia nihil illi futurū est: cuius oculis omnia sunt nuda, & aperta, & præsentia. Ab illa æternitate, quæ sine tempore, & successione existit, cadunt Angeli in æuum, quod substantiarū spiritalium, ac suarum operationum mensura est: cadunt etiam omnia temporalia in tempus, quod omnia, quæ motui subijciuntur, metitur, in quo tantùm viuere, & permanere possunt.

Deus verus, est æternus, & immutabilis. *Hebr. 4.* *Angeli mensurantur æuo.*

Octaua nota: solus Deus Philosophorū omnium, ac Theologorum testimonio, actus purus dicitur, & est: ad nullam enim perfectionem in potētia esse potest: neque rursus ad aliquid non perfectum, siue ad nullum defectum aptitudinem, nec potestatem habet: quicquid enim esse potest, actu est. Nam, verbi gratia, homo potest esse diues, si pauper est: & rursus si diues est, cadere à diuitijs potest. Itē si ignorans est, potest fieri sapiens: rursum si sapiens est, à sapientia excidere illum haud est impossibile. Deus autē benedictus ita est diues, sapiens, potens & iustus, vt ad paupertatem, vel ad ignorantiam, vel ad impotentiam, & iniustitiam vllo pacto descendere, aut delabi non possit. Rursus tales diuitias possidet, talem sapientiam, potentiam, & iustitiam, vt in illis augeri nequeat: infinito enim additamentum fieri nullum potest. Est enim Deus actu diues, potens, sapiens, & iustus, quantū potest esse, hoc est, in infinitum: exulatque à Deo omnis potentia patiens; nam quicquid esse potest ille, actu est.

Deus solus, omnium iudicio est actus purus, ac simplicissimus. *Exemplum huius veritatis.* *Infinito nihil addi potest.*

Nona & postrema nota veri Dei est: quod illi tribuatur summa potentia, summa sapientia, summa bonitas, summus amor, summa misericordia, summa iustitia, summa denique, & qua maior excogitari non possit, perfectio. Hæc enim omnia illi scripturæ sacræ vbique tribuunt, eumque nobis vt talem celebrādum, & laudandū proponunt. Ratio etiam ipsa nō obscurè gentibus, & Philosophis hæc de Deo cogitanda, porrigebat: ex quo & hos illi titulos frequenter tribuebant. Atque hactenus de communibus, & omnibus comprehensis notis, quæ ex parte creaturarum accipiuntur, dictum sit.

Deo omnis quanta maxima cogitari potest, perfectio tribuenda.

Notæ verò secretiores, quæ ex parte ipsius Dei desumuntur, ad perfectos tātùm viros, ac eos, qui fide præditi sunt, spectant. Inter has autem prima est, productio Dei intrinseca: Filius meus, inquit, es tu, ego hodie genui te. Neque hoc Deo quouis modo repugnat: nā quid mirum est, si Deus Deum producat; cùm ignis ignem, oliua oliuam, equus equum, & homo hominem generet? ¶ Secunda est: productio Dei extrinseca, nempè Angelorum, quos ex nihilo per se ipsum produxit. Nam eum Creatorem visibilium, & inuisibilium confitemur. Ipse enim virtute sua creat animos, & creatos corporib⁹ infundit: Vnde inspirauit in corpus Adæ spiraculum vitæ. Dicitur sigillatim corda hominum fingere: & Apost. In ipso, inquit, cōdita sunt vniuersa in cœlis, & in terra, visibilia & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates, omnia per ipsum, & in ipso creata sunt. Tertia nota est: quod soli s gratiam, & gloriam largiri possit: quare

Peculiares veri Dei notæ, ac magis intrinsecæ quinque. *Deus Deum generat ac producit.* *Psalm. 2. & Actor. 13. & Hebr. 1. & 5.* *Angelorum creatio Dei veri propria solius est.* *Gen. 2.* *Psalm. 32.* *Coloss. 1.* *Solus Deus gratiam & gloriam largiri potest.*

Psal. 83. per Prophetam dixit: *Gratiam & gloriam dabit Dominus:* & Iob ad Deū loquens, ait: *Quis* Iob. 14. *potest facere mundum de immundo conceptū semine? nonne tu qui solus es?* Quarta nota: Deus verus est, est Deus patrū nostrorum, & Ecclesiæ, quæ præcessit: nā proptereà dicitur Deus Abrahā, & Deus Isaac, & Deus Iacob, Deus Eliæ, Deus Danielis: & nisi esset in Ecclesia ver⁹ Deus, nulla esse posset salus. Vnde nec in Nouo Testamēto alium colimus Deum, quam illum eūdem, quem Patriarchæ, & Prophetæ cognouerunt, quique de se ipso per Prophetam dixit: *Quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum.* Quinta nota, in signis, & miraculis, quæ ordinem, cursumque naturæ antecellunt, quibusq; se Dominum vniuersi prodebat, consistit. Hinc miraculo populum eduxit de Aegypto per mare Rubrum virga Moysi apertū, & desiccatum; pauit manna in deserto; solem sistere fecit; igni præcepit ne vreret: atque ita diuersis signis se ipsum tam in Vetere, quàm in Nouo Testamento manifestauit.

Deus verus, est Deus omnis Ecclesiæ præteritæ & præsentis. Exod. 3. 4. Reg. 2. Dan. 9. & Infra 14. Isa. 52. Deus solus signorum ac prodigiorum effector est. Exod. 14. Infra 16. Iosu. 10. Suprà 3. Dan. 4.

Quòd si obijcias; Petrus, & Paulus, alijq; sancti, nōne ipsi miracula operati sunt? quo modo ergo miracula, vera sunt Dei argumenta, & signa? Respondemus, Apostolos, & Sanctos propria virtute nullum edidisse miraculum, sed vt Dei ipsius organa, atque instrumenta, & quidem medijs precibus signa impetrauisse. Deus tamen solus est, de quo scriptum est: *Tu es Deus solus, qui facis mirabilia.* Et queādmodum gratiā solus Deus infundit, ad eā tamen cōmunicandam concurrit homo tāquàm minister: verbū Dei, vel Sacramentū adhibens: sic sancti ad operationes miraculorū, ceu ministri Dei, cōcurrunt. Et de notis quidē, ac signis, quibus Deus venit agnoscendus, hactenus. Quod ad nomen verò attinet, seu vocem Dei, dicendum est, quosdā sensisse, Deum à voce Latina Dandi appellationē sumpsisse, quòd nimirum eius propriū sit omnia nobis dare: nam ipsum existere, vt philosophicè loquar, siue esse, omniaque cùm priuata, tum communia beneficia nobis indies elargiri, atque suppeditare nunquàm cessat. Alij verò sentiunt, Deum à verbo Græco Δέος, id est, à timore dictum: cui consonat celebre illud carmen Poetæ:

Apostoli, & sancti omnes qua tantum virtute miracula ederent. Psal. 85. Dei nomen vnde deductū sit. Prima opinio. Secunda. Δέος Græcè quid. Claudian.

Primus in orbe Deos timor fecit.

Diuinum enim numen propter summam potentiam suā, atq; inflexibilem æquitatē omnes meritò formidare debemus. Verū tamen omissis istis etymologijs minus fortasse congruis, vera & germana huius vocis significatio à videndo, vel currendo, ardendoue sumpta videtur. nā Græce Θεὸς vel ἀπὸ τοῦ θεᾶσθαι, id est, à vidēdo; vel ἀπὸ τοῦ θέειν, id est, à currendo; vel ἀπὸ τοῦ αἴθειν, id est, ardendo, vel comburendo deducitur. Est enim Deus, qui cuncta videt, & ad suos dirigit fines: cuncta etiā adiuuat, & quò ad suos eas fines perducat, currit quodammodò: cuncta etiam diligit, & ardet, de quo scriptum est: *Diligis (Domine) omnia quæ sunt, & nihil odisti eorū quæ fecisti:* nec.n. odiens aliquid constituisti, aut fecisti: Vnde Areopag. Dionys. lib. de diui. nom. verbi Græci vim explicās, ita scribit: *At deitas Græcè, theotes itidē, quòd prospiciat cuncta prouidentia, bonitateq; mirabili, & circum omnia currat, cunctaq; contineat, & se omnia repleat, atq; vniuersa transcendat, qua prouidentia illius vtuntur.* Sic ille. Deus ergo iuxta hanc magni Dionysij sententiam, optimum gubernatorem, & Regē significat, cuius est omnia negotia, quæ in regno suo à sibi subiectis populis trāsiguntur, perspicere: deinde illis præsentē adesse, vt illos seruet atque custodiat. Hinc Dauid vim vocis Dei quasi explicans, dixit: *Deus in adiutorium meū intende: Domine ad adiuuandū me festina:* Id est: ô tu Deus, qui à videndo, & currēdo diceris, intende, & festina: hoc est, vide, & curre, & serua in me proprietates tui nominis. Perinde.n. est Deo dicere, intēde & festina, atq; dicere Iesu Christo, salua, & vnge me tu, qui es fōs salutis, & vnctiōis. Ideò Aegyptij in hieroglyphicis suis oculo, & baculo Deū repræsentabāt: oculo quidem, innuentes illum omnia perspicere; baculo verò, omnia illū sua prouidētia gubernare, ac sustentare significantes. Hoc nomē cōtinet omnes notas Dei suprà cōmemoratas. Si enim omnia sua prouidētia gubernat, ac regit Deus Opt. Max. sequitur profectò ipsum omnia condidisse. Nec enim est vt struthio, vel vt cuculus, ouis qui nō suis incubat: neque rursus vt perdix, aut gallina fouens quæ non peperit. At Deus quem fecit mundum, ipsum & gubernat; & quem non fecit, haud gubernat. Rursus si videt omnia; ergo summè sapiēs est, & summè prouidēs. Si currit omnia circum (quod metaphoricè de Deo dicitur) ergo omnia implet, omnia operatur, omnia cōseruat, omnia continet, æternus est, actus purus est. Insinuat præthereà nomen hoc generationem Verbi, per visum: productionē Spiritus sancti, per cursum, & ardorem. Atq; ita tam cōmunes, quàm particulares notæ veri Dei superius à nobis descriptæ, in hoc nomine repræsentantur. Magna ergo ratione voluit Deus hac voce nobis repræsentari, quo eum Regem nostrum, ac Gubernatorem agnoscamus, ad quem cum fiducia in nostris difficultatibus, ac miserijs confugiamus, eius opem, & auxiliū imploremus. Et

Tertia aptior & frequentior. Θεὸς Græcè vnde dicatur. ep. 8. Infra 11. Areop. Dion. lib. De diuin. nomin. ca. 12. prope init. Theotes quid. Optimi Regis, ac gubernatoris quænam partes. Psalm. 69. Deum Aegyptij oculo, & baculo cur repræsentabant. Dei nomini notas & proprietates Dei prænarratas omnes conuenire. Iob. 39. Hierem. 17. Hiere. 23. Sap. 1. Deus cur hoc nomine insigniri voluit.

Hominis ingenium. *Hebr.* 4.

quia naturale est hominibus gratiā sui gubernatoris, & principis omnib' modis ambire, & procurare: confidenter ad eum, qui gratiosus est, nosque, & omnia nostra conseruat, atque mirabili prouidentia omnibus in nostris necessitatibus nobis succurrit, accedamus: spectantem nos, spectemus: ad currentem ad nos, curramus, ita vt dicere possimus: *Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum: si exurgat aduersus me prælium, in hoc ego sperabo.* Et rursus: *Etsi ambulauero*, inquit, *in medio vmbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es.* In præsentia etiam iudicis, & gubernatoris nos spectantis peccare erubescamus. Nam ob id meritò dicitur omnia videns, vt frenum esset omnis peccati, & calcar ad omnem virtutem. Sanctus quidam pater ingressus fertur fuisse ad quandam meritricem, eam volens à peccato auocare, atque ad Christum conuertere: Cumque illa putasset ad se illum, vt secum rem haberet, venisse; dixit bonus ille pater ad eam: Duc me in cubiculum, vbi nemo nos videre possit. Cumque post vnum, aut alterum, in secretissimum duxisset cubiculum, dixit mulier: Ecce locus, in quo nos, præter Deum videre nemo poterit. Ad quam sanctus pater respondit: An non, inquit, satis esse tibi videtur, Deum posse nos spectare? an non peius est ab eo solo in peccato deprehendi, quàm à toto mundo videri? His ille verbis mulierem ad pœnitentiam, & bonam frugem reuocasse scribitur. Caueamus ergo ante oculos Dei vllum admittere scelus, ac flagitium, sciẽtes illum non tantùm esse se oculum, sed & baculum, quo peccatores percutiat: horrendumque esse incidere in manus Dei viuentis: quas vt euadere valeamus, præstet Dominus noster Iesus Christus, qui cum Patre, & Patre, & Spiritu sancto viuit, & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

Psal. 26. *Psal.* 22.

Meretriculæ cuiusdam per sanctum virū admirabilis, & prope diuina conuersio describitur.

Baculus Dei quis nobis valde formidandus. *Hebr.* 10.

TRACTATVS II.

In quo de potentia, conuenientiaq́; Incarnationis Filij Dei est sermo.

Series tractationis huius.

SVperiore tractatu, quid esset Deus non modò re ipsa, sed etiam nomine, & voce, vtcunque explicuimus: nunc tertio loco propositum expediendum est, nempè cur Deus sub hac ratione, & appellatione Dei legationem hāc, & tantum incarnationis mysteriū peragere voluerit. Quod vt apertè ostẽdamus, tali ordine procedendū esse existimamus, vt primò quidem loco Deum incarnari posse demonstremus. Secundo, vt solum Deum hoc præstare ostẽdamus. Tertiò, haud fuisse simpliciter necessarium id fieri à Deo, probabimus. Postremo loco, id fuisse summè cōueniẽs bonitati Dei: atque nostræ subleuandæ miseriæ quàm maximè expendiens, multis rationibus aperiemus.

Hominem fieri Deum posse probatur.

Inprimis igitur Deum creaturā fieri posse, atq; incarnari, his rationibus euincitur: nam etsi argumentis ostẽdere incarnationem factam fuisse non possimus, vtcunque tamen infinitæ Dei potentiæ possibilẽ probare possumus. Primò quidem, quia etsi possibile non sit, vnam naturam aliam finitam, & creatā, à qua minus distat, fieri, vel esse, nedum infinitam Dei naturā (nec enim natura hominis fieri, aut esse natura equi potest, nedū diuina, cùm species, vt Philosophus ait, in indiuisibili, quemadmodum & numeri, consistant:) possibile tamen Deo omnipotẽti est, humano indiuiduo hypostasin suam, siue subsistentiam cōmunicare, & mutuare, illud ita præueniendo, vt non in se, verùm in Deo consistat. Quæ quidem hypostasis ita est illi intrinseca, vt licèt vna natura non sit altera, cū in Christo sint duæ naturæ distinctæ, nō confusæ, neque commixtæ inuicem, vt contra Eutychetem Ecclesia obtinuit: sit tamẽ Deus homo, & homo Deus, ita vt vnica diuina Persona in vtraque, & diuina, & humana natura inueniatur: quemadmodum è cōtrario vna Dei essentia in plurib' personis subsistit. Deinde, potest Deus facere infinita sua virtute, vt accidens, sine eo quod ei subijcitur, existat: quemadmodum in mysterio Eucharistiæ facit, tametsi accidentis esse, sit inesse: poterit ergo efficere, vt substantia creata sine propria vlla subsistentia nisi in diuina existat. Adhæc, agens per artem potest ex vna re aliā ex accidenti efficere: naturale verò agens valet ex vna aliā substātiam facere: Deus ergo super artem, & super naturam operās, & infinitus artifex poterit cōmuniter ex nihilo aliquid producere, ergo singulariter valebit ex nihilo etiam Deus efficere, vt infinita eius potentia in effectu ipso videatur. Anima enim Christi ex nihilo cōdita est, corpus autem supra naturam sine virili semine, ac proinde quasi ex nihilo productum. Præterea, habet homo virtuté gignendi alium hominem, ac filiū efficiẽdi: potest & arte ciuili aliquem in filium adoptare, in quem nomen familiæ, & hæreditas adoptantis pertransit: poterit ergo Deus non tantùm natura Deū generare, sed etiam per gratiā Humanitatem assumere, & facere, vt homo sit verus Deus. Adhæc, nō est denegandū omnipotenti Deo, quod

I. Ratio.

Aristot. lib. 2. *de anima, tex.* 31. & *lib.* 8. *Metaphy. tex.* 10. *seu cap.* 5.

Diuinam, humanamq; naturas in Christo confusas permistas existere, olim impius somniabat Eutyches.

II. Ratio.

Accidentis esse quodnam sit.

III. Ratio.

Luc. 1.

IV. Ratio

V. Ratio.

virtu-

virtuti creatæ conceditur: atqui anima rationalis, quæ subsistens est forma, corpus sibi in vnitatem hypostasis vnit, ita vt vna persona, atque vna hypostasis ex vtrâq; resultet (quáquàm hic vnionis modus etsi affirmetur, non tamen perfectè intelligatur) poterit ergo Deus assumere Humanam naturā ad vnitatē diuinæ Personæ, remotis omnibus, qui in anima sunt, defectibus, (nā anima forma substantialis & pars cōpositi est) qui Deo prorsus non conueniunt. Atq; hoc quidem argumētum ex epist. 3. Augustini ad Volusianum desumptum est, & ex Gregorio Nysseno lib. 2. de anima. c. 12. & probat etiam testimonio Porphyrij. Ampliùs, quicquid nō implicat cōtradictionē, apertamque, & intrinsecā repugnantiā non includit, Deus potest efficere; sed huiusmodi mysteriū nullam continet repugnantiā; non ergo est Deo auferendū. Quòd si obijcias, maximè repugnare, naturā hominis suam amittere subsistentiam. Respondemus, experiētiam satis docere, naturas absque proprijs subsistētijs posse existere. Nā quēadmodum aqua à mari separata, & ramus ab arbore præcisus, propriā habent, in qua sustententur, hypostasin; cùm tamē aqua mari coniuncta, vel ramus non præcisus ab arbore distinctum ab illis esse nō habeant: ita in proposito dicendum est. Quòd si creatura aliam in sua hypostasi sustinere creaturā potest: poterit ergo multò magis Diuina, & increata subsistentia naturā Humanam ad se vocare atque assumere, ita vt nō in se, sed in illa subsistat. Postremò, stultum, ac temerarium videtur, id hominem negare fieri posse, propterea quòd sibi impossibile factu videatur: siquidem multa, quæ natura, aut arte fiūt, impossibilia prorsus iudicaremus, ob id q̄ rationē effectionis eorū non capiamus. Si, ergo vel artis ipsius interdū, ne dicam naturæ, opera vix capimus; quantò minus incomprehensa Dei opera, ac prorsus singularia, atq; diuina valebimus apprehendere atq; concipere? Vanissimus igitur meo quidem, & omniū iudicio est, qui sua minutula, tenuiq; intelligentia diuinam, infinitamq; potentiā metitur. Quod enim impossibile est, & videtur apud homines, possibile est apud Deum: & quò minus fieri quicquā posse, nostro iudicio videtur, eò magis diuinum esse demonstratur. Ex quo egregiè pronuntiauit Gregorius: *Minus de Deo sentit, qui hoc solum sentit, quod suo ingenio metiri potest.* Deū ergo carnem assumere, impossibile nō est, etiāsi ratione naturali demōstrari non possit: quia super captum naturalē est tam ipsum factū, quàm rei possibilitas, quod vt magni quidā viri docent, commune est omnibus Fidei articulis. Et hactenus de primo capite.

Aug. tom. 2. initio.
B. Greg. Niss.
Porphyrius.
Sexta.
Humanam naturam sine propria esse subsistentia, vnde constet.
Septima ac postrema ratio pro possibili Incarnationis opere.
In eos qui diuina humano ingenio metiuntur.
Matth. 19. & Luc. 1.
Gregorius Romanus.
Minus de Deo qui sentiat, vt Magnus dixit Gregorius.

Ad secundum verò: asserendū est, nō solum Deū incarnationis opus efficere posse, hoc est, hominem, vt ita dicam, Deificare. Nam vt ignis solus ignē, sola lux lucem, sola olea oliuam valet producere: sic etiam solus Deus hominē ad Diuinam hypostasin potest euehere. Ad hęc, solus Deus adoptionem, quæ filiatio quędam artificialis, & ciuilis est, præstare potest, vt solus etiam remittit peccatū, solus iustificat: ergo quod maius est, hominem ad naturalem suā filiationem attollere solus poterit. Item, si ad hypostasin suā attrahere, & in illa res alias sustentare, diuinæ tantū, & infinitæ est potestatis, vt scholastici Theologi magno cōsensu tradunt: ergo solus Deus incarnationem operari poterit.

Quòd solus Deus possit incarnari.
1. Ratio.
Secunda.
Matth. 9.
Rom. 8.
Tertia.

Nec obstant in contrariam partē rationes adductæ, quæ ad probandum incarnationem esse impossibilē, à Paganis, & Hęreticis fiunt. Primùm enim argumentatur, Deum esse omninò immutabilem, vt etiā Scriptura docet: atqui incarnatio mutationē adfert, est enim Deus homo factus, qui prius nō erat: ergo si mutari Deum est impossibile, erit & incarnari. Respondemus, mutationem totā ex parte humanæ naturæ inueniri, nullā ex parte Dei. Vt enim quando mūdus est cōditus, Deus in eo esse cępit, in quo antè non erat, & modò cùm res noua aliqua fit, in ea Deus est, & anteà nō erat: id quod nulla prorsus Dei mutatione prouenit, sed tātùm ipsius creaturæ sua natura mutabilis. Quemadmodum columna immobili existente, & me ipso mutato, nunc illi sum ad dexteram, nunc ad sinistram: ita in incarnatione, natura humana nouo modo se habet ad Deum, Deus autem nullam rei mutationem patitur ob id, quod nouo modo in carne fit. Similiter etiā vitiosa est argumentatio ista: Deus genitus est ex Virgine, ergo secundū substantiā est mutatus, quia terminus generationis est substantia. Respondemus enim, Deū non acquisiuisse alienā, vel nouā subsistentiam, verū ille in sua immutatus permanēs, naturā aliam assumpsit per eius mutationem, quæ attracta est ad hypostasin Dei; & ita nouā habet substantiā, sed immutatus. Neque rursus valet hæc alia argumētatio. Motis nobis, mouētur omnia, quæ in nobis sunt, ergo Deitas moto Christo homine: Nā hoc verū est de his, quæ in nobis sunt, vt in subiecto, vel in loco; vel deniq;, quæ ita sunt in vno loco, vt non sint alibi. Quanquàm verius dici posset potiꝰ esse Humanitatē in Verbo, quā Verbū in Humanitate. Secundò ob iciunt,

Infidelium, & Hæreticorum adductus Incarnationis veritatem obiecta diluūtur.
Prima obiectio.
Num. 23.
Malach. 3.
In incarnatione, quæ natura tantummodo mutationē susceperit.
Quomodo humana natura se habuerit in incarnatione.
Id, Motis nobis, mouentur omnia, quæ in nobis sunt, in quibus locum habeat.
II. Obiectio.

Deus

dic entium, opus incarnationis fieri non posse.

Deus est omnino simplex, & omnis compositionis expers, vt fides, ac lumé naturale rationis prodũt: ergo vniri cũ humana natura nequit. Nam quod alteri vnitur, habet rationé partis; pars autem cum parte perficiens, à summa simplicitate cadit, cùm habeat actum mixtum potentiæ. Sicut ergo possibile non est Deum esse partem, ita nec Deum incarnari possibile. Respondemus ex doctrina B. Thomæ, tripliciter aliqua vniri:

Thom. in 3. senten. dist. 1. q. 1. art. 1. sub initium to. 7. oper.

Aliqua vniuntur tripliciter.

Quædam quidé in vno tertio, sed nõ inter se; vt duo brachia in pectore, duo homines in vna specie: quædam verò inter se, sed non in vno tertio; quemadmodum subiectum, & accidens: quædam rursus & inter se, & in vno tertio; quemadmodum materia, & forma, quæ mutuo se amplectũtur, & vnũ per se ex eis cõponitur.

Qualis sit vnio Dominicæ incarnationis.

Quando ergo duo vniuntur in vno tertio, non autem inter se, tunc neutrum habet rationé partis, neque ad se inuicem, neque respectu partis: & talis est vnio incarnationis. Natura enim Diuina, & Humana vniuntur in vna Verbi persona, non autem inter se: ob id nõ est ibi ratio partis, atque ea ratione nequaquàm amittitur Diuina simplicitas. Quòd si diuinã Verbi personã cum Humana natura comparare velis; tunc vniuntur quidé inter se, at non in tertio: proinde perit ratio partis, nam pars vtrumque postulat, vt & inter se vniantur, & in vno tertio.

Tertia obiectio.

Obijciunt tertiò: Deus pati non potest, ergo alteri naturæ vniri nequit: vniri namq; pati est, sicut vnire, agere. Respõdetur, vniri passioné (vt aiunt) esse, quæ fuit ex parte naturæ humanæ, quã sibi persona Verbi vniuit: ex parte verò naturæ Diuinæ tantùm relationem rationis ponit. Sicut cùm res dicitur sciri, nõ est aliqua passiua potentia in ipsa, verùm in sciente, & cognoscente: ita vera passio in Humanitate fuit, in Deo verò tantùm relatio rationis.

Quarta.

Quartò obijciunt: Deus est actus purus, atque perfectus, ergo nulla ei potest fieri adiectio: non ergo potuit in se carnem assumere.

Christus in incarnatione magis dedit, quã accepit.

Respõdetur, nullã fieri adiectionem ad ipsam Dei substantiam, sicut accidens additur subiecto, hoc enim repugnat actui puro; sed potiùs ipsa natura Diuina Humanæ naturæ hypostasin Verbi cõmunicat.

Quinta.

Quintò obijciunt: Magis distat Deus à carne, quàm summè calidũ à summè frigido: sed hęc simul vniri est impossibile: ergo & Deum carni vniri impossibile erit.

Summè calidũ, ac summè frigidum cur nequeant simul esse.

Respondemus, summè calidũ, ac summè frigidum, propterea nõ posse simul esse, nõ quidem ex actus distantia, nã plus distant albedo inter se, & quantitas, quæ tamen simul existunt, verũ ex qualitatib' oppositis, quarũ vna alterã corrumpit: quod nõ est in diuina & humana natura; ac proinde vniri possunt.

Sexta. 2. Paral. 6.

Sextò obijciunt: Deus est incircũscriptus, quem cœli cœlorum capere nequeunt: nec igitur in paruo corpusculo humano poterit contineri; nam aliàs esset circumscriptus.

Aug. tom. II. initio.

Verbum diuinum humanitate, quã assumpsit, minimè circumscribitur.

Respondet Augustinus epist. 3. ad Volusianum: etsi Deus incircumscriptus sit, & vbique, est tamen totus, & indiuisus vbique: atque ita non repugnat vt totus vniatur cum circumscripto, & tamé ab eo non circumscribatur. Quemadmodum anima rationalis tota est in qualibet corporis parte, & tota vnitur cũ pede, tota cũ manu; neque tamen circumscribitur, cùm tota sit etiam in alijs partibus.

Septima obiectio negantiũ Deum posse incarnari.

Septimò argumentãtur: Deus est homini vnitus, ergo virtus diuina esset in corpore. Respondemus quod non sat est esse in corpore, ita vt sit virtus eius, quia Deus vbique est: sed opus est, vt sit eius actus ipsum informans: quod nec intellectui nostro conuenit, nedum Deo.

Octaua.

Octauò: Verbo in se completo humanitas aduenit, ergo per accidens ei vnitur, nec fit vnum per se. Respondemus, in creatis verum esse, quicquid rei perfectę aduenit, per accidens, & extrinsecè vniri, quia nihil potest sustentare alienam naturam in esse suo. Secus est in Deo: Nã si esset vnio accidentis, non esset tantùm vna persona in duabus naturis.

Nona.

Nonò: Christus esset homo significatione ęquiuoca; quia de ratione hominis, qui est Christus, est diuina hypostasis, non autem de ratione Petri, vel Pauli. Respondemus: ad ęquiuocationem quam vocant, minimè sufficere diuersitatem hypostasis, sed formæ per vocem, homo, significatæ, quæ est humanitas eiusdem rationis in Christo, & in Petro, & Paulo, licet persona diuersa sit.

Decima.

Decimò: Deus coinquinaretur ex cõtactu, & assumptione carnis nostræ. Sed certè si animam inter & carnem nullus est contactus, quia nõ communicant in materia, cum spiritus sit incorporeus, & caro corporea; multò minùs erit inter Verbum ęternum & carnem, quę in infinitum distant, contactus.

Simile.

Adhęc etsi contactus esset, nulla esset Verbi coinquinatio: Nam si Sol immunda, & sordida cõtingens, non inquinatur, quantò minus conditor ipse Solis Deus Verbum? Adhæc, caro quam assumpsit, sanctissima fuit, quia à Virgine benedicta, ab omni peccati labe eminentissima ratione præseruata, sicut Eua ex Adamo nondum peccatore ex eius costa, formata fuit.

Gen. 2.

Caro Mariæ quam sancta.

Vt ergo per se immundum illud coinquinat, qui cum in materia conuenit, mũdum veró per se sanctum efficit: ita immundum per accidens ob fidem mundat, vt tactus Leprosi: at mũdum per

acci-

accidens tangentes coinquinat, vt Iudæi Chriſtum crucifigentes. Caro verò Mariæ ſummè ſancta, & à membrorum Chriſti contactu ſanctificata, exitit ſalutis initium: quemadmodum Euæ caro corrupta, & iuſtitiæ originalis auxilio deſtituta, cauſa noſtræ perditionis, exitijſque fuit. Et hactenus de ſecundo.

Quòd non debuerit neceſſario Deus humanam carnē ſuſcipere.

Quod ad tertium ſpectat: etſi Deus hoc beneficium humano naturæ conferre poſſit, non eſt tamē incarnatio naturale, & neceſſarium Dei opus, vt eſt generatio Verbi, & Spiritus ſancti proceſſio; at voluntarium & contingens per modum gratiæ, & artis, quemadmodum etiam mūdi creatio. Cùm enim Deus ſibi ipſi ſufficiat, beatusque ſit, & ſe ſolo contentus, nec creaturis egeat quaſi ad ſuam ipſius perfectionem neceſſarijs: proptereà quicquid extra ſe ipſum operatur, contingenter ac liberè operatur. Quanquàm enim melius ſit hoc, vel illud extra ſe operari, quàm oppoſitum; non tamen cogitur Deus facere; quemadmodum nec nos ijs, quę conſilij ſunt, & perfectionis, præſtandis adſtringimur.

II. Argum.

Deinde Deus per ſe ipſum ſine incarnatione poterat homini peccata remittere, illumque ſua gratia iuſtificare, ſui viſione, fruitioneque eum beare, quemadmodum feciſſe cum Angelis quidam teſtantur: ſicut homo poteſt liberè donare offenſam, nulla adhibita ſatisfactione. Porrò humanitatis Chriſti viſio haud eſt de eſſentia beatitudinis, ſed accedit ei, eſtq; aduentitia: eſſentialem verò ſola Dei viſio efficere poteſt.

Qua ratione neceſſarium incarnationis opus extiterit.

¶ Fuit tamē incarnationis opus neceſſarium ex poſitione, dupliciter. Nam vt omittam probare, hoc neceſſarium fuiſſe, quoniam id Deus Opt. Max. per Prophetas futurū prędixerat; erat tamē neceſſarium.

I. Ratio.

Primū quidem, ſi de rigore (vt Theologi loquuntur) iuſtitiæ generis humani offenſam, exhibita ſatisfactione conuenienti, condonare voluiſſet, ſicut reuerà voluit: Tunc enim cùm purus homo Deo non eſſet ſoluendo, ex ę quo, & cōdigno, tum quia peccato infectus erat, tum quia quicquid purus homo efficere poterat in gloriam Dei, id totum alioquin Deo ipſi debitum erat; tum deniq; quia peccatum cùm eſſet contra infinitum bonū admiſſum, ac perpetratum, purus homo ac finitus infinitæ illi iuſtitiæ ſatisfacere nulla ratione valebat: Opus ergo fuit, vt is, qui pro peccatis hominis ſatisfaceret, non tantùm homo eſſet, ſed etiam Deus, qui in humana natura aſſumpta, cōdignam, & infinitam ſatisfactionem pręſtare poſſet.

Secunda.

Deinde verò ad melius, ac conuenientius inſtaurandum hominem, neceſſaria fuit Filij Dei incarnatio: itaque alius quicunq; modus non potuiſſet, quàm iſte, quo vſus eſt, tam eſſe conueniens. Vnde B. Auguſtinus lib. de Agone Chriſtiano: *Sunt autem ſtulti qui dicunt; Non poterat aliter ſapientia Dei homines liberare, niſi ſuſciperet hominem, & naſceretur ex fœmina, & à peccatoribus omnia illa pateretur: Quibus dicimus; Poterat omninò, ſed ſi aliter faceret, ſimiliter veſtræ ſtultitiæ diſpliceret.*

Aug. lib. de Agone Chriſt. initio, tom. 3. inter med. & finem.

Idē etiam lib. de Trin. *Oſtendamus, ait, non alium modum poßibilem Deo defuiſſe, cuius poteſtati, cuncta æqualiter ſubiacent; ſed ſanandæ noſtræ miſeriæ conuenientiorē modū aliū non fuiſſe, nec eſſe oportuiſſe.* Hæc ille. Et hæc dicta ſint de tertio.

Idem lib. 13. de Trin. c. 10. init. tom. eod.

Quod maximè decuerit Deū incarnari, multiplici ex capite oſtenditur.

¶ Circa quartum, aſſerimus Deū maximè decuiſſe, conuenientiſſimumque fuiſſe opus incarnationis: non ita tamen, vt ſi Deus non incarnaretur, Deo fuiſſet inconueniens: quia tunc efficeretur neceſſarium, contra ea, quæ ſuperiùs definiuimus: ſed ita Deo conueniens intelligimus, vt ſi fiat, nihil faciat ſuæ bonitati, aut ſapientiæ repugnans, aut extraneum. Quemadmodum enim dicimus, creationem mundi Deo conuenire, nec tamen ſequitur, quòd ſi actu nō creaſſet, repugnaret bonitati ſuæ: ita proculdubiò de incarnatione ſtatuendum eſt. Tametſi enim actu incarnatus nō fuiſſet; nihil indecorum tamen ſibi, aut inconueniens admiſiſſet; ita quod actu ſit incarnatus, humanitatiſque noſtræ ſit nube circumfuſus, decentiſſimum, ac bonitati ſuæ conuenientiſſimum, atque noſtræ ſubleuandæ miſerię perquàm accommodatiſſimū opus perfecit:

Gen. 1.

Primus locus à Dei potentia.

Quod quò planius atque illuſtrius reddatur, repetenda ſunt ſigna, & notæ, quibus Deum verum à nō vero diſcerni poſſe diximus. Prima .n. nota fuit illa: Deū ex nihilo cuncta cōdidiſſe, & ſexto die hominem creaſſe ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam: quem veluti compendium quodam, ſummam, & epilogum omnium, quæ condiderat, fecit. Creauerat enim Deus ſpiritum, corpus, ſubſtantiam, accidentia, & omnia alia: ſed in hominem (qui proptereà dicitur microcoſmus, vel paruus mundus) omnia collegit, in compendiumque redegit. Sed in incarnatione mundum quem condiderat, in homine aſſumpſit, ac fecit veluti circulum quendam, per quem creatura vniuerſa redijt ad creatorē Deum, vnde prodierat: quemadmodum gallina producit ouum, quod poſteà calore naturali fotum producit gallinam. Atq; ita Deus ad ſe aſſumpſit hominem, id eſt, paruum mundum, & ſe per illum toti mundo vniuit; atque hac ratione, & gyro perfecto rediit mundus vniuerſus ad ſuum principiū. Quod quidē Apoſt. ad Epheſ. 1.

I. Ratio. *Gen. 1.*

Homo cur dictus microcoſmus, vel paruus mundus.

Simile.

Epheſ. 1.

his

his verbis docet: *Vt notum faceret nobis Sacramentum voluntatis suæ, secundùm beneplacitum eius, quod proposuit in eo, in dispensatione plenitudinis temporũ, instaurare omnia in Christo, quæ in cælis, & quæ in terra sunt in ipso.* Vbi verbum instaurare, significantiùs Græcè dicitur ἀνακεφαλαιώσασθαι, quod est, colligere, siue ad summam referre. Est enim mũdus, ac eius conditor, qui est supra mundum, nõ aliter quàm rex supra regnum. Sunt etiam res in mundo contentæ, spiritus, corpus, & diuinitas, hoc est, Verbum æternum. Ecce igitur collectionem, en summam, perfectamve eruditionem. Conueniebat igitur Deo, qui hominem ex nihilo condiderat, vt perditum ipsum intermedio incarnationis mysterio restauraret. Est homo compendium quoddam (vt diximus) vniuersi, Christus verò Dei, & vniuersi compendiũ. Eius siquidem est reficere, cuius est facere: qua ratione vtitur Athanasius lib. de humanitate Verbi. Secunda nota Dei erat, eum omnia loca implere: totus enim est in cœlo, totus in terra, totus in templo, totus in homine. Decentissimum ergo fuit, vt qui ob immensitatem suam in omni loco erat, peculiarem locum, & propriam, ac determinatam ciuitatẽ habitaret. Quemadmodum Deus in veteri Testamento dicebatur esse in tẽplo, & in propitiatorio, ex quo dabat responsa, iuxta illud: *Dominus in templo sancto suo, Dominus in cælo sedes eius.* Hæc autẽ quid aliud designabant, quàm Deũ assumpturum naturam hominis, & in ea habitaturum, quasi in propitiatorio quodam, & tẽplo, ex quo omnes nostras orationes exaudiret? Vnde Ioan. 2. cùm dixit: *Soluite tẽplum hoc,* de templo corporis sui loquebatur; & Apostolus ait ad Colos. *Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Sol etiam tametsi omnes stellas illuminet, terrarumq; flammis omnia opera lustret; est tamẽ in circulo Zodiaci tanquã in proprio loco. Rex similiter etsi in toto regno suo sit per potentiam, meritò tamen habere vult ciuitatem regiam, & domum quam inhabitet. In hunc modũ Deus benedictus, etsi vbique locorum sit, atque etiam omnia loca impleat; tamen, vt ait Salomon: *Sapiẽtia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem.* Hoc etiam metaphoricè ab Isaia prædictum fuit, qui ca. 2. ita habet: *Et erit in nouissimis diebus, præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi, & dicent: Venite, ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius: quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Hierusalem.*

Instaurari omnia in Christo cœlestia & terrestria, iuxta Apostolum, quo modo Deus.

Athan. tom. 1.
II. Ratio conuenientiæ incarnationis.

Num. 7.
Psal. 10.
Dei in templo & in propitiatorio habitantis mysterium.

Ioan. c. 2.

Colos. 2.
Locus proprius Solis.

Prou. 9.

Isa. 2.

Quid est hæc montis Sion mõtes super alios exaltatio? est ne forsitan poetarũ fabulę simile de gigantibus, qui montes montibus imposuisse feruntur, vt bellum Ioui cœlũ habitãti indicerent, & eum de cœlo exturbarent? Minimè gentium. Sed per metaphoram mons domus Domini humanitatẽ Christi sanctissimam apertissimè nobis repræsentat, quæ dicitur eleuata super verticem montium, hoc est, in diuinitate, siue in hypostasi Verbi æterni sustentata, & innixa super dilectum suum. Et eleuabitur, inquit, super colles: id est, eius sanctitas, & gratia eminebit super omnes Angelos, Patriarchas, & Prophetas: eritq; Sanctus sanctorum, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorũ. Dicentq; omnes gẽtes: Ascendamus ad hunc montem, qui Christus est, & ambulemus in vijs eius, vt salutem, & gratiã æternam consequamur. Tertia nota: Quatenus omnia in nobis operatur Deus Optimus Maximus, summè decuit eum proprias, & maximè peculiares habere operationes. Siquidem ante Verbi incarnationẽ erãt propria opera Dei, nimirum illa, vt creare, iustificare, producere Angelos, atq; animas ratione præditas; quæ omnia, & similia, solius erant Dei propria. Erãt rursus propria opera creaturarum, sicut ignis vrere, terræ producere herbam virentẽ; hominis ratiocinari: at nulla erat operatio, in qua Deus cũ homine cõueniret, & quæ perinde Creatori, atq; creaturæ cõpeteret: verùm hoc per incarnationem factum est. Vnde Dionysius, & Damascenus Christi operationes vocant θεανδρικάς, hoc est, Dei viriles: nã per cõmunicationem idiomatum, homini diuina tribuuntur, humana Deo in Christo. Actiones namque Dei erant, vt ab hypostasi diuina prodibant: hominis etiam erãt, vt ab humana natura proficiscebãtur. Si ergo erant extrema, hoc est, operationes Dei propriæ, & operationes item propriæ hominis, decentissimum erat atq; cõuenietissimũ, vt essent medię, id est, quę simul Dei, essent & hominis, creatoris iuxta & creaturæ. Quarta nota. Quatenus Deus conseruator est mundi, & sustentator iuxta illud: *Portans omnia verbo virtutis suæ,* maximè conueniens fuit, vt specialẽ modũ conseruandi teneret. Cœlum enim, & terrã Deus in suo esse, & in sua creata hypostasi sustentat; humanitatem verò à se assumptam nõ in vlla creata, hominisq; subsistentia, verũ in Verbi sustentat hypostasi, quasiq; proprio saccharo, & melle, ne putrescat, conseruat. Fructus enim si in se ipsis, vel in arbore innitantur, facilè putresiunt, corrumpunturque

Quid montis Sion montes super alios exaltatio iuxta Prophetam.

Cant. 8.

Dan. 9.
Philip. 2.

III. Ratio conuenientiæ incarnationis.
Quænam propria Dei opera.

Gen. 1.
Quæ verò creaturarum.

Dionys. Epist. 4. ad Caium.
Damasc. lib. 3. cap. 19.
Operationes Christi quales secundum Dionysium.

IV. Ratio incarnationis Christi.
Hebr. 1.

Diuini Verbi hypostasis vt sustentet humanam naturam.

turque: si verò saccharo cōdiantur & melle, diuturno tempore conseruantur: atque ita vulgari voce eiusmodi fructus, *cōseruas* appellamus. Deo igitur conuenientissimū visum est, vt naturam quandam creatam in sua hypostasi conseruaret, propriam illi personam communicando, & subsistent ā.

V. Ratio.

Quinta nota. Deo omnes perfectiones creaturarum eminentissima quadam ratione, atque vllo sine defectu in se continenti, summè cōueniebat incarnatio, vt alio modo, ac lōgè dissimili perfectiones in se mundi haberet, & mūdus etiam ipse perfectiones Dei, quæ sunt infinitæ & increatæ, in se contineret: quod vi coniunctionis atque vnionis humanæ naturæ cum diuina Persona factum est. Quemadmodum enim nauigantes naui anchoram affigūt, vt quoties à ventis agitatur nauigium, non periclitetur: ita in Christo, qui Deus est, inuenitur summa simplicitas, quæ ipsius Dei propria est, cum summa cōpositione. Homo namque ex quatuor elementis, & ex quatuor humoribus, & ex substantia, accidentibusque, denique ex spiritu & corpore componitur. Deus habet æternitatem sine successione; at homo tempori, vt motui, est obnoxius. Deus est actus purus, homo verò in potētia est ad sapientiam; & vbi illam tādem multis laboribus ac vigilijs cōparauerit, illam eandem potest amittere: quod idem de alijs dicitur perfectionibus. Quod ergò (dices) remedium adinuenit Deus ad stabiliendū hominem mutabilem atque miserum? Scilicet coniunxit simul simplicitatem cum compositione, æternitatem cum tempore, actum purū cum potentia, pulchramq; hanc & elegantē, nosq; mirificè delectātem, ac nostros animos suspendentem vnionem per incarnationem operatus est.

Humana item natura quo modo hæreat Verbo diuino

VI. Ratio incarnationis.

Sexta nota. Qua ratione in Deo perfectiones potentiæ, sapientiæ, bonitatis, & prouidentiæ inueniūntur, maximè conueniebat incarnatio. Ex parte quidem diuinę potentię decebat Deum incarnationem efficere; vt non solùm in modo creandi ostenderet infinitam potentiam suam, sed etiam in effectu aliquo, qui omninò æquaret causam suam. Tale est opus incarnationis, qua in persona Verbi tā longè distantia, nimirum natura diuina & humana, conuenerunt. Vnde Damascen *Quid maius*, inquit, *quàm Deum fieri hominem?* Ex parte verò sapientiæ idem multipliciter ostenditur. Magna enim esset sapientia profectò, si artifex filium suum depingens, vel in ære, aut marmore sculpens, filium depictum, viuū & naturalem faceret: & tamen per incarnationis mysterium effectu hoc est. Homo enim, imago & similitudo Dei erat, & quasi quædam eius statua; & tamen incarnationis beneficio, infinita Dei sapiētia eò peruentū est, vt esset vnigenitus Dei Filius, dando illi non partem suæ substantiæ, vt alijs hominibus accidit filios generantibus: at Christo totum suum esse, totamque suam substantiam communicauit: neque dedit aliquam partem gratię, quemadmodū dare solet filijs adoptiuis, verùm plenitudinem diuinitatis, & gratiarum omnium plenitudinem, vt ab eo ceu fonte & capite in omnia eius membra deriuarentur. Fuit ergò cōuenientissima incarnatio.

Damasc. lib. de Orth. fide. II locus à diuina sapientia. I. argumentū.

Gen. 1.

Ioan. 1. *Col. 2.* *Ioan. 1.*

Ad hęc secundùm Damasceni doctrinam, debebat homo; sed non poterat soluere: Deus habebat vnde solueret, sed nō debebat. Clamabat misericordia remissionem: quid sapientius, quàm modum excogitare, quo homo ipse haberet, vnde solueret? Tali & tanto modo, vt misericordia & veritas obuiauerint sibi; & idcò iustitia & pax osculatę sint. Fuit quoque summa sapientia, eadem arte vincere hostem, qua ab eo victus homo fuit. Vt enim ait Damascen. spe diuinitatis hostis seduxerat hominem: carnis prætextu decipitur à diuinitate. Quod optimè August. libro cur Deus homo, his verbis ostendit: *Subtilem subtiliter voluit Deus inimicum expugnare, & quasi sub esca humanitatis hamū celauit Deitatis, quatenus ille, qui omnem carnem subiegerat, talem inueniret, quæ sibi prorsus nihil deberet: quam dum illicitè contingeret, meritò eam, quam licitè quodāmodò possidebat, amitteret. Sic quippe serpens antiquus deludendus erat, vt qui homines deluserat, per hominem Deum delusus & ipse fieret.*

Damasc. lib. 3. de fide Orth. cap. 1. II. argum.

Psal. 84. III. argum. *Gen. 3.*

Idem ibidem.

August. lib. cur, & quando, & quomodo Deus. ca. 6

Gen. 3.

Idē similiter ex parte bonitatis diuinæ ostenditur. Est enim boni proprium, vt seipsum diffundat atque communicet: & quo maius bonum, eò se cōmunicet magis: ergò summo & infinito bono conueniebat seipsum infinitè cōmunicare: Quemadmodum in incarnatione fecisse videtur: nam prius esse naturale nostrum nobiscū communicauerat, per incarnationem autem totū esse, ac diuinam hypostasin nobis communicauit. Etenim Deus, vt quidā testatur, tripliciter se creaturæ cōmunicat. Primò quidem per creationem, qua omnibus rebus & singulis proprium & naturale dat esse; in quo cum Deo proportione analogiæ conueniunt, & dicuntur ex Deo quodammodò participare, suntque similes ei. Secundò, per gratiam & gloriam, quibus creaturam magis eleuat, seque cum illa magis communicat. Nam per gratiam & gloriam creatura Deo fruitur, via amoris & visionis: nondum tamen hisce modis se perfectè communicat,

III. locus à Dei bonitate.

Deus se communicat creaturæ tripliciter.

cat, sed tantùm obiectiuè, vt dicitur, & similitudinis modo. At verò per incarnationem perfectè seipsum communicauit cuidam creaturæ, in qua omnes creaturæ corporeæ ac spirituales comprehendũtur, nempe homini, vniendo eum sibi in hypostasi Verbi, vt iam non tantùm dicatur: homo Deũ participat, homo Deo est similis, homo Deo fruitur per gratiam & gloriam, sed etiã, homo est Deus, & Deus est homo.

IV. locus ab amore Dei. *Dionys. lib. de diu. nominib. c. 4.*

Quartò, idem colligitur ex Dei amore. Nam teste Dionysio Areopagita, hoc amoris Verbum vim habet vnum faciendi, & colligendi, præstantique modo res inter se diuersas vniendi: conueniens ergò tanto amore Dei fuit talis incarnationis vnio. Ideò Augustinus interrogantibus cur Deus factus sit homo, respondet, cõgruum fuisse summè dignitati, quia maximè fuit hoc opus sui amoris expressiuum. Quintò, ex diuina iustitia hoc desumitur argumentum, quo B. Anselmus vtitur libro I. cur Deus homo: Deus est, inquit, summè iustus, imò iustitia ipsa: cõueniebat ergò ei à debitore iustam exigere satisfactionem. Homo aũt in Deum peccans satisfactionis infinitæ debitor erat; neque tamen ad condignum satisfacere poterat. Ergò diuinam iustitiam decebat, vt homo aliquis simul quoque Deus esset, qui diuinæ iustitiæ posset satisfacere. Hanc etiam rationem vsurpat Iustinus martyr lib. de vera fidei cõfessione

August. lib. 13. de Trin. c. 10. tom. 3.

V. locus à diuina iustitia.

B. Ansel. lib. cur Deus homo, c. 4. & 5.

Iusti. Martyr.

VI. locus à Dei misericordia. *Ioel. 2. cap. & sæpè alibi.*

Sexta ratio sumitur à diuina misericordia. Est enim Deus summe misericors, vt Scripturæ testantur: cùm autem homo debitor existeret, nec soluẽdo esset, iustitiaq; ipsius remissionem nullam admitteret citra satisfactionem, diuinam misericordiã succurrere consentaneum fuit, vnde soluere posset donando. Hinc Damascenus: *Magnum*, inquit, *patefecit clementia pelagus: Nam ipse opifex, conditor & dominus pro suo plasmate plasmationem suscepit! opere præceptor effectus est.* Idem ex diuersa ratione colligitur. Deus enim maximè rationalis est, citra vllum tamen discursum? ergò hoc opus, quod maximè rationi est consonum, ei conueniens & gloriosum erat: hoc est autem principiũ quoddam rationis, vt contraria contrarijs curentur. Cùm autem homo infimus ac vilis, supremam Deitatem appetendo, perditus esset; conuenienter, dum supremus Deus ad infima nostra descendit, à peccato suo curatus est. Hanc rationem producit Ricard. lib. de incarn. Verbi. Postremò ista conuenientia tam ex parte promotionis boni, quàm auersionis à malo considerari potest. Nam hæc incarnatio vtilis fuit ad promouendum bonum fidei nostræ, quia

Damasc. lib. 3 de fide Ortho cap. 1. circa med.

VII. locus à varia ratione desumptus.

Ricar. lib. de incarna. Verbi. cap. 28

VIII. locus à promotione boni, & auersione à malo.

faciliùs credimus Deo loquenti, quàm homini. Bonum spei nostræ etiam auget: maximè enim spes nostra in Deum erigitur, dum eum tam liberalem, vt se ipsum nobis dederit, agnoscimus. Promouet etiam charitatem, quæ cognitio tanto Dei amore magis ac magis accenditur. Præstat & magnum stimulum, & fomentum benè operandi, dum Deum omnium virtutũ exemplũm ac speculũ ante oculos habemus propositum, docemurque: Quanti quanti sumus, in alios exemplo Dei nos ipsos effundere, atq; cũ ijs nostra omnia cõmunicare.

Remouet præterea à malo hoc diuinæ incarnationis opus: nam homo vires & animũ suscipit contra cómunem hostem dæmonem pugnãdi. Deinde admonet, vt suã quisque carnem peccatis non cõmaculet, quam videt sic à Deo esse honoratã & exaltatam: Vnde Ieremias non viuendum in carne docet, postquàm Filius Dei est incarnatus; ait enim: *Vsquequò delicijs dissolueris filia vaga? quia creauit Dominus nouum super terram, FOEMINA CIRCVNDABIT VIRVM.* Ad hæc, pellitur superbia, cognito Deo tantùm humiliato & exinanito: inuidia, tãta Dei charitate; bonitateque erga genus humanum perspecta: luxuria, dum carnem virgineam tanta puritate custodiuit. Denique cæteræ omnium vitiorum pestes facilè superantur, si ad vnum Filium Dei incarnatũ oculos cordis cum fide erigamus.

Dominica incarnatio hominem a quibus remoueat malis.

Hierem. 31.

Hæc autem Dei attributa in incarnatione eiusdem ipsius Dei se excellentiùs produũt, ac manifestant, quàm in mundi creatione, vel gubernatione: nam esse quod datur in creatione, parũm distat à nõ esse, quod est imaginarium quoddam nihil. Deus autem etiam in incarnatione infinitè ab homine distat: seque cum illo in persona tot cũ gratijs ac donis communicasse, incomparabiliter plus est, quàm esse creatum donasse: minusque beneficium est, quod se in obiectum tantùm fruitionis & cognitionis, vt cum beatis facit, largiatur. Cumque inter vnita debeat esse proportio, atq; ita corpus cum anima disponatur, anima verò ante vnionẽ cum Deo lumine gloriæ præparetur: certè summa atque hypostatica Christi vnio, summam in Christi anima & corpore requisiuit præparationem. Ideò in instanti conceptionis summè beata fuit, & in verbo vidit omnia, quæ Deus scientia visionis cognouit, quanquam non omnia, vt sunt illa, quæ scientia simplicis intelligentiæ cognoscere dicitur: habuitq; scientiam rerũ omnium naturalium, atque mysteriorum gratiæ Dei per species cõcreatas, scientiãq; omnem naturalem, omnẽ etiam gratiam,

Deum Opt. Max. in incarnatione quam creatione magis se ipsum communicauisse.

Anima Christi qualis scientia diuinitus infusa.

virtu-

virtutem & donum, quatenus anima Christi capax esse potuit. Et hactenus de primis & notioribus notis.

IX. ac postremus locus a peculiaribus notis, ac intimus veri Dei. Quantum ad posteriores verò notas, illas maximè ostendit, declarauitq; in mysterio incarnationis. Nam ibi apparet Filij Dei ex Patre generatio, qui Filium tantùm incarnari voluit. Ostenditur creatio animę Christi, eiusque in corpus in sua distinctum organa, & membra infusio. Produnt se gratia simul & gloria, quib. anima Christi ab initio repleta fuit. Potētissima etiam signa, supraque humanum naturæ omnem cursum manifestantur, dum Deum hominem esse, & hominem Deum, Virginem matrem, & Matrem virginem credimus & confitemur. Ostenditur & Deus Ecclesiæ suæ, & patrum antiquorum Deus esse, dum id factum est quod Patriarchis fuit reuelatum, atque à Prophetis prædictum. Atque hæ quidem rationes hactenus probant, & ostendunt Deum non quidem necessariò humanam carnem assumpsisse, verùm tantummodò nihil indecens, aut absurdum Deum operatum fuisse, ex eo quod hominem assumpsit. Quinimò & contra Paganos & Hæreticos euincimus, opus incarnationis diuinæ bonitati & sapientiæ non solùm congruum fuisse, & cōsentaneum, sed etiam valdè honorificum & gloriosum.

Prima. Secunda. Tertia. Quarta.

Incarnationē Dominicam quæ mala consecuta videntur, vnde descenderunt. Quod si contēdas ex incarnationis mysterio multa mala subsecuta fuisse: nā multis Gentilibus visum fuit absurdum, hominem Deum fieri: Iudæos etiam grauiter peccasse, ipsum non modò non honorificè suscipiendo, vt debebant, verùm etiam illū dedecorando, & in mortē crucis abducendo: Hæreticos quoque multos vilitate carnis offensos illud pertinaciter abnegasse mysterium, & tanquam rem indecoram, minimeque diuinæ Maiestati cōgruentem respuisse. (1. Cor. 1.) Dicendum est, ex incarnatione Filij Dei non nisi bona consecuta fuisse: & quę secuta sunt mala, nō per se ex ipso mysterio, sed ex hominū prouenisse malitia, qui vel sensu suo diuina metiri mysteria voluerunt: & irrationale, & absurdum iudicarunt, quod tamen cum summa erat ratione & gloria Dei, magnificentiaq; coniūctum. Si enim Pagani, vt eis primū respondeamus, minimè absurdum putant Iouis summi apud illos Dei, in aurei imbris conuersionem, quo Danaen virginē formosissimam corrumperet, eiusdemq; in aquilam, Ganymedē vt raperet transformationem; vel Protei in tot formas, interdum etiam absurdissimas, mutationem: quod mirum aut absurdū continet, si nos credamus Deū viuum, & verum ad sanctificandam huma-

Iouis fabulosæ transformationes quædam.

nam naturam, eamque ditandam ac nobilitandam, carnem assumpsisse? Vt interim omittam, per Sibyllas ferè omnes apertissimè eam carnis assumptionem promisisse & prænuntiasse. Iudæis verò neq; mirum, neq; nouū videri debet incarnationis Dei mysterium. Nam & à Prophetis prænūtiatum fuisse, si voluissent, intelligere potuissent: neque nouū est illis Deum nunc ex rubo, nunc ex nebula, nunc ex propitiatorio loqui, aut apparere. Certè maius est, ac Deo dignius creaturam rationalem inhabitare, in illa apparere & loqui, quàm in sensu cassis ac inanimis creaturis. Quòd si Hæreticorum oculi tanto diuinæ gloriæ splendore perstricti sunt & offensi, non valentes tantam Dei cogitare munificentiam & bonitatem: suæ ipsorum tribuant imbecillitati ac ignorantię, Deoq; potiùs, quàm prudentiæ suæ fidem esse præstandā discāt & intelligant. Postremò, cōuenit maximè mysterio incarnationis, nomen ipsius Dei. Deus enim, vt dictum est, prouisorem singula sibi subiecta ad fines suos conducentē designat. Deus autem etsi totius vniuersi Deus sit, peculiari tamen ratione dicitur Deus hominis. Vnde non confunditur vocari eorum (scilicet hominum) Deus, vt ait Apostolus: nam dicitur Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, Deus Eliæ, & Deus Danielis. Deus enim p̄lātis & animalibus prouidet non sine caussis secundis, nō sine Sole, non sine terra: hominis animam verò per se immediatè producit. Vt enim in Genesi dicitur: *Inspirauit in faciem eius spiraculū vitæ.* animam enim rationalem, neq; Angeli, neq; vniuersa creatura producere potest. Quemadmodum ergò hominis animam nullo modo producit, ita ipse per se immediatè gubernat. Is fundit namque illi gratiam, remittit peccata, iustificat, denique solus per se ad finem gloriæ euehit. Hinc sancti Iob ad Dominum illa præclara vox & sententia: *Nonne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti? Pelle & carnibus vestisti me, ossibus & neruis compegisti me. Vitam & misericordiam tribuisti mihi, & visitatio tua custodiuit spiritum meum.* Quòd autem Deus ita per se curaret hominem, nullo fortiori argumento nobis potuit persuaderi, quàm carnem assumēdo, vt ita se peculiarem nostrum prouisorem, gubernatorem, & regē ostenderet. Quare Clemens Alexandrinus libr. 1. Stromatum, incarnationem vocat, summū diuinæ erga homines prouidentię argumentum. Ante incarnationē enim poterat homo dicere: Quis est iste Deus? & vbinam est? *Nubes latibulum eius, nec nostra considerat, & circa cardines cœli perambulat.* At post-

Vnde Iudęis facile incarnationis opus potuerit videri. *Exod. 3. Infrà 19. & 24. & aliàs. Num. 7. Exod. 15. & sæpius inf.*

Quinta, ac postrema ratio Dominicæ incarnationis.

Heb. 11. Exod. 3. & Matth. 22. 4. Reg. 2. Dan. 9. & Infrà 14. Gen. 2.

Animę humanæ dignitas & excellentia.

Iob 10.

Dei circa illam prouidentia vnde claruerit magis.

Clem. Alex. tom. 11.

Iob 22.

postquàm incarnatus est, dicere potest Deus: Homo sum, humani à me nihil alienum puto: id est, Paratus sum iuuare vos, & omnia beneficia quę postulaueritis, exhibere: paratus sum vos ad portũ salutis æternæ perducere.

Terent. in Heautonto.

Diuinæ incarnationis beneficium duplici exemplo illustratur eleganti satis.

Quod vt aliquo exéplo inclarescat, cogita quæso nobilẽ esse quendam, qui nullo affectu ducatur ad aliquod sacrarum Monialium cœnobium, nihilq; habeat commune cum illo Monasterio: postquàm tamen filiam suam inter sacras virgines eodem in Monasterio videt Deo cõsecratam, incipit affici ad illud, peculiaremque curam illius gerere, paratusque est in omnibus illi seruire, operamque suam pręstare. Siue finge tibi hominem, propter iniuriam acceptam ab aliquo, in totã eius familiam indignatum atque exasperatum, toruisque oculis eos quando sibi occurrũt, intuentem frementemque: accidat vt quisquam ex suis cum puella alterius familiæ legitimo matrimonio coniungatur: certè animum mutabit, & incipiet diligere, ad eosq; magno affectu duci, quos anteà odio prosequebatur, & quos vix videre dignabatur. Ad eum modum Deus benedictus Filium suum vt cultorem & habitatorem in monasterio huius mundi constituit, atq; eum in matrimonio legitimo cum humana naturà coniunxit, atque ita benè nobis affectus est, tantoq; nos amore prosequitur, vt de eo ipse Filius Dei dixerit: *Sic Deus dilexit mũdum, vt Filium suum vnigenitum daret*: Tantaq; prouidentia res nostras, salutemque nostram curare videtur, vt singulari priuilegio Deus hominis esse dicatur. Nam aliud non sitit, aliud non vrget, nisi vt finem nostrum vltimum & felicitatem adipisci valeamus.

Ioan. 3.

Qua ratione nos Deus ad finem nostrũ perducat.

At dices, qua ratione ducit nos Deus ad finem nostrum? Respondeo: eadem prorsus ratione, qua magnes ad se ferrũ trahit, & illud ferrum aliud trahit, & aliud item illud. Si ergò finis ferri est cõiungi magneti, illud quod vicinius est fini suo, magis erit coniunctum: ad eandẽ rationem in mysterio incarnatiõis se res nostra habet. Magnes enim, Verbum diuinum est, seu diuinitas ipsa: annulus ferreus, & primò sibi coniunctus, est ipsa Christi humanitas, per quam & nos consequenter illi copulamur & coniungimur. Quanquam exemplũ non omninò rem ipsam adæquare possit, vt etiam alio loco diximus: quia prim' ille ferreus annulus & tractus à magnete, non efficitur magnes: at verò hic Christi humanitas tanta vi à magnete verbi Dei trahitur, vt ille Deus homo efficiatur, & homo De' sit. Medio igitur hoc Deo omnes homines ad Deum trahuntur, & dij per gratiã fiunt: atque ita perducuntur ad suum felicissimũ finem. Meritò ergo nomen hoc, Deus, hoc est, prouisor, Deo accõmodatur & conuenit, qui tam pulchro, tamq; apto & idoneo prouidendi modo nos ad finem nostrum perducit. Demus igitur operam, vt ad tantæ humanitatis atque amoris mysterium meditandum congruè adaptemur, magnaque fide & veneratione illud acceptemus, puræque vitæ atque integræ sanctimonia eius fructum participemus, præstante eodem Domino nostro, cui cũm Patre & Spiritu sancto, ab omni creatura omnis honos, gloria & imperium reddatur in secula seculorum. Amen.

Hypostaticæ vnionis quanta vis.

Dominicæ incarnationis Sacramentum quomodo cũ fructu meditandum.

TRACTATVS III.

De Angelo Gabriele ad Virginem destinato.

Ordo tractationis huius.

HActenus de Deo autore legationis huius sit dictum: deinceps de nuncio, siue legato ad B. Virginem misso, hoc est, de Angelo Gabriele agendum est. In primis igitur dicemus quid sit Angelus in se nomine tenus, & re ipsa. Secundo, quis sit, quidque significet iste Angelus Gabriel, & cuius ordinis fuerit. Tertiò, qua ratione, aut quomodo missus sit. Postremò quàm fuerit cõueniens & accõmodata tanto mysterio Angeli Missio. ¶Primùm igitur Angelus, missum siue nuncium significat: & apud externos ac profanos autores perinde significat legatos vel nuncios ab hominib. siue à Deo destinatos. Vnde Homerus ait:

Quid sit Angelus.

χαίρετε κήρυκες Διὸς ἄγγελοι ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν

Homer.

Saluete (inquit) præcones Iouis, atque hominum nuncij. In Scripturis tamẽ hęc vox ad eos, vt plurimum, nuncios, qui Spiritus meri sunt, & qui à Deo mittuntur, restricta est: & tripliciter accipi solet. Interdũ enim venti dicuntur Angeli, quemadmodum in Psalmo 103. dicitur: *Qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem vrentem.* Vbi, nomine spiritus ventos esse intelligẽdos, subiuncta vox de igne vrente declarat. Vt.n. Deus interdum vtitur ministerio ignis ad puniendos hostes suos, quemadmodum ad Sodomæ & Gomorrhę ciuitates delendas, ignem & sulphur de cœlo misit: item super quinquagenarios venientes ad capiendum Eliam: ita etiam quandoque ventorum ministerio vti consueuit. Tempore namque diluuij misit ventum super terrã, vt aquæ imminuerẽtur, & super tres pueros existẽtes in camino ignis, misit ventum roris flãtem: præcepit etiam ventis, & adduxerunt pluuiam coturnicum populo esurienti, &

Angeli vox in Scripturis trifariã sumitur.

Primus significatus.

Psal. 103.
Heb. 1.
Gen. 19.

4. Reg. 1.

Gen. 8.
Dan. 3.

Exod. 16. & Num. 11.

carnes

carnes cócupiscenti: Quando etiam populus Israel per mare rubrum erat trāsiturus, misit ventum vehementem, & vrenté tota nocte. Meritò ergò ventos, Angelos vocat quasi missos nuncios ad prænunciandum Dei aduentum. Quòd autem spiritus absolutè, siue πνεύματα sine articulo Græcè dicantur, docet Daniel, cùm ait: *Benedicite omnis imber, & ros Domino. Benedicite omnes spiritus Dei, Domino. Benedicite ignis, & æstus Domino.* Vbi ex præcedentibus & sequentibus constat esse sermonem de ventis, non de spiritibus Angelicis, de quibus in principio Cantici dixerat: *Benedicite Angeli Domini Domino:* Neq; de spiritibus hominū, hoc est, de animabus rationalibus, de quib. infrà dicitur: *Benedicite spiritus, & animæ iustorū Domino.* Idem quoq; ex Genesi clarum fit, vbi habetur: *Adduxit spiritū super terram, & imminutæ sunt aquæ.* Et Dominus apud Ioānem: *Spiritus vbi vult spirat: & vocē eius audis, sed nescis vnde veniat, aut quò vadat.* Vbi Chrysostomus interpretatur, ex vēto similitudinem sumi: quāquam ob appositum articulum rectiùs de Spiritu sancto locus ille intelligatur, vt suo loco interpretabimur. Est ergo sensus Prophetæ: *Qui facis spiritus,* id est, ventos, esse tuos Angelos & nuncios: quemadmodum ignem vrentem facis tibi ministrare. Atq; ita locutio hæc similis illi est, quæ Psal. 44. habetur: *Virga directionis, virga regni tui:* hoc est, virga regni tui est virga directionis. Et alteri: *Cinerem tanquā panem manducabam.* Sensus est; Manducabam panem tanquam cinerem. Simili ratione quod hic dicitur: Missus est Angelus Gabriel à Deo, prorsus intelligēdum est: nam Gabriel habet rationem subiecti, Angelus verò prædicati. Vt sit sensus: Missus est à Deo Gabriel, vt esset Angelus, siue nūcius. Et quanquam hic sensus literæ conueniens, & germanus esse quibusdam videatur: quia præcedit: *Qui ponis nubem ascensum tuum: qui ambulas super pennas ventorum.* Vbi est sermo de ventis & nubibus, quæ sunt opera Dei naturalia, & statim ait: *Qui facis Angelos tuos spiritus, &c.* & sequitur: *Qui fundasti terram super stabilitatem suam:* vbi rursus est sermo de operibus naturalibus: videntur ergò intermedia rectè de ventis, & igni exponi. Tamen negandum non est melius Paulum ad Hebr. ad ipsos Angelicos spiritus applicasse. Ait enim: *& ad Angelos quidem dicit: Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis.* Quæ verba ita interpretatur Gregorius: *Sciendum verò, ait, quod Angelorū vocabulum, nomen est officij, non naturæ. Nam sancti illi cœlestis patriæ spiritus, semper quidem sunt spiritus, sed semper vocari Angeli nequaquā possunt: quia tunc solùm sunt Angeli, cùm per eos aliqua nunciantur: vnde & per Psalmistam dicitur: Qui facit Angelos suos spiritus. Ac si patenter dicat: Qui eos, quos semper habet spiritus, etiam cùm voluerit, Angelos facit.* Similia habet Bernard. serm. super Missus est: *Sufficit,* inquit, *eis, & pro magno habent, quòd cùm sint spiritus ex conditione, ex gratia facti sunt, & vocati Angeli, teste David: Qui facit,* inquit, *Angelos suos spiritus.* Hæc ille. Vbi nota, ita Gregorium exponere, vt spiritus, sit subiectum; Angelos verò, prædicatum: atque ita ex eo loco probaretur, Angelos esse spiritualis substantiæ, vt scholastici Doctores probāt: alij tamen vocem, Angelos, faciunt subiectum, & spiritus, prædicatum. In hunc sensum: *Qui facit Angelos suos ventum,* quo sensu videtur Paulus accepisse, vt eorū celeritas, ac promptum ministerium significetur, vt veluti vētus volare videantur nulla re impediente. Vnde sic nō probarentur Angeli esse spiritualis substantiæ. Quod indicat in eum locum Chrysostomus, dicens: *Hic non qua substantia sint, ostendit, sed eorū operatione, leuitatem potentiam, celeritatem, vigilantiam.* Sic ille. Similiter Theodoritus atque Euthymius interpretātur. Et ad literam enumerando opera naturalia, David propheta meminit operum Dei, quæ sub aspectum non cadunt, vt etiam in Hymno fecit triū puerorum: nam primum locū tribuit Angelis, vt Deum omnium opificem laudet. Et absolutè Deus facit illos nūcios nostros & ministros suos: nam in flamma ignis apparuit Angelus Moysi de medio rubi. Et Paulus ibi cōfert cum Filio Dei (de quo *Filius meus es tu, ego hodie genui te*) Angelos, qui facti, siue creati dicuntur, & ministri, siue administratorij spirit⁹ in ministeriū missi, vt Christi excellentiā super eos demōstraret.

Secundò, vox Angeli accipitur pro nuncio, siue legato Verbi Dei, siue sit sacerdos, de quo Malachias: *Labia,* inquit, *sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius:* quia Angelus Domini exercituum est, siue sit Episcopus & pastor Ecclesiæ: vnde in Apocalyp. ad Angelos septem Ecclesiarum, quæ sunt in Asia, scribit Apostolus, vt habetur cap. 1. 2. & 3. siue sit Ioannes Baptista, qui nuncius Dei fuit, de quo Christus apud Matth. ca. 11. profert testimonium ex cap. 3. Malachiæ: *Ecce ego mitto Angelum meū ante faciem tuam, qui præparabit viam tuā ante te.* Ipse etiam Dominus Christus Iesus apud Isaiam, iuxta interpretum septuaginta versionem, magni consilij Angelus nominatur: apud eundem etiam Malachiam in paulò ante citato loco Angelus testamenti dicitur: *Et statim,* inquit, *veniet ad templum*

Marginalia (left): *Exod. 14.* — *Dan. 3.* De quibus dicatur Spiritib. Benedicite omnes Spiritus Dei Domino. — *Gen. 8.* — *Ioan. 3.* — *Chrysost. hom. in Ioan. 25. tom. 3.* — *Lib. 8.* — *Psal. 101.* — Quid ad literā missus est Angelus Gabriel à Deo. — *Psal. 103.* — *Hebr. 1.* — *Greg. hom. 34. in Euag. als quanto ante med. tom. 2.* Angelorum vocabulum

Marginalia (right): quale nomen sit, teste Greg. — *Bern. serm. 1. super Missus est, circa fin. operis in mu.* — Alter sensus eius dicti: Missus est Angelus Gabriel à Deo. — *Chrysost. in epist. ad Heb. hom. 11. to. 4.* — *Theod. in c. 1. ad Heb. par. 2. Euthym. Psal. 148. & seq. Exod. 3. Psal. 2. & Heb. 1. & 5.* — Alter significatus Angeli. *Malach. 2.* — *Matth. 11. Ioan. 1.* — *Isai. 9.* — *Malach. 3.*

suum Dominator, quem vos quaeritis: & Angelus testamenti, quem vos vultis.

III. Significatus congruentior.

Tertiò magis propriè Angelus, spiritū cœlestem, immortalem, sapientem, perfectum, Deo charum & beatum significat: atque hoc genus spirituum, quia frequenter mittitur à Deo ad aliquid annuntiandum propter eos, qui hæreditatem capient salutis, rectè ex officio quod exercet, Angeli, hoc est, internuncij, & interpretes, & ministri Dei, voluntatem Dei annunciantes dicuntur. Inter Iudæos Saducæi fuerūt, qui non solùm resurrectionē, sed etiā Angelos & spiritus esse in rerum natura negabāt, vt habes Act. 23. verùm hoc falsum esse conuincitur. Nam cùm Deus Opt. Max. hunc mundum condiderit, vt per illū à creatura agnoscatur & colatur, haud est credibile, prætermissam ab illo creaturā fuisse capaciorē cognitionis diuinæ, ac magis altā, ad Deiq; laudes celebrandas magis idoneam, sibiq; proinde magis similē. Adhęc si inuenitur vnū aliquod extremum in vniuerso, nempe corpus purum sine sensu & anima; & inuenitur medium, nimirum homo ex corpore & spiritu constitutus; inuenitur ergò & alterum extremum, hoc est, creatura, quæ tota sit spiritus, & purus spiritus.

Hebr. 1. Psal. 102. Psal. 103.

Quòd sint Angeli ostēditur contra Sadducæos. *Matth. 22.*

II. argum.

Vocis Angeli duplex acceptio. *Psal. 96.*

Dupliciter autem accipi consueuit vox Angeli, altero quidem modo generaliter, ita vt comprehendat omnes spiritus cœlestes, iuxta illud: *Adorate eū omnes Angeli Dei:* altero verò modo pro particulari ordine, qui oēs inter spiritus cœlestes est vltimus, qui ad custodiā hominum peculiariter destinantur. Nam cum illa, quę in inferiorib. reperiuntur, eminēriori modo in superioribus sint: quēadmodum à prima tonsura, siue à clericatu (qui est vltimus ordo, vel secundùm alios rectiùs sentientes, ianua & ostium omnium ordinum Ecclesiasticorum) omnes Ecclesiastici in superioribus Ordinibus constituti, rectè clerici vocantur: ita ab vltimo gradu Angelorū omnes, etiam superiorum spiritus rectè Angeli appellantur. Hoc autem loco vox Angeli generatim capienda videtur, quia Gabriel à multis magnis viris ex supremis spiritibus fuisse existimatur. Est autem Spirituum cœlestium ministerium Deo assistere, hymnos perpetuæ laudis celebrare, electis & sanctis Dei ministrare. Annunciarunt enim Isaac, Præcursoris & Christi natiuitatem: reuelant Prophetis, quæ ventura sunt: liberant ab imminentibus periculis, vt Petrum à carcere: bonos, vt Eliam, & Gedeonem confirmant ac roborant: sanant ab infirmitate, vt Raphael apud Tobiā; & Probaticæ piscinæ aquam mouebant ad consequendam sanitatē: eduxerunt populum de Ægypto, atq; introduxerunt in terrā promissam: quemadmodum nos quoq; à peccato educere conantur, vt introducant in cœlum. Vnde & sancti Lazari mendici spiritus ab Angelis in sinū Abrahæ portatus est. Denique iuges preces pro nobis effundunt, & orationes nostras offerunt Deo, & pro nobis contra malignos ac aduersarios spiritus egregiè dimicant. Atque hactenus de primo sit dictum.

Angelorum quod munus sit. *Gen. 17. & 18. Luc. 1. Act. 12. 3. Reg. 19. Iud. 6. & seq. Tob. 12. Ioan. 5. Luc. 16.* Angeli nobis quid cōferant.

¶ Ad secundum, repetendum est, quod superiore lib. diximus. Angeli enim, vt testatur presbyter Beda, nominibus quibus designentur, propter se ipsos non indigent, verùm cùm mittuntur iuxta rationem operum & ministeriorum, ad quæ destinantur, vel assumunt nomina, vel Scripturæ illis nomina imponunt. Nos enim egemus nominibus, quia res ipsas præsentes non habemus: & cùm adsunt, earum naturam minimè penetramus, quamobrem necessariæ sunt appellationes, vt illis medijs rerum recordemur, earumque naturam apprehendamus. Angeli verò, qui omnia penetrant, omniaque præsentia habent, non nisi tantùm propter nos, egent nomine. Hic ergò Angelus, Gabriel vocatus est iustis de caussis, vt infrà indicabimus. Nunc illud interim agamus, vt Gabrielem non ex aliquo infimo ordine, verùm ex supremo fuisse demonstremus. In primis enim beatus Bernardus Angelum hunc non esse ex minoribus putat, qui crebrò, & qualibet de caussa ad nos mittatur: quod ex nomine colligit, quia Gabriel interpretatur, fortitudo Dei. Deinde, quia immediatè dicitur missus à Deo, non autē ab alio se excellentiori Angelo, vt interdum fieri Scriptura testatur. Postremò Gabrielem, Archangelum vocat, vt etiam alij Patres. Gregorius quoque in parabolam de drachma perdita: *Qui minima nūtiant*, inquit, *Angeli dicuntur; qui verò summa, Archangeli. Hinc est enim quod ad Mariam Virginem nō quilibet Angelus, sed Gabriel Archangelus mittitur.* Hæc ille ex Archangelorum ordine asserens Gabrielem Damascenus ser. de Dormitione Deiparæ: *Clamemus*, inquit, *eum Gabriele (qui primum locum obtinet inter Angelos) Aue gratia plena, Dominus tecum.* Sic ille: quem Dionysius Areopag. cap. 3. de Cœlesti hierar. eximij meriti fuisse tradit. B. Augustin. ser. 14. de Natali Domini, Gabrielem, Archangelum vocat; quemadmodum & Cyrillus Hierosolymitan. catechesi 10. & B. Hieronymus serm. de Assumptione, & B. Athanasius ser. superiùs citato de sancta Deipara, ter Gabrielem Archangelum appellat: sicut etiam Ignatius epistola 8. ad

Quis sit iste Gabriel Angelus. *Beda tom. 5.*

Cur nobis nō Angelis necessaria sint nomina.

Quòd Angelus Gabriel sit ex suprema hierarchia.

B. Bern. hom. 1. super missus est.

II. argum.

Gregor. hom. 34. in Euang. ante med. tom. 2.

III. & vltimū. *Damascen.*

Luc. 1.

Dionys. Areopag.

Augustin. to. 10.

Hieron. to. 4. Athanas. to. 3. à med.

B. Ignatius.

Gabrielẽ Archangelum Patres cum nominant, qualem Archangelum videantur intelligere.

Omnium Angelorum supremum Ecclesia Michaelem agnoscit & prædicat.

Apocal.12. 1. Thessal. 4. Tob.12. Apoc.1 Luc.1.

Philippenses Archangelum eum nominat. Et vt puto, nō volebant eum ex ordine secundo Angelorum significare, quia parum illi tribuerent: neque rursus primum omnium cœlestium spirituum designabant, cum constet Michaelem primatem cœlestis exercitus (vt canit Ecclesia, & liber Apocalypsis docet) Gabrieli præferri, vt accipi potest ex litanijs Ecclesiæ: vnde & Archangelus vocatur in epistola Iudæ, & 1. Thessal.4. verùm significantes eum vnum esse ex primis principibus, qui Deo assistere perhibentur, vt habetur Tob.12. & Apocal.1. Et ipsemet Zachariæ dixit: *Ego sum Gabriel qui asto ante Deum.* Ita vt probabile valde sit, scripturisq; consonum, Michaelem, Gabrielem, Raphaelem cum alijs quatuor, esse ex ordine supremo Seraphinorum, & principatum inter cæteros omnes exercere, ita vt merito Archangeli appellentur. Hinc Andreas Hierosolymitanus serm. de salutatione Angelica, vnum vocat è præcipuis Angelis, qui & primum inter Angelos locum tenet. Damascenus de dormitione Virginis, Cedrenus in compēdio historiarum, principem Angelorum nominat. intelligo vnum ex primis.

Andr.Hier.

Ioan. Damas. Georg. Cedreli. de cælesti hierarch.

Dionys. Areo.

Nihil esse absurdi supremos etiam spiritus ad homines destinari.

Hebr.1. Malach.3. Isai.9.

Neque verò obstat veritati huic, Beati Dionysij doctrina affirmantis, ex trib. infirmis ordinibus tantum Angelos ad nos destinari, reliqnos verò oēs Deo assistere. Namq; in primis Apostolus omnes testatur esse administratorios spiritus; & in ministerium missos propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis. Deinde, si Filius Dei conditor, & Dominus Angelorum, pro nostra salute à Patre ad nos est destinatus, vt Angelus testamenti, & magni consilij Angelus, quomodo seruis & ministris suis Deus parcet? aut quid mirum, missum fuisse vnum ex primis spiritibus cœlestibus ad eam, quæ dignitatis & gratiæ prærogatiua super omnes choros Angelorum exaltanda erat? Intelligimus ergo sententiam Dionisij sic esse accipiendam, vt infimis ex ordinibus Angeli communiter mittantur; magni verò, ac supremi spiritus non nisi rarò, & ad magna quidem negotia obeunda destinentur. Vnde Gregorius ait: *Ad Mariam Virginem non quilibet Angelus, sed Angelus Gabriel mittitur. Ad hoc quippè ministerium summum Angelum venire dignum fuerat, qui summum omnium annunciabat.* Sic ille. Ignatius epistola 8. ad Philadelphienses, Archangeli salutatio vt ad Virginem facta. Panormi in Sicilia templum est antiquissimum septem primis spiritibus, siue principibus Angelis dedicatum. Romæ etiam ad Thermas Diocletianas est aliud templum nuper extructum, renouatumque, ac sanctæ Virgini Mariæ Angelorum consecratum. Horum nomina sunt, Michael, Gabriel, Raphael, Vriel, Barachiel, Salathiel, Ieudiel. Inter hos ergo Gabriel, secūdus est Angelus. Et quadrat valdè mysterio, quandoquidē de secūda persona in diuinis annunciare missus sit. Deinde quia de secundi peccati per homines admissi remedio & medico annunciando legatus est. nam primum peccatum dæmonum insanabile fuit. Tertiò, quia cum duplex sit natura intelligentia vigens à Deo creata, angelica scilicet, & humana: missus est ille ad declarandam Verbi incarnationem, cuius vi natura hominis super Angelos euehenda erat & exaltanda. Congruit etiam præsenti mysterio nomē Gabrielis, quod Dei significat fortitudinem: nam fortissimus est Deus nuncium mittens: fortissimus est, per illum annunciatus Virgini, qui fortem alliget, & vniuersa eius arma auferat, & spolia distribuat: fortissimus ipse nuncius missus, illorumque de numero, de quibus Psaltes: *Benedicite Domino omnes Angeli eius: potentes virtute facientes verbum illius:* fortissima est mulier, ad quam facta est legatio, de qua Salomon: *Mulierem fortem quis inueniet?* Fortissima quippè fuit eque hæc opera viri concepit filium, qui Dominus suus erat: gestauit sine labore gestantem se; peperit sine parturitione suum genitorē: lactauit, & pauit sacro vbere se, & omnes creaturas pascentem: custodiuit ab Herode se, & omnia custodientem. Postremò, opus ipsum, quod annunciaturus venit, fortissimum est: quia erat funiculus ille triplex, qui difficilè rumpitur, nempè verbi, animæ, & carnis. Venit enim annunciare coniunctionem duorum, quæ humano sensui repugnare videbantur: vt est illa Dei, & hominis, virginis, & matris, viatoris & comprehensoris, fidei & rationis prorsus admiranda coniunctio. Annunciauit præterea diuisionem duorum inseparabilium, id est, pœnæ & culpæ, quia Christus Iesus pœnam sine culpa vlla propria sustinuit: & culpæ à pœna, quia nos, qui & originalem, & personalem culpam contraximus, hui' beneficio incarnationis pœnam æternæ gehēnæ euadimus. Magnum ergo, & fortissimum DEI opus euangelizauit Gabriel, dum annunciauit incarnationem, in qua Deus fit homo, & homo efficitur Deus: virgo fit mater, & fœcundatur: prima causa fit effectus, Creator creatur, simplicissimus componitur, infinitus terminatur, immēsus mensuratur, æternus tēpori subijcitur, incircunscriptus vtero virginis includitur

Quomodo accipiendum Dionisij dictū, infimi ordinis Angelos tantum in Deo mitti.

B.Greg. hom. 34. in Euang. one med. tom.2.

Septem spirituum Deo assistentium ipsa vbi extet memoria.

Quinam sint septem illi spiritus.

Tob.12. Apoc.1.

Gabrielis secundi s. Angeli missio, quā conueniat incarnationi Filij Dei.

I. II. III. rationes.

IV. Ratio. à nomine Gabrielis, & vario eius significatu.

Luc.11.

Psal.102. Prouerb.31.

Quanta Mariæ virginis fortitudo.

Luc.2. Infra 11. Matth.2.

Quinta. Eccl. 4.

Funiculus triplex apud Ecclesiasten. quinam ille sit

Duorum inseparabilium diuisio per Christum effecta quæ fuerit

Quid sit Deū incarnari.

Spiritus incorporatur, primus fit vltimus, & Alpha Omega, maiestas deprimitur, omnipotentia infirmatur, Sapientia discit, gaudium, & risus illacrymatur, dulcedo amaricatur, fiducia timet, immortalis fit mortalis, vita moritur, cœ'ũ fit terra. Fortissima hęc sunt opera, & meritò per Gabrielé annuncianda. Interpretatur etiam Gabriel, vir Deus, vel vir Dei, quia fortia, & virilia Dei annunciat: qualis est Persarũ Medorum, & Græcorum victoria, vt habes Daniel. 8. victoria peccati per Christũ, vt habes Daniel. 9. partus ex sterili, & ex Virgine, vt habes Luc. 1. Christũ enim infirmum Dei, hoc est (Verbum caro factũ) fortior est omnibus hominibus, & omnib dęmonibus: qui brachium Dei, & dextera Dei, & Deus fortis in Scripturis dicitur, atq; de quo Ioannes aiebat: *Qui post me venturus est, fortior me est.* Tertiò, secundum alios Gabriel interpretatur, vir meus Deus; vt nomine ipso declaret quid venisset nunciaturus, nempè partum eius, quę virgo pareret, ac pro viro Deum, hoc est Spiritum sanctum qui conceptum hunc operaretur, haberet. Postremò eiusmodi opus factum est, ad reddendum hoēs strenuos, & fortes tum contra astutos dęmones, tum contra mundũ eiusq; oēs prosperitates, atque aduersitates, tum deniq; contra seipsos, id est aduersus intellectũ, ac propriam volunta té & carnem ad malũ semper sollicitanté: & vt omnium hostium suorum victoriam sibi comparent, atque de illis triumphent. Quò fit, vt post Christi aduentum homines inuenti sint rerum temporalium contemptores, honorum, dignitatum, atq; adeò ipsius vitæ, quæ super omnia diligitur, profusores, & quasi decoctores: vt stupendum, & deplorandũ sit nostrum seculũ, quod nõ nisi infirmos, macilentos, & ad bonum impotentes homines producit. Postremò, secundum alios interpretatur Gabriel, homo Deus: est enim geber, homo; el verò, Deus. Vt sit homo Deus, vel Verbum caro factũ est. Quod non solũ Theophylactus in Lucam ca. 1. sed & Proclus Episcopus in homilia dicta assidente Nestorio Constantinopoli, his verbis explicauit: *Reuerere nomen Archangeli, qui nuncium illum lætissimum apportauit Mariæ, qui Gabriel est appellatus. Gabriel enim, Deus & homo: geber enim, homo est; el, Deus, nomine ipso significans nuncium, quem apportat, quoniam is quem euangelizat, Christus Deus, & homo erat oriturus, nomenclatura ipsa miraculum significat.* Hæc ille. Hinc etiam Cyrillus in libro Apologet. sub initium: *Petrus*, inquit, *Martyr Episcopus Alexandrinus, idem putauit esse: Verbum caro factum est, & quod Gabriel dixit Mariæ, Dominus tecum, Dominus Verbum in vtero tuo caro fiet.* Sic ille ferè. & de secundo dictum sit hactenus. Ex quo habes Gabrielem in textu tantum Angelum dici, sed à Patribus quibusdam appellari Archangelum ex secundo ordine infimæ hierarchiæ, ab alijs verò, & maximè à Damasceno, & Andrea Hierosolymitano, & à Cardinali Senogalliæ in suo Decachordo, atq; ab alijs posterioribus connumerari inter primos spiritus, nempe inter Seraphinos, qui est primus ordo primę hierarchiæ, & eorum è numero esse vnum, nempè secundum in ordine post Michaelem inter illos septem, qui in sacris voluminibus Deo assistere perhibentur. Quod mihi maximè probatur: tum quia dicitur immediatè à Deo missus: tum quia nomen Gabrielis, nomen est magnificum: quę duo ponderauit Bernardus: tum quia, si Deus nomen suum, & Filij sui, ac Spiritus sancti nobis reuelauit, cur non etiam potius supremorum Angelorum nomina, quam inferiorum declararet? tum quia à Patribus antiquis, deinde etiam ab Alberto Magno, alijsque scholasticis Archangelus appellatur: quod non tam alicuius ordinis videtur quam dignitatis, & excellentię nomen, ... ; quemadmodum Archiepiscopus, Archipresbyter, Archidiaconus, non sunt nomina distincta alicuius ordinis sacri, verum nomina dignitatis tantum. Quod etiam ex eo confirmatur, quod Michael, Archangelus in epistola Catholica Iudæi Apostoli, & 1. ad Thessalonic. 4. vocetur, cum ait Paulus, Dominum venturũ in tuba, & voce Archangeli: & tamen Michael apud Danielem cap. 10. dicitur vnus ex principibus primis, qui curam olim gerebat Synagogæ, quemadmodum nunc Ecclesiæ sanctæ Dei, cuius est propugnator, & princeps.

Ex quibus verbis Danielis colligitur, Michaelem non tam ex ordine Archangelorum, quam principũ, siue principatuum fuisse. Non ergo vox Archangeli tantum ad secundum ordinem tertiæ hierarchiæ, siue in Michaele, siue in Gabriele videtur restringendum: tum quia ad annunciandũ supremum Dei opus dicitur missus, ac proinde summum Angelum mitti oportebat, secundum Gregorium: quæ ratio nihil efficeret, nisi Gabriel ex primo esset ordine primæ hierarchiæ, cum septem ordines spirituum supra ordinem Archangelorum inueniantur. Tum etiam si Lucifer, & Satanas ex supremis fuit spiritibus qui primũ hominé tentauit, & minister fuit ruinæ in cœlo factę, & in terra; ergo minister repa-

Marginalia (left): *Apoc. 1. & alibi.* — Alter significatus Gabrielis Angeli. — Fortia & virilia quæ Dei sunt opera. — *1 Cor. 1.* Quid illud: Quod enim infirmum est Dei fortius est hominibus, iuxta Apostolum. — *Match. 3.* Tertius. — Filij Dei incarnatio quam fortes ac robustos homines reddiderit. — Quartus, ac postremus. — *Ioan. 1. Theophyl. Proclus Episc.* — Geber, & El Hebræis quid. — *Cyril. Alex. to. 4. circa fin. Luc. 1.*

Marginalia (right): *B. Damas. ser. de dormitione Deiparæ. Andr. Hieros.* — Gabrielem, vt & Michaelem, Angelum esse vnum ex primis spiritibus. — *Bernard. hom. 1. super Missus est.* — *Alber. Magn. in postil. in Lucam, ca. 1.* — *1. Thessal. 4.* — *Dan. 10.* — Michaelem & Gabrielem Archangelos, ex ordine Principatuum, non aut Archangelorum fuisse. — *Greg. hom. 34. in Euang. to. 2.* — *Gen. 3. Apoc. 12.*

rationis ex primis, & præcipuis ſpiritibus eſſe debuit, vt ſicut ille inuitauit Euam ad inobedientiam, ſic iſte ſuaderet Mariæ in omnium ſalutem, obedientiam. Tum denique, quia ad Virginem nūcius miſſus eſt, quæ dignitate & gratia cunctos Angelos antecellebat. Etſi Dei Filius & Dominus, vt carnē ſuſciperet, ad eam venit; quid obſtat, quo minus venire deberet vel ſupremus ex ordine Seraphinorum, cum omnes filij Dei, & ſerui, & miniſtri ſint, omneſque ad eum adorandum poſt peractum myſterium incarnationis de cœlo deſcenderint, vt infra dicemus?

Hebr. 1.
Pſalm. 96.

Ad tertium: qua ratione, aut quomodo ſit miſſus, dicendum eſt, Athanaſium li. Quæſtio. Ad Antiochum principem exiſtimaſſe, Angelum apparuiſſe illi in nuda eſſentia. Vnde ait: *Deus aſſumpta forma ſua maieſtate longè infirmiori Prophetis apparuit. Et in ſumma, ille qui erat incorporeus, ſicut homo ſæpius ipſis apparuit incarnatus. Vnde manifeſto cōſtat, quod non eſſentiam, ſed gloriā Dei viderunt: quemadmodum & de Angelis, & de nudis animabus ſentiendum eſt. Sola verò ſancta Deipara virgo nudam eſſentiam Gabrielis Archangeli, vt eſt, contemplata eſt.* Quibus verbis Athanaſius, non aſſerit Angelum in nuda eſſentia apparuiſſe, ſed Mariam Virginē Angeli Gabrielis eſſentiam vidiſſe in quacunque forma illi apparuerit. Cum enim B. Deipara diuinis reuelationibus & viſionib. eſſet aſſueta, non potuit Gabrielem ignorare, qui ſolitus erat eam inuiſere: vt Ambroſius tradit li. 2. de virginibus. Veriſimile tamen eſt, vt docet Thomas, in ſpecie humana illi apparuiſſe: quod ex eius ad eam ingreſſu, & diſceſſu, & ſermone perſuaderi poteſt. Ita enim hominem Verbum futurum, homini, hoc eſt Virgini annunciabat. Omnes ſiquidem apparitiones Angelorum, quia ſuapte natura viſibiles non ſunt, in Veteri Teſtamento in forma corporea, & viſibili factæ ſunt, in typum inuiſibilis apparitionis Filij Dei in carne viſibili. Deinde hoc conueniebat, vt B. Virgo, quæ Deum corpore, & animo erat habitura, in mente quidem, per illuſtrationem diuinam refoueretur: vnde in eam venit Spiritus ſanctus, vt promiſit Angelus; corpore verò, quantum ad ſenſus externos. Tertiò, quò certior redderetur Incarnationis prænunciatio: maximè enim cognoſcimus, quę ſenſu externo percipimus.

Angelus Gabriel quomodo Virgini apparuerit.
I. Opinio.
Athan. li. qq ad Antiochū princip. q. 12. tom. 4. initio.
Dicti Athanaſij interpretatio.
B. Ambr. to. 2.
II. Opinio probabilior, quod in humana ſpecie apparuerit.
Thom. in 3. parte.
I. Ratio.
Secunda.
Tertia.

Apparuit autem Angelus in forma humana viri, non fœminæ, in qua apparuiſſe Angelos nuſquam legimus. Nam in annunciatione Samſonis, & Iſaac, & in comitatu Tobię in forma viri humana apparuerunt. Viri etiam teſtimonium firmius, & validius eſt, quàm fœminę. Accepit & formā iuuenis, non ſenis, aut infantis, quorum minus firmi ſunt ſenſus, minuſque validum teſtimonium, quàm viri; & quia Verbum æternum annunciabat, quod neſcit infantiam, aut ſenectutem. Angeli etiam in iuuenili ſpecie ſemper apparent, quia nunquam ſeneſcunt, cum ſupra temporis noſtri menſuram æuo menſurentur. Venit etiam veſtitus veſte ſplendenti, & alba, quē admodum in reſurrectionē, & aſcenſione tali habitu induti Angeli, pluries viſi ſunt; vt ſummam Chriſti; & Mariæ Deiparæ, propriamque ſuam puritatem ſignificaret. Hinc Auguſtinus ſermon. 14. in Natiuitate Domini teſtatur, hunc Archangelum facie rutilante, veſte coruſcante, ingreſſu mirabili, aſpectu terribili apparuiſſe, cum ſalutaturus intraret. Iuxta Damaſcenum namque transformantur Angeli, quomodocunque dominator iuſſerit Deus; & ſic hominibus apparent, ac diuina reuelant myſteria. Etſi enim Angeli in cœlo minime induantur, quod nudi ſint ſpiritus, nec habeant corpus quod tegant, ſicut in ſtatu etiam innocentiæ primi parentes erant nudi, neque erubeſcebant; quia veſtes ad tegenda verenda, atque ad iniurias frigoris, & æſtus propulſandas potiſſimum inuentæ ſunt: tamen cum in cœlo nulla ſit erubeſcendi cauſſa; ſiue pudor, nullum frigus, aut æſtus; propterea nullo veſtium Angelis opus eſt vſu. Quando tamen nobis humana figura aliquid nunciaturi ſe dant in aſpectum, honeſtatis gratia, conuenienti habitu ſemper; atque ad illa, ad quæ mittuntur ſignificanda accommodato apparent. Albertus Magnus exiſtimat, non vnum Angelum ad Virginem miſſum fuiſſe tantummodò, ſed Gabrielem cum alijs duobus ſocijs, ita vt tres fuerint Angeli: qui numerus Trinitati, cuius hoc opus erat, conueniens eſt. Congruebat & rerum, quæ gerebantur, amplitudini, vt nō vnus tantum eſſet legatus, ſed plures, licet vnus tantum pro omnibus loqueretur. Moris etiam eſt, vt legati magnorum principum non niſi honorificè comitati mittantur.

Idem cur virilem, non fœmineam formam aſſumpſerit.
Iud. 13 & ſeq.
Gen. 18.
Iuuenili ſpecie non ſenili, vel infantili cur debuit apparere.
Cur etiam candido amictu, niten[ti]que habitu apparuerit.
B. Auguſt. to. 10.
Damaſ. lib. 2. cap 3. de Fide
Veſtibus cur non vtantur Angeli in cœlo.
Gen. 3.
Veſtium vſus vnde.
Angeli cur vi[d]eantur hominibus ſemper induti.
Albert. Magn. in poſtil. in Lucam.
Angelus Gabriel cum duobus Angelis cur ad virginem miſſus ſecundum Albertum.

Poſtremò, huius rei typus in Angelo præceſſit, qui miſſus eſt ad Abraham, vt annunciaret natiuitatem Iſaac filij ſui, qui quidem Angelus non ſolus fuit, verum alijs duobus comitatus: nam Abraham tres vidit, & vnum adorauit, vt 18. capite Geneſis habes. Hoc inſuper, etſi Scriptura non exprimat, reuelatum tamen fuiſſe quibuſdam traditur: ideò non videtur vſ-

Hic Angelorū comitatus vbi præfiguratus.
Gen. 18.

quequaque

quequaque aspernandum, neq; tamen pro hac re tanquam dogmate fidei est pugnandum. Et hæc de tertio.

Angelus cur ad Mariam Virginem missus fuerit. Prima ratio. *Auctor ser. de assumpt. Virg. t. m. 4.*

Circa postremum, conuenientissima fuit hæc missio Angeli ad Mariam Virginem: tum quia Maria socia est Angelorum propter integerrimam suam virginitatem. Nam in carne præter carnem viuere, vt Hieronymus dixit, Angelorum est, non hominum.

Secunda. *Isai. 9.* Christus quâ ratione dic. magni consilij Angelus.

Deinde, quia de Domino Angelorum annunciaturus venit. Est enim Christus magni consilij Angelus, quia cum sit summa sapientia, diuinissimum incarnationis, ad liberandum humanum genus, consilium adinuenit. Et cum sit fortitudo Dei, per se ipsum executus est, mundoq; toti tum per se tum per Spiritum sanctum, Prophetas, & Apostolos erudientem tantum mysterium annunciauit.

Cur etiam Angelus testamenti. *Mal. 3.*

Dicitur quoque Angelus testamenti: quoniam fœdera Dei, & testamenta ad ditandum atq; illustrandum genus humanum in eo sancita, & stabilita sunt.

Tertia.

Tertiò congruè mittitur ad reparandum hominem perditum Angelus; vt ita casus ac ruina Angelorum restauraretur.

Quarta.

Quartò missus est Angelus ad tantum mysterium annunciandum, quod in beneficium cedebat hominum, quorum saluti destinata erat custodia Angelica. Nam si Bernardo, & Richardo de S. Victore credimus, Angelus custodiæ Virginis destinatus, Gabriel erat: tantò quippe Angelo honorifica erat Matris Messiæ, & Virginis virginum, & Reginæ Angelorum custodia: quanquam ferè, & vt plurimum supremi, & maximi Angeli custodiendis hominibus haud destinentur. Cardinalis Petrus Damianus, vir suo seculo perdoctus simul, ac eloquens, Virgini tribuit Gabrielem Archangelum, & Ioannem Euangelistam custodes: quos comparat duobus leonibus, quorum alter dextræ Virginis, alter sinistræ custos deputatus sit. Gabriel enim mentem, Ioannes carnem eius peruigili sollicitudine seruarunt.

Bernard. Richard de S. Victor. Mariæ Virg. Angelicus custos Gabriel fuit se cundum aliquos, & quare. *Pet. Damian. ser. 2. [illegible]* Virgo Deipara quos duos habuerit custodes.

V. Ratio.

Quintò, etiam [illegible] modo ad Virginem mittitur Angelus, vt non solum existimemus Angelos tantum bonum nobis non inuidisse, quod ipsis negatum est; (nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit; Apostolo teste) sed etiam nobiscum gaudere, deq; tanto bono nobis congratulari. Hoc est enim proprium charitatis, aliorum rebus secundis, atq; profectibus gratulari simul & applaudere.

Hebr. 2.

Angelorum charitas in homines.

Gabriel Angelus tanti mysterij cur debuerit nuncius existere. Prima ratio.

Fuit autem è re, ad legationem hanc obeundam, atque perficiendam, hunc Angelum mitti. Primum quidē, quia cum Deus sit principium omnium bonorum nostrorum, & origo, & fons, videlicet benè cogitandi, sanctè desiderandi, rectèq; operandi; ideò omnis voluntas hominis, vel Angeli ab ipso Deo præueniēda fuit, & ante omnia mittendus Angelus, qui Virginem ad consensum in nuptias incarnationis futuras inuitaret. Rectè ergo Angelus dicitur missus à Deo.

II. à diuina sapientia. *Gen. 3.*

Deinde, quia Angelus malus non missus, sed à se ipso veniens, Euā blandis sermonibus deliniens, seduxit. Deus autem cum perfectissimus sit artifex, in opere restaurationis ordinem ruinę respondentem debuit seruare. Nam quemadmodum prima mulier persuasione maligni spiritus confirmata, suæ ipsius, & nostræ omnium perniciei, ac interitui simul cum viro cooperata est; ita profectò par fuit, vt in reparatione quæ ab incarnatione Filij DEI est inchoata; bonus Angelus Mariam confirmaret, atque ad assensum dandum inuitaret: alioqui videri potuisset Satanas nostram perditionem magis, quam bonus Angelus salutem nostram sitisse, atq; procurasse. Hinc Bernardus sermone 2. de festo Pentecostes: *Missus est*, inquit, *coluber tortuosus à diabolo, vt venenum per aures mulieris in ipsius mentem transfunderet, & sic refunderet in totius posteritatis originem. Missus est interim Gabriel Angelus à Deo, vt Verbum Patris per aurem Virginis in ventrem, & mentem ipsius eructuaret, vt eadem via intraret & antidotum qua venenum intrauerat.* Et Chrysologus: *Ad Virginem Deus aligerum portatorem mittit* infra: *Agit cum Maria Angelus de salute, quia cum Eua egerat Angelus de ruina.*

Bernard. ser. 3.

Pet. Rauen. ser. 142.

§ Ad hæc expediebat maiestati DEI, qui cum seruos, & ministros habeat, cum mittens Deus magnus sit, res etiam annunciata sit magna, vt magnus quoque esset minister tali ac tanto operi destinatus.

III. à Dei magnificentia.

Suauitas etiam diuinæ prouidentiæ id exigebat, vt infima ad suprema non reduceret, nisi per media: quemadmodū docent Dionysius, & Gregorius. Homo enim infimi est intellectus, & mortalis; Deus verò supremæ est intelligentiæ, ac immortalis: Spiritus Angelici medij sunt; sicque Beata Virgo per Angelum erat ad Deum deducenda.

IV. ab eius suauitate regiminis. *Dionys. [illegible] pag.* *Gregor.*

Prætereà ex parte Virginis conueniens fuit hæc missio. Non enim missus est magnus aliquis, & sanctus Propheta, vel Patriarcha: nam si per hominem fieret, esset ille magis Deo intrinsecus, & secretorum diuinorum magis conscius, quam Beata Virgo. Ideò ab Angelo supremi ordinis extra illustrari debuit, interius autem à solo Deo.

V. à B. Virgine sumpta.

Item ex parte naturæ Angelicæ missio hæc conueniens fuit. Tria siquidem beneficia

VI. ab Angelica natura deprompta.

Angeli hominibus tria cõferunt beneficia. Primum corporeum, & quale hoc sit, & quantum.

ficia medio Angelorum ministerio recipere consueuimus. Primum quidem beneficium humanis præstant corporibus, vt sana sint, & integra: nam motu cœlorum, qui per eos vt ministros efficitur, omnia hæc inferiora, quę ad conseruationem hominis sunt necessaria, producuntur. Quod quò melius percipias, finge te in horto tuo habere rotam, quam, cum velles, moueres, & ad eius motum subitò flores, herbæ, fructus, omniaq; terræ nascentia procrearentur: certè magni faceres eiusmodi rotam, si saperes. Hæc rota cœli sunt opera Angelorum moti, quorum reuolutione continua generantur inferiora omnia, atque ita species omnes plantarum, & animalium in beneficium hominis conseruantur. Sed vt tu visa pulchra aliqua rota, assurgis intellectu ad laudandum eius artificem: ita perspecto motu cœlorum, noli in eis sistere, verum intellectu ascende ad Angelos mouentes cœlos, & age gratias Creatori, qui & Angelos, & rotam cœlorum in beneficium tuũ & vtilitatem conuertit: malosque Angelos à nocendo per bonos impedire voluit. Ex quo dictum est quatuor Angelis; *Nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus*, & reliq. *Apoc. 7.* Secundum beneficium Angeli animabus nostris impendunt. *Secundum spirituale.* Nam postquam dati sunt nobis in custodiam, semper precantur pro nobis, procurant nostram adoptionem, admonent atque exhortantur, donec nos perducant ad portum felicitatis æternæ: neq; à ministerio cessant, donec de salute nostri ipsorum desperent, ac dicant: *Curauimus Babylonem, & non est sanata: derelinquamus ergo eam.* *Hierem. 51.* Tertium beneficium ab Angelis exhibitum, consistit in hac operatione, quam in legatione ad Virginem obeunda, promptè & alacriter Gabriel exhibuit. *Tertium, in Annunciatione Filij Dei.* Nam & summis votis illam desiderabant, & pro ea preces ardentes ad Deum effuderant. Vnde Gabriel cœlitus à Deo missus, vt Virginem, ad tanto mysterio consensum exprimendum inuitaret. Tristis, & confusus vehementer fuit Aman, quando ex præcepto Regis Assueri equum Mardochæi ducebat, & clamabat: *Sic honorabitur; quemcumque voluerit Rex honorare.* *Esther 6.* Non ita Gabriel, sed cognita Dei voluntate honorandi, exaltandique humanam naturam, promptus & alacer venit, non superbiens, aut dicens; Præstantior est nostra natura, & nobilior; non inuidit homini, tametsi eius natura inferior esset, verum per omnia voluntati diuinæ se morigerum, & obsequentissimum præstitit: magna charitate, ac diligentia, ministerium suum obiuit, dæmonis vt confunderet superbiam, & inuidiam, & nos ab omni ambitionis, inuidiæque peccato dehortaretur; doceretque suo exemplo, inferiores à nobis honorandos, & charitatis officium sedulò atque alacriter eis exhibendum. *Angeli Gabrielis legatio qualia nobis & quanta præbeat documenta. Psal. 8.*

Igitur diligenter curemus, vt Angelos omnes nostrę salutis custodes, ac procuratores reuereamur, eosque audiamus, atque imitemur, sed maximè nobilissimũ istum, omnique laude dignissimum Gabrielem, cui vt præcipuo Dei ministro, qui tantum bonum nobis annũciaturus de cœlo aduenit, debitores nos in perpetuum agnoscere debemus, vt cum eo Patrem, Filium, & Spiritum sanctum omni honore, laude, & gloria prosequamur in seculis sempiternis, Amen. *Quid Angelis debeamus.*

TRACTATVS IV.

De Maria Virgine desponsata viro suo Iosepho Galilæa, & Nazarena.

HVCVSQVE de Deo legationẽ mittente, & de legato Gabriele est actũ: *Scopus.* Nunc tertio loco de sanctissima Deipara, ad quam destinata fuit legatio, dicendum est. Quemadmodum autem Deum Opt. Max. decuit maximè, Filium eius incarnari, quanquã simpliciter necessarium nõ esset: ita etiam annunciatio, siue Euangelizatio ad Virginem ab Angelo Gabriele facta, maximè fuit conueniens, atq; rationi consona. Nam Deus Opt. Max. sicut ex Adami dormientis costa, illo neq; sciente, neq; cõsentiente Euam formauit: *Gen. 2.* ita ex immaculatissima Virginis carne vllo absque nuncio, nulloq; Virginis expresso consensu, poterat humanitatem Christi sanctissimam cõdere: noluit autem, nisi eius prius expresso consensu: quod sane decentissimum fuit. *Virgini annunciandum cur fuerit mysterium incarnationis. Ratio prima.* In primis, vt liberè, & sponte, neque coactus mysterium hoc efficere videretur, non casu, vel necessitate: non ergo ita videretur esse ex Dei consilio, & amore, quo nostrum amorem Deus exprimere, ac extorquere volebat. Deinde hoc mysterium, si quoddam erat inter Deum & humanam naturam matrimonium, haud poterat melius certè conciliari, quã ex consensu partis vtriusque: *II. Ratio.* atque ita missus est Angelus ad Virginem Mariam, annuncians consensum Verbi ex parte Dei, & contendens exprimere consensum Marię nomine totius humanæ naturæ, quæ tota huius mysterij beneficio nobilitanda, & exaltanda erat. Nec enim nobiles, & magni Principes aliter cõtrahunt cum puella virgine, quam eius cõ-

sensu

Gen. 24.

sensu adhibito. Hinc parentes Rebeccæ dicabant: *Vocemus puellam, & quæramus ipsius voluntatem.*

III. Ratio.

Tertiò, ex parte naturæ Angelicę conueniebat hæc annunciatio; vt & ipsi etiam consortes, atq; participes fierent tantę huius nostræ exaltationis, cuius procuratores, internuncij, atque adiutores in Angelo Gabriele inuenti sunt: nam in eo bonitaté, charitatem, & humilitatem suam Angeli hominibus demonstrarunt.

Quarta.

Quartò, annunciatio facta est, vt operis magnitudo nobis constaret: nam ad rem tam grandem magnæ dispositiones, & præparationes ab initio præcesserunt: nam & reuelatum fuit hoc mysterium Patriarchis, prænunciatū à Prophetis, promissum iustis: decebat igitur vt annunciaretur ab Angelo.

Quinta atque postrema.

Postremò conueniens fuit annunciatio, vt sic B. Virginis illustres virtutes sese proderent: tum vt prius Christum fide in mente conciperet, quam in carne: tum etiam, vt eius puritas, humilitas, prudentia, & obedientia magis in nostrum exemplum apparerent, atq; ita virgineus consensus magnis comitatus virtutibus, & ex maiore animi deliberatione profectus, charior multò, Deoque gratior existeret.

Magna Dei prouidentia Christi matrē Mariæ nomen habuisse.

Vt igitur ad id quod propositum est, reuertamur, dicendum nobis est de sanctissima Deipara, & primò quidem de eius nomine Maria; secundò, de eius virginitate; tertiò, de desponsatione cū Iosepho; quartò, quomodo esset Galilæa simul, & Nazaræna. Inprimis igitur, quod ad nomen attinet, si grandium virorum nomina, vt Adæ & Euæ, Abraham, & Isaac, Ioannis, Petri, & Pauli mysteria non vacant, magnaq; Dei sapientia illis indita sunt, quid quæso cogitandum est de sanctissimę Deiparę, & Matris Messię nomine? Hoc ergo nomen multis mulieribus in Veteri Testamento, sed primum, ac pręcipuè sorori Moysi impositum fuit, quæ cœlebs & virgo fuit, teste Apponio super Cantica, & Gregorio Nysseno libro de Virginitate: quæ typus extitit Mariæ Virginis sororis Legislatoris & Pontificis, id est, Christi adumbrati in Moyse, & in Aaron. Profertur autem Hebraicè Miriam, estq; bissyllabum: sed quémadmodum Ieosua, & Pesach, Iacob, & Ioseph, inflexione Latina dicuntur Iesus, & Pascha, Iacobus & Iosephus; ita verbum Hebræum Miriam, à Latinis emollitū est, & Maria trissyllabum ad declinationé nostram accommodatū. Gręci autem à Chaldæis, & Syris acceperunt Μαριὰμ indeclinabile, & accentu in vltima proferunt: & ita Laurentius Valla contendit proferendum esse indeclinabiliter Mariam, sicut Abraham. Sed hoc perpetuum non est. Nam etsi Lucas ca. 1. & 2. Μαριὰμ legat, Matthęus ca. 1. declinationem Græcam sequitur, cum ait: αὐτῆς Μαρίας & Matt. vlt, ἦλθε Μαρία ἡ Μαγδαληνὴ, καὶ ἄλλη Μαρία. Imò & ipse Lucas cap. 24. eisdem vocibus denominat Marias ad inflexionem Græcam. Ita loquitur cap. 8. & cap. 10. & Actor. 1. Et ita Maria nobis vocanda est, ne videamur renouare Iudaismū.

Gen. 3. Ibidem. Infra 17. Infra 21. Luc. 1. Ioan. 1. Act. 13.

Moses & Aaron, & vtriusque soror Maria Virgo, & cœlebs aptè Christum & Mariam Virginem eius matrem adumbrarunt.

Appon. lib. 6. in Cantica. Greg. Nissen. lib. de Virgi. cap. 6.

Qualis eius nominis scriptio, & pronunciatio.

Laur. Valla in c. 1. Matthæi.

Maria, non autem Mariā indeclinabiliter cur nobis proferendum sit.

Iosephus hist.

Idem nomen quo accentu pronunciandum.

Certe Iosephus lib. 2. Antiquit. cap. 5. & li. 3. cap. 4. Mariamnen vocare solet, quę Hebræis dicitur Miriam: at hęc parui momenti sunt. Latinis auté Maria, penultima correpta pronunciatur. Vt enim Lucius, Lucia, & Anastasius, Anastasia, ita Marius, Maria, accentu in antepenultima proferendū ęst. Vnde & Claudianus, & alij antiqui Poetæ penultimam corripiunt, licet alij pro ratione carminis licentia poetica producant, vt iam totius Ecclesiæ vsus etiam in soluta oratione eandem producit.

Mariæ nomen a quibus pronuntiatum fuerit.

B. Damasc.

Isai 9.

Fuit autem inprimis hoc nomen à Sibyllis expressè prædictum, quemadmodum B. Damascenus in sermon. de ijs, qui in fide hinc migrarunt, docet. Fuerunt etiam antiqui Hebræi ante Christi aduent m, qui nomen huius Virginis ex quodam Isaię loco coniectarunt; eam Miriam Sara, hoc est Mariam Dominam vocandam.

Perfidi Iudæi hoc nomen, etiam filij eius qua ratione corruperint.

Quemadmodum autem Iudæi nomen IESV, quod Hebraicè est cum litera Hain ex liuore & per contemptum corruperunt, & dixerunt : ita nominis Mariæ primam literam mutarunt in He, & dicunt Ies m, nō Ben Mariam, id est filius Domi na, & Reginæ, sed Iesus Ben Mariam, id est Iesus filius eius, quæ instar fumi vilis est. Verum hoc illi iustè commeriti sunt: qui enim Iesum abiecerunt, indigni sunt, qui nomen eius, vel matris eius proferre, aut inuocare sciāt.

Mariæ nomen quot literis constet Hebræis, Græcis atque Latinis. Quinque eius nominis significationes ponuntur, & explicantur.

Continet autem Maria apud Hebręos quidem quatuor literas, apud Græcos sex, apud Latinos vero quinque (quemadmodū & Iesus totidem apud Latinos elementis constat) habet etiam quinque significata, quibus eius dignitates & prærogatiuæ declarantur: habet quinque gratias singulares: habet quinque figuras mulierum illustrium, quibus aptè reprę̃sentata est. Significat enim illuminatam, exaltatam, mare myrrhæ, siue amaritudinis, stellam maris, siue magistram maris; testibus Bernardo, Beda, Eucherio, & Hieronymo, & Ecclesia, aut voce ex Syro, & Hebræo composita, Dominam maris.

B. Hiero. to. 3. à media.

Mariæ quam magis probet significationē Hieronymus.

Ita Hieronymus libro de nominibus Hebraicis, quem ex Philone Latinum fecit, habet: *Maria illuminatrix mea, vel illuminans eos, aut smyrna maris, vel stella maris.* Et ibidem infra: *Mariam plerique*

æstimant interpretari, Illuminant me isti, vel illuminatrix, vel smyrna matris: sed mihi nequaquã videtur. Melius autem est, vt dicamus eam sonare stellam maris, siue amarum mare. Sciendumq́, quod Maria sermone Syro, domina nuncupatur (sicut & Maran, Dominus noster) Alij exaltatam, Doctricem populi ac magistram interpretantur, ex diuersis radicibus.

Maran Syro sermone quid sonet.

Epiphan.

Epiphanius sermone de laudibus Virginis; *Mariam*, ait, *interpretari solemus Dominam, atq; etiam spem; peperit enim Dominum, qui est spes totius mundi, Christum.* Et infra: *Rursus praclara puella beatum nomen interpretatur, Illustrata, vtpote qua illustrata sit à filio Dei, & cunctos vsque ad terminos terra credentes Trinitate illustrauerit.*

Idem.

B. Athan. to. 3

Agnouit & Athanasius interpretationem illam, dominę, & herę in Euangelio de sanctaDeipara: *Decet te matrem, dominam, ac heram cognominari; eo quod ex te prodijt Rex, Dominus, ac Deus noster.*

Maria cur dicatur illuminata, seu Illustrata.

Gen. 1.

Lux à Deo cur condita.

Primò ergo dicitur Illustrata, siue Illuminata, quia vt in tempore primo die creata est lux, & inter omnes creaturas corporeas pulchritudine præstantior est: creata est etiam lux ad fugandas tenebras, ad ornandũ. decorandumq́; vniuersum, ad Dei opera manifestanda, ad solis illapsus in terrã deferendos: in hunc modum B. Virgo luce singulari illustrata est, vt sit prima in prædestinatione Dei, & ipsi Christo propinquissima. *Ab æterno*, inquit, *ordinata sum*, ante omnes Angelos & omnes creaturas. Pręstat etiam Maria pulchritudine gratiæ Dei, quę media fide Mariã instruxit. Gratia etiam eius & nomen, tenebras dæmonũ & peccatorum expellit. Est ornamentum, & decus totius vniuersi: quemadmodũ luna ornamentum mundi post solem. Reuelauit occulta Dei mysteria, & opera Christi Apostolis: solis iustitię beneuolos influxus, nobis, vt est misericors, impetrat. Atque hac ratione Illuminata, & Illuminans est à principio suæ conceptionis per Christum; vt Eua per serpentem tenebrarum obscurata.

Prouerb. 8

II. Ratio.

Gen. 3.

Maria quomodo exaltata.

Ibidem.

Secundò exaltata est in conceptione Filij Dei, quia facta simul mater, & virgo: & meritò quæ sub omnibus humiliata erat, exaltata est, vt Eua propter superbiam deiecta. Tertiò, interpretatur mare myrrhę, vel amaritudinis, propter acerbissimos dolores, quos in cruciatibus, & morte Filij sui sustinuit, propter quos meritò plusquam martyr fuit, teste B. Hiero. Sed Eua libéter gustauit fructus vetiti dulcedinem, dicens intra se: *Aqua furtiua dulciores sunt, & panis absconditus suauior.* Quartò, domina maris fuit in resurrectione Domini Filij sui: quemadmodũ Eua gustatu fructus, serua dæmonis, & subiecta doloribus fuit. Vnde Damascenus Mariam interpretatur Dominam.

Maria mare myrrhæ, seu amaritudinis cur dicta.

B. Hiero. ser. de Assumpt.

B. Virg. to. 4

Gen. 3.

Prouerb. 9.

Maria cur Domina maris interpretetur.

B. Damasc. lib. 4. c. 15. de orthodox. fide.

Maria cur stella maris appelletur.

Quintò, fuit stella maris in assumptione sua, in qua non longè à sole Christo abest: nam vt Lucifer solem mane antecedit, & Hesperus sub vesperam solem consequitur: ita Maria ante Incarnationẽ Solem iustitiæ Christum pręcessit, vt Lucifer; assumptum in cœlum subsecuta est vt Hesperus in assumptione sua. Hæc autẽ Stella maris, à quibusdam Pololaris dicitur: quod si verum est, Stella hęc habet locum supremum in Hemisphærio nostro, atque ita super omnes Angelos, & Beatos exaltata est.

Polaris syderis septem proprietates Mariæ Virgini aptissimè congruenter affignantur.

Secunda.

Habet immobilitatem in situ, cũ cæterę stellę moueantur. Nam cum B. Virgo consummatam gloriam possideat corpore, & anima, quietem habet: cęteri sancti etsi alioqui beati, corporum suorum resurrectionem expectantes, nondum plenè quieti sunt.

Tertia.

Habet hęc stella volubilitatem in ambitu suo, licet locum mutare non videatur: ita Maria motũ perfectę circa nos charitatis habere dignoscitur.

Quarta.

Habet attractionem, quia secundum Philosophos antiquos, propterea terra in centro immobilis manet, quia polus arcticus eam tenet ne cadat, antarcticus ne surgat: atque ita Maria suis precibus retinet, ne mundus peccatorum mole in abyssum præcipitetur.

Quinta.

Habet stella hæc directionem in suo ductu: nã dirigit nauigantes vt perueniant ad portum: & ita Mater Messiæ in omni periculo nobis succurrit, vt ad portum gratiæ Dei, vel vitæ æternæ perueniamus.

Sexta.

Hæc stella aspectui nostro minima est inter omnes, ita ipsa humilima, minima, & in oculis suis, vt dici solet, inuisibilis. Sed quo magis humiliata est, seque ipsam exinaniuit, eò magis à Deo illustrata est, & reddita gloriosior est.

Septima atq; postrema.

Habet illa septem stellas alias notabiles, quæ voluuntur circa eam, quæ propterea dicuntur Septentriones; & Maria septem Angelos supremos & assistentes habet, qui eius nutui, & imperio obedire, gloriosum sibi ducunt. Hinc Apocalyps. 1. dicitur: *Et à Septem spiritibus qui in conspectu throni eius sunt.* Etsi enim sermo sit de Dei throno, proxima tamen eius dexteræ assistit beata Virgo, de qua scriptum est: *Astitit regina à dextris tuis.*

Apocal. 1.

Psal. 44.

B. Bernard.

Alia ratio B. Bernardi interpretationis allata, à Sideris proprietate desumpta.

B. Bernardus homilia 2. super Missus est, propè finem, ita de hoc nomine philosophatur: *Loquamur*, inquit, *pauca & super hoc nomine quod interpretatum Mariæ stella dicitur, & matri Virgini valde conuenienter aptatur. Ipsa namque aptissimè syderi comparatur: quia sicut sine sui corruptione sydus suum emittit radium; sic absque sui læsione Virgo parturit filium. Nec syderis radius suam minuit claritatem; nec Virgini filius suam inte*

gritatem. Ipsa est igitur nobilis illa stella ex Iacobo orta, cuius radius vniuersum orbem illuminat: cuius splendor & præfulget in supernis, & inferos penetrat, terras etiàm perlustrans, & calefaciens magis mentes, quam corpora. fouet virtutes, excoquit vitia. Ipsa inquam, est præclara, & eximia stella super hoc mare magnum, & spatiosum necessariò subleuata, micans meritis, illustrans exemplis. Hæc ille (aue eleganter, & piè, vt solet.

Num. 24. Maria Virgo quam vere stella ex Iacob nuncupetur.

Est ergo B. Virgo illuminata, fide; Exaltata ad Maternitatē Filij Dei propter humilitatem: Mare myrrhæ, propter patientiam in cruce Christi exhibitam: Maris domina, propter triumphum, & gaudium resurrectionis; Stella maris, propter exemplū assumptionis, & orationis, qua nos ducit ad Christum. Vt illuminata, lucē dat tenebris cordiū nostrorum: vt Exaltata, docet nos esse matres vnigeniti Filij Dei, si prius sanctè humiliemur: vt Mare myrrhę, omnes nostras afflictiones, & amaritudines in dulcedinem conuertit, beneq; pati propter iustitiam docet: vt Domina maris, victoriam præstat tentationum, proposito suo, & sui filij exemplo: vt Stella maris, in hoc mundo nauigantes ad portum æternę gloriæ perducit.

Psalm. 103. Epilogus quinq; significatuu nominis Mariæ. Luc. 1. Ioan. 19.

Quod ad gratias attinet: Quinque singulares, illas ex elementis sui nominis si colligimus (quanquam non ignorem hæc magis esse pia, quam solida) M. Mater misericordiæ: A. Aduocata afflictorū: R. Refugium redeuntium: I. Inuentrix iustitiæ, quę duplex est, Innocentia, & Indulgentia: A. Amica Angelorum. Circa figuras verò, ex elementis venandæ similiter veniunt. In M. pręcessit Maria soror Moysi, quæ in transitu de Ægypto præcinuit: *Cantemus Domino. gloriosè enim magnificatus est*; in typum Mariæ Virginis, quę post Verbum incarnatum cecinit: *Magnificat anima mea Dominum.* In A. præcessit Abigail, quæ humilitate, & prudentia placuit Dauidi, & ita assumpta est ab eo in Sponsam: quemadmodum B. Virgo prudentia, & humilitate facta est mater Dei. In R. præcesserunt Rebecca & Rachel, quæ pulchritudine, & gratia illam adumbrarunt, de qua scriptum est: *Pulchra vt Luna, electa vt Sol.* In I. præcessit Iudith, quæ tanta animi fortitudine excelluit, vt caput Holofernis proprio ense truncauerit; in typum benedictæ Virginis Mariæ, quę caput serpentis, vt olim Deus prędixerat, contriuit: In A. pręcedit Anna mater Samuelis, quæ precibus filium, & Prophetam à Domino obtinuit, quem illi post ea consecrauit. Ita beata Virgo, oratione & consensu Prophetam magnum concepit, quem Deo obtulit in Præsentatione, & in Cruce.

Mariæ virgini privilegia quinq; ex eiusdem nominis literis accepta.
Eiusdem figuræ ibidem contentæ.
Exo. 15. & seq.
Luc. 1.
1. Regum.
Gen. 29. & alibi.
Supra 22. & aliàs.
Cant 6.
Iudith 13.
Gen 3
1. Reg. 7.
Luc. 2

Hoc igitur nomen persanctè est nobis venerandum, & frequenter inuocandum: nam nomen eius, sicut & Iesu, ob significatum efficacissimum est, terrens dæmones, lætificans Angelos, recreans peccatores, & accendens iustos: nullique peccatrici fœminæ tam sanctum nomen esse tribuendū. Aristogiton tyrannos à Republica Athieniensi expulit, & patriam à seruitute liberauit. In præmium huius tanti in Rempublicam meriti constitutum est, ne vlli seruo nomen Aristogitonis imponeretur. Ita nulli fœminæ peccati, ac dæmonis seruæ tam præclarum & honorificum Mariæ nomen imponendum esset. Fuit in exercitu Alexandri magni vilis quidam, & pusilli deiectique animi miles; ad quem Imperator Alexander dixit; Aut spolia te nomine tuo, aut te indue magnanimitate, ac fortitudine tanto nomini conueniente. Idem dicendum esset omnibus fœminis, quæ benedictæ Virginis Marię vestigia non imitantur, nomine autem eam tantummodo repræsentant. Atque hactenus de nomine sit dictum.

Mariæ Virginis nomen quanto dignū honore ac reuerentia.
Mariæ nomen quibus minime conueniat.

Ad secundum: Angelus dicitur missus ad Virginem, qui titulus vt est magnus & honorificus, ita soli Mariæ conuenientissimus fuit. Dicemus autē tria. Primum quidem perpetuam Marię virginitatem comprobabimus: Deinde caussas, cur ex Virgine nasci voluerit Messias, producemus. Postremò qualis, & quanta fuerit hæc virgo, explicabitur.

Angelus ad Virginem cur fuerit delinatus.

In primis igitur perpetua Marię virginitas contra Heluidium, & alios Hęreticos asserenda est: nam propterea vt miraculum supra communem naturæ cursum prædicta fuit ab Isaia natiuitas Messiæ ex Virgine: *Ecce*, inquit, *Virgo concipiet, & pariet filium:* In Symbolo etiam Apostolorum protestamur, Messiam natum ex Virgine: in Ecclesiæ cultu & officio dicitur Virgo, & Virgo Virginum. Præfiguratum autem fuit tantum virginitatis donum multis Prophetarum oraculis, multis Sibyllarū quoque vaticinijs, quæ superiore libro protulimus. Hæc enim est in rubo Moysi ardente, nec combusto, adumbrata: in Virga Aaron, quæ sine humore aliquo protulit fructum, repræsentata: In vellere Gedeonis arido permanente, cum tota terra esset madida, præfigurata: In virga illa Isaiæ de radice Iesse, & florem sine corruptione producente, demonstrata: In muliere virum circumdante, per Hieremiam prophetata: In porta Ezechielis clausa, & per quam vir vllus

Isai. 7.
Math. 1.
Mariæ virginitatis figuræ Prophetarum que testimonia multa recenfentur.
Exod. 3.
Num. 17.
Iudic. 6.
Isai. 11.
Hierem. 31.
Ezech. 44.

Psal. 84.

vllus non transiuit, delineata: Descripta in terra illa, de qua: *Veritas de terra orta est, & iustitia de cœlo prospexit. Etenim Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum*, Et, *Ego flos campi, & lilium conuallium*: In lapide Danielis abscisso de monte sine manibus, hoc est, sine opera viri, pulchre depicta. Isai. 53. habetur: *Ascendet sicut virgultum, & egredietur, & sicut radix de terra sitienti*: vel, vt Aquila vertit, *ex terra inuia*, id est, Virgine Maria, non irrigata humano semine: Septuaginta interpretes velut explicantes vertunt: *Ascendens sicut puerulus lactens de terra sitienti, & inuia*: quia Christus paruulus, qui processit de terrra siticulosa, & inuia ante partum, & in partu virginea suxit matris vbera. Adde quod in Scripturis promittitur Dauidi Christus venturus ex eius vtero, sine ex ventre. (Nam 2. Regum 7. dicitur: *Cumque completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, suscitabo semẽ tuum post te, quod egredietur de vtero tuo*: & Psalm. 131. *Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eum: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.*) Hoc autem non ob aliud, quam quod ex fœmina filia Dauid sine opera viri esset proditurus. Verba Augustini in dictum Psalmum sunt hęc: *Poterat dicere, ex fructu femoris tui. Quare ex fructu ventris voluit dicere? & illud quidem si diceret, verum diceret: sed significantius dicere voluit ex fructu ventris, quia de fœmina natus est Christus quò vir non accessit.* Hæc ille. Ita etiam Irenæus li. 3. ca. 27. in principio ponderans id quod dictum est: de fructu ventris tui ponam, subdit: *Hic est qui ex Virgine, quæ fuit de genere Dauid, generatus est. Propter hoc enim & de fructu ventris eius Regem promisit, quod erat proprium Virginis prægnantis, & non de fructu lumborum eius, nec de fructu renum eius, quod est proprium viri generantis, & mulieris ex viro conceptionem facientis.* Hæc ille, addens ob id dixisse B. Elisabetham: *Et benedictus fructus ventris tui.* Tertullianus li. 3. aduersus Marcionem: *Quis iste venter est?* inquit, *Ipsius Dauid? vtique non neque enim pariturus esset Dauid. Sed nec vxoris eius: non enim dixisset, ex fructu ventris tui, sed potius ex fructu ventris vxoris tuæ. Ipsius autem dicendo ventrem superest vt aliquem de genere eius ostenderit, cuius ventris futurus esset fructus caro Christi, qui ex vtero Matris floruit. Ideoq; & fructum ventris tantũ nominauit, vt propriè ventris, quasi solius ventris, non etiam viri, &c.* Præterea erat Christus futurus Sacerdos secundum ordinem Melchisedech: at ille fuit sine patre, sine matre, sine genealogia. Quod explicans Lactantius lib. 4. cap. 13. initio: *Ipse enim Pater Deus, & origo, & principium rerum: quoniam parentibus caret, ἀπάτωρ, atq; ἀμήτωρ à Trismegisto verissimè nominatur, quod ex nullo sit procreatus. Idcirco etiam Filium bis nasci oportuit, vt ipse fieret ἀπάτωρ, atq; ἀμήτωρ. In prima enim natiuitate spiritali ἀμήτωρ fuit, quia sine officio matris à solo Deo Pater progeneratus est. In secunda verò carnali ἀπάτωρ fuit, quoniam sine Patris officio, virginali vtero procreatus est.* Denique serpenti interminatus est Dominus: Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius. Vbi primum expende, nullam viri factam mentionẽ, sed mulieris duntaxat, & seminis eius, quod caput serpentis erat contriturum: quod non ad Euam spectat, sed ad Mariam; vt proinde de futuro dixerit, ponam, non de pręsenti, pono: quod Cyprianus li. 2. testimoniorũ in Iudęos considerauit, & autor, qui de perfecto viro scripsit apud Hieronymum, tomo 4. Et Christus propriè est semen mulieris solius, non viri. Et hactenus quidem ex Scripturis sacris pro virginitate Matris Dei decertauimus contra Iudęos. ¶ Eadem contra Gentiles multis testimonijs Sibyllarum, plurimis etiam rationibus, & similitudinibus ostenditur Deo minimè impossibilis. Certè omnes Sibyllas de Virgine Messię matre testimonium tulisse, superiori lib. indicauimus. Sanè lib. 8. oraculorũ Sibyllinorum ita habetur.

Verbumq; volauit
In altum, idq; suo factum, atque animatum
tempore corpus
Mortali facilè cretum est puer inde creatus
Virgineo partu. mira est mortalibus hæc res?
Sed res nulla Deo Patri, natoq; stupenda.

His adiungendę sunt Patrum veterum rationes. Ait enim Ruffinus in expositione Symboli: *Mirandum est cur hoc Gentilibus impossibile videatur, qui credunt Mineruam suam de cerebro Iouis natam. Quid ad credendum difficilius, aut quid magis contra naturam est? Hic fœmina est, hic naturæ ordo seruatur, hic conceptus, hic partus temporibus suis editur: ibi nusquã fœmineus sexus, sed vir solus, & partus. Qui illa credit, cur ista miratur? Sed & Liberum patrem dicunt de femore eius natum. Ecce aliud portenti genus, & tamen creditur. Venerem quoque quam Aphroditem vocant, de spuma maris, sicut & compositio nominis eius ostendit, credunt esse progenitam. De ouo natum Castorem, Polluceq; confirmant; & ex formica Myrmidones, & alia mille sunt, quæ quamuis contra naturam rerum venientia, ipsis tamen sunt visa credibilia: vt Deucalionis, & Pyrrhæ lapides iactos, & hominum ex his segetem natam. Et cum hæc tot & talia figmenta crediderint vnum eis impossibile videtur, quod adolescens fœmina diuinum germen non hominis vitio, sed Deo spirante conceperit.*

Cant. 2.
Lapis abscissus de monte sine manibus, quid mysticè.
Dan. 2.
Isai. 53.
Quid illud Isaiæ Ascendet sicut virgultũ coram eo, & sicut radix de terra sitienti.
2. Reg. 7.
Psalm. 131.
B. Aug. to. 8.
De fructu ventris tui, quam ex fructu femoris tui, &c. cur maluerit dicere Propheta, teste Aug.
B. Irenæ.
Fructus lumborum, ac renum, qui proprij.
Luc. 1.
Tertullia.
Psal. 109.
Hebr. 7.
Lact. Firmia

Deus Pater, ἀπάτωρ, atq; ἀμήτωρ, quare dicatur, Dei vero Filius cur bis nasci debuerit, teste Firmiano.
Gen. 3.
Expenditur illud: Inimicitias ponam inter te, & mulierem.
B. Cyprianus.
Sibyllæ Mariæ virginitatem longe ante prænunciarunt
Eadem Virginei partus veritas Sole dilucidior inuictis Patrum rationibus confirmatur.
Ruffin. apud Hieron. to. 4.
Vanissima Poetarum figmenta olim Gentibus persuasissima.

Idem.

Et paulo ante: *Quid mirum videtur, si virgo conceperit, cum Orientis auem, quem Phœnicem vocant, ita tantum sine coniuge nasci, vel renasci constet, vt semper vna sit, & semper sibi ipsi nascendo vel renascendo succedat? Apes certè nescire coniugia, nec fœtus nixibus edere, omnibus palam est.*

Virginitatis vestigium in Phœnice & in Apibus.

Lactant.

Lactant. lib. cap. 12. in princ. *Quod si animalia quædam vento, aut aura concipere solere omnibus notum est, cur quisquam mirum putet, cum Spiritu Dei, cui facile est quicquid velit, grauidatam esse Virginem dicimus? Quod sanè incredibile posset videri, nisi hoc futurum ante multa secula Prophetæ cecinissent.* Basilius in oratione 19. de prouidentia: *Qui ludibrio habent mysterium nostrum, tanquam à natura sit alienum, fieriq; non posse, vt virgo ea, quæ seminis expers sit, salua virginitate pariat: velim cogitent eum cui visum est, stulta prædicatione eos, qui crederent, seruare; innumerabiles ex natura occasiones ad rerum admirabilium fidem nactum esse. Vultures enim sine concubitu fœtus edere fecit.* Idem repetit in cap. 7. Isai. Et Ambrosius libro 5. Hexameron: *Negantur vultures indigere concubitu, & coniugali quodam vsu nuptialiq; copulæ sorte misceri, atque ita sine vllo masculorum concipere semine, & sine coniunctione generare, natosq; ex his in longam ætatem vitæ pretendere, & vsque ad centum annos vitæ eorum series producatur, nec facile eos angusti æui finis excipiat.* Verissimū est igitur, quod Basilius dixit, multa animalia sine complexu masculi eniti, & fœtum edere. Semina etiam vltro à terra proueniunt, & fructum edunt: vermes parentibus carent, à quibus procreentur: insecta animantia propagandæ prolis affectum nesciunt, sed illorum pleraq; ex viuorum corporum vitijs, vel purgamentis, vel exhalationibus, aut cadauerum tabe gignuntur, quædam etiam de lignorum, aut vestium, aut herbarū, & fructuum corruptionibus oriuntur: de cinere gallinæ, de aqua anates sine virili sexu fœtus proprios edunt. Cyril. Hierosol. catechesi 12. contra Iudęos & Gentiles, pro virginitate Deiparæ decertans: impossibile Deo non esse, vt ex Virgine oriatur Messias, his pulchris verbis comprobare contendit: *Sed conuincere nos student tam Græci, quam Iudæi, & dicunt, quod erat impossibile, Christum de Virgine nasci. Græcis igitur primum ex ipsorummet fabulis os obstruamus. Qui enim dicit is proiectos lapides in homines mutari, quomodo Virginem parere posse negatis? Qui eis Iouis cerebro natam filiam fabulamini, quomodo ex vtero virginali nasci aliquem impossibile dictū esse? Qui de femore vestri Iouis prognatum esse falsò dicitis Bacchum, cur nostram veritatem reijcitis? Scio me indigna præsenti auscultatione dicere: Sed vt opportunè tu Græcos redarguas, hæc attulimus, ex ipsorum fabulis ad eos dicentes. Illis verò qui sunt de circumcisione, sic occurrens, perquire: Vtrum est difficilius, senem & sterilem, mulieribus iam deficientibus, parere; aut virginem iuuenem generare? Sterilis erat Sara, & deficientibus iam mulieribus, præter naturam peperit. Igitur cum & sterilem, & virginē parere, sit præter naturam: aut vtrumq; nega, aut vtrumque concede. Idem enim Deus vtrumque operatus est: neque enim audebis dicere, quod illic quidem possibile, hic autem impossibile est Deo. Et rursus: quæ natura manum hominis vna hora in diuersas species mutare potest, & rursus restituere? Quomodo igitur Moysis manus sicut nix alba apparuit, & rursus statim albedine illa destituta est? Sed dices; Quia Deus voluit, mutata est. Illic Deus volens potest: hic autem, nunquid non potest? Ac illud quidem signum ad Ægyptios tantum, hoc autem datum erat signum vniuerso orbi. O Iudæi, vtrum autem difficilius est, virginem parere, aut virgam in animal mutari? Confitemini quod tempore Moysis rectissima virga, serpentina specie facta est, & horrenda fuit, etiam proijcienti illam. Et qui ante tenebat virgam, paullò post fugiebat illam, tanquam draconem; reuera enim draco erat. fugiebat autem, non metuens id quod tenuit, sed timens mutatum. Dentes habuit virga, & draconis oculos, de virga itaq; oculi pullularunt, & de vtero Virginis puer non nascetur Deo volente? Taceo hic quod & virga Aaron, quod reliquæ arbores per annos plures faciunt, hoc per vnam noctem fecit. Quis enim nescit, quod virga cortice destituta, etiam si in medijs fluminibus plantetur, nunquam florebit? Sed enim Deus non naturam arborum sequatur, verum naturæ est factor: etiam infructuosa, siccaq; virga, & sine cortice effloruit, & nucum fructum protulit. Quæ igitur virga, propter typicum summum Sacerdotem, præter naturam fructum tulit; nunquid virgini, vt verum Sacerdotem summum pareret, hoc non conferret? Bonæ sunt eiusmodi sermonum commemorationes: sed nihilominus contradicunt Iudæi, neq; his, quæ de virga protulimus, persuaderi sibi patiuntur; nisi similibus, & paradoxis, ac præter naturam persuadeantur partibus. Quæro igitur sic ab illis: Eua ab initio de quo nata est? quæ mater conceperat illam, quæ matrem non habuit? Dicit enim Scriptura, quod de latere facta est Adami. Nunquid igitur Eua quidem de latere viri, sine matre nascitur; de virginali autē vtero sine viro, nihil nascetur? Mutuata est à viris fœmineo generi gratia. Eua enim ex viro nata est, & non ex matre concepta, sed ex solo viro tā quam partu edita. Reddidit igitur Maria gratiæ huius mutuum officium, & non ex viro, sed ex ipsa sola impollutè, ex Spiritu sancto, virtuteq; Dei peperit. Accipiamus porrò aliud longè maius: Ex corporibus enim corpora gigni, quamuis sit ali-*

Diuino Spiritui nihil difficile.

Basil. hom. 8. in Hexamer. tom. 1.

1. Corint. 1.

Vultures coitū non agnoscūt.

Ambr. c. 20. tom. 4. initio.

Quosnam natura proferat velati partus virginei vestigio Basilio.

Cyril. Hierosol. catechesi 12. circa fin.

Græci qua ratione confutandi virginei partus veritatem pernegantes.

Iudæi quomodo ex Scripturis conuincendi simul hic instituendi de hoc mysterio. I. Locus.

Gen. 18.

Infra 21.

II. Locus.

III. Locus.

Exod. 4.

IV. Locus.

Ibidem.

V. Locus.

Num. 17.

VI Locus ab Euæ formatione.

Gen. 2

quando

VII. Locus à formatione Adæ de limo terræ. *quando paradoxon, sed poßibile tamen. Sed pulverem terræ hominem fieri multò mirabilius: lutum confusum, oculorum tunicas, & splendores accipere, hoc longè mirabilius. Ex vnius formæ puluere, & oßium robur, & pulmonis leuitatem, & reliquorum diuersitatem membrorum fieri,* Ibidem. *hoc admirabile. Lutum animatum circuire terram, & seipsum moueri, & ædificare, hoc admirandum. Lutum docere, & loqui, & parere, & regnare, hoc admirandum. Itaque, ô indoctißimi* Gen. 2. *Iudæi, vnde Adam factus est? Nonne Deus accepit puluerem de terra, & creauit creaturam hanc admirandam? Quid igitur lutum quidem in oculum mutatur, & virgo non generabit? quòd apud homines maximè est impoßibile, nunquid* B. Ambr. lib. 10. epist. 10. 3. circa fin. *Deus præstare non poterit?* Hactenus Cyrillus Hierosolymitan. Ambrosius epist. 81. *Quid incredibile si contra vsum originis naturalis peperit Maria, & virgo permanet, quando contra* Psalm. 113. Exod. 14. *vsum naturæ mare vidit, & fugit, atq; in fontem* Psalm. 113. *suum Iordanis fluenta remearunt? Non ergo ex-* Iosu. 3. *cedit fidem quod virgo peperit, quando legimus* Num. 20. *quod petra vomuit aquas, & in montis speciem* Exod. 14. *maris vnda solidata est. Non ergo excedit fidem,* 4. Regum. 6. *quod homo exiuit de virgine, quando petra pro-* Matth. 14. *fluxit, scaturiuit ferrum super aquas, ambulauit homo super aquas.* B. Aug. ser. 18. de temp. propè fin. tom. 10. Augustinus ser. 14. in Natali Domini; *Ipsa lex, quam quotidie legis, sine graphio scripta est in tabulis lapideis. Lege & in-* Exod. 16. *tellige quod panem in eremo terra produxerit,* Num. 17. *cuius semen in terra arator nullus induxit. Virga* Exod. 34. & alibi. *etiam Aaron annis siccata plurimis sine aqua reuixit, in templo floruit, nuces produxit, quas clau-* Luc. 1. *sas sub tecto produxit. Ergo qui scripsit lapideas tabulas sine stylo ferreo, ipse grauidauit Mariam Spiritu sancto: & qui produxit panes in eremo sine ratione, ipse impragnauit Virginem sine corruptione: & qui fecit virgam sine humore folia germinare, ipse fecit filiam Dauid sine semine generare.*

Merito vt articulum Fidei virginitatem Mariæ omnibus fidelibus ad credendũ propositã fuisse contra Lutheranos. Quare Hæretici audiendi nequaquam sunt, qui nolunt ex virginitate Mariæ dogma construi Catholicum, cogens omnes ad credendum: vt sunt Brentius, & Petrus Martyr contra Smytheum. Centuriatores centu. 1. cap. 41. Erasmi dictum probant, & confirmant, quod etsi in diuinis literis nusquam exprimatur Virgo Maria, tamen ex traditione probari, quam veteres Patres ab Apostolis acceptam ad nos transmisere. Sed id in hac sententia repudiandum, quod hæc in Scripturis veritas non habeatur, cũ tot locos produxerimus, ex quibus non tantum probabiliter, sed apertè illud colligitur. Deinde est agnoscendum Hæreti- Hæreticorum ingenium. corũ ingenium, qui pro more suo cantant, & recantant, & ex solis Scripturis argumenta solida esse petenda; nunc verò addunt etiam traditionem, per quam tamen omnes eorum peruersæ opiniones iugulantur.

Ad secundum: expediebat Messiam de Nasci cur debuerat Christus ex virgine I. Ratio. fœmina virgine gigni. In primis, quia, vt primus Adam de terra virgine necdum maledictioni obnoxia conditus est; ita decu- Gen. 2. it secundum Adam, qui Christus est, de vir- 1. Corint. 15. gine benedicta generari. Deinde, per vir- II. Ratio. ginẽ Euam mundus perditus est, atque corruptus; decuit ergo multò magis etiã per virginem reparari. Ad hæc conueniens erat, vt qui in cœlis habet Patrem sine matre; in terra quoque haberet matrem sine Si matrem Christus virginem non habuisset quid inde. patre: & qui in cœlo ab æterno ex Patre sine corruptione genitus est; ita decuit in terris ex matre sine corruptione nasci. Nam si III. Ratio. ex corrupta genitus esset, & ex virili semine, in peccato nasceretur: quod ipsius diuinitatem valdè dedeceret, & nostram redemptionem impediuisset. Præterea, cum omnium hominum conceptus & generatio, non sine peccato communiter fiat, iuxta illud: *Ecce in iniquitatibus conceptus sum &* Psal. 50. *in peccato peperit me mater mea:* (sic enim legunt 70. interpretes) Christi autem conceptio, & natiuitas sanctissima fuerit, & per Luc. 1. Spiritum sanctum in Virginem superuenientem effecta par erat, vt quemadmodum homines, dum in lucem eduntur, quasi genimina viperarum vterum maternum, & viscera dirumpunt, & aperiunt: ita Sanctus sanctorum salua matris integritate, virginitateq; prodiret. Postremò, cum hanc vir- IV. Ratio. ginitatis gloriam in matre Messiæ futurã, per Prophetas, ac Sibyllas prædixisset; decorum postulauit, Mariam in matrem electam, virginem perpetuò permanere.

Ad tertium: qualis fuerit virginitas Mariæ: notandũ est virginis nomen apud La- Qualis fuerit Mariæ virginitas. Virgo Latinis quid significet tinos virentẽ ætatem significare: & interdum quidem, & vt plurimum significat intactam, interdum verò corruptam. Vnde Comicus dixit:

Num id lacrymat virgo? Ter. in Andr.

& Poeta de Pasiphae:

Ab virgo infœlix, quæ te dementia cepit. Virg. Eclog. 6

Vbi nomen Virginis pro corruptis fœminis vsurpant. In Scripturis tamẽ sacris sem- In Scripturis virgo semper intactam significat. per pro intacta accipitur, eò quòd hæc virens sit ætate. Maria autem, vt asserit Epiphanius & multi alij, puella erat, & viro in- Epi. hæ. in hæresin 51. cognita, paullò ante desponsata, à temploque, in quo diu vixerat, in paternam domum abducta, ætatis 14. annorum, & eo amplius. quod exercuit ab 8. die Septẽbris, quo die nata est, vsq; ad diem Annunciationis, qua fuit 25. Martij, vt fide certa in Ecclesia receptum est. Ridiculũ autẽ esse videtur, quod Caiet. ratiocinatur, Virginem 27. anno, vt B. Virginem ætate perfecta Christum.

Parere debuisse probantis intellitur ratio Caietani. Caiet. in Lucã ca. 1. Alb. Mag. ibi. in Postilla super Lucam. 1. Ratio. Isai. 7. Alma Chaldæis quid. Secunda.

ad minus 24. vel certè illam 19. annorum ad minimum constitutam, Messiam concepisse, vt perfecta mulier in perfecta ætate prolem perfectissimam pareret: in quam etiam Albertus Magnus videtur inclinasse sententiam. At inprimis hoc est contra omnes historicos & Chronographos, qui aliter scribunt. Videtur & contra sacram Scripturam, quæ eam almam vocat, quæ vox secundùm Chaldaicam trãslationem, Virginem non qualemcunque significat, sed puellam in ætate tenera. Ad hæc cùm Christi conceptio perfectissimi ac infiniti artificis opus esset, minimè oportebat tam maturam ætatem ad gignendum considerare, & noua introducere, cum omnia hic præter & supra naturæ cursum gesta sint. Ad extremum, piè creditur, Virginem annos vixisse 63. vt docet Euseb. in Chronico: quare corona (quam vocãt) in eius laudem ter & sexagies dicta atq; recitata Angelica salutatione clauditur. Creditur enim Christo annis 15. matrem fuisse superstitẽ: quib. cum Christi ætate connumeratis, restat fuisse puella annorum 14. vel paulò amplius in conceptione Christi.

Tertia. Euseb. tom. 1. De Annis B. Virginis consule tractatũ 39. lib. 12 Euangeliorum

Maria virgo a parentibus in templo præsentata, adhuc triennis deuouit virginitatẽ. Exod. 23. Deut 7. Isai 54. Luc. 1. Virgo quomodo legi satisfecerit, sterilitatem damnanti. Quænam Deo sit summe grata virginitas.

¶ Secundò, non tantùm fuit virgo corpore, & re ipsa, sed etiã voto: quod votum illa triennis à parentibus in templo præsentata in penetrali pectoris sui piè, & cum ratione creditur emisisse. Quod etsi esset præter legis consuetudinem, vbi sterilitas opprobrio dabatur, tamẽ vt ipse esset forma nouæ gratiæ aduenientis, & iam pro foribus apparentis cum filio suo, Deo inspirãte, virginitatem in ætate tenella vouit, ne aliqua virtus illi deesset in summo etiã gradu & heroico. Constat enim, excellentiorem esse virginitatem, ac Deo gratiorem, quæ ex maiore animi deliberatione proficiscitur, & Deo ipsi consecratur. Quãquam non desint qui dicant, eam simul cum Iosepho ex communi cõsensu vouisse. Porrò quòd lex damnaret sterilitatem, & consequẽter virginitatem, id magis ad spiritum, quem Virgo intellexit, quàm ad literam occidentem probari debet, quò nimirum intelligeremus, animam, quæ Christo viro per fidem copulatur, si fructum bonorum operum non producat, effici maledictam, atque Deo ingratam. Alioqui quæ culpa meritò imputari poterat illi, quæ natura sterilis erat? Vnde Elisabeth cùm concepit, ablatum sibi opprobrium inter homines dixit, non apud Deum, apud quem nulla est ignominia aut peccatum. Nec obstat præceptum: *Crescite, & multiplicamini, & replete terrã:* quia hoc in principio orbis cõditi, statimq; post illuuionem aquarum

1. Cor. 3. Deus quam damnet sterilitatem.

Luc. 1 Gen. 1. & 9. Lex illa: Crescite & multiplicamini, &c. quando tantũ viguerit.

meritò præcepti rationem habebat ad propagandum humanum genus: verum magna iam habita multitudine hominum, atq; vi, minime hoc præcepto tenebatur quilibet in singulari, sed obligatio præcepti totam multitudinem inuoluit, neminẽ priuatim. Nam cum homines suapte natura instinctuq; ad generandum proni sint, & genio indulgeant, cuilibet dilucidum erat illud in toto hominũ genere expleri. Hinc factum est, vt etiam in lege non pauci fuerint virgines, vt Hieremias in vtero sanctificatus, Helias, vt testatur Hieron. contra Iouin. Elisæus, & cæteri filij Prophetarum, qui ceu religiosi quidam, in Bethel, & Hierico cœlibem agebant vitam. Fuit ergo B. Maria puella, & voto professa virginitatẽ, vt Augustinus testatur. Et quia ipsa prius hoc vitæ cœlibis genus in mundum inuexit: propterea Virgo virginum meritò ab Ecclesia appellatur. Tertiò, fuit Virgo de numero prudentum, habens lampadem oleo plenam, & accensam, de qua Isaias: Non quiescam, inquit, donec egrediatur vt splẽdor iustus eius, & Saluator eius vt lampas accendatur. Est ergo Christus lampas virginis pretiosissima; cuius vitrum, lucida est, & immaculata caro Christi: oleum vero, copiosa eius misericordia, & gratia: Ellychnium, anima eius charitate inflammata: lumen vero semper ardens, diuinitas est. Hæc est ergo Virginis lampas, quam illa fide viua accensam manibus bonorum operum libenter gestat, vt sponsalia cum Filio Dei celebrare possint animæ: libenterq; de olei sui plenitudine omnibus postulantib. communicat, vt summo iure Virgo sit prudentissima iudicanda. Atq; hæc de voce Virg. dicta sunt.

Quinam in lege virginitatẽ seruauerint. Ierem. 1. Hier. li. 1. aduersus Iouin. tom. 2. initio. Aug. lib. 2. de sancta virgin. ca. 4. tom. 6. Dei genetrix Virgo virginũ cur dicatur. Matth. 25. Isai. 62. Illud Isaiæ: nõ quiescam donec egrediatur vt splendor iustus eius, & quid significet.

¶ Tertiò sequitur illud: *Desponsatam viro cui nomen Ioseph:* Rectè, cum Virginem dixisset, subiungit, *desponsatã*, ne per electionem virginitatis, nuptias damnare videretur. Deinde, ne innupta, & prægnãs, vt stupri rea, vel vt adultera lapidaretur: vt virgo solatium viri & ministerium: & (vt B. ait Basilius) vt sponsum testẽ virginitatis haberet. Ad hæc de despõsata nasci voluit, vt per virum ordo genealogiæ texeretur. Præterea, vt Patres quidam vno consensu testantur, vt principẽ huius seculi, incarnatinis Filij Dei lateret mysteriũ. Latuit autẽ propter Ioseph, B. Ignatio teste, quẽ honorificis verbis citant, atq; sequuntur, Orige. & Ambr. in Luc. Basilius hom. 53. de natiuit. Saluatoris: Damasc. li. 4. c. 15. id ipsum his verbis testatur: *Quia ergo*, inquit, *obseruabat virgines nostræ salutis inimicus, propter Isaiæ prædictionem, dicentis: Ecce Virgo concipiet,*

Maria cur fuerit desponsata I. & II. Ratio. B. Basil. ho. 25 sub init. to. 1. Tertia. Quarta. B. Ign. epist. 8 ad Philip. circ. dimid. Orig. hom. 1. in Matth. initio to. 2. Amb. li. 2. in Lucam, to. 5. B. Basil. to. 1. Damasc.

& pariet

Dæmonis sagacitas.

& pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus: vt deciperet eum, qui semper in sapientia gloriatur: ipse, qui deprehendit sapientes in astutia eorum, in desponsationem puellæ Ioseph à Sacerdotibus traditur, vt nouus liber literas scienti. Nam desponsatio, custodia Virginis erat, & virgines obseruantis depulsio. Hæc ille. Atq; hæc quidem ratio, etsi Patrum autoritate fulciatur, nónihil tamen habet scrupuli: de quo apud Matthæum dicendum erit. Additur & alia ratio desponsationis, nempe vt Maria esset typus Ecclesiæ matris, & virginis, quæ vero Iosepho Christo copulata est, secúndùm illud: *Despondi vni viro virginem castam exhibere Christo.* ¶ Fuit autē desponsata per verba de præsenti (sic. n. Theologi loquuntur) quib. matrimonium perficitur prima perfectione, quæ ex consensu & obligatione mutua efficitur: nam quæ hic despōsata dicitur, coniux etiam vocatur & vxor, iuxta illud: *Noli timere accipere Mariā cōiugem tuā:* & rursus: *Ascendit Ioseph cum Maria desponsata sibi vxore prægnāte.* Sed de hoc latiùs apud Matth. Dicitur autem despōsata viro: nam honoris gratia semper Ioseph dicitur vir, & non homo, vt ab ea parte intelligatur, quæ virtutē & incorruptionē habet. Nam Hebraicè איש fortitudinem & constātiam significat: quemadmodum homo ab humo dicitur, & à parte inferiori, quæ in eo est. De sanctitate verò, prudentia, atq; humilitate huius sancti viri alio in loco erit nobis opportuniùs philosophandum. Interim illud adnotasse satis sit, non sine caussa dictum Ioseph, quia fructus huius immaculati coniugij fuit gratiæ Dei augmentum, & abundantia, iuxta illud: *Vbi abundabit delictū, superabundabit & gratia,* quæ per Christum collata est mundo. Deinde non ab re dicitur de domo & familia Dauid; vt intelligamus Dauidi factam promissionem, fuisse adimpletam: & Mariam & Ioseph accipiamus eiusdem fuisse tribus & familiæ; siquidem mulieres in paternam hæreditatem succedentes, duntaxat viris suæ tribus nubebant, ne sortes confunderentur. Quare beatus Hilarius & Hieronymus in Matthæum, Damascenus libr. 4. cap. 15. & Bernardus homil. 2. super Missus est, tradunt Mariam & Ioseph eiusdem tribus, familiæque fuisse.

Isai. 7. *Matth.* 1. *Iob* 5. & 1. *Cor.* 3. *Isai.* 29. *Lib* 4. V. Ratio desponsationis. 2. *Cor.* 11. Quomodo desponsata. *Matth.* 1. *Luc.* 2. Cur dicitur despōsata viro. Isch, Hebraicè quid. Homo vnde denominetur. Mariæ Virginis sponsus, cur dictus Ioseph. *Rom.* 5. Cur de domo & familia Dauid. *Num.* 36. & *seq.* *B. Hila. can.* 1. *in Matth.* *Hieron. in c.* 1. *Matth. tom.* 9. *in princ.* *Damasc.* *B. Bernard.*

Quarto loco, Fuit B. Virgo Nazarena & Galilæa, hoc est, de ciuitate Nazareth, & ex prouincia Galilææ. Nazareth, parua & sterilis ciuitas erat; vnde ille dixit: *A Nazareth potest esse aliquid boni?* non cōsiderans, quod quæ alta sunt apud homines, despicit Deus; & quæ humilia sunt, respicit. Et interpretatur flos, siue germen, si cum elemento, Sade, scribatur. Vnde quod dicitur Isaiæ 2. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet:* quidam noui interpretes ex Hebræo interpretati sunt, & Nazaræus de radice eius ascendet. Si verò scriberetur Nazarenus per Zain, nomen est religionis & sanctitatis à separatione dictum. Ex quo in veteri Testamēto appellantur Nazaræi viri sancti & religiosi, tanquam segregati Deo. Mirè autem quadrat vtraq; tam Virgini, quàm Christo, significatio. Est enim B. Virgo flos odoriferus, cùm cæteri sint spinæ & peccatores: quamobrem de ea dicitur: *Dum esset Rex in accubitu suo* (hoc est, Messias in sinu Patris) *Nardus mea dedit odorem suauitatis.* Id est, humilitas & paruitas in oculis meis filium Dei de cælo, vt incarnaretur traxit. Debuit etiam hæc Virgo Iessæ florida florem illum producere, de quo scriptum est: *Ego flos campi, & lilium conuallium.* Vt enim flores, qui in campo nascuntur, sine cultura hominum per solum illapsum cœlestem gignūtur: ita Filius Dei ex Virgine per Spiritum sanctum conceptus est. Congruū enim erat, vt flos ex florida virga, in florentiq; ætate constituta, & tempore florum, nempe in verè conciperetur. Hic flos in medicinā est totius mundi in cruce cōtusus, cuius odore suauissimo delectantur Angeli, recreantur peccatores & trahuntur iusti, dicentes: Post te in odorem vnguentorū tuorū curremus. Est etiā B. Virgo vt arbor peregrina, quæ simul florem & fructum habet, ita beatiss. Virgo filium habet cum virginitatis flore: & iustus quiuis habere debet fructum bonorum operum cum odore bonæ famæ, qui possit dicere: *Christi bonus odor sumus Deo, in ijs qui salui fiunt, &c.* Exponitur etiā Nazareth, sanctum, siue segregatū Deo: quæ significatio, & Christo, & Mariæ mirificè conuenit: qui tam mater ex priuilegio, quā filius suapte natura, longè ab omni re profana, maximè aūt à peccato, etiā originali, sunt segregati, diuinoq; cultui atq; honori maximè mācipati & cōsecrati: Ita vt ille, sanctus sanctorū dicatur, & illa, sanctificatū Deo tabernaculū. Omnisq; sanctitas à Deo per Christū & Virginē ad nos descendit: queādmodum per Adā & Euā omnis perditio & immunditia. Galilęa insuper, infima & vilis prouincia erat, si cum Iudæa cōparetur: vnde nec videbatur oriri posse Prophetā, vt temerè quidam dixit: scrutare, & vide quia à Galilæa Propheta non surgit, id est, magnus ille Propheta promissus: ignarus, & incogitans in ea prouincia esse ciuitatem floris Deo, ac Spiritui S. seruatam, vnde flos mundi esset oriun-

B. Virgo vt simul Galilæa fuerit, & Nazarena. *Ioan.* 1. *Psal.* 137. Nazareth cùm scribitur cum Sade, quid significet, quid vero cū Zain. *Isai.* 11. Nazaræi in lege qui. *Num.* 6. Vterque significatus verbi Nazareth. Christo & matri aptissimè respondet. *Cant.* 1. Eius loci: Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum interpretatio. *Infrà* 2. Qualis flos sit Christus. *Luc.* 1. & *Matth.* 1. *Isai.* 11. *Cant.* 1. B. Virgo cui arbori similis. 2. *Cor.* 3. Nazareth quid rursus significet. *Dan.* 9. *Psal.* 45. Galilæa qualis prouincia. *Ioan.* 7.

Duplex Galilæa.
Isai. 9.
Matth. 4.
Heb. vlt.

oriundus. Erat quoque Galilæa gentium, quam Iudæi atq; Gentiles incolebant, quia pro omnibus carnem induit Dei Filius pro Iudæis & Gentibus: quemadmodum Apostolus ad Hebræos extra portã passum ponderat Christum, quod non tantùm pro Iudæis, sed etiam pro Gentibus sanguinem suum fuderit. Interpretatur autem rota, siue transmigratio: magna quippe transmigratio fuit, & in omnium sapientum oculis planè admiranda, Deum hominem fieri, Virginem matrem, piscatores effici Apostolos, peccatores iustos, ignorãtes doctissimos, mutos & elingues eloquentissimos. Nonne *hæc mutatio dexteræ Excelsi?*

Galilæa quid sonet.
Christus quã verè Galilæus dici possit.
Psal. 76.

Illud autem postremo loco, vt tractatũ concludamus, diligenter est expendendũ. Nam primo loco vocauit illam Virpinem, deinde desponsatam: quoniam virginitas nuptijs præstantior est. Neq; ratione status coniugata æquiparanda est Virgini, cuius gradus est nobilior, & præmium copiosius: *Nam qui matrimonio iungit virginem suam, benè facit: & qui nõ iungit, melius facit.* Nam nuptiæ terrã implent, virginitas paradysum. Centesimus fructus debetur virgini trigesimus coniunctæ: vt exponunt Cyprianus lib. de habitu virginum, & Hieronymus aduersus Iouinianũ. Ponderat B. Bernard. illam pulchram verborum cõiunctionem: nempe Virginem, & Iosepho Fabro despõsatam. Ait enim: *Pulchra permixtio virginitatis, nec mediocriter placet Deo illa anima, in qua & humilitas cõmendat virginitatem, & virginitas exornat humilitatem. Sed quãta putas veneratione digna est, in qua humilitatẽ exaltat fæcunditas, & partus consecrat virginitatem? Audis virginem, audis humilem: si non potes virginitatem humilis, imitare humilitatem virginis. Laudabilis virtus virginitas, sed magis necessaria humilitas, Illa cõsulitur, ista præcipitur: ad illam inuitaris, ad istam cogeris. Potes demũ sine virginitate saluari, sine humilitate non potes. Potest inquam, placere humilitas, quæ virginitatem deplorat amissam: sine humilitate autem, audeo dicere, nec virginitas Mariæ placuisset. Super quem* inquit, *requiescet spiritus meus, nisi super humilem & quietum? Super humilem dixit, non, super virginem. Si igitur Maria humilis non esset, super eam Spiritus sanctus nõ requieuisset. Si super eam nõ requieuisset, nec impregnasset. Quomodo enim de ipso, sine ipso cõciperet? Patet itaq;, quia vt de Spiritu sancto conciperet, sicut ipsa perhibet: Respexit humilitatem ancillæ suæ Deus, potiùs quàm virginitatem. Etsi placuit ex virginitate, tamen ex humilitate concepit. Vnde constat, quia etiam vt placeret virginitas, humilitas proculdubiò fecit.* Hactenus sanctissimus Pater: cuius verba in medullas cordis nostri transmittẽda esse existimo, vt contendamus Dei gratia castitatem seruare, neq; tamen de castitate superbire. Sed quemadmodum humilitate comparantur virtutes, eadem seruandæ, & perficiendæ sunt; vt sanctissimã sequamur Deiparam, eiusque virtutes operibus referamus, præstante Filio eius, & Domino nostro Iesu Christo, cui cum Patre & Spiritu sancto omnis reddatur honos, gloria, & imperium in secula seculorum. Amen.

Mariam virginem prius quã desponsatam cur dixerit Euangelista.
1. Cor. 7.
Hieron. lib. 1. in Iouinianũ. sp. 2. init.
B. Cyprian.
Hier. epist. 1. id est in Apol. ad Pãmachi. contra Iouin. tom. 2.
B. Bernar. homil. 1 sup. Missus est. circa med.
Anima quæ Deo maximè placeat, teste Bernardo.
Matth. 19. & 1. Cor. 7. & seq.
Quàm necessaria humilitatis virtus.
Cur humilis Maria Virgo.
Luc. 1.
Castitas nobis humilitate custodienda est exemplo B. Virginis.

TRACTATVS V.

Super illis verbis: *Et ingressus Angelus ad eam, dixit: Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.*

Diximus in superioribus de mittente, nuncio misso, & de Virgine, quæ annunciationem accepit; dicendum nunc de temporis & loci circumstantia, antequam ad verba salutationis Angelicæ explicanda accedamus. Dicitur enim in principio huius Euangelij: *In mense autem sexto missus est Angelus Gabriel, &c.* In quo tẽporis circumstantia describitur. Hic autem sextus mẽsis non est à principio anni cẽsendus, verùm à conceptu Elisabeth. Cùm enim de illa dixisset, quod occultabat se mensibus quinq; statim subdit: *In mense autem sexto,* nempe à concepto Ioanne: quemadmodũ Athanas. serm. de Deipara, & Theophyl. rectè interpretantur. Qui sextus mensis penè iã expletus erat, quando idem Angelus, qui Zachariæ apparuerit, ad B. Virginem missus est. Quod Græcè aliquo modo exprimitur, dũ cum articulo dicitur, ὁ Ἄγγελος, quasi referat eundem Angelum esse, quo de prius fecerat mentionẽ. Ab annũciatione Angeli ergò, quæ fuit 25. die Martij, vsq; ad vigesimam quartam Iunij, in qua natus est Ioannes, tres menses integri numerantur. Hoc ergò posito, quòd nouem menses tantùm in vtero mãserit, sequitur sex menses integros fuisse cõpletos. Rursus & illud, quod communi Ecclesiæ, & Patrum consensu traditur, accipiendum est, nempe 25. Martij Christum fuisse conceptum: quod Augustini cõfirmatur sententia, qui lib. 4. de Trin. c. 5. ita scribit: *Christus octauo Kal. April. cõceptus creditur, quo & passus. Natus autẽ traditur octauo Kal. Ianuar.* Idẽ docet lib. octoginta trium quæstio. & lib. 18. de ciuit. Dei, cap. 54. Chrysostom. etiam serm. de natiuitate S. Ioannis Baptistæ, ita habet: *Ex die conceptionis Ioannis, octauo Kalen. Octobr. vsque octauo Kal. Aprilis, quando Angelus Gabriel ingressus*

Quis ille mensis sextus, in quo Angelus Gabriel missus est.
Luc. 1.
B. Athanas. tom. 3.
Theophyl. in hunc locum.
Quando natus est Ioannes Baptista.
Christus quando conceptus & natus.
B. Aug. tom. 3.
Idem tom. 4. circa dimid.
Idem tom. 5.
B. Chrysost. to. 2. circa fin.

gressus est ad Mariam, & salutauit eam, dicens: Pax tecum, quæ inuenisti gratiam apud Dominū, &c. Conceptus est ergo Dominus noster octauo Kal. Aprilis, mense Martio, qui est dies Paschæ, passionis Domini, & conceptionis eius. In qua enim die conceptus est, in eadem & passus est. Hæc ille. Congruit ergò tēpus mysterio, vt quo tempore mundus à Deo cōditus est, in eodem etiam reficiatur. Et quemadmodum ruina & destructio mundi à primis parentibus, & Satana seductore illo tempore acciderat, in eodem mundi salus & instauratio adueniret. Conuenit etiam hoc tempus Christi mysterio & Præcursoris. Vt enim in prædicto sermone Chrysost. de natiuitate Præcursoris testatur, conceptus est Ioannes in æquinoctio Autumnali, & in Septembri, quando incipit nox grandescere; natus verò est 24. Iunij, in qua lucis magnitudo incipit diminui: Christus verò conceptus est 25. Martij, quo tempore dies incipiunt grandiores fieri, natus verò 25. Decemb. quando noctes incipiunt decrescere, vt intelligamus, verum esse dictū Ioannis: *Illum oportet crescere, me autem minui*; & Christum esse veram illam lucem, quę pellit tenebras peccatorum, *& illuminat omnem hominem venientem in hunc mūdum*. Quod ad diem verò attinet, fertur fuisse sextam feriam, siue diem Veneris: quod ex testimonio Augustini atque Chrysostomi cōstat, dicentibus eo die passum quo cōceptus est, & quadrat mysterio, vt quo die conditus est Adam primus, eodem & concipiatur secundus Adam: & quo die peccauit primus homo, eodem & Christus pro eo Patri satisfaciat. Sexta etiam dies iuxta ritumq; Gentilitium Veneri dicata erat, vnde Veneris dies appellatur. Congruum igitur erat, eodē vt illo die inquinata sanctificaretur hominis caro, vt mūdana diuinis possent vsibus applicari. Tertio verò loco de hora ita existimatur, vt fuerit sub vesperā, iam declinante luce, quanquam in longum fuisse protractū sermonem Angeli cum Virgine, quidam non sine ratione tradunt. Ob hanc igitur causam moris est apud fideles, vt ingruente nocte pulsentur campanę (nam incarnatio facta est in nouissimis diebus) quò magis ad memoriam huius mysterij excitemur, & ad piè recolēdas sanctissimę Virginis illustres virtutes, vt eas imitemur, atque de tanto mysterio Deo Opt. Max. gratias immortales agamus. Quoto autem annorum mundi millenario id acciderit, vix potest aliquid certi constitui, cùm diuersas rationes cōputandi diuersi autores sequuntur. Mihi tamen illa videtur Scripturis magis consona, quæ tradit, quatuor annorum millenaria ferè in Christi cōceptione fuisse exacta. Quicquid aūt sit de millenario annorū, certè cōstat illū sexto mense à Ioānis cōceptu fuisse incarnatū in sexta feria, & in sexta ætate mundi, quæ ab ipso est inchoata. Est autē senarius numerus perfectus, ex omnibus suis aliquotis partib. ex æquo cōflatus, perfectum mediatorem conceptum designās. Vnde & ab Apostolo tempus incarnationis plenitudo temporis dicitur, & ad Gal. 4. & Ephes. 1. Dicitur autē plenitudo tēporis, quia in eo cōpleta sunt vniuersa, & quodā quasi circulo facto finis suo est principio cōiunctus, & creatura suo creatori copulata, & tempus æternitati vnitum. Ego, inquit primus, & ego nouissimus. Omnes etiā promissiones Dei, tū prophetię, tum figuræ in illo sunt cōpletæ & exhibitę. Adhęc in hoc tēpore Deus Ecclesiam se ipso impleuit, qui secūdùm corpus inhabitare cœpit in ipsa, nunquam illam ampliùs deserturus. Dicitur quoq; tempus complētum, quando mercenarij per totū diem laborantes mercedem sui laboris reposcunt; ita post Christi aduentum aperta est ianua cœlestis, & denarius cūctis patribus numeratus, & præmium solutū. Venit etiā Christus plenus gratiæ & veritatis, de cuius plenitudine omnes prius benè euacuati accipiunt, vt quod natura vacuū exhorret, Dei gratia impleat. Atq; hæc satis sint de circūstantia temporis dicta: nam de loci circumstantia superiori tractatu, cū explicaremus verbū Nazareth, & Galilææ, dilleruimus.

Sed vt ad salutationē Angeli redeamus, illud præfandum est, Angelum, antequam euangelizet, reuerēter Virginem salutare, & honorificis ac insolitis verbis laudare: ob admirationem namque mysteriorum, quæ in Virgine peragenda erant, quasi coactus fuit gratulari Virgini prius, quàm legatione sibi iniuncta fungeretur. Ait ergò: *Et ingressus Angelus ad eam.* Quibus verbis verè insinuatur, quod erat alma, hoc est, abscōnsa & latitans Virgo in cōclaui & secreto loco. Significatur etiam, quod erat filia Saræ, quę latebat in tabernaculo, vt dicitur Genes. 18. in quo Lutheri cœcitas, aut potiùs malitia detegitur, qui dubitat an domi an in conclaui sola reperta sit, aut fortassis apud propinquum in familia fuisse, & certas operas pro suo captu in familia obijsse confingit: & fortassis id à Iacobi proteuangelio accepit, qui inter alia figmēta narrat Mariam accepta hydria foras ad hauriendam aquam prodijsse, & tunc illi vocem allatam sonuisse: *Aue gratia plena*; & beatam Virginem in dexteram & sinistram partem, vt vocis autorē cognosceret, circum-

spexis-

Christi in sexto mense conceptionis mysterium explicatur.
Gen. 1.
Infrà 3.
Idem sex mensium tempus Christo & Ioanni quàm sit accommodatū
Idē Chrysost.
Ioan. 3.
Christus qua lux.
Suprà 1.
Quo die Christus conceptus
Aug. ut. prædictus.
Chrys. ...
Gen. 1.
1. Cor. 15.
Sexta dies Sacramentum.
Qua hora conceptus est Christus.
Quid apud fideles perpetuus ille campanarum pulsus sub nocte significet.
Quoto annorum millenario ab orbe hæc gesta sint.

Sexta mundi ætas à Christi ortu sumpsit exordium.
Senarij ratio numeri, atque significatus.
Gal. 4.
Ephes. 1.
Filij Dei incarnatio plenitudo temporis ab Apostolo cur dicta.
Isa. 44. & aliàs.
Matth. 20.
Ioan. 1.
Ibidem.
Virgo cur prius ab Angelo salutata, quàm ab eo nuncium acceperit.
Quid Angeli ingressus ad Virginem.
Gen. 18
Luthe. in postil. circa Euāgel. de Virgi. annunc.
Lutheri contra Virginis solitudinem, nescio quæ anilis fabula confutatur.

spexisse. Cùm verò tremefacta domu redijsset, ac hydriam deposuisset, tunc demũ Angelum illi astitisse, & legationem suam obijsse. Quod à patribus multis impugnatur, præsertim Ambrosio, qui in Lucæ primum caput scribens: *Sola*, inquit, *in penetralibus, quam nemo virorum videret, solus Angelus reperiret, sola sine comite, sola sine teste, ne quo de genere deprauaretur afflatu, ab Angelo salutatur.* Et idem lib. 2. de virginitate, vt inferius producetur. Et Bernard. hom. 3. de B. Virgine ferè in principio: *Suspicandum itur non est, quod apertum inuenerit Angelus ostiolum Virginis, cui nimirum in proposito erat hominum fugere frequentias, vitare colloquia, ne vel orantis perturbaretur silentium, vel cõtinentis castitas tentaretur. Clauserat itaq; etiam illa hora suum super se habitaculum Virgo prudentissima, sed hominibus, nõ Angelis.* Eusebius Emissenus in Euangel. de annuntiat. *Ingressus Angelus ad eam: Non enim in plateis erat, non in publico morabatur; intus erat in penetralibus, sola sedebat, nec tamen sola tanto virtutum exercitu circumscripta.* Iam vero his verbis Angelus [...]gnificatur non venire volando per tectũ, vt interdum quidam inepti pictores effingunt, quò artem picturæ ostentent: & collum atque pectus, dum Angelum suscipit Maria, detegat, & spectandum præbeat; ne monstrum & phantasma aliquod videretur: verùm per ostium ingressus est, & motu progrediendi vsus, in forma hominis, atque elegantis habitu iuuenis, cum alijsq; duob. comitibus, vt superiùs indicauimus. Hunc etiam motum progrediendi indicat eius discessus: quia vbi obtinuit Virginis assensum, Angelus ab ea discessisse scribitur. In hoc autem Angeli ingressu ad Virginẽ, vt quidam meditantur, spiritus vehemens, & lux præcedens cubiculum repleuit, vt Angelus lucis à Deo missus significaretur, & ad verba Angeli suscipienda magis illa disponeretur. Neque profectò hoc ratione caret: nam & Angelus nocte natiuitatis ad pastores venit: *Et claritas Dei circumfulsit illos:* & Angelo ad Petrum in carcere existentem venienti: *Lumen refulsit in habitaculo carceris.* In aduentu etiam Spiritus sancti: *Factus est repentè de cælo sonus, tanquã aduenientis Spiritus vehementis, & repleuit totam domum.* Hic autem præter Angelum, qui iam venerat, superuenturus quoq; erat Spiritus sanctus in Virginem. Quod verò ad ipsam virginẽ spectat, significatur hoc ingressu, pudicissimam Virginem in suo conclaui, secretove cubiculo se occlusisse, vbi clauso ostio preces fundebat ad Dominũ, & salutem mundi aduentare, ardentissimis votis efflagitabat. Sic enim legimus Iuditham viduã sanctam, in superioribus domus suę fecisse sibi secretum cubiculum, *vbi cum puellis morabatur*, & assiduis deprecationibus intendebat. Si ergo Angelus ad Zachariam nõ nisi precantem venit, neque ad Danielem nisi preces fundẽtem, vt capitibus eius Prophetiæ, 8. & 9. habetur: profectò neque ad Virginẽ venit, nisi Deo supplicantem, atq; orationibus, fide, humilitate, & charitatis igne flagrantibus acerrimè incumbẽtem. Vt enim fumus candelæ recẽs extinctæ proximum lumen ad se trahit, atque illo accenditur: ad hunc modum Virginis oratio ad se primùm Angelum instruentem, deinde Spiritum sanctum tãti operis artificem & autorem, postremò Filium Dei in vterum suum pertraxit. Solent namque Angeli precantibus assistere, eorumque preces [...]enter exaudire, iuxta illud: *Præuenerunt principes coniuncti psallentibus in medio iuuencularum tympanistriarum.* Ex quo Bernard. hom. [...] Missus est, Mariam ab Angelo in oratione testatur inuentam. Sicut enim Angelus malus Euam stulta meditantem, & fructum ligni scientiæ boni & mali cõcupiscentem est aggressus; ita Gabriel Angelus Virginem inuenit sub ligno vitæ, verba Dei (quę apud Isaiæ c. 7. habentur: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium*) prudenter meditantem. Ita enim meditatur Augustinus serm. 5. in natali Domini. Ingressus est ergò Angelus, quia Maria hortus conclusus est, & fons signatus. Et vt arbores fructiferæ in horto clauso seruantur, syluestres verò in campo aperto, & in via: ita mulier honesta & prudens meminit verbi Dauidis dicentis: *Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus* (siue vt Hebraice dicitur, *in penetralibus*) *domus tuæ.* Quę verò impudica est, præ foribus domus, & in publico prostat, vt dicitur Prouer. 9. Videant ergò mulieres, ne se vanè ostentent, & per plateas & vicos vagentur. Nam quæ sine necessitate domum egreditur, dæmoni occurrit, & ab eo vincitur: quemadmodum Eua per Paradisum discurrens, & Dina filia Iacob, quæ ex curiositate ad videndum mulieres regionis illius egressa, rapta est & violata. Vnde Ambrosius libr. 2. de virginib. ait: *Hæc ad ipsos ingressus Angeli inuenta domi in penetralib. sine comite, ne quis intentionem abrumperet, ne quis obstreperet. Neq; enim comites fœminas desiderabat, quæ bonas comites cogitationes habebat. Quin etiam tum sibi minus sola videbatur, cùm sola esset. Nam que ad modũ sola, cui tot libri adessent, tot Archangeli, tot Prophetæ? Deniq; & Gabriel eam vbi reuisere solebat, inuenit. Et Angelũ Maria, quasi viri specie mota, trepida, quasi non incognitum audito nomine recognouit.* Hæc ille. Epiphanius in

hæresim

B. Ambros. li. 11. in Lucam, c. 11. to. 5. init.
Idem.
B. Bernar.
B. Virginis prudentia & taciturnitas.
Euseb. Emiss.
Gabriel Angelus quomodo ingressus ad Virginem.
Altera huius Angeli ingressus circumstantia.
Luc. 2.
Act. 12.
Suprà 2.
Luc. 1.
Virginis modestia atque deuotio.
Iudith 8.
Luc. 1.
Dan. el. 8. 10. & seq.
Quomodo beata Virgo [...] ad se traxerit [...]
Angeli [...] assistant.
Psal. 67.
B. Bernar.
Gen. 3.
Isai. 7.
Matth. 1.
B. Aug. to. 10. ser. 9. de tempore. à med.
Cant. 4.
Pudicæ mulieris, & impudicæ signa.
Psal. 127.
Prouer. 9.
Gen. 3.
Infra 34.
B. Amb. to. 4.
Comites Mariæ quales.
Cic. lib. 4. de Offic. in pr.
B. Epiphan.

hæresim 79. Collyridianorũ, hunc Angeli ingressum significatum esse per verba Isaiæ declarat his verbis: *Et ingressus est*, inquit, *ad prophetissam, narrans de Euangelico Gabrielis boni nuncij ingressu, qui missus est à Deo, vt exponeret vnigeniti Filij Dei ingressum in mundum, & natiuitatem ex Maria. & concepit in vtero, & peperit filium. Et dixit Dominus ad me: Voca nomen eius, Accelera spolia, &c.* Hæc ille. Tertiò exponendum est, Mariam non se ingessisse, nec sese ostentando, aliquid ambitiosiùs quæsiuisse, sed vt verè humilis erat, domi apud se hærebat, cogitans oculos Domini contemplari bonos & malos in omni loco; vt intelligat vbi quisq; sit, & ad quid, & quàm sit vtilis. Quod si expediat eum ad maiora munera vocari; id posse nõ tantùm per se, verùm etiam per Angelos & homines efficere: quemadmodũ Saulem domi humilitatis studio latitantem, per homines quæsiuit, & assumpsit ad regnum: Gregorium verò magnum in agro absconditum, per lucidam columnam de cælo detexit, & ad Pontificatum euexit. Ita & modò Virginem in cubiculo absconditam, ad tantæ fastigium dignitatis, vt esset vera Filij Dei mater, vocauit, atque prouexit.

Isai. 8.

Maria ab omni curiositate, & ambitione aliena, virgo ǫ̃ modestissima.

Prouerb. 15.

Homini siue priuato, siue officium in Ecclesia gerenti quid considerãdum excepto B. Virginis.

1. Reg. 10.

Aue gratia plena. Mulierem vllam nusquã legitur Angelus salutasse, etiamsi illi apparuerit, vt Saræ & Agar, & Manue vxori. Hanc autem salutat, & verbis honorificis alloquitur, vt minimè per peccatum excõmunicatam. Omnes enim aliæ quotquot sunt, fuerunt, atque futuræ sunt fœminæ, antiquo Adæ peccato excõmunicatæ sunt. Salutat etiam quam non solùm amat, sed etiam admiratur quasi prçuisam ab çterno Dei matrem, tabernaculumq́; Dei sanctissimum, quam sibi quoque immensis gratiç donis anteferendam cognoscebat, quamq́; post Deum Reginam, & dominã orbis totius venerandam esse, atque inuocandam non ignorabat. Hinc B. August. serm. 17. de natali Domini: *à salutatiõe incipit, qui salutem in lingua portauit.*

Cur Mariam Virginem Angelus salutauerit.

Gen. 18.
Suprà 16.
Iudic. 13.

Quo loco eandem Virginẽ Angelus habuerit.

B. Aug. to. 10.

De prima voce, *Aue*, aduerte, dici à verbo aueo, aues, quod est desiderare: vnde auidus: sed auere (vt inquit Festus) significat etiam gaudere, & ita idem est dicere, *Aue*, ac dicere Desidera, vel Gaude: desiderantur enim quæ gaudium adferunt. Græcè verò ab Euangelista dicitur χαῖρε, hoc est Gaude vel Aue, vel Salue, vel Vale. Omnia hæc significata vox Græca includit: inter quæ, id est discriminis, quod, Aue, est salutatio matutina, sicut Salue vespertina accidentis, vt testatur Dio Cassius in vita Hadriani Imperatoris, Georgio Merula interprete: Vale verò, salutatio est recedentis quocunq; tempore. Hebraicè autem dicitur in codice Syriaco Schelom Lech, id est, Pax tibi; vel Schalom hymecla, id est, Pax tecum, vt docet Hieronym. qua quidẽ voce omnia bona desiderabilia, & cõsequenter omnia significata prædicta, nimirum Aue, Salue, Gaude, Vale, complectuntur Hebræi. Aue ergò B. Virgo, seu Desidera: quia quodcunque auebas, & supra quã auebas obtinebis, scilicet vt sis mater Messiæ simul & virgo. Gaude, quia verum risum & gaudium magnum, quasi alterum Isaac, primũ tibi, deinde toti mũdo paries, ita vt omnis qui audierit, corrideat tibi. Vnde Euthym ait: *Gaudium hoc Euæ soluit maledictionem. Illa si quidem iussa est habere mœrorem. (Nam id propriè significat λύπη vocabulum, quod Genes. tertio cap. in ærumnas & dolorem vertitur) hæc autem gaudium quod mœrori contrarium est.* Hæc ille. Salue quæ salutem ipsam, & eius largitorem concipies in vtero, & cum omnibus qui perditi sunt liberaliter communicabis. Vale, quoniam tu es illa valens virago ad trahendũ Deum de cœlo in corpus tuum, atq; ad conterendũ caput serpentis, de quo cũ filio tuo gloriosissimè triumphabis: valens, & ad impetrandam ab eo nobis gratiã, qua simul tecum de illo triumphemus. Omnia enim hæc, vt diximus, verbum Græcum significat. Vnde Ecclesia singulis illis significatis Virginem salutare consueuit.

Aue quid.

Festus Pomp.

Verbum Græcum χαῖρε, habet significata quatuor.

Dio Cassius.

Schelom lech Syris quid sit.

Hier. in c. 10 Matth. to. 9.

Eadem significata omnia B. Virgini optimè conueniunt.

Gen. 21.

Eu thym. in in proœmium S. Lucæ.

Gen. 3.

λύπη propriè quid.

Suprà 2.
Infrà 3.

> *Aue*, inquit, *maris stella:*
> *Aue Regina cælorum,*
> *Aue Domina Angelorum:*
> & iterum:
> *Regina cæli, lætare, alleluia.*
> *Salue Regina mater misericordiæ.*
> *Vale valdè decora,*
> *Et pro nobis semper Christum exora.*

Eas salutandi formas; Ecclesia simul omnes vsurpat Dei genitrici Mariæ, cœlorumque Reginæ matutinã salutationem atque vespertinam Ecclesiç consuetam optimo iure deberi.

Digna est enim beatissima Virgo, eo quòd tanto mysterio (ex quo salus mũdi pendebat) assensum præbuit, atq; illius perficiendi socia & administra fuit, vt à nobis matutina, ac vespertina salutatione, dum ad eam accedimus, vel ab ea recedimus, (vel dum more Ecclesiç pulsu campanç manè, & sub vesperam ad eam salutandam excitamur) reuerenter salutetur, gratiasq́; illi immensas propemodum pro tãto semper agamus beneficio. Annotauit Andreas Hierosolymitanus, Gabrieli propositum fuisse, vt lçtitiæ signa statim Virgini annunciaret, & vt ad mentem eius demulcendam exordium sermonis à gaudio auspicaretur. Sic enim decebat Reginam salutari, quam & lætitiæ organum, & immensi gaudij genitricem vocat. Meminit huius salutationis Sybilla libro tertio Oraculorum:

Andreas Hierosoly.

Cur Angelus Virginem colloquens, cœpit à salutatione.

Maria Virgo lætitiæ orga-

Εὐφράνθητι κόρη καὶ ἀγάλλεο σοὶ γὰρ ἔδωκε

Εὐφρο-

Εὐφροσύνην αἰών... ὃς οὐρανὸν ἠδὲ καὶ γῆν
... φῶς.

Id est:

Gesti læta puella, tibi nam gaudia semper
Duratura dedit cœli terraq; Creator
In te habitaturus: tibi lux æterna manebit.

Quod verò à quibusdam doctoribus dictum est, Aue, id est, sine væ vel culpæ, vel pœnæ, quorum neutrum Virginé attigit; cótra verò Eua, id est, mater omnis vę, hoc est culpæ & pœnæ: magis piè quàm solidè dictum videtur. Nam neque, Aue, illud apud Latinos significat, cùm sit imperandi modus verbi, aueo, es; neque apud Latinos particula, a, est negans, quemadmodum apud Græcos. Væ etiam cum diphthongo scribitur, neque in compositionem venit. Eua etiam nō significat matrem ipsius væ, nec apud Græcos, nec apud Hebræos. Præterea meditatio hæc falso nititur fundamento. Nec enim Angelus Latinè dixit Aue, neque Græcè χαῖρε. sed Hebraicè Schalom lach, hoc est, Pax tibi, vt Christus salutabat, & Apostolos salutare præcepit dicédo: *Pax huic domui*. Magis ergo ad sensum respexit quicunq; dixit, Aue, id est, sine vę, quàm ad synceram vocis etymologiam. Per hoc enim quod illi dicitur, Aue, vel Gaude, vel Salue, ab omni prorsus væ alienа esse ostéditur: nec enim cum gaudio diuino mœror, vel cum salute culpa, quæ cóscientiam vexat, vel vlla miseria potest cósistere. Simili ratione & pietate accipiendū, ac interpretandum videtur, quod Ecclesia in Hymno de B. Virgine cantat:

Sumens, inquit, illud Aue
Gabrielis ore;
Funda nos in pace,
Mutans Euæ nomen.

Quia, vt dictum est, Angelus non dixit Latinè Aue, sed Hebraicè Schalom Lach, nimirum Pax tibi: ad quam quidem pacem alludens Ecclesia, subdit:

Funda nos in pace, &c.

Eua similiter Hebraica lingua non simpliciter dicitur Eua, sed חוה Chaua à verbo חיה, quod est viuere; vt significet matrem cunctorum viuentium: atq; ita Chaua nihil habet commune cum Aue. Est tamen verus Ecclesiæ sensus, si rem ipsam inspicias: nam per salutationem factam Virgini, qua facta est mater Dei, nomen Euæ in Aue mutatum est, id est, res nominata per Euam, cómutata est in Euam salutatam, quæ verum adiutorium Christi fuit, & pariendo Christum patrem futuri seculi, atq; regeneratorem, cōstituta est mater cunctorū viuentium, & ita mutata est maledictio Euæ in benedictioné, & Euæ dolor & mors in gaudium & vitam per Mariam. Hæc mihi dicta sint pro Hymno Ecclesię à maleuolis, ac detractoribus tuendo. Atq; hæc quidem salutatio continet quicquid in alijs salutationibus, quas Scriptura commemorat, comprehéditur, siue sit salus, siue vita, siue gaudium, siue benedictio, siue pax & gratia, & misericordia; vt solent Apostoli eos, ad quos scribunt, sæpè salutare. Est autem illa magnificáda salutatio, qua homo fit memor salutis animæ suę, vt est illa, quę Virgini offertur, & quam ipsa Virgo cognatæ suæ Elisabeth obtulit. Græci præterea non longè aberrarunt à scopo, dicentes, εὖ πράττειν, vel χαίρειν, id est, benefacere, vel gaudere. Romani verò salutem plurimam dicebant scribendo, coram autem Aue, vel Salue. Absurda autem est & intolerabilis, prorsusque ab idolorum cultoribus profecta salutádi consuetudo inter Christianos, qui cuicunque occurrenti, salutationis loco osculum manuum offerunt Principi verò cuilibet etiam pedum: nam Idololatris mos erat manus osculari in signum adorationis. Vnde Deus ad Eliam dixit: *Dereliquam mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incuruata ante Baal, & omne os quod non adorauit eum osculans manum.* Et de prima voce satis sit dictum.

Sequitur, *Gratia plena*. Græcè vno verbo tantùm dicitur κεχαριτωμένη, hoc est, ad literam, gratificata: estque participium passiuum verbi χαριτόω, quo vtitur Paulus ad Ephes. 1. dum ait: *In qua gratificauit nos in dilecto filio suo*: atque hic illam significat quam gratuita sua bonitate Deus gratam & charam & acceptā habuit. Vnde apud Homerum hæc vox pro præcipuè, atque insigniter dilecto, gratoque sumitur. Dixit enim Achilles ad amatum à se Patrochum:

Ἐμῷ κεχαρισμένε θυμῷ.

Et non dixit Angelus cum articulo, ἡ κεχαριτωμένη, sed absolutè, & sine articulo, vt ex fœminis hanc vnam singulari, & multiiuga gratia ornatam designet. Et vt antiquus grammaticus Apollonius docuit, participium sine articulo illā vim habet. Vt meritò Epiphanius in Antidicomarianitarū hæresin agens, ponderet, τῷ πάνυ κεχαριτωμένη. Quare duplici nomine accusandus est Erasmus: Primū, quòd reprehenderit versionem nostram, quæ habet, *Gratia plena*, atq; Bernardum super illis verbis philosophantem. Deinde, quod ipse verterit: *Gratiosa*: quo verbo exprimitur quidé illa, quæ grata est omnibus; sed omittitur pręcipuū, quod est, gratuito Dei dono & fauore id habere. Ideò melius ac præstantius interpres vertit, *Gratia plena*, scilicet apud Deū. Sola

enim

[Left margin notes:]
num, & immensi gaudij genitrix dicta.

Illa quorundā meditatio verbi Aue. i. sine væ & Eua, id est, plena omni væ, quatuor patitur incommoda.

Ioan. 20. & Ibidem. Matth. 10.

Allusionem illam ... dictā in spirituali sensu verè Virg. Mariæ competere.

Angelus Mariam Virginē quo sermone affatus.

Vnde nomen Euæ descèdat. *Gen. 3.*

Maria virgo verum adiutorū Christi fuit. *Hier. 9.*

Maria Virgo quando effecta est mater cunctorum viuentium.

[Right margin notes:]
Quænam magis sit facienda salutatio.

Præsentes, ab sentesve salutandi apud Romanos mos qualis.

Gentilitia illa inter Christianos, manus, pedesve exosculandi loco salutationis, quàm sit consuetudo damnabilis.

3. Reg. 19.

Quid gratia plena significet.

Κεχαριτωμένη. *Ephes. 1.*

Homer. quid.

Apollon. lib. Περὶ τῆς συντάξεως.

Epiphan. in hæresi 78.

Probatur lectio illa, Gratia plena, contra Erasmum, improbatur vero illa eiusdem, gratiosa, duplicitez.

Bern. serm. 3. super Missus est.

Maria cur gratia plena.

enim illa in Scripturis gratia, siue χάρις appellatur, deq; ea Angelus dixit: *Inuenisti gratiã apud Deum.* Hinc patres veteres, vel Græci, vel linguæ Græcæ periti legunt, *Gratia plena*, vt diuus Ambrosius, & Hieronymus vel hoc epitheton Græcum rectè in Mariam conuenire arbitrantur, quòd omnibus fœcunda sit gratijs.

Ambro. lib. 2. in Luc. c. 2. to. 3. initio.

Quare Codex Euangelij Syriaci vertit, *Maluath taibutho*, hoc est, plena bonitate, siue gratia.

Maluath taibutho Syriacè quid.

Hieronymus in sermone de Assumptione hoc elogium explicans, ait: *Benè plena: quia cæteris per partes præstatur, Mariæ verò simul se tota infudit plenitudo gratiæ.* Et paulò antè: *Aue gratia plena, &c. Talibus namque decebat Virginem oppignerari muneribus, vt esset gratia plena, quæ dedit cælis gloriam, terris Dominum, pacemq; refudit, fidem gentibus, finem vitijs, vitæ ordinem, moribus disciplinam.*

Hieron. to. 3. Idem.

Athanasius verò & ipse Græcus autor, serm. de sanctissima Deipara sic habet: *Spiritus sanctus in Virginem descendit cũ omnibus suis essentialibus virtutibus, quæ illi per rationem diuini principatus adsunt, imbuens eam gratia, vt in omnibus gratiosa esset, atque idcircò gratia plena cognominata est, eo quòd adimpletione Spiritus sancti omnibus gratijs abundaret.*

Athan. tom. 3. à med o.

Et infrà sub finem: *Decet enim te matrem, regeneratricem, dominam ac heram cognominari, eo quòd ex te prodijt Rex, Dominus ac Deus noster: assistentem illi, nobis quidem terribili, tibi autem dulci, omnem gratiam largienti: qua de caussa factum est, vt gratia plena appellata es, vtpote quæ omni gratia abundares* Hæc ille.

Idem. Quibus digna cognomentis sit Virgo Maria.

Theophylactus verò, siue eius interpres vtranque lectionẽ sequitur, & gratiosam, & gratia plenam: & ait inuenisse gratiam coram Deo, quod in vtero concepit filium Dei, quod nulli alteri est concessum.

Theophyl. in Lucam.

Epiphanius proinde superiùs productus explicauit, τὴν πάσης κεχαριτωμένην, non in hac, vel illa virtute, sed in omnib⁹. Nomine siquidẽ gratiæ omnis virtus in Scripturis exprimitur iuxta illud: *Gratia super gratiam mulier sancta, & pudorata.* Et præcesserat: *Mulier sensata, & tacita, non est immutatio eruditæ animæ.*

Epiphanius. Gratiæ appellatione in Scripturis omnis virtus significari solet. Eccl. 26.

Ambrosius in Lucam. *Benè sola, inquit, plena gratia dicitur, quæ sola gratiam, quam nulla alia meruerat, consecuta est, vt gratiæ repleretur autore.*

Ambr. lib. 2. in Luc. c. 2. in fin. to. 5. in princ.

Hieronymus ad Principiam Virginẽ: *Sancta Maria quia conceperat eum, in quo omnis plenitudo diuinitatis habitat corporaliter, plena gratia salutatur.*

Hieron. epist. 140. in explan. Psal. 44. non longè à prin. to. 3. ante med. Colos. 2. & 1.

Et Eusebius Emisenus in Euãgelium Lucæ de Annũtiatione: *Quis vnquã tantam gratiam habuit, quantam Maria Virgo? Alijs enim ad mensuram datur, hæc autem gratia plena dicitur.*

Euseb. Emis. Epiphan.

Epiphanius in oratione de laudibus Virginis, quam Picus Parisiensis latinam reddidit, sanctæ Virginis gratiam vocat immensam, & personam multis virtutibus exornatam, gloriæq; spiritualem arcam, vrnam auream, quæ manna cœleste cõtinet, mare itidem spirituale.

Mariæ Virginis illustria cognomenta ex Epiphan.

Item Gregorius Neocæsarien. serm. de Annunciatione Virginis (qui inter alias Græcorum patrum Homelias inuenitur) *Gratia*, inquit, *plena, quia cum hac totus thesaurus gratiæ repositus erat. Ex omnibus enim generationibus hæc sola Virgo sancta corpore & spiritu fuit: sola fert eũ, qui verbo portat omnia. Et non solùm admiratur Angelus pulchritudinem corporis, sed virtutem animi: idcirco κεχαριτωμένην appellauit.* Sic ille.

Gregorius Θαυματουργός. 1 Cor. 7. Heb. 1.

Obijciunt Hæretici, Virginem æquari Christo in plenitudine gratiæ. Sed si hæc obiectio valida esset, sequeretur, Apostolos, & Ioannem, ac parentes eius, & B. Stephanũ pares esse Filio Dei, quia etiã pleni gratia aut Spiritu sancto dicuntur.

Hæreticorum contra prædictam lectionẽ rationes soluuntur. 1. Ratio. Act. 2. Luc. 1. Ibidem. Ibidem. Actor. 6.

Deinde per contrarium obijcit Erasmus, multos in Scripturis legi gratia plenos; ac proinde nõ esse hunc titulũ peculiarem, & singularem Virgini, sed communem illi cum alijs; cùm tamen Origenes, & Ambrosius insolitum, nulliq; alteri in Scripturis scribant esse cõcessum. Aiunt illi: De Stephano scriptum est quòd erat plenus gratia, & fortitudine; & Ioãnem Baptistam cum Zacharia, & Elisabeth parentibus eius repletum dici Spiritu sancto: Apostoli Act. 2. Impleti sunt Spiritu sancto, & cœperũt loqui varijs linguis.

2. Ratio Erasmi. Orig. inferiori loco. Ambr. in prædicto testimonio. Act. 2.

Respondemus: Originem in Lucam annotasse aliter, & aliter dici in Scripturis plenitudinem gratiæ. Non enim eandem habet, quòd Apostoli dicũtur repleti Spiritu sancto, & quòd Iesus dicitur Luc. 4. plenus Spiritu sancto. Bernardus etiam serm. de natiuitate Mariæ monet, fontem vitæ Christũ esse, Mariam verò aquæductum esse, ac fõtis plenitudinẽ de Patris corde manare: sed ab hoc aquæductu primum excipi, ac alijs inde spiritualis gratiæ fluenta communicari.

Orig. hom. 29. in Lucam initio, to. 2. Luc. 4. Bernardus. Christus fons vitæ, Maria Virgo est tantum aquæductus teste Bernardo.

Aliud ergo est vna, aut altera gratia impleri, quemadmodum sancti ad munera, ad quæ à Deo electi sunt præstanda, repleri dicuntur: aliud verò omniũ plenitudine gratiarũ impleri, quod soli Mariæ cõcessum, affirmauit in verbis allatis paullò ante Hieronymus. Ecce Ioan. 1. Christus dicitur plenus gratia, & veritate, Maria dicitur plena gratia, Stephanus plenus gratia, & fortitudine. Sed quanquã in verbis conueniãt, omnesque isti pleni gratia dicantur, varia tamen atque diuersa est plenitudo.

Mariæ Virginis prærogatiua. Hiero. ser. de Assump. to. 4. Ioan. 1. Actor. 6.

Christus enim vt fons, & caput omnium electorũ, plenus est: de cuius plenitudine vniuersi electi ab initio mundi acceperunt, accipiunt, & in finem vsque mundi accipient. Maria verò illi proxima, ac singulariter cõiuncta, plena dicitur gratia, quantũ matrem

Christi gratia plenitudo qualis. Ioan. 1. Maria Virgo quomodo gratia plena.

Messiæ habere decebat, quantumque pura creatura poterat esse capax, & quantum expediebat vt illa tanquam mater pientissima in nos omnes tanquam filios effunderet: vtpote quæ assumpta fuerat à Christo non ex vlla necessitate, aut ex impotentia sua, verùm propter suam meram bonitatẽ, & gloriam in matre communicandam, atq; illustrandam, nimirum vt esset (si ita loqui licet) corredemptrix, mediatrix, & cooperatrix salutis humani generis, & ad quam, tàquàm ad singularem aduocatam, quæ semper pro sua reuerentia à filio exauditur, cómuni Fidei instinctu, & deuotione omnes fideles, tam iusti, quã peccatores, ad impetranda omnia bona, atque beneficia, tam corporalia, quàm spiritualia, omni tempore, & omni loco confidenter accedere deberent, atq; confugere. Hæc est plenitudo gratiæ spectans ad matrem Messiæ. Reliqui verò, siue Apostoli, siue Martyres, siue Virgines, siue Cōfessores, si pleni gratia dicuntur: intelligẽdi sunt eatenus gratiã Dei participare, quatenus ratio officij sui, siue vocationis exigere, & postulare videbatur. Nam idoneos fecit Prophetas ad ministerium Propheticum, Apostolos ad gradum apostolicũ: Stephanum, & Martyres ad cōstanter fortiterque omnia mundi tormẽta propter Christum sustinenda: & ita de reliquis ministris sentiendum est, quos Deus ad sua ministeria idoneos fecit, teste Paulo. Plenior tamen atq; excellentior est ea, quæ Mariæ virgini tribuitur, gratiæ plenitudo. Nec ergo plenitudo gratiæ æquat Filio Dei Mariam, nec per contrarium æquantur alij beatæ Virgini, etiãsi dicantur pleni gratia. Esset etiã seruos matri pares facere, vt contendit Lutherus, qui in Postilla Euangelij Annunciationis ait: *In Christo omnia paria sunt. & gratiam ei plenè concedit, & vnicuique perfectam salutem apportat; vt certum sit cum omnia habere, qui Christum habet. In fide omnia opera fiunt paria, & vnum alteri simile est. Omnes iustorum commendationes, quæ in Scripturis sæpe proponuntur, eodem modo intelligenda.* Hęc ille, redigens in ordinem cum alijs B. Mariã. Sed hęc Iouiniana, & paradoxa est theologia, omnẽ iustorum ordinẽ, varietatem dignitatum, & meritorum gradus auferẽs. Perinde ergo erit habere vnũ talentũ, vel duo atque habere quinq;. Quomodo verũ erit illud Augustini ad Simplicianum, *Testamur gratiam in quibusdam pleniorem, & euidentiorem infundi, in alijs tantam esse fidei gratiam, quanta ad obtinendum regnũ cœlorum non sufficiat.* Hæc ille insensu. Et in libro de Natura, & Gratia: *Charitas inchoata, inchoata iustitia est charitas prouecta, prouecta iustitia est: charitas magna magna iustitia est: charitas perfecta, perfecta iustitia est.* Hinc fabula est quod quidam Lutheri discipulus exponit: *Quilibet Christianus est plenus gratia, & Deus planè fauet nobis, quando nos habet pro filijs suis, nec reputat nobis peccata nostra.* Ita ille Diaboli discipulus. Cùm tamen ignorare non possit, hunc titulum gratiæ Dei paucis esse cōcessum, & selectis viris. Si enim Maria non est gratia plena, nisi quia ei per iustitiã Christi imputatam remissa sunt peccata, ergo & Christo, qui Ioan. 1. dicitur *plenus gratiæ, & veritatis*, remissa essent peccata. Aliud ergo est plenum esse gratia, quàm remitti peccata. Qui ergo sic tribuunt Mariæ gratiæ plenitudinem, re ipsa tamen eam illi adimunt.

Nobis verò per omnia tuẽda est, & propugnanda gratiæ plenitudo, quam vt fructuosiùs explicemus, proferã tres regulas, partim ex Scripturis diuinis, partim ex Patribus erutas, quę illam plenitudinem ostẽdant. Prima quidem est: Quicquid gratiæ alijs sanctis, vel viris, vel fœminis legimus esse concessum (modò sexui fœmineo non repugnet) id totum nobilius, ac eminentius Virgini matri cōcessum esse asserendũ est. Quædam etiam, quæ nulli alteri cōpetunt, modò constet Deum posse, & decere donare, atque illam posse accipere, dedisse ne dubites. Nam quemadmodum sola mater Christi est, & Virgo, sola etiam corpore, & animo in cœlum assumpta: ita etiam sola ab originali crimine excellenter præseruata est. Idque ostendit locus ille: *Multæ filiæ congregauerunt diuitias: tu supergressa es vniuersas:* & rursus: *Sexaginta sunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus. Vna est columba mea, perfecta mea: vna est matri suæ, electa genetrici suæ: viderũt eam filiæ, & beatissimam prædicauerunt: reginæ & concubinæ, & laudauerunt eam.* Vbi vides, quanto interuallo vna cęteris reginis, ac cōcubinis, adulescentulisq;, id est perfectis, proficientibus, ac incipientibus præferatur. At quæ vna alia esse potest tãtoperè celebrata, atq; ab omnibus laudata, quam illa mater Messiæ, primaria sponsa, & cœlorũ regina, quæ de seipsa in spiritu cecinit: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes?* Zeuxis pictor excellentissimus (vt testis est Plinius) Agrigentinis facturus tabulam, quam in templo Iunonis Lacinię publicè dicarent, multa eorum virgines inspexit, vt quod in quaq; laudatissimum esset, picturã redderet. In hunc modum Deus vniuersi conditor, & nobilissimus pictor, quicquid pulchrum, quicquid laude dignũ in omnibus alijs siue viris, siue fœminis elucebat, in vna sanctissima

Marginalia (left): Christi in matrem munificentia. — Virgo Maria prima apud Filium, mundi patrona potentissima, & aduocata. — Qualis gratiæ plenitudo Sanctorum. — 1. Cor. 3. — Lutheri virginem Christi matrem reliquis Sanctis adæquantis, impium dogma refellitur. — Theologia Iouiniana Luthereque quali. — Matth. 25. — Aug. lib. 1. q. 2 sub init. to. 4. circa med. Idem lib. de Nat. & Gratia. c. vlt. to. 7.

Marginalia (right): Quam impiè dicant, & falsò, plenã esse gratia, & ei peccata non imputari, id in promptu esse. — Ioan. c. 1. — Formulæ tres B. [illegible] ad gratiæ plenitudinem intelligendam, & earum ... [illegible]. Prima regula. — Prou. vlt. — Cant. 6. — Reginæ apud Salomonem, ac concubinæ, & adolescentulæ, quid sint. — Luc. 1. — Zeuxis ingenium. Plin. lib. 35. cap. 9. Qualis videatur beatissimæ Virginis in Dei mattem electio, & præparatio.

sima Virgine sapientissimè effinxit, & quasi pictura quadam pulcherrima reddidit. Hanc regulam tradũt Patres. Hieronymus enim rectè dixit: *Cæteris per partes gratia præstatur. Maria verò simul se tota infudit plenitudo gratiæ.* Hoc idẽ docet Damascenus his verbis: *Sed quemadmodum vetus Anna sterilis facta per votũ, & repromissionẽ habuit Samuelem, hũc in modum & hæc (loquitur de S. Anna vxore Ioachim, & Virginis matre) per supplicationem, & repromissionem à Deo Deiparam profert; vt & in hoc nulla illustrium, & gloriosarum posterior habeatur.* Hæc ille. Ex cuius verbis habes B. Virginem nulli illustrium fœminarũ posthabendã, sed quicquid illis legimus fuisse concessum, id statim eminentiori modo B. Virgini donatum intelligamus. Atque hac ratione Euangelium Marthæ & Mariæ sororum rectè in Assumptione Virginis legitur, vt vel ex eius ancillis valeas colligere qualis, & quãta fuerit mater, & Regina: atq; ex meritis ac dotibus Marthę, & Marię, assurgas ad meditandas singulares, ac eminẽtissimas matris Dei virtutes. Ipsa etenim dignior est Eua, atq; proinde antiquior, doctior Maria sorore Moysi, verecũdior Sara, amabilior Rebecca, fœcundior Lia, Rachele pulchrior, prudẽtior Abigail, maior Regina Saba, fortior Iudith, gratiosior Hester, castior Susanna, diligẽtior Sunamitide, hospitalior vidua Sarepthana, sanctior Anna, quæ perpetuò orabat in tẽplo, fidelior Samaritana, humilior Chananæa, officiosior Martha, cõtemplationi, & audiẽdo verbo Dei magis intenta, quã Maria soror Marthæ. Ipsa vincit Angelos puritate, Prophetas sanctitate, Apostolos dignitate, Martyres constantia, Doctores sapientia; Confessores abstinentia, Virgines pudicitia, Religiosos humilitate atque obediẽtia. Denique alij sunt nobiles, alij diuites, alij docti, alij fortes, alij prudentes, alij casti, atque alij alias virtutes habent; hęc cõplectitur vniuersas: ita vt in suos seruos, & deuotos refundere possit. Rectè proinde dixit Hieronymus (in præfatione in Sophoniã) omnium velut syderum igniculos clarum Mariæ lumen abscondit.

Hier. serm. de Assump. to. 4. — *B. Damas. lib. 4 c. 15. Fidei Orth. paulò ante med.* — *1. Reg. 1.* — *Luc. 10.* Ecclesia diei Assumptionis sororum Marthæ & Mariæ cur applicet Euangelium. — *1. Reg. 1. & seq.* — *Luc. 10.*

II. Regula priuilegiorum Virginis Mariæ. — *Hiero. tom. 6.* — *1. Cor. 12.*

Secunda regula sit: In corpore Christi mystico Christus locum capitis habet: omnes autem fideles rationem membrorum: inter caput autẽ, & membra intercedit collum: & cùm cętera omnia membra de more tegãtur, & quò ignobiliora sunt, eò maiori honore circũdentur, vt autor est Apostolus; solum tamẽ caput cum facie, quæ in eo sita est, & collum minimè teguntur, sed nuda, & aperta manent: ad hunc sanè modũ Christus, qui caput est, & Maria, quæ collum est in corpore mystico, veste operiente non egent: quia cum cęteri hominis peccato tum originali, tum personali sint maculati, solus Christus cum matre sua ab omni criminis labe prorsus alieni, ac liberi inueniuntur, ita vt nudi per se placeant Deo, & Angelis eius. Deinde aptissimè per collum repræsentatur B. Virgo. Nam quemadmodum in collo monilia, gemmæ, torques, ac pretiosi lapides appenduntur: ita Christus in Maria matre, sponsaq; sua omnia gratiarũ dona, omnes virtutes, omnesq; perfectiones reposuit: de qua illud Canticorum intelligi potest: *Sicut turris Dauid, collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis: Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium:* quia omnes virtutes, quę in Virgine excelluerunt, fortissima sunt propugnacula ad omnia tela inimici, mundi, & carnis propulsanda. Ad hæc, omnis virtus capitis sensui, & motui corporis seruiens, cibusq; ipse quo vitam tuetur, medio collo in corporis membra descendunt. Rursus omnes membrorum fumi, vapores, & spiritus ad caput minimè ascendunt, nisi medio collo: eadem ratione vniuersa gratiarum dona, & Dei beneficia non nisi per mediam Virginem ad nos descendunt: nam summum ac potissimum Dei donũ, quod est ipse Christus, non nisi per illam nobis donatum est; vt intelligamus alia omnia bona inferiora per ipsam ad nos descendere: & vt deuotissimus Bernardus dixit, nihil habere nos Deus voluit, quod per manus Mariæ non transiret. Rursus si sapimus, nullas preces, aut supplicationes, aut gratiarum actiones Deo porrigere deberemus, nisi per hoc dulcissimum, lætissimumque Beatæ Virginis (quæ semper exauditur) organũ, & collum: vt quemadmodum Christus per illam ad nos è cœlo venit; ita & per illam ad ipsum ascendamus.

I. Ratio, B. Virgo cur assimiletur collo. — II. Ratio — *Cant. 4.* Turris Dauid propugnacula quid mysticè. — III. Ratio. & IV. Ratio. — *D. Bern. serm. de Natiuitate B. Mariæ circa med. & alibi.* — V. Ratio.

Tertia regula: Quicquid est Christi, vel Verbi æterni in sacris literis, cum Ecclesiæ corpori eius mystico per participationem tribuatur; eminenter tamen, & excellenti ratione lectissimę Virgini tribuendum est. Ideò dicitur mater misericordię, vita, dulcedo, & spes nostra, aduocata, Regina, domina, sponsa, soror, amica, & filia. Cantica Canticorum de illa maximè intelligenda sunt: & quod de Christo propriè dicitur: *Dominus possedit me in initio viarum suarũ, &c.* Et rursus: *In omnibus requiem quæsiui, & in hæreditate Domini morabor.* Rursus: *Ab initio, & ante secula creata sum.* Item: *Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei.* Rursum: *In me gratia omnis viæ, & veritatis: in me omnis spes vitæ, & virtutis...*

Tertia regula pro agnoscenda excellentia Virginis Mariæ. — Laudes Diuinæ sapientiæ quæ Virgini matri accommodentur. — *Prou. 8.* — *Eccl. 24.* — *Ibidem.* — *Ibidem.*

illam peculiariter ab Ecclesia accomodantur, & in eius laudem leguntur: Ita etiam quæcunque de Ecclesia vniuersali ad literam dicūtur, de illa vt potissimo eius membro, atque dignissimo sine scrupulo intelligenda sunt, vt de Canticis Cāticorum diximus: item de quibusdam Dauidis versibus, quales sunt: *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuū, & domum patris tui:* Et: *Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.* Et: *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei.* Rursus: *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei, sanctificauit tabernaculum suum Altissimus: Deus in medio eius non commouebitur. Adiuuabit eam Deus manè diluculo.* Rursus quæ Salomon scribit de honesta, & forti muliere, illi in primis conueniunt: *Mulierem fortem quis inueniet? procul & de vltimis finibus pretium eius,* & cætera, quæ ibi sequuntur.

Dauidici versus aliquot Virgini congruentes: *Psal. 44. Ibidem. Psal. 86. Psal. 45.* B. quoque Virgo qualis mulier Salomoni. *Prou. 31. & seq.*

Ex quibus omnibus accipere facillimè potes, quantam partem Scripturarum meritò sibi vendicet beatissima Virgo: vt si spiritum Christi, & Ecclesiæ habeas, cogaris multas Veteris Testamenti Scripturas, quæ vel de ea ad literam, vel de Christo, vel de Ecclesia Catholica, iuxta germanum literæ sensum scribuntur, ad beatam Virginem in sensu proprio, vel extenso, vel mystico, sine vllo scrupulo, mendaciòue accōmodare. Quæ mihi propter Hæreticos, hostes Virginis capitales, eiusque prærogatiuarum osores, & contemptores, copiosius edisserta sunt.

Sed vt etiam plenitudinem gratiæ, quā in Maria verè confitemur existere, latiùs explicemus, aud. Fuit enim B. Virgo gratia plena, altera quidem increata, quę Deus ipse est per essentiam. De qua B. Ambrosius ita hunc locum interpretatur: *Benè sola gratia plena dicitur, quæ sola gratiam, quam nulla alia meruerat consecuta est, vt gratiæ repleretur auttore.* Deinde est altera gratia capitis, creata tamen, de qua dicitur: *Adimplebit illū Dominus Spiritu sapientiæ, & intellectus, &c.* Et rursus: *Vidimus eum plenū gratiæ, & veritatis.* Atque hæc quidem gratia capitis in anima Christi sita erat, vt in omnia membra corporis sui mystici diffunderetur. Tamen etiam fuit in B. Virgine, quæ illum concepit, & peperit, per quem omnia Dei dona in nos deriuantur. Et ausim dicere, Virginem aliquo modo ex hac gratia participasse, vt etiam in omnes electos effunderet tanquā Mater potentissima: quemadmodum & Christus suo iure, vt caput, in omnia membra effundit, à quo & mater etiam ipsa tantam gratiam accepit, vt cum omnibus ad se confugientibus, opemque suam implorantibus, largiter communicare posset.

Duplex gratia Mariæ Virgini infuit. *Ambr. lib. 2. in Luc. c. 2. in fin. tom. 5. in princ. Eccl. 15. Ioan. c. 1.* Gratia capitis, id est Christi hominis, vt fuerit in Maria.

Dominus tecum. Mos Hebræorum salutandi erat. *Dominus tecum,* vel, si plures erāt, *Dominus vobiscum.* Sic enim Booz in libro Ruth messores salutauit: & Sacerdotes in re diuina peragenda, eodem modo populum salutat. Et licèt humanum morem salutandi Angelus sit secutus: intellexit tamē Dominum cum Virgine esse modo quodam selecto, & admirando, nempè in vtero per incarnationem. Ex quo verbo colligi potest non tantùm Mariam esse χριστοτόκον, sed etiam θεοτόκον. Nam cum illa erat Deus Pater, vt de sua ipsius, Virginisque substantia vnus Christus efficeretur: cum ea erat & Filius Deus, vt virgineam eius carnem indueret: cum illa etiam Spiritus sanctus Deus, vt summum mysterium summus artifex operaretur. Nec tam sunt verba quod futurum est precātis, quàm quod præsens est beneficium confirmantis, & gratulātis, pro facto mox faciendum habens. Vnde Laurentius Iustinianus in serm. de Annuntiatione: *Ipsius gratiæ plenitudinem (quæ scilicet in Maria erat) persensit cœlestis nuncius, cognouit, manifestauit, & dixit: Aue gratia plena, salutat illam tanquam sibi Dominam, honoreq́; dignissimam, ac à Deo singulariter electam, atque dilectam.* Et Hieronymus serm. de Assumptione sic ait: *Iam cum Virgine erat, qui ad Virginem mittebat Angelum: & præcessit nuncium suum Deus, sed à Deo non recessit: nec teneri potuit locis, qui omnibus habetur in locis, & totus vbique est, sine quo nihil totum.* Hæc ille. Et Augustinus sermon. de Natiuitate: *Dominus,* inquit, *tecum, sed plusquam mecum. In me autem licèt sit Dominus, memetipsum creauit Dominus, per te autem genitus est Dominus. Ita est Dominus tecum, vt sit in corde tuo, adimpleat mentem tuam.* Et reliqua. Sic Augustinus, Petrus Martyr, Episcopus Alexandrinus, vt citatur Actorum 1. Synodi Chalcedonensis, & à Cyrillo in defensione sui primi anathematis in Nestorium: *Cùm Angelus dixit: Dominus tecum, exponit: id est, Deus Verbum in vtero tuo generatur, & fit caro.* Hæc ille. Sed intellige, generatur & fit, hoc est, proximè adest vt generetur, & fiat. Et Gregorius Neocæsariensis in homilia de Annuntiat. ponderans hoc verbum, ait; *Dominus tecum, non terrenus Sponsus, sed ipse Dominus sanctificationis pater, castitatis author, immortalitatis dator, libertatis, salutis procurator, & verus pacis conseruator, & distributor. Qui ex terra virgine fecit hominem, & ex costa eius Euam: hic Dominus tecum, & rursus ex te.* Sic ille. Et Andreas Hierosolymitanus Episcopus Cretensis: in salutationem Angelicam: *Dominus tecum, qui est ante te, hodie tecum est,*

Expenditur hoc verbum: Dominus tecum. *Ruth. 2.* Qua ratione Dominus fuerit cum Maria. Mariam esse non tantum χριστοτόκον, sed etiam θεοτόκον, vnde deduci valeat. Quid dicere, Dominus tecum. *B. Lauren. Iustin. circa persuasionem.* *B. Hier. to. 4.* Proprium quid Dei. *B. Aug. serm. 14. in Natali Domi paulò ante med. siue ser. 18 de tempore, tom. 10.* *Petrus Martyr. B. Cyril. Alex. tom. 4.* Quomodo verum illud Cyrilli, Verbum in vtero Virginis generatur, & fit caro. *... N... ...* Qualis fuerit Dominus cum Maria. *... n. 2. Ibidem. Andr. Hierosol. Epis. Cretē.*

& paullò post erit ex te. Illud quidem ab omni æternitate, hoc autem in tempore. O immensam humanitatem, ò benignitatem incredibilem. Non fuit satis gaudium indicasse, nisi ipsum gaudij auctorem inesse Virgini significaret. Illud enim, Dominus tecum, perspicuè Regis præsentiam declarat; qui sic ex ipsa corpus assumit humanum, vt à propria gloria non recedat. Hactenus Andreas ille. Neque verò opus est, vt omnia salutationis verba sint deprecatoria, vt illa: *Salue vir optime.* Et Paulus: *Gratia vobis, & pax à Deo, &c* nam præcedit, *vocatis sanctis*: Constat sanctos gratiam, & pacem habere cum Deo. Nos etiam cùm modò salutamus Virginé, nihil dicimus, precamurve illi, quòd eminentius in ea non sit. Hinc Angelus nó dixit, Dominus meus veniet, para illi hospitium: codex Syriacus habet, Maran, hoc est Dominus noster, qui vnus & idem est Angelorum, & hominum. Et Græcè quibusdam in Codicibus dicitur, *Dominus tecũ ἐστί*. ne quis dicat, ἔστω, id est, sit. Et triplex gaudij caussa proponitur, Gaude, & Aue: quia gratia plena, quia Dominus tecum, quia Benedicta inter mulieres. Dicitur autem Dominus esse cum Abraham, Isaac, Iacob, Moyse, cui dixit; *Ego ero tecum*: non tantùm quia cum illis erat per essentiam, potentiam, & præsentiam, quomodo cum omnibus creaturis etiam damnatis est: nec etiam per gratiam, & fauorem tantummodò, qua ratione cum omnibus iustis solet esse: at nouo quodam, & singulari modo, nempè per assumptionem carnis ex ea in eius vtero. Vnde Beatus venter Mariæ, qui Deum portauit, quique maiori ratione quã cœlum ipsum, vel Angeli, vel iustorum animæ thronus Dei est. In illis enim per specialem actionem inest: in ventre verò Mariæ Deus tantus quantus est per incarnationem adest, sed non ob id conclusus est: Recteque postquàm dixit, *Gratia plena*, statim subiunxit: *Dominus tecum*: quia vbi gratia non est, ibi Deus non est. Inter gratiam, & Deum nihil est intermedij: infundere gratiam, & Deum habitare in homine, simul fit. Et Dominus, ait absolutè; quia in omnibus dominatur, in cœlo, & in terra, in mari, & in omnibus abyssis. Alij cùm domini dicuntur, additur, huius, vel illius prouinciæ, huius vel illius loci, vel oppidi: atque eiusmodi additio potiùs de dominio tollit, ac deprimit, quàm addat quicquam, vel amplificet. Dominus tamen hic tantus, & absolutus tecum: quia Pater æternus Filium suum facit communem tecum. Filius tecum, vt ex te nascatur, & sit tibi Emmanuel; deinde per te efficiatur nobiscum Deus, qui dixit; *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi.* Spiritus sanctus tecum, te sanctificando, vt corpore, & animo ad tantum mysterium præparatam ac dignam reddat. Sequitur; *Benedicta tu in mulieribus.* Vbi, quod ad voces spectat, in primis nota in mulieribus dictũ esse, pro, inter mulieres: quemadmodum interpres in verbis Elisabethę salutantis Virginem, dixit; *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* Et intellige benedictam à Deo potissimùm: Et pronomen tu, more Hebræo vicem habet verbi substantiui præsentis temporis, vt sit sensus; Benedicta es inter mulieres, & ita nihil deprecatur Angelus eiusmodi verbo. Annotarunt quoque eruditi, in, aliquando vsurpari pro, inter. Ita dixit Saul; *Perscrutabor eum in cunctis millibus Iuda*, pro, inter millia Iuda. Et Poeta;

> *Penthesilea furens, medijsq́; in millibus ardet.*

Deinde notandum, in Scripturis diuinis alias mulieres dici benedictas inter mulieres: vnde Dauid ad Abigail dixit, *Benedicta tu*, scilicet, à Domino: & Iahel vxor Haber Cinei, Benedicta inter mulieres pręedicatur: Iudith etiam c. 13. habetur: *Benedicta es tu filia à Domino Deo excelso: præ omnibus mulieribus super terram.* Sed quemadmodum plenitudo gratiæ aliter est in Maria, aliter in alijs sanctis: ita benedictio prę cunctis mulieribus alia ratione competit Virgini, quæ meruit habere benedictionem diuinitatis vterum eius inhabitantem, quod nulli mulieri alteri concessum est. Dicitur autem benedicta Gręcè, εὐλογημένη, à verbo εὐλογεῖν, quod est, benedicere, siue laudare, & ita Erasmus vertit, laudata; hoc est, bonæ famæ, & existimationis, qua de alij benè loquantur, iuxta illud: *Beatam me dicent omnes generationes*; atque in hunc sensum Græcam vocem interpretatur Euthymius: similique ratione homo benedicit Domino, cum eum laudibus effert. Tamen ne illud quidem dissimulandum est, in literis Sacris hoc verbum Græcum, & Latinum vsurpari pro beare, & felicem aliquem reddere: maximè cùm Deus dicitur hominem benedicere. Est enim Deo hominem benedicere, beneficijs illum prosequi. Vt sit sensus: *Benedicta tu inter mulieres*: hoc est: amplissimis præ cęteris mulieribus, beneficijs affecta: & quod omnes aliæ habent, eminentiori modo continens: nulla namque conceptum habet sine pudore, nulla gestat ventrem sine labore, nulla parturit sine dolore, nulla postquàm peperit, fuit sine languore: quæ omnia inueniuntur aliena à beata Virgine. Nec sunt verba,

Christus Filius Dei quatenus corpus assumpserit humanum.

1. Cor. 1. & sępè aliàs.

Non esse idẽ: Aue gratia plena: & inuenisti gratiam apud Deum, vt Brentius, & Bucerus somniarunt.

Quàm singulari modo Dominus fuerit cum Maria.

Exod. 3.

Luc. 11.

Virginei ventris Deum gestantis felicitas.

Hæc duo quã rectè sibi inuicem connexa, Gratia plena, Dominus tecum.

Psalm. 134.

Deus qualis Dominus.

Quare Dominus cum Maria.

Matth. 1.

Isa. 7.

Matth. vlt.

Luc. 1.

In, particula pro, inter apud Hebræos frequenter accipi consueuit.

1. Reg. 23.

Virgil. lib. Aeneid. 1.

Quæ mulieres in sactis literis legantur inter mulieres benedictæ.

1. Reg. 25.

Iudic 5.

Iudith. 13.

B. Virgo quam excellenter inter omnes mulieres fuerit benedicta.

Quid est: Benedicta tu inter mulieres, Erasmo.

Luc. 1.

Euthym. in Lucam.

Deo quid sit benedicere.

Diuinæ benedictiones in Virgine quantæ.

Illud. Benedicta tu, &c.

non esse optantis, contra Caietanum.

verba, vt putat Caietanus, bene precantis, aut optantis, verùm affirmantis, & gratulantis; quòd sit præ cæteris Virginibus benedicta eminenter, & semper, & sola, nulli vnquàm obnoxia maledicto: Sicut filius solus inter homines benedictus est: atque per hos duos sublatum est omne pristinũ maledictum. Hinc Sponsus ad Sponsam ait: *Sicut lilium inter spinas sic amica mea inter filias.* E contra illa par pari referens, respõdens ait: *Sicut malus inter ligna syluarum sic dilectus meus inter filios.* Maria ergo benedicta dicitur inter mulieres, quia Virgo peperit, patrem suum genuit, portantem se portauit: nutrientem se lactauit; vestientem se induit; seruantem se custodiuit. Inter mulieres etiam, quia aliæ mulieres si Virgines sunt, nec concipiant, maledictum legis incurrunt: *Maledicta*, inquit, *sterilis, & quæ non parit.* Si concipiant, & matres fiant pariendo filios, Euæ maledictionem non euadunt: *In dolore*, inquit, *paries filios.* At virgo benedicta, Veteris Testamenti benedictionem habet, nempè prolem, & talem ac tantam prolem: habet rursus benedictionem Noui, hoc est, virginitatem; vt offera poma noua, & vetera, vt dicitur Cantic. 7. vtriusque perfectionem scilicet Testamenti, quam Pius II. hoc disticho explicauit:

Cant. 2.

Ibidem. Maria Virgo cur benedicta dicitur inter mulieres.

Gen. 3. Duplex B. Virginis benedictio.

Cant. 7. Pius II.

Partus & integritas discordes tempore longo,
Virginis in gremio fœdera pacis habet.

Dicere etiam Virgo potest ipsa de se: Sum, quod erã, (hoc est Virgo) nec eram, quod sum (id est, mater) modò dicor vtrumque. (nimirũ, mater & virgo.) Christus similiter, in alio tamen sensu, idem dicere potest: Sum quod eram (id est, Deus) nec erã, quod sum (id est homo) modò dicor vtrũque (nempè, Deus, & homo.) Benedicta tu etiam inter mulieres, ob fructum ventris benedictum: nam ex fructu arbor digno scitur, vt Christus dixit: *Sed omnis arbor bona bonos fructus facit:* atque satis quidem sit nobis de salutatione Angelica philosophatum.

II. Ratio, cur sit B. Virgo inter mulieres benedicta. Matt. 7.

Superest tantùm, vt frequenter, & deuotè Virginem salutemus, quò assensum nostris petitionibus præstare dignetur, quẽadmodum assensit Angelo se salutãti: nam si Archangelus Gabriel, eam antequàm mater Dei esset, tã officiosè salutauit: multò magis nos omnes & tãti filij matrem effectam, & per assumptionem in cœlum exaltatam, magna fide, animique nostri submissione salutare decet. Hæretici in catechismis suis huius salutationis Angelicæ, nẽ meminerunt, ob contemptum; tum quia norunt eam, vt pro nobis peccatoribus oret, inuocare: cùm tamen in ea nihil sit impij, & omnia ex verbo Dei desumpta sint: sed gloriantur se apertos Virginis hostes prodere, serpentisque antiqui semen: vt nõ obscurè intelligamus, ad illos verum Christum Mariæ filium nequaquàm pertinere, quibus mater Christi non benè olet, nec sapit. Debemus deinde, exemplo Elisabethæ promoueri ad salutem Virgini impertiendam: nam vt illa plena Spiritu sancto, & humilitate in hæc verba prorupit: *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* ita nos humiliter, ac reuerenter Angeli verba recitare, par est: nam placet Reginæ nostræ literas ab amico ad eam missas libenter audire. Debemus insuper excitari exemplo vniuersalis Ecclesiæ, quæ hunc morem salutandi, inuocandiq; Virginem sacram ab initio retinuit, atq; illum retinendum filijs suis traditione docuit. Ad hæc, necessum est verba prophetica Virginis adimpleri; illa autem in Spiritu dixit: *Beatam me dicent omnes generationes:* Pars autem bona laudum ipsius Virginis in eo consistit, quòd illam in nostris difficultatibus tum spiritus, tum corporis confidenter inuocemus. Præterea expedit nobis, vt hanc salutationem frequenter Mariæ offeramus, quo summi, ac ineffabilis beneficij incarnationis Filij Dei per ipsam, & in ipsa exhibiti memores, & gratos nos esse ostẽdamus. Ad hæc commouere nos debet vtilitas, & fructus eximius, quem ex huiusmodi salutatione accipere possumus. Nam cùm Prouerbium habeat: saluta libenter, resaluta libentiùs; fieri nequit, quin, si alacriter, & deuotè eam salutauerimus, illa vicissim nos quoque resalutet. Atque vt ad salutationem factam Elisabethæ, impleuit illã Spiritu sancto, *& exultauit infans in vtero eius:* sic & nos ab ea resalutati, Spirit' sancti gratiam cõsequemur, & animus noster consolatione diuinitùs infusa tripudium, & exultationem in Domino efficiet. Iubemur diuino præcepto patrem, & matrem honorare: cùm ergo alius matris Dei honorandæ modus nobis relictus non sit, cõgruũ est, vt eam in cordibus nostris, & linguis sanctificemus, veneremur, atq; inuocemus. Apost. Paulus ad Roma. scripsit. *Salutate*, inquit, *Mariam, quæ multũ laborauit in vobis.* Quòd si mulierem illam propter priuata nonnulla Ecclesiæ Dei beneficia impensa, salutari, & honorari voluit, quanto iustiùs admoneri nos intelligimus, vt matrem Messiæ in cœlo regnantem, quæ olim tot pro nobis labores, ac tantos simul cum

Luc. 1. Beatissima Virgo, quàm digna salutari a nobis, & honorari.

Hæreticorum in Virginem impietas, & odium. Gen. 3.

II. Ratio.

III. Ratio.

IV. Ratio.

Luc. 1. Ad commendationem B. Virginis Mariæ quid multum faciat.

V. Ratio.

VI. Ratio. B. Virgo omnes pie, & officiose illam salutantes, & ipsa resalutat.

Ibidem.

Exod. 20. & Matth. 15.

Rom. 16.

Maria Virgo multum filio pro nobis compassa, omni est salutationis officio, & honore dignissima.

cum Christo sustinuit, omni cultu, veneratione, atque honorificentia prosequamur?

Quibus argumentis Heretici pium Ecclesiæ salutãdi B. Virginem officium demoliri contendant; quæ soluuntur.

Sed obstrepunt hæretici à salutanda Virgine dehortantes, vt matrem Dei honore, & cultu suo dispolient, & vt memoriã summi Dei beneficij, id est, incarnationis in nobis extinguant, & nobis tantum ex salutatione Virginis fructum adimant.

I. Argum. Caluini.

Sed videamus quibus rationibus. Caluinus ait, hanc salutationem magico exorcismo in preculam verti. Sed quis sit tam audax, & impudens, vt verba Euangelica vocet magicam adiurationem? Et quid sunt

Ecclesiæ exorcismi quã vim habeant.

exorcismi probati in Ecclesia, nisi tormenta verborum, & flagra spiritualia, quibus adiurati dæmones de obsessis corporibus expellũtur per exorcistas? vocent ergo Angelum Gabrielem magum & idololatram, qui Mariam reuerenter salutauit, eam, quæ mater Christi futura erat, vt nos eam, quæ iam facta est mater nostra, & regnat in cœlo, salutemus.

II. Argum. eiusdẽ in Harmonia Euangelica.

Secundò argumentatur Caluinus, quòd salutationem loco orationis proponamus. Respondemus, Angeli, vel Elisabethæ verba, partem orationis, quæ petitio dicitur, non esse, sed magis illius, quæ dicitur gratiarum actio, in qua Deus laudibus celebratur, quòd sanctam Virginem omnium donorum munere cumulauerit; vt Angeli propterea, & homines maximam ei gratu-

Orare Deum censetur, qui in actione gratiarũ versantur.

lentur felicitatem. Et certè gratiarũ actio, Christianæ orationis pars est, quia Deum celebrant, etiamsi nullum bonũ expetant, vel malũ aliquod deprecentur. Quare precari dicuntur, qui sacros hymnos, & Psalmos recitant, aut qui spiritualibus Canticis

Ephes. 5.
Actor. 16.

vacant, vt Paulus habet Ephes. 5. Et Paulus, & Silas orãtes laudabant Deum. Et orationes dicuntur etiam verba, in quibus nihil

Verba etiam nuda nihil petẽtiantium interdum precationem cõtinent, more Scripturæ.
Psalm. 36.
Ioan. 11.
Matth. 8.

petimus: vt, *Reuela Domino viam tuam, & spera in eo; & ipse faciet: Domine, ecce quem amas, infirmatur: Domine, si vis, potes me mundare:* Et in Psalmis omnib⁹ occulta vis quædam petẽdi est insita, etiamsi Hebræa voce, Tehelim, id est, laudes dicantur. Adde quòd Ecclesia, vt apertiorem redderet orationem,

Angelicæ salutationi eus add.[illegible] ab Ecclesia: sancta Maria mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, Amen.

de suo addidit: *Sancta Maria mater Dei, ora pro nobis peccatoribus; Amen.*

III. Arg. eiusdem Caluini.

Tertiò idẽ Caluinus in Harmonia Euangelica: *Præterquàm quòd sola gratulatio hic habetur; temerè sibi alienum vsurpant, quod non nisi Angelo ministrauit. Bis autem stulta æmulatio, quòd absentem salutant.* Sed hic impostor nõ ignorabat illud Pauli: *Quæcunq; scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta fuisse;* id est, ad com-

Rom. 15.
Quid illud Apost. quæcunq; scripta sunt, ad nostrã doctrinam scripta sunt.

munem hominũ vtilitatem, & exemplum præbendum. Nam salutauit Mariam Angelus, & tamen Elisabetha eam quoque sa-

Luc. 1.

lutauit: salutauit & illa, quæ dixit: *Beatus venter qui te portauit:* & nos salutamus, vt fidem nostram profiteamur, Euangelium

Ibidem.
Luc. 11.
Cur & nos cũ Angelo, & Elisabetha Mariam Virginẽ salutemus.

confirmemus, religionis officium præstemus, & vt impleamus illud: *Beatam me dicent omnes generationes.* Et vt factum virgi-

Supra 1.
Matth. 26.

ris mulieris in cœna Christum, quamdiu stabit Ecclesia, recoletur in eius memoriam: ita & hoc quod Maria præstitit, vt esset Mater Dei assentiendo, in æternam eius gloriam celebrabitur. Hinc Athanasius in Euangelium de sanctissima Deipara, circa

Quæ res Mariam Virginẽ dignam fecerit memoria sui nominis sempiterna.
B. Athan. to. 3 à medio.

finem: *Gabrielis præconium, non hominum tantùm, sed etiam Angelorum tali Reginæ gratulantium est proprium, & partim in terrestri, partim in cœlesti Ecclesia suum vsum habere debet:* ac tres Angelorum hierarchias id decantare sonora voce, tradit. Et beatus Ephrem

B. Ephrem apud Lipponanum par. 1. sanct. à me. Angelicæ salutationis virtutes.

Diaconus Ecclesiæ Edessenæ, sermone de laudibus B. Mariæ docet, hac salutatione melos Angelicum contineri, quod Gabriel ille clamans decantauit: eamque salutationem maximè congruam, ac dignissimam, & mundi salutem, animarumque tutelam esse, B. Damascenus sermone de dormitio-

B. Damascen. apud eundem.
Gabriel Angelus primum locum obtinet inter Angelos, teste Damasceno.

ne B. Virginis: *Clamemus cum Gabriele, qui primum locum obtinet inter Angelos; Aue gratia plena, Dominus tecum.* Andreas etiam Cretensis in oratione de Assumptio. seu de Dormitione sanctissimæ Deiparæ, initio: *Omnis lingua,* inquit, *choros ducat, & Deiparæ*

Andr. Cre. eo. apud eundem Lippom. ibid.
Hesych. presbyter.
Basilius.

occinat, Aue. Hesychius presbyter homilia 2. de Deipara: *Iure proculdubiò omnis grati animi lingua salutat Virginem Deiparam, ac pro viribus Gabrielem Angelorum principem imitatur.* Adde istis, quòd Liturgia beati Basilij post peractum sacrificium, orationem Angelicam producit, dicens: *Aue Maria gratia plena, Dominus tecum, Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui, quia Saluatorem peperisti animarum nostrarum.* Syri ve-

Quomodo Syri B. Virginem salutent, & inuocent. Mos Ecclesiæ laudabilis ille vetus, nõ nouus ac recens B. Virginem salutandi.

rò ab Apostolis instituti sic inuocant Mariam: *Pax tibi Maria plena gratia: Dominus noster tecũ: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus, qui est in vtero tuo Iesus Christus. Sancta Maria mater Dei, ora pro nobis, pro nobis, inquam, peccatoribus, Amen.* Vt ex his videri possit antiquissimus Ecclesiæ mos in Ecclesiam inuectus salutandi, & inuocandi B. Virginem.

B. Cyrill. hom initio 6. in Nestorium, [illegible] vlt.

Iam verò perpende, quantis, & quàm gloriosis titulis sit B. Virgo à beato Cyrillo Alexandrino coram grauissimo Patrum cœtu in templo Deiparæ dicato, cohonestata: *Salue sancta, & arcana Trinitas, quæ nos omnes ad hanc Deiparæ Mariæ celebritatem conuocasti. Salue etiam tu quoq; Dei Genitrix Maria, eximium vniuersi orbis terrarum decus, & ornamentum. Tu lampas inextinguibi-*

Quantum Virgini Mariæ tribuat non minus eleganter quam verè Magnus ille Cyrillus.

 lis,

lis, tu virginitatis corona, tu rectæ fidei sceptrum, & norma, tu templum Dei inuiolatum, tu eius sedes, quæ nullo capitur loco. Tu virgo, & mater: per te benedictus, qui venit in nomine Domini, in Euangelijs appellatur. Salue, quæ incomprehensibilem in sancto virginali vtero comprehendisti. Salue, per quam & Trinitas sanctificatur, & sancta crux colitur, & in vniuerso terrarum orbe adoratur. Per te cælum exultat, Angeli & Archangeli lætantur, per te dæmones fugantur, per te diabolus tentator è cælo decidit, per te pro lapsum plasma, siue figmentum in cælum recipitur, per te vniuersa creatura idololatriæ vanitate occupata ad veritatis cognitionem deducta est. Per te sacrum baptisma, & oleum exultationis obtingunt credentibus: per te in vniuerso mundo fundantur Ecclesiæ. Hæc ille Sanctus, & doctissimus sui sæculi Episcopus, & doctor. Quæ si quis hodie dixisset, & scripsisset, & eiusmodi liber in manus Hæreticorum incidisset, bone Deus, quantas tragœdias contra eum excitassent, quanta maledicentia verborum in eum debacchati essent, ferre tanta encomia, & præconia Virginis Deiparæ non valentes! Quod verò ait frequenter: Per te hoc, vel illud obtinemus, intellige rectè, per tuas preces, siue intercessiones, siue per tua incomparabilia merita.

Matth. 21. Mira Virginis præconia.

Ingenium Hæreticorum.

Dictum Cyrilli, Per Virginem Deiparam omnia à Deo in nos bona prouenire, quomodo accipiendum sit.

Quod verò postremo loco obiectū est, neminem posse absentem Mariam salutare: ridiculum est; quasi beata Virgo exularet apud Garamanthas, aut in insulis Fortunatis peregrinetur, vel humano more dormiat, vel mortuorum instar, qui nondum beati sunt, vota, & preces percipere nequeat; cùm tamen Angeli nostri fidi custodes, & procuratores nobis adsint. Quidni Regina cœlorum Maria nobis spiritu adsit, si etiam Apostolus corpore absens, spiritu tamē præsens esse poterat Corinthijs? Hinc S. Germanus sermone 2. de Assumptione, quasi præsentem salutans, ait: *Spiritus tuus, ô Maria, viuit in æternum, & caro tua in sepulchro corruptionem non sustinuit: Omnia obseruas, omnia contueris, & inspectio tua ad omnes se porrigit: quamobrem licèt oculi nostri impediantur, quominus te videre queant; tu tamen sanctissima Virgo dignis te ipsam patefacis. Caro enim tua spiritus tui virtutem, & efficacitatem nihil quicquam remoratur.* Hæc ille sanctus Pater. Cui consonat Bernardus sermone 1. tractatus in Salue Regina, initio ferè: *Oportet vt nobis præsentem esse dicamus, quam præsentem salutamus; & totam animæ nostræ trinitatem in eam dirigamus, quam tam deuotissimis precibus exoramus. Agnoscit certè, & diligit diligentes se, & propè est in veritate inuocantibus se: præsertim his, quos videt sibi conformes factos in castitate & humilitate.* Et hactenus in hæreticos dictum sit.

IV. Argum. Caluini. Quod maximè nobis adsit B. Virgo eam salutantibus, ac deprecantibus.

1. Cor. 5. S. German.

Quibus se ipsam patefaciat beatissima Virgo.

B. Bernard. Conformes facti B. Virgini in castitate, & humilitate, illi verò beatissimā Virginem habent sibi præsentissimam, teste Bernardo.

Quòd si quispiam in hac salutatione Angelica recitanda, gustum spiritualem, aut dulcedinem quandam experiri velit, integrum erit hæc quæ sequuntur, vel similia meditari. *Aue Maria.* Oliua pacis est, quam columba sub vesperam in ore ad arcam detulit, diluuij iræ Dei finē prænuncians *Gratia plena. Vnguentum est in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron,* & inde per collum *in oram vestimenti eius*; Et, *Sicut ros Hermon qui descendit in montem Sion. Dominus tecum.* Ad illud pertinet, quod Isaias ait: *Vrbs fortitudinis nostræ Sion Saluator, ponetur in ea murus, & antemurale. Benedicta tu inter mulieres.* Hęc est mulier fortis quæsita à Salomone, quæ contereret caput Serpentis, & quæ sempiternas, nec vnquam reconciliabiles, cum eo gereret inimicitias. *Et benedictus fructus ventris tui Iesus.* Antidotum est cibi vetiti, quem Adam, & Eua gustauerunt: ideoque peccatum, & mortem in mundum inuexerunt. Hunc autem fructum Mariæ qui gustauerit, iustitiam, & vitam æternam assequetur, & eius oculi aperientur, vt verè fit sicut Deus sciens bonum & malum. *Sancta Maria ora pro nobis peccatoribus.* Mulier est illa Thecuites, cuius sermonibus placatus Dauid, pepercit parricidæ Absaloni filio suo.

Iocunda quædam ac suauis Angelicam salutationem meditandi ratio. Gen. 8. Psalm. 132. Ibidem. Isai. 26. Prouerb. vlt. Gen. 3. Suprà 2. Infrà 3. Rom. 5. & Sap. 2. Gen. 3. Fructus Mariæ eum degustātibus qualis. 2. Reg. 14. & seq.

Rursus singula huius salutationis verba, festiuis solemnitatibus Virginis mirificè consentiunt. Primum verbum, *Aue*, Conceptioni Virginis ex parentib⁹ respondet: quia salutata est, vt minimè apud Deum excommunicata, & à peccato seruata, vt possit dici sine væ. Secundum, *Maria*, Natiuitati virginis adaptatur, in qua tanto nomine insignita est, & iuxta significatum fide illuminata, vt & maris Stella apparuit mundo. Tertium, *Gratia plena*, Præsentationi Virginis accommodatur: nam triennis ex singulari gratia se Deo obtulit in seruam, & corpus etiam suum voto illi dicitur consecrasse. Quartum verbum: *Dominus tecum*, Annunciationi per Angelum ad illam factæ quadrat: nam Conceptione Filij Dei, Deus singulariter cum Virgine fuit, vt verissimè illi dici possit, *Dominus tecum.* Quintum verbum: *Benedicta tu in mulieribus*: festiuitati Visitationis ad Elisabetham factæ rectè congruit, in qua cognata sua Spiritu sancto repleta, eam benedictam inter mulieres secundò post Angelum proclamauit. Sextum verbum: *Et benedictus fructus ventris tui* IESVS, Partui Virginis in Bethleem accōmodatur. Est enim fructus benedictus, quem sanctissima mater sine

B. Virginis singulæ festiuitates eiusdem Angelicæ salutationis verbis quàm aptè respondeant. Conceptio. Natiuitas. Præsentatio. Annunciatio. Visitatio. Luc. 1. Ibidem. Partus. Infrà 2.

dolore,

dolore, imò summo cum gaudio, salua sua virginitate, in lucem edidit. Quod mysterium naturæ cursum maximè superat. Septimum verbum: *Sancta Maria Virgo mater Dei*, Solemnitati Purificationis quadrat, in qua B. Virgo veram se Matrem Christi ostendit, illum in templo præsentando, sanctitatemque suam ac puritatē proferendo, volens se subdere legi purificationis, quæ omni munditia, & virginea puritate pollebat, vt ita meritis suis, & precationibus nos (qui peccatores atque impuri eramus) purificaret. Octauum verbum: *Ora pro nobis peccatoribus*. ad sacratissimam Virginis Assumptionem hæc verba referenda sunt: nam assumpta est, vt pro nobis perpetuò orare nō desinat, & fidelissimā aduocatam se apud Filium pro nobis præstet. Siquidem postrema Mariæ actio, quā Scriptura tradit, fuit in die Pentecostes orare simul cum Apostolis pro aduentu Spiritus sancti: neque de illa deinceps in Scripturis vllum inuenitur verbum: quò nimirùm intelligamus perpetuas preces pro Spiritu sancto nobis impertiendo, ad Deum semper fundere. Postremum verbum, *Nunc, & in hora mortis nostræ*. Constantiæ, fortitudinique respondet, quam Christo moribundo, & in Cruce animam agenti præstitit; qua quidem promeruit omnibus filijs suis spiritalibus hora mortis assistere, atque eos ab insidiante dæmone, & mala morte seruare, iuxta illud: *Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe*. Ad hæc, in primo verbo, *Aue*, contra reliquias peccati originalis, ac fomitem, per eam dari nobis gratiam, petamus. In secundo verbo, *Maria*, fidem, qua illuminemur, & de peccatis salubriter (vt Augustinus loquitur) amaricemur, postulemus. In tertio verbo, *Gratia plena*, gratiam nobis per illam donari quæramus, qua nos ipsos Deo singulariter offeramus. In quarto verbo, *Dominus tecum*, rogemus gratiam nobis per eam impetrari, vt Deus nobiscum sit, vtque eum Spiritu sancto nos adumbrante fide concipiamus. In quinto verbo, *Benedicta tu in mulieribus*. Petamus secundùm spiritum, & cum benedictione Dei visitari, vt ita visitati, impleamur Spiritu sancto. In sexto verbo: *Et benedictus fructus ventris tui Iesus*, Postulemus gratiam bene pariendi Christum fructib⁹ bonorū operum, etiamsi cum dolore aliquo pariendus sit: quia paulatim assuefacti, edere poterimus fructum, non solùm sine dolore, sed etiam cum gaudio, iuxta illud: *Gaudium iusto est, facere iudicium*. In septimo verbo, *Sancta Maria mater Dei*. Flagitemus gratiam sanctitatis, & munditiæ; vt etiam horreamus, ac vitemus peccata venialia, atque à benè agendi defectibus permundemur. In octauo verbo: *Ora pro nobis peccatoribus*. Expectamus gratiam, qua in cœlum frequenter fide, & meditatione assumamur: vt ita dignitatem & gloriam tātæ Matris in dies magis agnoscamus, atque veneremur. In postremo verbo, *Nunc & in hora mortis nostræ*, acribus assiduisque precibus à Deo contendamus nobis dari gratiam benè viuendi, benèque moriendi: nam ob id quod Christo nascenti, & morienti astitit, digna facta est, quæ filiorum Dei generationem, vt mater pientissima foueat: atque morti nostræ, in qua Deo per gloriam nascimur, singulariter succurrat: vt ita tanto patrocinio & fauore subleuati, seruatique, virginem sanctissimam imitemur, ac filium eius cum Patre, & Spiritu sancto per æterna sæcula exaltemus, atque magnificemus.

Verùm, vt qualis fuerit Mariæ species, forma, & statura, intelligas; en tibi ex Epiphanio quale testimonium producat Nicephorus Callistus, libro secundo historiæ Ecclesiasticæ, capite 23. his verbis: *Mores autem, formaq; & statura eius modus, talis, vt inquit Epiphanius, fuit. Erat in rebus omnibus honesta, & grauis, pauca admodum, eaq; necessaria loquens, ad audiendum facilis, & perquàm affabilis; honorem suum, & venerationem omnibus exhibens: statura mediocri, quamuis sint, qui eam aliquantulum mediocrem longitudinem excessisse dicant. Decenti dicendi libertate aduersus homines omnes vsa est: sine risu, sine perturbatione, & sine iracundia maximè. Colore fuit triticum referente, capillo flauo, oculis acribus, subflauas, & tanquàm olea colore pupillas in eis habens. Supercilia ei erant inflexa, & decenter nigra: nasus longior, labia florida, & verborum suauitate plena, facies non rotunda & acuta, sed aliquantò longior; manus simul & digiti longiores. Erat denique, fastus omnis expers, simplex, minimeq; vultum fingens, nihil mollicei secum trahens, sed humilitatem præcellentem colens. Vestimentis, quæ ipsa gestauit coloris natiuis, contenta fuit: id quod etiamnum sanctum capitis eius velamentum ostendit. Et, vt paucis dicam, in rebus eius omnibus multa diuinitùs inerat gratia.* Hæc ille. Qualis autem fuerit eius effigies atque forma, quod ad spiritum, & virtutes eius attinet, docet B. Ignatius in Epistola prima ad sanctum Ioannem Euangelistam, his verbis: *Sunt hic multæ de mulieribus nostris Mariam IESV videre cupientes. Et quotidiè à nobis ad vos discurrere volentes, vt eam contingant, & vbera eius tractent. Quæ Dominum IESVM aluerunt, & quadam*

eius

Purificatio.
Ibidem.
Assumptio Virginis Mariæ, quid nobis conferat.
Actor. 1.
Fortitudo eius, fide, & constantia, ac præmium eius.
Ioan. 19.
Per eandē salutem ... quæ à ... ue... po... deb... mus.
Prouerb. 21.
Virginei comitatus Christi in natiuitate, & cruce meritum, & fructus.
Luc. 2.
Ioan. 19.
Niceph. Callist.
Diuæ Dei genitricis mores, statura, & forma.
Forma eiusdē spiritualis & interna.
Bernardus has paruas Epistolas recipit, & Michael Marcus Corionens.

cius secretiora percunctentur ipsam Mariam Iesu. Est & Salome; quam dilexi.filia, anno Hierosolymis, & quinque mensibus apud eam commorans, & quidam fortè notificauêre eandem Matrem Dei omnium gratiarum abundantem, & omnium virtutum more Virginis, virtutis, & gratiæ fœcundam: quæ (vt dicunt) in persecutionibus, & afflictionibus est hilaris, in penurijs & indigentijs non querula, iniuriantibus grata, & modesta in re lætatur, miseris & afflictis condolet coafflicta; & subuenire non pigrescit: contra vitiorum autem pestiferos conflictus in pugna fidei disceptans enitescit. Nostræ nouæ religionis, & pœnitentiæ est magistra, & apud fideles omnium operum pietatis ministra. Humilibus quidem est deuota, & deuotis deuotius humiliatur, & mirum ab omnibus magnificatur, cùm à Scribis, & Pharisæis ei detrahabatur. Præterea multi multa referunt, tamen omnibus per omnia non audemus fidem concedere, nec tibi referre. Sed sicut nobis à fide dignis narratur, in Maria Iesu, humana natura naturæ sanctitatis Angelicæ sociatur. Et hæc talia excitauerunt viscera nostra, & cogunt valdè desiderare aspectum huius, si fas sit fari, cœlestis prodigij, & sacratissimi monstri. Hæc Ignatius ille sanctissimus Ioannis Euangelistæ discipulus, & inclytus Christi martyr. Vtinam eius precibus & intercessionibus imprimatur cordibus nostris tantæ Matris imago, & forma ad eam nostris linguis celebrandam, & actibus exprimendam atque imitandam, Domino nostro Iesu Christo præstante, qui cum Patre, & Spiritu sancto viuit, & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

Deiparæ Virginis insignes virtutes.

Scribæ & Pharisæi, vt olim Filio, ita & Matri detrahebant.

Maria Virgo cœleste prodigium, & sacratissimum monstrum.

TRACTATVS VI.

Luc. 1.

In illa verba: *Quæ cum audisset, turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio. Et ait Angelus: Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum. Ecce cōcipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum,* vsque ad: *Et regnabit in domo Iacob, & regni eius non erit finis.*

HACTENVS Angeli ad Virginem explicuimus salutationē: sed illa nimirùm prudentissima, humilitate, & sanctitate plena, talia, ac tanta laudum præconia ad se haud pertinere iudicans, turbata est interius, & turbationis internæ signa exterius ædidit: atque hanc turbationem summæ pudicitiæ, & excellentis modestiæ, atque pudoris argumentum pro responso Angelo reddidit. Debent enim virgines taciturnitate, ac verecundia excellere, significareque potiùs, quàm verbis suam prodere voluntatem; non autē esse garrulæ, vel loquaces, thesaurumque pudicitiæ, & honestatis per linguæ ostium effundere, vt pleræque vanæ, ac dissolutæ virgines, interdū etiam religiosæ facere solent. Nam vt dicitur à Salomone; *Stultus si tacuerit, sapiens reputabitur; & si compresserit labia sua, intelligens.* Apud Ecclesiasticum quoque legimus: *Audi tacens simul, & quærens.* Postquam ergo Virgo audiens tacuit, tacendo quæsiuit rationem eorum verborum, quibus honore effecta fuit. Sed iam singula verba persequamur. Ait ergo: *Quæ cum audisset,* vbi, quia Græcè legitur, *ἰδοῦσα*, hoc est, Quæ cùm vidisset, quidam putant additam primam literam *α*, factumque ex vidisset, audisset. Hic multùm torquetur Erasmus, & allegat quendam Grǽcum autorem ex Catena Aurea legentem: *Quæ cùm vidisset,* & B. Ambrosium dicentem: *Ipsa autem, vt vidit eum, mota est in introitu eius,* (vel potiùs, vt alij legunt, *in intuitu eius.*) Et subdit: *Quod ad virilis sexus speciem peregrinam turbatur aspectus Virginis.* Hæc ille, non aduertens more Hebræo videre, interdum poni pro audire, imò etiam pro alio quolibet sensu interno, atque adeò etiam pro eo, quod fide accipimus. Hinc Exod. 20. dicitur: *Cunctus autem populus videbat voces, & lampades, & sonitum buccinæ:* id est, audiebat. Sicut: *Quia vidisti me,* (hoc est, tetigisti) *Thoma, credidisti.* Certè Syriacum Euangelium, *vidisset,* legit: & Valla testatur, quosdam antiquos habere: *Quæ cùm vidisset,* & tunc sensum bonum habet: & confirmat Eusebius in Euangelium Annunciationis: *Turbata est,* inquit, *non in vultu Angeli, sed in sermone: non enim Angelum, sed verbum Angeli attendebat, & quid illa tam officiosa salutatio sibi prætenderet, cogitabat.*

Virginis modestia.

Quales esse debeant virgines exemplo Mariæ.

Prouerb. 17.

Eccles. 32.

Notatur Erasmus.

B. Ambr. lib. 1 de offic. c. 18. & 1. in princ.

Visus in Scripturis pro auditu, & pro quolibet alio sensu interiori accipi consueuit.

Exod. 20.

Ioan. 20.

Laur. Valla.

Euseb. Emisse.

¶ Subdit: *Turbata est in sermone eius.* Non ait, in aspectu eius. Interpres verò maluit sensum transferre, quàm verba; quamquam non multùm referat, quod ad sententiam attinet, si dicas: Quæ cùm vidisset Angeli præsentiam, & maiestatem; vel, Cùm audisset Angelum inauditum sermonem loquentem. Et cùm fortassis tum ex aspectu Angeli cum tanta maiestate apparentis, & sensibili in specie venientis, tū ex sermone honorifico pariter turbata fuit. Ex quo Ambrosius lib. 2. de Virginibus ad vtrumque refert turbationem, vt superiori tractatu allegauimus, & Hieron. Epist. ad Eustochium de custod. Virginit. Sed vnde hæc tāta serenitatis conscientiæ potuit prouenire turbatio? Sciebat prudens, & humilis virgo illum esse Dei Angelum. Et vt

Duplex Virginis turbatio.

B. Ambr. to. 1.

Hieron. Epist. 22. propè fin. to. 1 sub init.

Quare fuerit turbata.

Ambr. lib. 2. in Lucam, c. 2. tom. 5.

Ambrosius ait, sæpè ad illam ventitabat: Id quod & ipse textus insinuat, neque enim necesse fuit vt ipse diceret, quemadmodũ Zachariæ dixerat; *Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum, & missus sum loqui ad te, & hac tibi Euangelizare.* Sciebat prætereà Dei nuncios minimè solere vti assentatione, aut dolo, & tamẽ ad orationem eius commouetur. Ad hæc non turbatur vt in re minus grata, & sibi displicente, sed vt in re valdè grata, & amicabili: quemadmodum oculus si lucidissimus radius in illum incidat, à splendore, & magnificentia lucis perturbatur, adeò vt illachrymetur: Ad hunc modum beata Virgo perturbata est, atque commota, vt ferè fit in alicuius rei inexpectato euentu, & magnæ, & excellentis. Sic Herodes turbatus est audito Magorum aduentu, quærentium Regem Iudæorum.

Nunciorum Dei proprium.

Quomodo turbata.

Matth. 2.

Prudens Virgo vti cogitabat qualis esset Angelica salutatio.

Maria ergo cogitans non qualis, sed quanta (Græcè enim est πηλίκος, non ποῖος, hoc est quanta, quamque magnifica, & sublimis esset illa salutatio: non quasi non intelligeret dicta, eorumque quæreret intelligentiam; sed partim rei magnitudinem, & excellentiam, partim verò tenuitatem, atque indignitatẽ suam perpendens.) Nam magnificum est atque amplum, Virginem esse gratia plenam, qua cum sit Dominus, & fœcundã: tale enim in salutatione contentum est. Vnde Origenes in Lucam ait: *Si enim scisset Maria, & ad alium quempiam similem factum esse sermonem: habebat quippè legis scientiam, & erat sancta, & Prophetarum vaticinia quotidiana meditatione cognouerat, nunquam ea talis salutatio, tamq; peregrina eam exterruisset.* Hæc ille. Ad hunc sanè modum humilis quæuis virgo cogitaret, si illi annunciaretur electio ad dignitatem Reginæ, vel Imperatricis. Turbatur ergo inprimis Maria, quia filia Dauidis. Qui dixit: *Turbatus sum, & nõ sum locutus.* Deinde metuens pudori, & illusionem dæmonum cauens, & sciens, non omni spiritui esse credendum: Nam sermo quo blandior ac dulcior, eò magis suspectus esse debet. Vnde Ambrosius in Lucam: *Trepidare virginum est, & ad omnes viri ingressus pauere, omnes viri affatus vereri.* Et infrà: *Disce virgo verborum vitare lasciuiam. Maria etiam salutationem Angeli verebatur.* Tertiò, quemadmodum superbus sua grauia scelera, & flagitia reprehendi, perturbatur; ita humilis & modestè de se sentiens, cùm audit sua præconia celebrari, permouetur, ac turbatur. Quare eleganter Gregorius dixit: *Iustus dum laudatur in facie, flagellatur in mente.* Dicitur etiam in libro Prouerbiorum: *Quomodo probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum; sic probatur homo ore laudantis.* Beata autem Eua, si ad magnifica promissa serpentis turbata fuisset: nam propterea cecidit; quia timorem Dei non habuit, imò colloquium cum dæmone miscuit; & quia leuis erat corde, citò credidit, ac proinde seducta fuit. Beatæ autem erunt virgines, & fœminæ, si ad laudes virorum perturbentur, nec tam citò fidem præstent dæmoni per homines tentanti, atque ad inanis gloriæ, amittendæque pudicitiæ crimen sollicitanti.

Orig. homil. 6 post medium. tom. 2.

Turbationis Mariæ tres causæ producuntur.

Psalm. 76.

1. Ioan. 4.

B. Ambr. loco præscripto.

Virginum documenta.

Superborum ingenium, & contra humilium, quod.

B. Gregor.

Prouerb. 27.

Eua cur ceciderit infelix. *Gen. 3.*

Eccles. 19.

Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria. Angelus pro responso silentium eius, & turbationem accepit; ideoque pacatam eam ac serenã conatur reddere. Et quia suppresso eius nomine, tã magnifica salutatione fuerat deterrita; eam nunc proprio nomine nuncupat, vt omnem ab ea pellat timorem: quemadmodũ ponderauit Ambrosius. Exponit etiam Augustinus: *Ne*, inquit, *timeas*. Abijce abs te omnem metum sæculi, quæ conceptura es gaudium mundi. Postremò, *Ne timeas Maria*, quia charitas perfecta foras mittit timorem, verùm timorem seruilem, non autem filij proprium, atque castum.

Cur Angelus dixerit: Ne timeas Maria.

D. Ambr. lib. 2. c. 21. tom 5.

B. Aug. serm. 5. de Natali Dom. aut quicunq; eius auctor est, to. 10.

1. Ioan. 4.

Sequitur: *Inuenisti enim gratiam apud Deum.* Quibus verbis explicat, cur eam gratiosam, & benedictam, siue fœcundam inter mulieres dixerit. Sed quęnam est quęso gratia quam inuenit? Hac de re tria disputanda sunt. Primum, quam gratiam inuenerit, & an illam quæsierit. Deinde an huiusmodi gratiam promeruerit. Tertiò, quomodo illam inuenerit, & est sermo de gratia apud Deum, vt expresse ait Angelus, quemadmodum olim Moyses dixit; *Præcipis vt educam populum istum; & non indicas mihi quem missurus es mecum, præsertim cùm dixeris: Noui te ex nomine, & inuenisti gratiam coram me. Si ergo inueni gratiam in cõspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, vt sciam te, & inueniam gratiam ante oculos tuos.*

Circa hoc: Inuenisti enim gratiam apud Deum, explicanda proponuntur tria.

Exod. 33.

Primum expediamus. Sermo est de gratia incarnationis, quam desiderabat, & inuenit: quia enim sequitur: *Ecce concipies in vtero, & paries filium*, expressit gratiam quã inuenit: vt acutè ponderarunt Origenes, & Ambrosius. Inuenerant quidem gratiam plures ante eam, sed non hanc incarnationis, & maternitatis Filij Dei. Et innuitur, quod quęsierat, inuenisse: siquidem omnes filiæ & puellæ Israël, aut certè omnes virgines ex Dauidis familia, eo præsertim tempore, quo Prophetæ, id est, omnes eius ætatis prædicatores dicebant, Messiam mox affuturum, illam dignitatem optabant, & sperabant: & quæ sapientiores erant, etiam efflagitabant, vt efficerentur matres Messiæ, aut saltem propè illam, quæ Mater Dei esset

Quã gratiam apud Deum inuenerit Maria.

Orig. hom 6. Ambr. lib. 2. in Luc. cap. 3.

Prophetæ aud Iudæos prædicatorum munere fungebantur.

Quomodo B. Virgo nũ modo vllo sine vitio, verum etiam magna cũ laude vt Mater esset Messiæ, à Deo optare potuerit atque efflagitare.

esset futura, assistere. Nam si Rex Hispaniæ publicam vocem ederet, hanc nimirum: volo in sponsam, & vxorem legitimam accipere nobilis cuiusdam Romani, aut Neapolitani filiam; certè omnes puellæ nobiles, nubilesque Romanæ, vel Neapolitanæ possent hanc dignitatem optare, & nullo vitio, posita Regis voluntate, vt tanti Regis dignæ matrimonio inuenirentur, expetere. Maria ergo, quia de domo, & familia

Luc. 1.

Dauid erat, & quia statuerat virum omninò non cognoscere, vt quæ Matrem Messiæ Virginem futuram diuinaret, iuxta vaticinium Isaiæ, probabiliter & sperabat, & petebat, & quærebat hanc gratiam: alioquin cur statueret virum non cognoscere, cùm steriles tunc temporis maledicerentur? Idé quoque videtur significare Angelus, cùm dixit: *Dominus tecum*, hoc est, in votis, ac precibus tuis; ideo quod cogitasti, eueniet. Sic enim Angelus Gedeoni dixit: *Dominus tecum virorum fortissime*; id est, Deus annuit votis tuis in liberando populo Israël. Sic etiam Nathan iussu Dei Dauidem alloquitur: *Fui tecum in omnibus, vbicunque ambulasti*; & Samuel alloquitur Saulem: *Quando ergo euenerint signa hæc omnia tibi, fac quæcunque inuenerit manus tua, quia Dominus tecum est.* Ex quibus verbis colligitur Deum esse cum aliquo, quando eius desiderijs & precibus assentitur. Idem etiam significare videtur verbum illud, *Benedicta tu in mulieribus*; hoc est, Tu es illa mulier benedicta, de qua prædictum est quòd inimicitias gereret cum serpente, & quòd caput eius esset contritura, & quæ nouo modo virum complexura esset, vt habes apud Hieremiam. Denique illa es, quæ paritura erat Emmanuelem; ideò post verbum, *Benedicta tu inter mulieres*, sequitur: *Ecce concipies, & paries filium*, scilicet illum, quem optasti: quia tu es illa mulier, de qua tãta bona prænunciata sunt. Ad hæc consueuit Deus magna, & singularia dona non sine votis, & precibus præmissis concedere, vt per illa desideria, & precationes digni beneficijs precantes reddantur. Hinc illud Domini dictum; *Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis*. Et; *Si quis vestrûm indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & nõ improperat; & dabitur ei.* Mirum ergo esse non debet, si tantam, & talem gratiam B. Virgini largiturus, prius eam ardẽtibus desiderijs, atque feruentissimis precibus ad tantum donum dignè accipiendum præmunierit, ac præparauerit. Neque verò Virginis hoc desiderium insolens, aut superbum est iudicandum, sed potiùs fidelis & benè sperantis animæ. Nam sic Thamar

Isai. 7.

Exod. 23. & seq. & aliàs.

Cum aliquo Deus sit quando.

Iudic. 6.

2. Reg. 7.

1. Reg. 10.

Quid illud: Benedicta tu in mulieribus.

Gen. 3.

Hierem. 31.

Isai. 7.

Quæ largiturus est nobis munera Deus, ea ex votis nostris, ac precibus partim pendere cur velit.

Matth. 7.

Iacob. 1.

B. Virginis gignendi Messiam desiderium vnde constet esse laudabile.

tutata est concubitum Iudæ, quamquã non sine vitio ac peccato, sciens ex eo futuram promissam benedictionem, vt ex eius progenie, & non ex Esau Messias nasceretur, vt quidam sentiunt. Sic Ruth elegit populum Dei, & hominem senem Booz in virum. Atque ita omnes agere deberemus, si talis benedictio proponeretur, vt si non aliter, saltem vi, & pia fraude esset aucupanda: neque in hoc ambitio, aut nimia diligentia esset reprehendenda; imò verò non esse in eiusmodi re ambitiosum, esset magnoperè reprehendendum: etsi *regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*: accusandi iure essent, qui non in hoc omnem operam, quam possunt, & vim adferunt. Ecce ambitiosus diceretur, qui magistratum ambiret: si verò talis magistratus proponatur, quem qui assequitur, non sit vnquam peccaturus, sed cum gloria Dei, & animæ suæ salute administraturus, proculdubiò nemo ambitionem in hoc reprehenderet. Talis erat dignitas matris Messiæ, ad quam quæ eueheretur, plenam esset iustitiam, ac proinde impeccantiam assecutura: præsertim cùm scire posset, matrem Messiæ futuram duntaxat eius matrem, qui veniebat ministrare, & non ministrari; & dare animam suam redemptionem pro multis: quare futurum erat, vt & ipsa alijs ministraret, & poneret animã suam in cooperationem, vt ita dicam, redemptionis pro multis.

Gen. 38.

Thamar quare cum Iuda dormierit, secundum quosdam.

Ruth 4. & sequent.

Matth. 11.

Idem Virginis propositum aliorum illustratur exemplo.

Infra 10.

Mater Messiæ & ipsa ... ventura ... non ... sed ministrare.

Quod si obijcias: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*, & ideò *antequam glorificetur cor hominis, humiliatur*, vt dicitur in libro Prouerbiorum: Respondeo, satis humiliatur, quæ ex se nihil esse existimat; indignamque se tanto munere, & vocatione arbitratur. Veruntamen cùm Deus hominibus suggerit talia vt dona petantur, desideren turque, illi iam non in seipsis nituntur, sed in gratia Dei, qua se (ad quodcunque vocauerit Deus munus obeundũ) intelligunt reddi posse aptos atq; idoneos: quin etiam hoc veræ humilitatis est argumentum. Ideò beata Maria tã citò acquieuit Angelo ad tam altam dignitatem Dei nomine inuitanti, neque pertinaciùs repugnauit, indignitatem suam obijciendo, & vilitatem: quo facto indicatur illam de ea re sæpiùs cogitasse, declarasseque à Deo Optimo Maximo impetrare ea gratiarum munera, atque ornamenta, quæ ad matrem Messiæ conuenienter efficiendam, pertinere censebat.

1. Petr. 5. & alibi.

Prouerb. 18.

Deus si superbis resistit, quid quærit Virgo fieri mater Dei.

Maria Virgo Angelo Messiæ ... & ... annuncianti, cur ... fuerit assensum.

Sed quoniam nonnullis videtur hoc desiderium aliquid superbiæ, arrogantiæque includere, neque his quas produximus rationibus placantur, dicunt eam cogitasse.

Ea quorundam ... non Messiæ ... tantum ... Messiæ ...

atque

mulam fieri optaſſe quid incommodi habeat.
Luc. 1.

atque optaſſe famulam matris Meſſiæ fieri; atque ideo propoſuiſſe viro non cognoſcere, quo liberiùs poſſet, & faciliùs illi inſeruire. Tunc autem oportebat illam non nubere, ne maritus obſtaret famulaturæ: & illud: *Dominus tecum*, haberet hunc ſenſum: Deus qui te exaltare voluit, tecum fuit, tam humiles cogitationes inſpirando: tamen tu es illa benedicta, *quæ concipies, & paries:* & ideo non eſt opus vt alteri in hoc ſeruias. Atque ob hanc cauſam Virgo turbata eſt in ſermone Angeli, quia dum humilia de ſe cogitaret, ſublimia atque magnifica denunciabantur.

Deus internos ſenſus ſtatus & inſpirationes ... ſapientes confueuit exterius confirmare, nunquam eis contradicere.

Itaque cogitare poterat, vel cogitationes ſuas cum Deo non fuiſſe, vel quæ nunciarentur, ex Deo non eſſe, cùm Deus ſolitus non ſit contraria foris annunciare his, quæ intus inſpirat, ſed quod per legem, & Prophetas denunciat, etiam interno afflatu, ſubſequitur, vel antecedit. At hæ rationes ſolubiles certæ ſunt, veræque humilitati non repugnant: quare ſiue hoc, ſiue illud cogitauerit, Deus cum illa fuit, & vtrumque laudem & commendationẽ habet, nec niſi humilia, & humiliter de ſe ſenſit, & cogitauit, etiam ſi mater Meſsiæ effici optauerit. Et hactenus de primo.

An B. Virgo gratiam incarnationis promeruit.
August. lib. de prædeſt. ſanct. c. 15. propè finem, tom. 7. ad valcem.
Ioan. 3.

Progrediamur ad ſecundum. Cùm incarnatio ſit omnis meriti fundamentum; ideo ſub meritum vllum cadere nõ poteſt. Vnde Auguſtinus libro de prædeſtinatione ſanctorum ſcripſit: *Quiſquis, inquit, in capite noſtro præcedentia merita ſingularis illius generationis inuenerit, ipſe in nobis membris eius præcedentia merita multiplicatæ regenerationis requirat. Neq; enim retributa eſt Chriſto illa generatio, ſed tributa, vt alienus ab omni obligatione peccati, de ſpiritu, & Virgine naſceretur. Sic & nobis vt ex aqua, & ſpiritu renaſceremur, non retributum eſt pro aliquo merito, ſed nobis tributum.* Hæc ille. Ratio etiam idem euincit.

I. Ratio in contrarium.
Rom. 11.

Nam gratia ſub meritum non venit, quia vt ait Apoſtolus: *Si gratia, iam nõ ex operibus*, hoc eſt, ex meritis: ſumma ergo & maxima gratia, quæ eſt ipſa incarnatio, multò minùs ſub meritum veniet. Adhæc incarnatio totam naturam humanam reformat, ac reficit; atque ideo illam nullus ſingularis homo promereri poteſt: nam puri hominis bonum haud poteſt eſſe cauſa boni naturæ totius. Poſita tamen Dei voluntate, illaq; per Prophetas expreſſa, quòd incarnari voluerit, ſancti Patres, & Prophetæ illius accelerationẽ promeruerunt, iuxta illud: *Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus*: vt illud Danielis... *Apud Danielem ... hebdomadas abbreuiatas eſſe ſuper*

II. Ratio ab incarnationis effectu.

Pſalm. 11.
Hoſ. orat.
Daniel. 9.

populum, vt conſumetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iuſtitia ſempiterna, & impleatur viſio, & Prophetia, & vngatur Sanctus ſanctorum. Dicitur tempus abbreuiatum, quia Meſſias feſtinãret ad nos properare fingitur, ac tempus huius ſuum inchoare officium propter preces, & vota Patrum ardentia, quibus tantum donum promeruerunt.

Abbreuiatum ... tempus dicitur à Prophetis, aduentus Meſſiæ.

Quod attinet verò ad perſonæ circunſtantiam, quæ quidẽ eum concipere, atque in lucem edere debuit, Beata Virgo ampliſsimè promeruit, de qua Eccleſia canit: *Quia quem meruiſti portare, Alleluia, &c.* Et iterum: *Meruiſti portare Regem cœlorum, & Dominum:* hoc eſt, vt verbis B. Thomæ vtar, *Maria meruit ex gratia ſibi illum puritatis, & ſanctitatis gradum, vt congruè poſſet eſſe mater Dei.* Meritum autem fuit primo ex Dei munere, deinde ſui ipſius apta diſpoſitione per bonorum operum ſtudium. Quod explicans ipſa Eccleſia in quadam ſua oratione, dixit: *Omnipotens ſempiterne Deus, qui glorioſæ Virginis matris Mariæ corpus, & animam, vt dignum Filij tui habitaculum effici mereretur, Spiritu ſancto cooperante præparaſti.* Et beatus Bonauentura in tertio ſententiarum docet: condigni meritũ in Mariam, vt Mater Dei fieret, non cadere, ſed congruè tantùm antè Chriſti incarnationem hoc meruiſſe, quoniam præ nimia ſua puritate, humilitate, & benignitate vt Dei mater fieret, erat idonea. Poſtquam verò annunciatio per Angelum illi innotuit, & aſſenſum præſtitit, & Spiritus ſanctus copioſa gratia in eam deſcendit, nõ ſolùm congruitatem habuit, ſed & dignitatem, & Patres etiam hoc meritum agnoſcentes, Virgini tribuerunt. Nam Hieronymus ad Euſtochium de cuſtodia Virginitatis, ſcribit: *Beata Maria tantæ extitit puritatis, vt mater Domini eſſe mereretur.* Auguſtinus de natura & gratia cõtra Pelagianos: *Concipere, inquit, ac parere meruit eum, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum.* Idem ſerm. in natali Domini: *Enarra, obſecro, mihi, quomodo meruiſti dici mater Domini, & ſponſa Filio Dei.* Baſilius Homil. de humana Chriſti generatione: *Quoniam verò ea tempeſtate nulla puritate par, Mariæ virginitas inter homines ad effectum ſancti Spiritus excipiendum eſt reperta, & illa iam deſponſatione erat occupata; electa eſt beata Virgo, ita vt nihil detrimenti ex deſponſatione acceſſerit virginitati.* Chryſoſtomus in ſermone de Domini hypopante: *Beata mater vltra omnem humanæ naturæ modum, modeſtiam ac temperantiam excoluit, & ob id vniuerſorum Dominum in vtero geſtare promeruit.* Ambroſius Epiſtol. 82.

B. Virginem Meſſiæ matrẽ futuram, eius aduentum de congruo (vt aiunt Theologi) promeruiſſe.
B. Thom. 3. part. q. 2. art. 9. ad 3. tom. 3.
Vnde ſibi illudmeritum cõparauerit.
B. Bonauent. 3. ſent. diſt. 4. quæſt. 1.
Quomodo promeruerit etiam de condigno.
B. Hier. Epiſt. 22. circa fin. to. 1. ſub init.
Aug. de Natu. & Grat. c. 36. circa med. to. 7. circa medium.
Idem ſer. 14. de nata. Dom. ſub initium, ſen ſer. 18. de temp. tom. 10.
Baſil. hom. 25. ante med. tom. 1. inter med. & fin.
B. Chryſoſt. ... lib. 10 ... paulo remotiùs à ... tom. 3. ...

Mariam Virginem meruisse testatur, vt à Deo eligeretur, vt corporale Dei templum existeret. Bernardus sermone quarto in festo Assumptionis, sub finem: *Quæ enim*, inquit, *vel Angelica puritas virginitati illi audeat comparari, quæ digna fuit Spiritus sancti sacrarium fieri, & habitaculum Filij Dei?* Et in sermone de Natiuitate Mariæ: *Magnum est Angelo vt minister sit Domini, sed Maria sublimius quiddam meruit, vt sit mater.* Iustinus Martyr in quæst. 186. responsione: *Non quamlibet è vulgo fœminā Deus delegit, quæ genitrix Christi fieret, sed quæ virtute mulieres omnes anteiret: nō abs re eiusmodi virtutis nomine matrem suam beatam deprædicari voluit, per quam virtutem honore eo digna habita est, vt Virgo mater fieret.* Postremo Gregorius lib. 1. Regum, cap. 1. *Maria mons, & domus aptè dicitur, quæ dum incomparabilibus est illustrata meritis, Dei vnigenito, in quo recumberet, sacrum præparauit vterum.* Sedulius etiam cecinit:

Sola sine exemplo placuisti fœmina Christo.

Prudentius in Cathemerino:

Edere namq; Deum merita,
Omnia Virgo venena domat.

Et Venantius Fortunatus, libro de æternis gaudijs:

Virginitas fœlix quæ partus est digna Tonantis,
Quæ meruit Dominum progenerare suum.

Atque hæc mihi dicta sint propter Erasmum in sua Paraphrasi ad locum hunc, Mariæ, Virginis merita ad matris Dei dignitatem accipiendam, inconsideratè, & minùs piè excludentem. Peiora multò argutatur hoc loco Lutherus in Postilla de Euangelio Annunciationis: *Quamuis Virgo Maria benedicta sit inter mulieres, quòd nulli mulieri vnquam talis bonorum à Deo contigit honos; tamen Angelus ipsam in ordinem redigit, & omnibus sanctis alijs æquat, dicens: Ne timeas Maria: inuenisti enim gratiam apud Deum. Nam apertè dicit; gratiam esse, & non meritum.* Hæc ille infœlix, fraudem machinans in voce gratiæ, quam tantùm pro fauore Dei accipit, & nō pro donis alijs, quæ interius dantur, & pro meritis, quæ non nisi ex gratia oriuntur, iuxta illud: *Gratia Dei, vita æterna:* Et, *Gratiam pro gratia.* Non enim gratiæ repugnat meritum, quod ex gratia oritur. Hinc Prosper lib. 2. de vocatione gētium, capite secundo: *Datur vnicuiq; sine merito, vnde tendat ad meritum.* Et cap. vlt. circa finem: *Deus ijs quos eligit sine meritis dat vnde ornentur & meritis.* Hic verò locus apertè de gratia incarnationis loquitur, quam sola Maria inuenisse dicitur, & nemo alius: Ideò non redigitur in ordinem, sed super omnes alios viros & fœminas euehitur. Vnde Augusti-

B. Bernard.

Mariæ virginis quam Angeli cur maior prærogatiua.

Iustin. tom. 2

Quo nomine potissimùm Virgo mater sit beata, teste Iustino.

B. Greg. tom. 2

Maria Virgo mons & domus vocatur.

Prudent. in Hymno qui inscribitur, Ante medium, circa fin.

Venant. Fortunatus.

Nullum Erasmus in Maria incarnationis meritum agnoscit infœlix.

Eius magister Lutherus eandem Virginem reliquis sanctis gratiæ vocis abusione parem cōstituit impius veterator.

Ratio meritorum vnde.

Rom. 6.

Ioan. 1.

Prosper Episc. Aquit. apud Ambr. tom. 2. propè init.

ni discipulus Chrysologus [illegible]: *Beata quæ inter homines audire sola meruit præ omnibus: Inuenisti gratiam? Quantam? quantam superius dixerat, Plenam. Et vere plenam, quæ largo imbre totam funderet, & infunderet creaturam.* Et Andreas Hierosolymitanus, sermone de Annunciatione: *Inuenisti,* inquit, *gratiam apud Deum. Gratiam quam non suscepit Sara, quam Rebecca non inuenit, quam Rachel ignorauit. Inuenisti talem gratiam, qualem Anna, licèt fuerit exaudita, non habuit, & reliqua.* Et Bernardus sermone 3. de Beata Virgine: *O si scires (Maria) quantum tua humilitas altissimo placeat: quanta te apud ipsum sublimitas maneat, Angelico te indignam nec alloquio iudicares, nec obsequio. Vt quid enim indebitam tibi dixeris gratiam Angelorum, quæ inuenisti gratiam apud Deum? Quam gratiam? Dei & hominum pacem, mortis destructionem, vitæ reparationem. Hæc est ergo gratia, quam inuenisti apud Deum.* Richardus de S. Victore, in tractatu super Cantica: *Inuenisti, inquit, gratiam apud Deum, scilicet, quam quærebat. Omnium salutem desiderauit, quæsiuit, & obtinuit; imò salus omnium per ipsam facta est. Vnde & mundi salus dicta est.* Hæc Patres de singulari Mariæ gratia. Adde Albertū Magnum libro de laudibus beatæ Mariæ: *Inuenisti gratiam, nō creasti, vt Deus: non semper habuisti, vt Filius: non rapuisti, vt Angelus: non perdidisti, vt Adam: non emisti, vt Simon Magus: nō abscondisti, vt infidelis doctor, sed restituisti gratiam Dei increatam, & spiritualem, & corporalem: spiritualem, inquam, summam nempe charitatem, & specialem summam, quæ fuit in alijs.* Elegit ergo eam Deus in matrem ob eximias animi dotes, ob præclaram virginitatem, ob insignem denique vitæ sanctimoniam, ac humilitatem. Nec enim elegisset vas putridum, ac sordidum, omnique respersum spurcitia: nec mulierem inuerecundam, garrulam, seditiosam, superbam atque impudicam, verùm honestissimam, modestissimam, castissimam, sanctissimam, & ad omne eius obsequium promptissimam.

Tertius iam locus examinandus. Inuenit Maria gratiam apud Deum, fide, de qua; *Postulet autem in fide nihil hæsitans.* Et de Iudæis ait Apost. *Israel sectando legem iustitiæ in legem iustitiæ non peruenit.* Quare? Quia *non ex fide, sed ex quasi operibus.* Hinc Elisabetha fidei Mariæ tribuere voluit tantum donum: *Beata,* inquit, *quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino.* Deinde inuenit gratiam, quia nō tentauit Deum sicut Eua, quæ deorum scientiam concupiuit [illegible] præuaricatione mandati. Nam vt [illegible] Sap. 1. *Inuenitur ab his, qui non tentant illum,* hoc est ab his, qui quærunt quod [illegible],

Petr. Rauen. serm. 142. in princ.

Andr. Cretensis [illegible]

[illegible] medium.

1 Reg. 1. & seq.

B. Bern. serm. 3. super [illegible] est, à med.

Richard. de S. Victore [illegible] cap. 26. sub initium.

Maria Virgo mundi salus cur dicatur.

Albert. magn. in Postilla in Lucam.

Ital. 14.

Gen. 3.

Actor. 8.

Eadem Dei mater cur electa.

Mulier quænam mater Dei [illegible] nomine [illegible] tāto fuisset.

Maria Virgo quomodo inuenerit gratiam apud Deum.

Iacob. 1.

Rom. 9.

Luc. 1.

Tentent qui Deum.

Gen. 3.

Sap. 1.

data eius obſeruantes. Adhæc inuenit humilitate, de qua dicitur: *Dominus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Poſtremò inueniſti, quia quæſiuiſti: *Omnis enim qui quærit, inuenit.* Et, vt debebat, quęſiuit, nempe pro gloria Dei, & cum deſiderio earum habendarum virtutum, & donorum, quæ matri Meſsiæ conueniebant: quod nō modò citra vllum peccatum poterat, verùm etiam magno cum merito deſiderari, ac vehementer etiam efflagitari; præſertim eas cogitationes, & deſideria Spiritu ſancto ſuggerente. Quod ſi non quæſiuit, humiliter ſemper ipſa de ſe, ac modeſtè ſentiens, ſeruamq́; ſe & ancillā Meſſiæ fieri exoptās, tantò magis quæſiuit. Ipſum enim de ſe nihil polliceri, neque audere tantam gratiam deſiderare, modus quærendi efficaciſsimus eſt apud Deum, niſi cùm Deus aliud vt deſideremus, & poſtulemus inſpirat.

1. *Petr.* 5. *& alibi.*
Dona Dei nō tantū quærere, ſed etiam vt decet, quærere debemus.
Matth. 7.
Maria Virgo non quærens gratiam vt eſſet mater Dei (ſecundū aliquos) cur eo ipſo videri poſſit multò magis quæſiſſe.

Deinde & illud notandum, quòd ſingulare admodum eſt, multos eſſe qui gratiam apud homines quærunt, quā ſæpè nō inueniunt: quia nempè homines duri & inexorabiles ſunt: quod ſi fortè illā inueniant, ea ferè ad ambitionem, auaritiam, atque ruinam ſuam abutuntur, multaque homines contra Deum, & eius legem operantur, vt placere hominibus poſsint. At beata Virgo ſuo exemplo ad Dei gratiam ineundam atque captādam, nos allectat, & inuitat: namque ille placabilis, & exorabilis eſt, & gratia illius abuti nemo poteſt. Prætereà, vt Auguſtinus docet in Epiſtola ad Macedonium: *Quia quod inueniſti, & non reddidiſti, rapuiſti;* ideo beata Virgo gratiam, quam noſtro peccato perdidimus, nobis reſtituere debet. Nam & gratia incarnationis in Virgine inuenta, generale quoddam, & commune eſt bonum, quod cum alijs communicari poteſt, ſalua etiam, & incolumi gratia B. Virginis ipſius. Ideò facilè exaudit preces, & vota noſtra, noſque vt matres Chriſti fieri valeamus, fide illū concipientes, & bonis actibus parturientes, ſuis glorioſis precibus, meritiſque ampliſsimis impetrat apud Deum. Quamquam vis verbi illius inueniendi gratiam, non eſt rem deperditam recuperare: ſed phraſi Hebræa is dicitur inuenire gratiam in oculis Dei, qui illius fauorem, quem antea non habuerat, aſſequitur: qui fauor maximè oculis inſinuatur; proptereà dicitur in oculis Dei inuenire gratiam aliquis, id eſt impetrare, ſeu adipiſci gratiam eius.

Homines ab hominibus non ſemper gratiam inueniunt: vel etiam nō bene.
Quid nos ad diuinam gratiam ineundā plurimum allicere poſſit, & debeat.
Aug. epiſt. 54 *tom.* 2.
Facilè exaudiat preces noſtras, & vota cur Virgo Beata.
Inuenire gratiam quis dicatur apud Deum, Hebræorū more.

Tertiò aduertendum, dictū eſſe: *Ne timeas Maria, inueniſti enim gratiam apud Deum* vt diſcant homines gratiam Dei habentes timere. Qui enim nihil habent in bonis, cubiculum apertum, & arcam reſeratam dimittunt, ita qui gratiæ Dei ſunt expertes, non timent. Qui verò tantum gratiæ Dei ſe habere theſaurū exiſtimant, omni cuſtodia ſeruant cor ſuum. Sequitur in textu: *Ecce concipies, & paries filium.* Ab hoc loco Angelus incipit annunciare, ſiue Euangelizare, videturque ad verba Prophetæ Iſaiæ alludere, ſuper quibus fortè meditabatur B. Virgo: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.* Quaſi dicat: Ecce, tu es illa Virgo, quæ concipies, & paries, & vocabis nomen eius Ieſum: mutans tertias perſonas in ſecundas: & res ipſa præſentanea, moxque ad effectum adducenda annunciatur per aduerbium demonſtrandi, *Ecce.* Quod dicitur: *Concipies in vtero,* vel figura eſt, quæ dicitur Pleonaſmos; quemadmodum Poëta ait:

Habentes Dei gratiam, cur timere debeant.
Prouerb. 4.
Quodnā initium ſit Angelicæ ſalutationis.
Iſai. 7.
Matth. 1.
Ibidem.
Quid ad literam: Ecce concipies in vtero.

Et ſic ore locuta eſt:

Virg. l. AEn. & alibi ſæpè.
Alter ſenſus.

nec enim alibi quam in vtero cōceptus formatur, neque locutio alio inſtrumento, quā ore funditur. Vel proptereà dixit, *in vtero,* id eſt, intus de Spiritu ſancto, & non ab extrinſeco, vt aliæ fœminæ cōcipiunt: quemadmodū Hieronymus in Matthæum ponderauit. Vel tertiò, in vtero, non in corde, quia Dominum Virgo iam corde conceperat, quem in vtero concipere debebat; vt oſtendat illum ex virginali vtero ſubſtantialiter incarnatum. Rurſus in vtero, non in corde corporeo & materiali, vt nouellus error finxit, ſed in vtero, in quem puriſsimi ſanguinis guttæ de loco ſuo ſolito eru ptæ, adductæ ſunt virtute Spiritus ſancti, Angelorumque in ijs quæ potuerunt miniſterio. Fuit enim quidam Petrus Lucenſis Ordinis Canonicorum, vel Regularium ſancti Auguſtini, qui id ferè noſtro ſæculo prædicare auſus fuit ex ſanctæ cuiuſdam fœminæ Bononienſis reuelatione, Chriſtum non in vtero communi, & parum honeſto Xenodochio, ſed in præcordijs, ſeu in corde conceptum: cùm tamen Matthæus ex Iſaia producat: *Ecce virgo in vtero habebit:* & Angelus ad Virginem: *Ecce concipies in vtero.* Et friuolum profectò aiebat, quòd Petrus poni aiebat vterū propriè pro aluo, & vulua, aliquando verò pro quacunque concauitate, ſed metaphoricè, iuxta illud Poëtæ:

Hieron. in c. 1 *Matth tom.* 9 *init.*
III. Senſus.
In eos qui Chriſtum nō in vtero Virginis, ſed in corde aiunt conceptum.
IV. Senſus.
Petr. Lucenſ.
Matth. 1.
Iſai. 7.
Turpem non eſſe, nec indecoram conceptionem in vtero.

Vterumq́, armato milite complent.

Virg. 2. *AEn.*

Sed certè nullū membrum hominis iuſti, & ſancti eſt inhoneſtum, & præſertim immaculatæ Deiparæ, quæ ſacrarium Spiritus ſancti ab Eccleſia vocatur, cùm membra noſtra templum ſint Spiritus ſancti. Et importuna, & violenta eſt hæc metaphori

1. *Cor.* 6.

non esse optātis, contra Caietanum.

verba, vt putat Caietanus, benè precantis, aut optantis, verùm affirmantis, & gratulantis; quòd sit prę cæteris Virginibus benedicta eminenter, & semper, & sola, nulli vnquàm obnoxia maledicto: Sicut filius solus inter homines benedictus est: atque per hos duos sublatum est omne pristinũ maledictum. Hinc Sponsus ad Sponsam ait: *Sicut lilium inter spinas sic amica mea inter filias.* E contra illa par pari referens, respōdens ait: *Sicut malus inter ligna syluarum sic dilectus meus inter filios.* Maria ergo benedicta dicitur inter mulieres, quia Virgo peperit, patrem suum genuit, portantem se portauit: nutrientem se lactauit; vestientem se induit; seruantem se custodiuit. Inter mulieres etiam, quia aliæ mulieres si Virgines sunt, nec concipiant, maledictum legis incurrunt: *Maledicta*, inquit, *sterilis, & quæ non parit.* Si concipiant, & matres fiant pariendo filios, Euæ maledictionem non euadunt: *In dolore*, inquit, *paries filios.* At virgo benedicta, Veteris Testamenti benedictionem habet, nempè prolem, & talem ac tantam prolem: habet rursus benedictionem Noui, hoc est, virginitatem; vt offera poma noua, & vetera, vt dicitur Canticor. 7. vtriusque perfectionem scilicet Testamenti, quam Pius II. hoc disticho explicauit:

Cant. 2.

Ibidem.

Maria Virgo cur benedicta inter mulieres.

Gen. 3.

Duplex B. Virginis benedictio.

Cant. 7.

Pius II.

Partus & integritas discordes tempore longo,
Virginis ingremio fœdera pacis habet.

Dicere etiam Virgo potest ipsa de se: Sum, quod erã, (hoc est Virgo) nec eram, quod sum (id est, mater) modò dicor vtrumque. (nimirũ, mater & virgo.) Christus similiter, in alio tamen sensu, idem dicere potest: Sum quod eram (id est, Deus) nec erã, quod sum (id est homo) modò dicor vtrũque (nempè, Deus, & homo.) Benedicta tu etiam inter mulieres, ob fructum ventris benedictum: nam ex fructu arbor dignoscitur, vt Christus dixit: *Sed omnis arbor bona bonos fructus facit*: atque satis quidem sit nobis de salutatione Angelica philosophatum.

II. Ratio, cur sit B. Virgo inter mulieres benedicta.

Matt. 7.

Superest tantùm, vt frequenter, & deuotè Virginem salutemus, quò assensum nostris petitionibus præstare dignetur, quẽadmodum assensit Angelo se salutãti: nam si Archangelus Gabriel, eam antequàm mater Dei esset, tã officiosè salutauit: multò magis nos omnes & tãti filij matrem effectam, & per assumptionem in cœlum exaltatam, magna fide, animique nostri submissione salutare decet. Hæretici in catechismis suis huius salutationis Angelicę, nō meminerunt, ob contemptum; tum quia norunt eam, vt pro nobis peccatoribus oret, inuocare: cùm tamen in ea nihil sit impij, & omnia ex verbo Dei desumpta sint: sed glorientur se apertos Virginis hostes prodere, serpentisque antiqui semen: vt nō obscurè intelligamus, ad illos verum Christum Marię filium nequaquàm pertinere, quibus mater Christi non benè olet, nec sapit. Debemus deinde, exemplo Elisabethæ promoueri ad salutem Virgini impertiendam: nam vt illa plena Spiritu sancto, & humilitate in hęc verba prorupit: *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus vētris tui. Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* ita nos humiliter, ac reuerenter Angeli verba recitare, par est: nam placet Reginæ nostræ literas ab amico ad eam missas libenter audire. Debemus insuper excitari exemplo vniuersalis Ecclesiæ, quę hunc morem salutandi, inuocandiq; Virginem sacram ab initio retinuit, atq; illum retinendum filijs suis traditione docuit. Ad hæc, necessum est verba prophetica Virginis adimpleri; illa autem in Spiritu dixit: *Beatam me dicent omnes generationes:* Pars autem bona laudum ipsius Virginis in eo consistit, quòd illam in nostris difficultatibus tum spiritus, tum corporis confidenter inuocemus. Prætereà expedit nobis, vt hanc salutationem frequenter Marię offeramus, quo summi, ac ineffabilis beneficij incarnationis Filij Dei per ipsam, & in ipsa exhibiti memores, & gratos nos esse ostẽdamus. Ad hęc commouere nos debet vtilitas, & fructus eximius, quem ex huiusmodi salutatione accipere possumus. Nam cùm Prouerbium habeat: saluta libenter, resaluta libentiùs; fieri nequit, quin, si alacriter, & deuotè eam salutauerimus, illa vicissim nos quoque resalutet. Atque vt ad salutationem factam Elisabethæ, impleuit illã Spiritu sancto, *& exultauit infans in vtero eius*: sic & nos ab ea resalutati, Spirit' sancti gratiam cōsequemur, & animus noster consolatione diuinitùs infusa tripudium, & exultationem in Domino efficiet. Iubemur diuino præcepto patrem, & matrem honorare: cùm ergo alius matris Dei honorandæ modus nobis relictus non sit, cōgruũ est, vt eam in cordibus nostris, & linguis sanctificemus, veneremur, atq; inuocemus. Apost. Paulus ad Roma. scripsit. *Salutate*, inquit, *Mariam, quæ multũ laborauit in vobis.* Quòd si mulierem illam propter priuata nonnulla Ecclesiæ Dei beneficia impensa, salutari, & honorari voluit, quantò iustiùs admoneri nos intelligimus, vt matrem Messiæ in cœlo regnantem, quę olim tot pro nobis labores, ac tantos simul cum

Luc. 1. Beatissima Virgo, quàm digna salutari à nobis, & honorari.

Hæreticorum in Virginem impietas, & odium.

Gen. 3.

II. Ratio.

III. Ratio.

IV. Ratio.

Luc. 1.

Ad commendationem B. Virginis quid multitum faciat.

V. Ratio.

VI. Ratio.

B. Virgo omnes pie, & officiose illam salutantes, & ipsa resalutat.

Ibidem.

Exod. 20. & Matth. 15.

Rom. 16.

Maria Virgo multum labo pro nobis cōpassa, omni est salutationis officio, & honore dignissima.

cum Christo sustinuit, omni cultu, veneratione, atque honorificentia prosequamur?

Quibus argumentis Haeretici pium Ecclesiae salutãdi B. Virginem officium demoliri contendant; quae soluuntur.

Sed obstrepunt hęretici à salutanda Virgine dehortantes, vt matrem Dei honore, & cultu suo dispolient, & vt memoriã summi Dei beneficij, id est, incarnationis in nobis extinguant, & nobis tantum ex salutatione Virginis fructum adimant.

I. Argum. Caluini.

Sed videamus quibus rationibus. Caluinus ait, hanc salutationem magico exorcismo in preculam verti. Sed quis sit tam audax, & impudens, vt verba Euangelica vocet magicam adiurationem? Et quid sunt exorcismi probati in Ecclesia, nisi tormenta verborum, & flagra spiritualia, quibus adiurati dæmones de obsessis corporibus expellũtur per exorcistas? vocent ergo Angelum Gabrielem magum & idololatram, qui Mariam reuerenter salutauit, eam, quæ mater Christi futura erat, vt nos eam, quæ iam facta est mater nostra, & regnat in cœlo, salutemus.

Ecclesiae exorcismi quã vim habeant.

II. Argum. eiusdẽ in Harmonia Euangelica.

Secundò argumentatur Caluinus, quòd salutationem loco orationis proponamus. Respondemus, Angeli, vel Elisabethæ verba, partem orationis, quæ petitio dicitur, non esse, sed magis illius, quæ dicitur gratiarum actio, in qua Deus laudibus celebratur, quòd sanctam Virginem omnium donorum munere cumulauerit; vt Angeli propterea, & homines maximam ei gratulentur felicitatem. Et certè gratiarũ actio, Christianæ orationis pars est, quia Deum celebrant, etiamsi nullum bonũ expetant, vel malũ aliquod deprecentur. Quare precari dicuntur, qui sacros hymnos, & Psalmos recitant, aut qui spiritualibus Canticis vacant, vt Paulus habet Ephes. 5. Et Paulus; & Silas orãtes laudabant Deum. Et orationes dicuntur etiam verba, in quibus nihil petimus: vt. *Reuela Domino viam tuam, & spera in eo; & ipse faciet: Domine, ecce quem amas, infirmatur: Domine, si vis, potes me mundare:* Et in Psalmis omnibus occulta vis quædam precãdi est insita, etiamsi Hebræa voce, Tehelim, id est, laudes dicantur. Adde quòd Ecclesia, vt apertiorem redderet orationem, de suo addidit: *Sancta Maria mater Dei, ora pro nobis peccatoribus; Amen.*

Orare Deum censetur, qui in actione gratiarũ versantur.

Ephes. 5.
Actor. 16.
Verba etiam nude nihil postulantium interdum precationem cõtinent, more Scripturæ.
Psalm. 36.
Ioan. 11.
Matth. 8.
Angelicae salutatio: leur addit. ab Ecclesia: sancta Maria mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, Amen.

III. Arg. eiusdem Caluini.

Tertiò idẽ Caluinus in Harmonia Euangelica: *Præterquàm quòd sola gratulatio hic habetur; temerè sibi alienum vsurpant, quod non nisi Angelo minuxit. Bis autem stulta æmulatio, quòd absentem salutant.* Sed hic impostor nõ ignorabat illud Pauli: *Quæcunq; scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta fuisse;* id est, ad communem hominũ vtilitatem, & exemplum præbendum. Nam salutauit Mariam Angelus, & tamen Elisabetha eam quoque salutauit: salutauit & illa, quæ dixit: *Beatus venter qui te portauit:* & nos salutamus, vt fidem nostram profiteamur, Euangelium confirmemus, religionis officium præstemus, & vt impleamus illud: *Beatam me dicent omnes generationes.* Et vt factum vnguentis mulieris in cœna Christum, quamdiu stabit Ecclesia, recoletur in eius memoriam: ita & hoc quod Maria præstitit, vt esset Mater Dei assentiendo, in æternam eius gloriam celebrabitur. Hinc Athanasius in Euangelium de sanctissima Deipara, circa finem: *Gabrielis præconium, non hominum tantùm, sed etiam Angelorum tali Reginæ gratulantium est proprium, & partim in terrestri, partim in cœlesti Ecclesia suum vsum habere debet:* ac tres Angelorum hierarchias id decantare sonora voce, tradit. Et beatus Ephrem Diaconus Ecclesiæ Edessenæ, sermone de laudibus B. Mariæ docet, hac salutatione melos Angelicum contineri, quod Gabriel ille clamans decantauit: eamque salutationem maximè congruam, ac dignissimam, & mundi salutem, animarumque tutelam esse, B. Damascenus sermone de dormitione B. Virginis: *Clamemus cum Gabriele, qui primum locum obtinet inter Angelos; Aue gratia plena, Dominus tecum.* Andreas etiam Cretensis in oratione de Assumptio. seu de Dormitione sanctissimæ Deiparæ, initio: *Omnis lingua,* inquit, *choros ducat, & Deiparæ occinat, Aue.* Hesychius presbyter homilia 2. de Deipara: *Iure proculdubiò omnis grati animi lingua salutat Virginem Deiparam, ac pro viribus Gabrielem Angelorum principem imitatur.* Adde istis, quòd Liturgia beati Basilij post peractum sacrificium, orationem Angelicam producit, dicens: *Aue Maria gratia plena, Dominus tecum, Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui, quia Saluatorem peperisti animarum nostrarum.* Syri verò ab Apostolis instituti sic inuocant Mariam: *Pax tibi Maria plena gratia: Dominus noster tecũ: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus, qui est in vtero tuo Iesus Christus. Sancta Maria mater Dei, ora pro nobis, pro nobis, inquam, peccatoribus, Amen.* Vt ex his videri possit antiquissimus Ecclesiæ mos in Ecclesiam inuectus salutandi, & inuocandi B. Virginem.

Rom. 15.
Quid illud Apost. quæcunq; scripta sunt, ad nostrã doctrinam scripta sunt.
Luc. 1.
Ibidem.
Infra 11.
Cur & nos cũ Angelo, & Elisabeth Mariam Virginẽ salutemus.
Supra 1.
Matth. 26.
Quæ res Mariam Virginẽ dignam fecerit memoria sui nominis sempiterna.
B. Athan. to. 3 à medio.
B. Ephrem apud Lippomanum par. 1. sanct. a me.
Angelicæ salutationis virtutes.
B. Damascen. apud eundem.
Gabriel Angelus primum locum obtinet inter Angelos, teste Damasceno.
Andr. Cretẽ. apud eundem Lippom. ibid.
Hesych. presbyter.
Basilius.
Quomodo Syri B. Virginem salutent, & inuocent.
Mos Ecclesiæ laudabilis ille vetus, nõ nouus ac recens B. Virginem salutandi.

Iam verò perpende, quantis, & quàm gloriosis titulis sit B. Virgo à beato Cyrillo Alexandrino coram grauissimo Patrum cœtu in templo Deiparæ dicato, cohonestata: *Salue sancta, & arcana Trinitas, quæ nos omnes ad hanc Deiparæ Mariæ celebritatem conuocasti. Salue etiam tu quoq; Dei Genitrix Maria, eximium vniuersi orbis terrarum decus, & ornamentum. Tu lampas inextinguibi*

B. Cyrill. homilia 6. in Nestorium, tom. vlt.
Quantum Virgini Mariæ tribuat non minus eleganter quam verè Magnus ille Cyrillus.

lis, tu virginitatis corona, tu rectæ fidei sceptrum, & norma, tu templum Dei inuiolatum, tu eius sedes, qui nullo capitur loco. Tu virgo, & mater: per te benedictus, qui venit in nomine Domini, in Euangelijs appellatur. Salue, quæ incomprehensibilem in sancto virginali vtero comprehendisti. Salue, per quam & Trinitas sanctificatur, & sancta crux colitur, & in vniuerso terrarum orbe adoratur. Per te cœlum exultat, Angeli & Archangeli lætantur, per te dæmones fugantur, per te diabolus tentator è cœlo decidit, per te pro lapsum plasma, siue figmentum in cœlum recipitur, per te vniuersa creatura idololatriæ vanitate occupata ad veritatis cognitionem deducta est. Per te sacrum baptisma, & oleum exultationis obtingunt credentibus: per te in vniuerso mundo fundantur Ecclesiæ. Hæc ille Sanctus, & doctissimus sui sæculi Episcopus, & doctor. Quæ si quis hodie dixisset, & scripsisset, & eiusmodi liber in manus Hæreticorum incidisset, bone Deus, quantas tragœdias contra eum excitassent, quanta maledicentia verborum in eum debacchati essent, ferre tanta encomia, & præconia Virginis Deiparæ non valentes! Quod verò ait frequenter: Per te hoc, vel illud obtinemus, intellige rectè, per tuas preces, siue intercessiones, siue per tua incomparabilia merita.

Matth. 21. Mira Virginis præconia.

Ingenium Hæreticorum.

Dictum Cyrilli, Per Virginem Deiparam omnia à Deo in nos bona prouenire, quomodo accipiendum sit.

IV. Argum. Caluini.

Quod verò postremo loco obiectū est, neminem posse absentem Mariam salutare: ridiculum est; quasi beata Virgo exularet apud Garamanthas, aut in insulis Fortunatis peregrinetur, vel humano more dormiat, vel mortuorum instar, qui nondum beati sunt, vota, & preces percipere nequeat; cùm tamen Angeli nostri fidi custodes, & procuratores nobis adsint. Quidni Regina cœlorum Maria nobis spiritu adsit, si etiam Apostolus corpore absens, spiritu tamē præsens esse poterat Corinthijs? Hinc S. Germanus sermone 2. de Assumptione, quasi præsentem salutans, ait: *Spiritus tuus, ô Maria, viuit in æternum, & caro tua in sepulchro corruptionem non sustinuit: Omnia obseruas, omnia contueris, & inspectio tua ad omnes se porrigit: quamobrem licèt oculi nostri impediantur, quominus te videre queant; tu tamen sanctissima Virgo dignu te ipsam patefacis. Caro enim tua spiritus tui virtutem, & efficacitatem nihil quicquam remoratur.* Hæc ille sanctus Pater. Cui consonat Bernardus sermone 1. tractatus in salue Regina, initio ferè: *Oportet vt nobis præsentem esse dicamus, quam præsentem salutamus; & totam animæ nostræ trinitatem in eam dirigamus, quam tam deuotissimis precibus exoramus. Agnoscit certè, & diligit diligentes se, & propè est in veritate inuocantibus se: præsertim his, quos videt sibi conformes factos in castitate & humilitate.* Et hactenus in hæreticos dictum sit.

Quod maximè nobis adsit B. Virgo eam salutantibus, ac deprecantibus.

1. Cor. 5.

S. German.

Quibus se ipsam patefaciat beatissima Virgo.

B. Bernard.

Conformes facti B. Virgini in castitate, & humilitate, illi verò beatissimā Virginem habent sibi præsentissimam, teste Bernardo.

Quòd si quispiam in hac salutatione Angelica recitanda, gustum spiritualem, aut dulcedinem quandam experiri velit, integrum erit hæc quæ sequuntur, vel similia meditari. *Aue Maria.* Oliua pacis est, quam columba sub vesperam in ore ad arcam detulit, diluuij iræ Dei finē prænuncians *Gratia plena. Vnguentum est in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron,* & inde per collum *in oram vestimenti eius*; Et, *Sicut ros Hermon qui descendit in montem Sion. Dominus tecum.* Ad illud pertinet, quod Isaias ait: *Vrbs fortitudinis nostræ Sion Saluator, ponetur in ea murus, & antemurale. Benedicta tu inter mulieres.* Hęc est mulier fortis quæsita à Salomone, quæ contereret caput Serpentis, & quæ sempiternas, nec vnquam reconciliabiles cum eo gereret inimicitias. *Et benedictus fructus ventris tui Iesus.* Antidotum est cibi vetiti, quem Adam, & Eua gustauerunt: ideoque peccatum, & mortem in mundum inuexerunt. Hunc autem fructum Mariæ qui gustauerit, iustitiam, & vitam æternam assequetur, & eius oculi aperientur, vt verè sit sicut Deus sciens bonum & malum. *Sancta Maria ora pro nobis peccatoribus.* Mulier est illa Thecuites, cuius sermonibus placatus Dauid, pepercit parricidæ Absaloni filio suo.

Iocunda quædam ac suauis Angelicam salutationem meditandi ratio.

Gen. 8.

Psalm. 132.

Ibidem.

Isai. 26.

Prouerb. vlt.

Gen. 3.

Suprà 2.

Infra 3.

Rom. 5.

& Sap. 2.

Gen. 3.

Fructus Mariæ eum degustātibus qualis.

2. Reg. 14. & seq.

Rursus singula huius salutationis verba, festiuis solemnitatibus Virginis mirificè consentiunt. Primum verbum, *Aue*, Conceptioni Virginis ex parentib' respondet: quia salutata est, vt minimè apud Deum excommunicata, & à peccato seruata, vt possit dici sine væ. Secundum, *Maria*, Natiuitati virginis adaptatur, in qua tanto nomine insignita est, & iuxta significatum fide illuminata, vt & maris Stella apparuit mundo. Tertium, *Gratia plena*, Præsentationi Virginis accommodatur: nam triennis ex singulari gratia se Deo obtulit in seruam, & corpus etiam suum voto illi dicitur consecrasse. Quartum verbum: *Dominus tecum*, Annunciationi per Angelum ad illam factæ quadrat: nam Conceptione Filij Dei, Deus singulariter cum Virgine fuit, vt verissimè illi dici possit, *Dominus tecum.* Quintum verbum: *Benedicta tu in mulieribus*: festiuitati Visitationis ad Elisabetham factæ rectè congruit, in qua cognata sua Spiritu sancto repleta, eam benedictam inter mulieres secundò post Angelum proclamauit. Sextum verbum: *Et benedictus fructus ventris tui* IESVS, Partui Virginis in Bethleem accōmodatur. Est enim fructus benedictus, quem sanctissima mater sine

B. Virginis singulæ festiuitates eiusdem Angelicæ salutationis verbis quam aptè respondeant.

Conceptio.

Natiuitas.

Præsentatio.

Annunciatio.

Visitatio.

Luc. 1.

Ibidem.

Partus.

Infra 2.

dolore,

dolore, imò summo cum gaudio, salua sua virginitate, in lucem edidit. Quod mysterium naturæ cursum maximè superat. Septimum verbum: *Sancta Maria Virgo mater Dei*, Solemnitati Purificationis quadrat, in qua B. Virgo veram se Matrem Christi ostendit, illum in templo præsentando, sanctitatemque suam ac puritatē proferendo, volens se subdere legi purificationis, quæ omni munditia, & virginea puritate pollebat, vt ita meritis suis, & precationibus nos (qui peccatores atque impuri eramus) purificaret. Octauum verbum: *Ora pro nobis peccatoribus*. ad sacratissimam Virginis Assumptionem hæc verba referenda sunt: nam assumpta est, vt pro nobis perpetuò orare nō desinat, & fidelissimā aduocatam se apud Filium pro nobis præstet. Siquidem postrema Mariæ actio, quā Scriptura tradit, fuit in die Pentecostes orare simul cum Apostolis pro aduentu Spiritus sancti: neque de illa deinceps in Scripturis vllum inuenitur verbum: quò nimirùm intelligamus perpetuas preces pro Spiritu sancto nobis impertiendo, ad Deum semper fundere. Postremum verbum, *Nunc, & in hora mortis nostræ*. Constantiæ, fortitudinique respondet, quam Christo moribundo, & in Cruce animam agenti præstitit; qua quidem promeruit omnibus filijs suis spiritalibus hora mortis assistere, atque eos ab insidiante dæmone, & mala morte seruare, iuxta illud: *Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe*. Ad hæc, in primo verbo, *Aue*, contra reliquias peccati originalis, ac fomitem, per eam dari nobis gratiam, petamus. In secundo verbo, *Maria*, fidem, qua illuminemur, & de peccatis salubriter (vt Augustinus loquitur) amaricemur, postulemus. In tertio verbo, *Gratia plena*, gratiam nobis per illam donari quæramus, qua nos ipsos Deo singulariter offeramus. In quarto verbo, *Dominus tecum*, rogemus gratiam nobis per eam impetrari, vt Deus nobiscum sit, vtque eum Spiritu sancto nos adumbrante fide concipiamus. In quinto verbo, *Benedicta tu in mulieribus*. Petamus secundùm spiritum, & cum benedictione Dei visitari, vt ita visitati, impleamur Spiritu sancto. In sexto verbo: *Et benedictus fructus ventris tui Iesus*, Postulemus gratiam bene pariendi Christum fructibus bonorū operum, etiamsi cum dolore aliquo pariendus sit: quia paulatim assuefacti, edere poterimus fructum non solum sine dolore, sed etiam cum gaudio, iuxta illud: *Gaudium iusto est, facere iudicium*. In septimo verbo, *Sancta Maria mater Dei*. Flagitemus gratiam sanctitatis, & munditiæ; vt etiam horreamus, ac vitemus peccata venialia, atque à benè agendi defectibus permundemur. In octauo verbo: *Ora pro nobis peccatoribus*. Expectamus gratiam, qua in cœlum frequenter fide, & meditatione assumamur: vt ita dignitatem & gloriam tātæ Matris in dies magis agnoscamus, atque veneremur. In postremo verbo, *Nunc & in hora mortis nostræ*, acribus assiduisque precibus à Deo contendamus nobis dari gratiam benè viuendi, beneque moriendi: nam ob id quod Christo nascenti, & morienti astitit, digna facta est, quæ filiorum Dei generationem, vt mater pientissima foueat: atque morti nostræ, in qua Deo per gloriam nascimur, singulariter succurrat: vt ita tanto patrocinio & fauore subleuati, seruatique, virginem sanctissimam imitemur, ac filium eius cum Patre, & Spiritu sancto per æterna sæcula exaltemus, atque magnificemus.

Purificatio.
Ibidem.
Assumptio Virginis Mariæ, quid nobis conferat.
Actor. 1.
Fortitudo eiusdē, & constantia, ac præmium eius.
Ioan. 19.
Per eandē salutationē, quæ à [illegible] debeamus.
Prouerb. 21.
Virginei comitatus Christi in natiuitate, & cruce meritum, & fructus.
Luc. 2.
Ioan. 19.

Verùm, vt qualis fuerit Mariæ species, forma, & statura, intelligas; en tibi ex Epiphanio quale testimonium producat Nicephorus Callistus, libro secundo historiæ Ecclesiasticæ, capite 23. his verbis: *Mores autem, formaque, & statura eius modus, talis, vt inquit Epiphanius, fuit. Erat in rebus omnibus honesta, & grauis, pauca admodum, eaque necessaria loquens, ad audiendum facilis, & perquàm affabilis; honorem suum, & venerationem omnibus exhibens: statura mediocri, quamuis sint, qui eam aliquantulum mediocrem longitudinem excessisse dicant. Decenti dicendi libertate aduersus homines omnes vsa est: sine risu, sine perturbatione, & sine iracundia maximè. Colore fuit triticum referente, capillo flauo, oculis acribus, subflauas, & tanquàm oleæ colore pupillas in eis habens. Supercilia ei erant inflexa, & decenter nigra: nasus longior, labia florida, & verborum suauitate plena, facies non rotunda & acuta, sed aliquantò longior; manus simul & digiti longiores. Erat denique fastus omnis expers, simplex, minimeque vultum fingens, nihil mollicei secum trahens, sed humilitatem præcellentem colens. Vestimentis, quæ ipsa gestauit coloris natiui, contenta fuit: id quod etiamnum sanctum capitis eius velamentum ostendit. Et, vt paucis dicam, in rebus eius omnibus multa diuinitus inerat gratia.* Hæc ille. Qualis autem fuerit eius effigies atque forma, quod ad spiritum, & virtutes eius attinet, docet B. Ignatius in Epistola prima ad sanctum Ioannem Euangelistam, his verbis: *Sunt hic multæ de mulieribus nostris Mariam IESV videre cupientes. Et quotidiè à nobis ad vos discurrere volentes, vt eam contingant, & vbera eius tractent. Quæ Dominum IESVM aluerunt, & quadam*

Niceph. Callisti.
Diuæ Dei genitricis mores, statura, & forma.
Forma eiusdē spiritualis & interna.
Bernardus has paruas Epistolas recipit, & Michael Marcus Corionens.

eius secretiora percunctentur ipsam Mariam Iesu. Est & Salome; quam diligis, filia, anno Hierosolymis, & quinque mensibus apud eam commorans, & quidam fortè notificauêre eandem Matrem Dei omnium gratiarum abundantem,

Deiparæ Virginis insignes virtutes.

& omnium virtutum more Virginis, virtutis, & gratiæ fœcundam: qua (vt dicunt) in persecutionibus, & afflictionibus est hilaris, in penurijs & indigentijs non querula, iniuriantibus grata, & modesta in re lætatur, miseris & afflictis condolet coafflicta; & subuenire non pigrescit: contra vitiorum autem pestiferos conflictus in pugna fidei disceptans enitescit. Nostra nouæ religionis, & pœnitentiæ est magistra, & apud fideles omnium operum pietatis ministra. Humilibus quidem est deuota, & deuotis deuotius humiliatur, & mirum ab omnibus magnificatur, cùm à Scribis, &

Scribæ & Pharisæi, vt olim Filio, ita & Matri detrahebant.

Pharisæis ei detrahatur. Præterea multi multa referunt, tamen omnibus per omnia non audemus fidem concedere, nec tibi referre. Sed sicut nobis à fide dignis narratur, in Maria Iesu, humana natura natura sanctitatis Angelica sociatur. Et hæc talia excitauerunt viscera nostra, & cogunt valdè desiderare aspectum huius, si fas sit fari, cælestis prodigij, & sacratissimi monstri. Hæc

Maria Virgo cæleste prodigium, & sacratissimum monstrum.

Ignatius ille sanctissimus Ioannis Euangelistæ discipulus, & inclytus Christi martyr. Vtinam eius precibus & intercessionibus imprimatur cordibus nostris tantæ Matris imago, & forma ad eam nostris linguis celebrandam, & actibus exprimendam atque imitandam, Domino nostro Iesu Christo præstante, qui cum Patre, & Spiritu sancto viuit, & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

TRACTATVS VI.

Luc. 1.

In illa verba: *Quæ cum audisset, turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio. Et ait Angelus: Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum. Ecce cōcipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum,* vsque ad: *Et regnabit in domo Iacob, & regni eius non erit finis.*

HACTENVS Angeli ad Virginem explicuimus salutationē: sed illa nimirùm prudentissima, humilitate, & sanctitate plena, talia, ac tanta laudum præconia ad se haud pertinere iudicans, turbata est interius, & turbationis internæ signa exterius ædidit: atque hanc turbationem summæ pudicitiæ, & excellentis modestiæ, atque pudoris argumentum pro responso Angelo reddidit. Debent enim virgines ta-

Virginis modestia. Quales esse debeant virgines exemplo Mariæ.

citurnitate, ac verecundia excellere, signisque potiùs, quàm verbis suam prodere voluntatem; non autē esse garrulæ, vel loquaces, thesaurumque pudicitiæ, & honestatis per linguæ ostium effundere, vt pleræque vanæ, ac dissolutæ virgines, interdū etiam religiosæ facere solent. Nam vt dicitur à Salomone; *Stultus si tacuerit, sapiens reputabitur; & si compresserit labia sua, intelligens.* Apud Ecclesiasticum quoque legimus: *Audi tacens simul, & quærens.* Postquam ergo Virgo audiens tacuit, tacendo quæsiuit rationem eorum verborum, quibus honore effecta fuit. Sed iam singula verba persequamur. Ait ergo: *Quæ cum audisset,* vbi, quia Græcè legitur, ἡ δὲ ἰδοῦσα, hoc est, Quæ cùm vidisset, quidam putant additam primam literam ι, factumque ex vidisset, audisset.

Prouerb. 17.

Eccles. 32.

Notatur Erasmus.

Hic multùm torquetur Erasmus, & allegat quendam Græcum autorem ex Catena Aurea legentem: *Quæ cùm vidisset,* & B. Ambrosium dicentem: *Ipsa autem, vt vidit eum, mota est in introitu eius,* (vel potiùs, vt alij legunt, *in intuitu eius.*) Et subdit: *Quod ad virilis sexus speciem peregrinam turbatur aspectus Virginis.* Hæc ille, non aduertens more Hebræo videre, interdum poni pro audire, imò etiam pro alio quolibet sensu interno, atque adeò etiam pro eo, quod fide accipimus. Hinc Exod. 20. dicitur: *Cunctus autem populus videbat voces, & lampades, & sonitum buccinæ:* id est, audiebat. Sicut: *Quia vidisti me,* (hoc est, tetigisti) *Thoma, credidisti.* Certè Syriacum Euangelium, *vidisset,* legit: & Valla testatur, quosdam antiquos habere: *Quæ cùm vidisset,* & tunc sensum bonum habet: & confirmat Eusebius in Euangelium Annunciationis: *Turbata est,* inquit, *non in vultu Angeli, sed in sermone: non enim Angelum, sed verbum Angeli attendebat, & quid illa tam officiosa salutatio sibi prætenderet, cogitabat.*

B. Ambr. lib. 1 de offic. c. 18. & c. 1. in princ.

Visus in Scripturis pro auditu, & pro quolibet alio sensu interiori accipi consueuit.

Exod. 20.

Ioan. 20.

Laur. Valla.

Euseb. Emisse.

Duplex Virginis turbatio.

¶ Subdit: *Turbata est in sermone eius.* Non ait, in aspectu eius. Interpres verò maluit sensum transferre, quàm verba; quamquam non multùm referat, quod ad sententiam attinet, si dicas: Quæ cùm vidisset Angeli præsentiam, & maiestatem; vel, Cùm audisset Angelum inauditum sermonem loquentem. Et cùm fortassis tum ex aspectu Angeli cum tanta maiestate apparentis, & sensibili in specie venientis, tū ex sermone honorifico pariter turbata fuit. Ex quo Ambrosius lib. 2. de Virginibus ad vtrumque refert turbationem, vt superiori tractatu allegauimus, & Hieron. Epist. ad Eustochium de custod. Virginit. Sed vnde hæc tāta serenitatis conscientiæ potuit prouenire turbatio? Sciebat prudens, & humilis virgo illum esse Dei Angelum. Et vt

B. Ambr. 10. 1.

Hieron. Epist. 22. propè fin. to. 1 sub init.

Quare fuerit turbata.

Ambr. lib. 2. in Lucam, c. 2 tom. 5.

Ambroſius ait, ſæpè ad illam ventitabat: Id quod & ipſe textus inſinuat, neque enim neceſſe fuit vt ipſe diceret, quemadmodũ Zachariæ dixerat; *Ego ſum Gabriel, qui aſto ante Deum, & miſſus ſum loqui ad te, & hæc tibi Euangelizare.* Sciebat prætereà Dei nuncios minimè ſolere vti aſſentatione, aut dolo, & tamẽ ad orationem eius commouetur. Ad hæc non turbatur vt in re minus grata, & ſibi diſplicente, ſed vt in re valdè grata, & amicabili: quemadmodum oculus ſi luci diſsimus radius in illum incidat, à ſplendore, & magnificentia lucis perturbatur, adeò vt illachrymetur: Ad hunc modum beata Virgo perturbata eſt, atque commota, vt ferè fit in alicuius rei inexpectato euentu, & magnæ, & excellentis. Sic Herodes turbatus eſt audito Magorum aduentu, quærentium Regem Iudæorum.

Nunciorum Dei proprium.

Quomodo turbata.

Matth. 2.

Prudens Virgo vti cogitabat qualis eſſet Angelica ſalutatio.

Maria ergo cogitans non qualis, ſed quanta (Græcè enim eſt ποταπὸς, non πῶς, hoc eſt quanta, quamque magnifica, & ſublimis eſſet illa ſalutatio: non quaſi non intelligeret dicta, eorumque quæreret intelligentiam; ſed partim rei magnitudinem, & excellentiam, partim verò tenuitatem, atque indignitatẽ ſuam perpendens. Nam magnificum eſt atque amplum, Virginem eſſe gratia plenam, qua cum ſit Dominus, & fœcundã: tale enim in ſalutatione contentum eſt. Vnde Origenes in Lucam ait: *Si enim ſciſſet Maria, & ad alium quempiam ſimilem factum eſſe ſermonem: habebat quippe legis ſcientiam, & erat ſancta, & Prophetarum vaticinia quotidiana meditatione cognouerat, nunquam ea talis ſalutatio, tamq; peregrina eam exterruiſſet.* Hæc ille. Ad hunc ſanè modum humilis quæuis virgo cogitaret, ſi illi annunciaretur electio ad dignitatem Reginæ, vel Imperatricis. Turbatur ergo inprimis Maria, quia filia Dauidis. Qui dixit: *Turbatus ſum, & nõ ſum locutus.* Deinde metuens pudori, & illuſionem dæmonum cauens, & ſciens, non omni ſpiritui eſſe credendum; Nam ſermo quo blandior ac dulcior, eò magis ſuſpectus eſſe debet. Vnde Ambroſius in Lucam: *Trepidare virginum eſt, & ad omnes viri ingreſſus pauere, omnes viri affatus vereri.* Et infrà: *Diſce virgo verborum vitare laſciuiam. Maria etiam ſalutationem Angeli verebatur.* Tertiò, quemadmodum ſuperbus ſua grauia ſcelera, & flagitia reprehendi, perturbatur; ita humilis & modeſtè de ſe ſentiens, cùm audit ſua præconia celebrari, permouetur, ac turbatur. Quare eleganter Gregorius dixit: *Iuſtus dum laudatur in facie, flagellatur in mente.* Dicitur etiam in libro Prouerbiorum: *Quomodo probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum; ſic proba-*

Orig. homil. 6 poſt medium. tom. 2.

Turbationis Mariæ tres cauſæ producuntur.

Pſalm. 76.

1. Ioan. 4.

B. Ambr. loco præſcripto.

Virginum documenta.

Superborum ingenium, & contra humilium, quod.

B. Gregor.

Prouerb. 27.

tur homo ore laudantis. Beata autem Eua, ſi ad magnifica promiſſa ſerpentis turbata fuiſſet: nam proptereà cecidit; quia timorem Dei non habuit, imò colloquium cum dæmone miſcuit; & quia leuis erat corde, citò credidit, ac proinde ſeducta fuit. Beatæ autem erunt virgines, & fœminæ, ſi ad laudes virorum perturbentur, nec tam citò fidem præſtent dęmoni per homines tentanti, atque ad inanis gloriæ, amittendæque pudicitiæ crimen ſollicitanti.

Eua cur ceciderit infelix. Gen. 3.

Eccleſ. 19.

Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria. Angelus pro reſponſo ſilentium eius, & turbationem accepit; ideoque pacatam eam ac ſerenã conatur reddere. Et quia ſuppreſſo eius nomine, tã magnifica ſalutatione fuerat deterrita; eam nunc proprio nomine nuncupat, vt omnem ab ea pellat timorem: quemadmodũ ponderauit Ambroſius. Exponit etiam Auguſtinus: *Ne,* inquit, *timeas.* Abijce abs te omnem metum ſæculi, quæ conceptura es gaudium mundi. Poſtremò, *Ne timeas Maria,* quia charitas perfecta foras mittit timorem, verùm timorem ſeruilem, non autem filij proprium, atque caſtum.

Cur Angelus dixerit: Ne timeas Maria.

D. Ambr. lib. 2. c. 21. tom. 5. B. Aug. ſerm. 5. de Natali Dom. aut quicunq; eius autor eſt, to. 10. 1. Ioan. 4.

Sequitur: *Inuenisti enim gratiam apud Deum.* Quibus verbis explicat, cur eam gratioſam, & benedictam, ſiue fœcundam inter mulieres dixerit. Sed quęnam eſt quęſo gratia quam inuenit? Hac de re tria diſputanda ſunt. Primum, quam gratiam inuenerit, & an illam quæſierit. Deinde an huiuſmodi gratiam promeruerit. Tertiò, quomodo illam inuenerit, & eſt ſermo de gratia apud Deum, vt expreſsè ait Angelus, quemadmodum olim Moyſes dixit; *Præcipis vt educam populum iſtum; & non indicas mihi quem miſſurus es mecum, præſertim cùm dixeris: Noui te ex nomine, & inueniſti gratiam coram me. Si ergo inueni gratiam in cõſpectu tuo, oſtende mihi faciem tuam, vt ſciam te, & inueniam gratiam ante oculos tuos.*

Circa hoc. Inueniſti enim gratiam apud Deum, explicanda proponuntur tria.

Exod. 33.

Primum expediamus. Sermo eſt de gratia incarnationis, quam deſiderabat, & inuenit: quia enim ſequitur: *Ecce concipies in vtero, & paries filium,* expreſsit gratiam quã inuenit: vt acutè ponderarunt Origenes, & Ambroſius. Inuenerant quidem gratiam plures ante eam, ſed non hanc incarnationis, & maternitatis Filij Dei. Et innuitur, quod quęſierat, inueniſſe: ſiquidem omnes filiæ & puellæ Iſraël, aut certè omnes virgines ex Dauidis familia, eo præſertim tempore, quo Prophetæ, id eſt, omnes eius ætatis prædicatores dicebant, Meſsiam mox affuturum, illam dignitatem optabant, & ſperabant: & quæ ſapientiores erant, etiam efflagitabant, vt efficerentur matres Meſſiæ, aut ſaltem propè illam, quæ Mater Dei

Quã gratiam apud Deum inuenerit Maria.

Orig. hom 6. Ambr. lib. 2. in Luc. cap. 3.

Prophetæ apud Iudæos prædicatorum munere fungebantur.

Quomodo B. Virgo nõ modo vllo ſine vitio, verum etiam magna cũ laude vi ptaret eſſet Meſiiæ, à Deo optare poterat atque efflagitare.

eſſet

esset futura, assistere. Nam si Rex Hispaniæ publicam vocem ederet, hanc nimirum: volo in sponsam, & vxorem legitimam accipere nobilis cuiusdam Romani, aut Neapolitani filiam; certè omnes puellæ nobiles, nubilesque Romanæ, vel Neapolitanæ possent hanc dignitatem optare, & nullo vitio, posita Regis voluntate, vt tanti Regis dignæ matrimonio inuenirentur, expetere.

Luc. 1.

Maria ergo, quia de domo, & familia Dauid erat, & quia statuerat virum omninò non cognoscere, vt quæ Matrem Messiæ Virginem futuram diuinaret, iuxta vaticinium Isaiæ, probabiliter & sperabat, & petebat, & quærebat hanc gratiam: alioquin cur statueret virum non cognoscere, cùm steriles tunc temporis maledicerentur? Idé quoque videtur significare Angelus, cùm dixit: *Dominus tecum*, hoc est, in votis, ac precibus tuis: ideò quod cogitasti, eueniet.

Isai. 7.

Exod. 23 & Ierem. aliàs. Cum aliquo Deus sit quando

Iudic. 6.

Sic enim Angelus Gedeoni dixit: *Dominus tecum virorum fortissime*; id est, Deus annuit votis tuis in liberando populo Israël. Sic etiam Nathan iussu Dei Dauidem alloquitur: *Fui tecum in omnibus, vbicunq; ambulasti*; & Samuel alloquitur Saulem: *Quando ergo euenerint signa hæc omnia tibi, fac quæcunq; inuenerit manus tua, quia Dominus tecum est.* Ex quibus verbis colligitur Deum esse cum aliquo, quando eius desiderijs & precibus assentitur.

2. Reg. 7.

1. Reg. 10.

Quid illud Benedicta tu in mulieribus.

Idem etiam significare videtur verbum illud *Benedicta tu in mulieribus*; hoc est, Tu es illa mulier benedicta, de qua prædictum est quòd inimicitias gereret cum serpente, & quòd caput eius esset contritura, & quæ nouo modo virum complexura esset, vt habes apud Hieremiam. Denique illa es, quæ paritura erat Emmanuelem; ideò post verbum, *Benedicta tu inter mulieres*, sequitur: *Ecce concipies, & paries filium*, scilicet illum, quem optasti: quia tu es illa mulier, de qua tãta bona prænunciata sunt.

Gen. 3.

Hierem. 31.

Isai. 7.

Quæ largiturus est nobis munera Deus, ea ex votis nostris, ac precibus pertinet pendere cui velit.

Ad hæc consueuit Deus magna, & singularia dona non sine votis, & precibus præmissis concedere, vt per illa desideria, & precationes digni beneficijs precantes reddantur. Hinc illud Domini dictum; *Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis.* Et; *Si quis vestrûm indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & nõ improperat; & dabitur ei.* Mirum ergo esse non debet, si tantam, & talem gratiam B. Virgini largiturus, prius eam ardétibus desiderijs, atque feruentissimis precibus ad tantum donum dignè accipiendum præmunierit, ac præparauerit.

Matth. 7.

Iacob. 1.

B. Virginis gignendi Messiam desiderium vnde constet esse laudabile.

Neque verò Virginis hoc desiderium insolens, aut superbum est iudicandum, sed potiùs fidelis, & benè sperantis animæ. Nam sic Thamar furata est concubitum Iudæ, quamq; à non sine vitio ac peccato, sciens ex eo futuram promissam benedictionem, vt ex eius progenie, & non ex Esau Messias nasceretur, vt quidam sentiunt. Sic Ruth elegit populum Dei, & hominem senem Booz in virum.

Gen. 38. Thamar quare cum Iuda dormierit, secundum aliquos.

Ruth 4. & sequent.

Atque ita omnes agere deberemus, si talis benedictio proponeretur, vt si non aliter, saltem vi, & pia fraude esset aucupanda: neque in hoc ambitio, aut nimia diligentia esset reprehendenda; imò verò non esse in eiusmodi re ambitiosum, esset magnoperè reprehendendum: etsi *regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud:* accusandi iure essent, qui non in hoc omnem operam, quam possunt, & vim adferunt.

Matth. 11.

Idem Virginis propositum alio illustratur exemplo.

Ecce ambitiosus diceretur, qui magistratum ambiret: si verò talis magistratus proponatur, quem qui assequitur, non sit vnquam peccaturus, sed cum gloria Dei, & animæ suæ salute administraturus, proculdubiò nemo ambitionem in hoc reprehenderet. Talis erat dignitas matris Messiæ, ad quam quæ eueheretur, plenam esset iustitiam ac proinde impeccantiam assecutura: præsertim cùm scire posset, matrem Messiæ futuram duntaxat eius matrem, qui veniebat ministrare, & non ministrari; & dare animam suam redemptionem pro multis: quare futurum erat, vt & ipsa alijs ministraret, & poneret animã suam in cooperationem, vt ita dicam, redemptionis pro multis.

Infra 20. Mater Messiæ & ipsa, quod ne ventura erat, nõ ministrari sed ministrare.

Quòd si obijcias: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*, & ideò *antequam glorificetur cor hominis, humiliatur*, vt dicitur in libro Prouerbiorum: Respondeo, satis humiliatur, quæ ex se nihil esse existimat; indignamque se tanto munere, & vocatione arbitratur. Veruntamen cùm Deus hominibus suggerit talia vt dona petantur, desiderenturque, illi iam non in seipsis nituntur, sed in gratia Dei, qua se (ad quodcunque vocauerit Deus munus obeundũ) intelligunt reddi posse aptos atq; idoneos: quin etiam hoc veræ humilitatis est argumentum.

1. Petr. 5. & alibi.

Prouerb. 18. Deus si superbis resistit, quid quærit Virgo fieri mater Dei.

Ideò beata Maria tãcitò acquieuit Angelo ad tam altam dignitatem DEI nomine inuitanti, neque pertinaciùs repugnauit, indignitatem suam obijciendo, & vilitatem: quo facto indicatur illam de ea re sæpiùs cogitasse, declarasseque à Deo Optimo Maximo impetrare ea gratiarum munera, atque ornamenta, quæ ad matrem Messiæ conuenienter efficiendam, pertinere censebat.

Maria Virgo Angelo Messiæ conceptum & partum annuncianti, cur citum præbuerit assensum.

Sed quoniam nonnullis videtur hoc desiderium aliquid superbiæ, arrogantiæque includere, neque his quas produximus, rationibus placantur, dicunt eam cogitasse.

Ea quorundã meditatio. Virginẽ Mariam nõ ... matrem Messiæ ...

atque

mulam fieri optaſſe quid in ommnu habeat. Luc. 1.

atque optaſſe famulam matris Meſſiæ fieri; atque ideo propoſuiſſe virū non cognoſcere, quò liberiùs poſſet, & faciliùs illi inſeruire. Tunc autem oportebat illam non nubere, ne maritus obſtaret famulaturæ: & illud: *Dominus tecum,* haberet hunc ſenſum: Deus qui te exaltare voluit, tecum fuit, tam humiles cogitationes inſpirando: tamen tu es illa benedicta, quæ *concipies, & paries:* & ideo non eſt opus vt alteri in hoc ſeruias. Atque ob hanc cauſam Virgo turbata eſt in ſermone Angeli, quia dum humilia de ſe cogitaret, ſublimia atque magnifica denunciabantur.

Deus internos ſuos afflatus & inſpirationes pro ſua bonitate & ſapientia conſueuit exterius confirmare, nunquam eis contradicere.

Itaque cogitare poterat, vel cogitationes ſuas cum Deo non fuiſſe, vel quæ nunciarentur, ex Deo non eſſe, cùm Deus ſolitus non ſit contraria foris annunciare his, quæ intus inſpirat, ſed quod per legem, & Prophetas denunciat, etiam interno afflatu, ſubſequitur, vel antecedit. At hæ rationes ſolubiles certæ ſunt, veræque humilitati non repugnant: quare ſiue hoc, ſiue illud cogitauerit, Deus cum illa fuit, & vtrumque laudem & commendationē habet, nec niſi humilia, & humiliter de ſe ſenſit, & cogitauit, etiam ſi mater Meſsiæ effici optauerit. Et hactenus de primo.

An B. Virgo gratiam incarnationis promeruit.

August. lib. de prædeſt. ſanct. c. 15. propè finem, tom. 7. ad calcem.

Ioan. 3.

Progrediamur ad ſecundum. Cùm incarnatio ſit omnis meriti fundamentum; ideo ſub meritum vllum cadere nō poteſt. Vnde Auguſtinus libro de prædeſtinatione ſanctorum ſcripſit: *Quiſquis,* inquit, *in capite noſtro præcedentia merita ſingularis illius generationis inuenerit, ipſe in nobis membris eius præcedentia merita multiplicatæ regenerationis requirat. Neque enim retributa eſt Chriſto illa generatio, ſed tributa, vt alienus ab omni obligatione peccati, de Spiritu, & Virgine naſceretur. Sic & nobis vt ex aqua, & Spiritu renaſceremur, non retributum eſt pro aliquo merito, ſed nobis tributum.* Hæc ille. Ratio etiam idem euincit.

I. Ratio in contrarium. Rom. 11.

Nam gratia ſub meritum non venit, quia vt ait Apoſtolus: *Si gratia, iam nō ex operibus,* hoc eſt, ex meritis: ſumma ergo & maxima gratia, quæ eſt ipſa incarnatio, multò minus ſub meritum veniet.

II. Ratio ab incarnationis effectu.

Adhæc incarnatio totam naturam humanam reformat, ac reficit; atque ideò illam nullus ſingularis homo promereri poteſt: nam puri hominis bonum haud poteſt eſſe cauſa boni naturæ totius. Poſita tamen Dei voluntate, illaq; per Prophetas expreſſa, quod incarnari voluerit, ſancti Patres, & Prophetæ illius accelerationē promeruerunt, iuxta illud: *Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus:* vt gloſſa exponit. Apud Danielem legimus ſeptuaginta hebdomadas abbreuiatas eſſe ſuper

Pſalm. 11. Gloſ. ordin. Daniel. 9.

populum, vt conſumetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iuſtitia ſempiterna, & impleatur viſio, & Prophetia, & vngatur Sanctus ſanctorum. Dicitur tempus abbreuiatum, quia Meſsias feſtināter ad nos properare fingitur, ac tempeſtiuius ſuum inchoare officium propter preces, & vota Patrum ardentia, quibus tantum donum promeruerunt.

Abbreuiatum erat tempus diuinum a Prophetis, aduentus Meſsiæ.

Quod attinet verò ad perſonæ circunſtantiam, quæ quidē eum concipere, atque in lucem edere debuit, Beata Virgo ampliſsimè promeruit, de qua Eccleſia canit: *Quia quem meruiſti portare, Alleluia, &c.* Et iterum: *Meruiſti portare Regem cælorum, & Dominum:* hoc eſt, vt verbis B. Thomæ vtar, *Maria meruit ex gratia ſibi illum puritatis, & ſanctitatis gradum, vt congruè poſſet eſſe mater Dei.* Meritum autem fuit primo ex Dei munere, deinde ſui ipſius apta diſpoſitione per bonorum operum ſtudium. Quod explicans ipſa Eccleſia in quadam ſua oratione, dixit: *Omnipotens ſempiterne Deus, qui glorioſæ Virginis matris Mariæ corpus, & animam, vt dignum Filij tui habitaculum effici mereretur, Spiritu ſancto cooperante præparaſti.* Et beatus Bonauentura in tertio ſententiarum docet: condigni meritū in Mariam, vt Mater Dei fieret, non cadere, ſed congruè tantùm antè Chriſti incarnationem hoc meruiſſe, quoniam præ nimia ſua puritate, humilitate, & benignitate vt Dei mater fieret, erat idonea. Poſtquam verò annunciatio per Angelum illi innotuit, & aſſenſum præſtitit, & Spiritus ſanctus copioſa gratia in eam deſcendit, nō ſolum congruitatem habuit, ſed & dignitatem, & Patres etiam hoc meritum agnoſcentes, Virgini tribuerunt. Nam Hieronymus ad Euſtochium de cuſtodia Virginitatis, ſcribit: *Beata Maria tantæ extitit puritatis, vt mater Domini eſſe mereretur.* Auguſtinus de natura & gratia cōtra Pelagianos: *Concipere,* inquit, *ac parere meruit eum, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum.* Idem ſerm. in natali Domini: *Enarra, obſecro, mihi, quomodo meruiſti dici mater Domini, & ſponſa Filio Dei.* Baſilius Homil. de humana Chriſti generatione: *Quoniam verò ea tempeſtate nulla puritate par, Mariæ virginitas inter homines ad effectum ſancti Spiritus excipiendum eſt reperta, & illa iam deſponſatione erat occupata; electa eſt beata Virgo, ita vt nihil detrimenti ex deſponſatione acceſſerit virginitati.* Chryſoſtomus in ſermone de Domini hypapante: *Beata mater vltra omnem humanam naturæ modum, modeſtiam ac temperantiam excoluit, & ob id vniuerſorum Dominum in vtero geſtare promeruit.* Ambroſius Epiſtola 82.

B. Virginem Meſſiæ matrē futuram, eius aduentum de congruo (vt aiunt Theologi) promeruiſſe.

B. Thom. 3. part. q. 2. art. 9. ad 3. tom. 3.

Vnde ſibi illud meritum coparauerit.

B. Bonauent. 3. ſent. diſt. 4. quæſt. 1.

Quomodo promeruerit etiam de condigno.

B. Hier. Epiſt. 22. circa fin. to. 1. ſub init.

Aug. de Natu. & Grat. c. 36. circa med. to. 7. circa medium.

Idem ſer. 14. de nata. Dom. ſub initium, ſeu ſer. 18. de temp. tom. 10.

Baſil. hom. 25. ante med. tom. 1. inter med. & fin.

B. Chryſoſt.

Ambr. lib. 10 Epiſt. paulo eminentius a principio, tom. 3. ad calcem.

data eius obſeruantes. Adhæc inuenit humilitate, de qua dicitur: *Dominus ſuperbis resiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Poſtremò inueniſti, quia quæſiuiſti: *Omnis enim qui quærit, inuenit.* Et, vt debebat, quæſiuit, nempè pro gloria Dei, & cum deſiderio earum habendarum virtutum, & donorum, quæ matri Meſsiæ conueniebant: quod nō modò citra vllum peccatum poterat, verùm etiam magno cum merito deſiderari, ac vehementer etiam efflagitari; præſertim eas cogitationes, & deſideria Spiritu ſancto ſuggerente. Quod ſi non quæſiuit, humiliter ſemper ipſa de ſe, ac modeſtè ſentiens, ſeruamq; ſe & ancillā Meſſiæ fieri exoptās, tantò magis quæſiuit. Ipſum enim de ſe nihil polliceri, neque audere tantam gratiam deſiderare, modus quærendi efficacisſimus eſt apud Deum, niſi cùm Deus aliud vt deſideremus, & poſtulemus inſpirat.

1. Petr. 5. & alibi.

Dona Dei nō tantū quærere, ſed etiam vt decet, quærere debemus.

Matth. 7.

Maria Virgo non quærens gratiam vt eſſet mater Dei (ſecundū aliquos) eo ipſo videri poſſit multò magis quæſiſſe.

Deinde & illud notandum, quòd ſingulare admodum eſt, multos eſſe qui gratiam apud homines quærunt, quā ſæpè nō inueniunt: quia nempè homines duri & inexorabiles ſunt: quod ſi fortè illā inueniant, ea ferè ad ambitionem, auaritiam, atque ruinam ſuam abutuntur, multaque homines contra Deum, & eius legem operantur, vt placere hominibus poſsint. At beata Virgo ſuo exemplo ad Dei gratiam ineundam atque captādam, nos allectat, & inuitat: namque ille placabilis, & exorabilis eſt, & gratia illius abuti nemo poteſt. Præterea, vt Auguſtinus docet in Epiſtola ad Macedonium: *Quia quod inueniſti, & non reddidiſti, rapuiſti*; ideo beata Virgo gratiam, quam noſtro peccato perdidimus, nobis reſtituere debet. Nam & gratia incarnationis in Virgine inuenta, generale quoddam, & commune eſt bonum, quod cum alijs communicari poteſt, ſalua etiam, & incolumi gratia B. Virginis ipſius. Ideò facilè exaudit preces, & vota noſtra, noſque vt matres Chriſti fieri valeamus, fide illū concipientes, & bonis actibus parturientes, ſuis glorioſis precibus, meritiſque ampliſsimis impetrat apud Deum. Quamquam vis verbi illius inueniendi gratiam, non eſt rem deperditam recuperare: ſed phraſi Hebræa is dicitur inuenire gratiam in oculis Dei, qui illius fauorem, quem antea non habuerat, aſſequitur: qui fauor maximè oculis inſinuatur; propterea dicitur in oculis Dei inuenire gratiam aliquis, id eſt impetrare, ſeu adipiſci gratiam eius.

Homines ab hominibus cur non ſemper gratiam inueniunt: vel etiam nō benè.

Quid nos ad diuinam gratiam ineundā plurimum allicere poſſit, & debeat.

Aug. epiſt. 54 tom. 2.

Facilè exaudiat preces noſtras, & vota cur Virgo Beata.

Inuenire gratiam quis dicatur apud Deum, Hebræorum more.

Tertiò aduertendum, dictū eſſe: *Ne timeas Maria, inueniſti enim gratiam apud Deum:* vt diſcant homines gratiam Dei habentes timere. Qui enim nihil habent in bonis, cubiculum apertum, & arcam reſeratam dimittunt, ita qui gratiæ Dei ſunt expertes, non timent. Qui verò tantum gratiæ Dei ſe habere theſaurū exiſtimant, omni cuſtodia ſeruant cor ſuum. Sequitur in textu: *Ecce concipies, & paries filium.* Ab hoc loco Angelus incipit annunciare, ſiue Euangelizare, videturque ad verba Prophetæ Iſaiæ alludere, ſuper quibus fortè meditabatur B. Virgo: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.* Quaſi dicat: Ecce, tu es illa Virgo, quæ concipies, & paries, & vocabis nomen eius Ieſum: mutans tertias perſonas in ſecundas: & res ipſa præſentanea, moxque ad effectum adducenda annunciatur per aduerbium demonſtrandi, *Ecce.* Quod dicitur: *Concipies in vtero,* vel figura eſt, quæ dicitur Pleonaſmos; quemadmodum Poëta ait:

Habentes Dei gratiam, cur timere debeant.

Prouerb. 4.

Quodnā initium ſit Angelicæ ſalutationis.

Iſai. 7.

Matth. 1.

Ibidem.

Quid ad literam: Ecce concipies in vtero.

Et ſic ore locuta eſt:

Virg. l. Æn. & alibi ſæpè.

Alter ſenſus.

nec enim alibi quam in vtero cōceptus formatur, neque locutio alio inſtrumento, quā ore funditur. Vel propterea dixit, *in vtero,* id eſt, intus de Spiritu ſancto, & non ab extrinſeco, vt aliæ fœminæ cōcipiunt: quemadmodū Hieronymus in Matthæum ponderauit. Vel tertiò, in vtero, non in corde, quia Dominum Virgo iam corde conceperat, quem in vtero concipere debebat; vt oſtendat illum ex virginali vtero ſubſtantialiter incarnatum. Rurſus in vtero, non in corde corporeo & materiali, vt nouellus error finxit, ſed in vtero, in quem puriſsimi ſanguinis guttæ de loco ſuo ſolito eructæ, adductæ ſunt virtute Spiritus ſancti, Angelorumque in ijs quæ potuerunt miniſterio. Fuit enim quidam Petrus Lucenſis Ordinis Canonicorum, vel Regularium ſancti Auguſtini, qui id ferè noſtro ſæculo prædicare auſus fuit ex ſanctæ cuiuſdam fœminæ Bononienſis reuelatione, Chriſtum non in vtero communi, & parum honeſto Xenodochio, ſed in præcordijs, ſeu in corde conceptum: cùm tamen Matthæus ex Iſaia producat: *Ecce virgo in vtero habebit:* & Angelus ad Virginem: *Ecce concipies in vtero.* Et friuolum profectò aiebat, quòd Petrus poni aiebat vterū propriè pro aluo, & vulua, aliquando verò pro quacunque concauitate, ſed metaphoricè, iuxta illud Poëtæ:

Hieron. in c. 1 Matth tom. 9. init.

III. Senſus.

In eos qui Chriſtum nō in vtero Virginis, ſed in corde aiunt conceptum.

IV. Senſus.

Petr. Lucenſ.

Matth. 1.

Iſai. 7.

Turpem non eſſe, nec indecoram conceptionem in vtero.

Vterumq; armato milite complent.

Virg. 2. Æn.

Sed certè nullū membrum hominis iuſti, & ſancti eſt inhoneſtum, & præſertim immaculatæ Deiparæ, quæ ſacrarium Spiritus ſancti ab Eccleſia vocatur, cùm membra noſtra templum ſint Spiritus ſancti. Et importuna, & violenta eſt hæc metaphori

1. Cor. 6.

ca vteri acceptio, cùm de conceptione, & natiuitate est sermo. Dicitur enim Christus natus ex muliere à Paulo, & in Symbolo: *Natus ex Maria Virgine*. Et, *De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus*: & illi applicat sententiam. Leuit. 12 *Omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur*. Subdit: *Et paries filium*. Sine media parturitione, quæ in omnibus alijs fœminis post conceptum, & ante partum media esse solet. Quam rem Damascenus testimonio Scripturæ probat his verbis: *Quod autem sine dolore, supra legem partus est. Cuius enim voluptas non præcessit, neque pariendi dolor subsecutus est, secundùm Prophetam dicentem: Priusquā dolorem partus sentiret, peperit*. Et rursus: *Priusquam adueniret tempus dolorum, effugit, & peperit masculum*. Hæc ille, citans verba Isaiæ iuxta 70. Interpretum versionem. *Paries ergo filium*; hoc est, conceptus vanus, & abortiuus non erit. Etsi sint quædam, quæ post conceptū abortiunt; & interdum ad tegendum peccatum abortum procurant: quæ homicidium manifestum admittunt, si contingat fœtum fuisse animatum. Quædam etiam animæ Christum concipiunt, sed ad partum bonorum operum non perueniunt, quia virtus pariendi deest, vt Isaias ait. Subdit: *Et vocabis nomen eius Iesum*. Quia apud Prophetam habetur: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium*, & posteà subditur: *& vocabitur nomen eius Emmanuel*, & hic Angelus post priora verba subdit, *& vocabis*: ostendit in illa apertè impletam fuisse Prophetiam: maximè quia iuxta Hebræum non dicitur, *vocabitur*, sed fœminino genere dicitur *vocabit*, scilicet ipsa Virgo. Et hinc etiam habes, idem esse Emmanuel, quod Iesus. Quod & cōfirmatur Matth. 1. vbi Angelus cùm dixit ad Ioseph: *Vocabis nomen eius Iesum*: subditur, *Hoc autem totum factum est, vt adimpleretur quod dictum est Domino per Prophetam dicentem: Ecce Virgo in vtero habebit, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel*. Non expresſit Angelus significatū Iesus, quemadmodum Iosepho declarauit Matth. 1. sed satis ex his, quæ sequuntur, nempè; *Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur*, expresſit. Solusque Deus potest nōdum nato, imò necdū concepto nomen imponere: & solius parentis Virginis, quæ verè eum concepit, & peperit, erat nomen imponere, sicut & Ioseph patris eius ad tempus habiti, vt dicitur Matthæi 1. & ministerio operaque Angeli fuit hoc nomen de cœlo allatum, & Virginis filio inditū, vt suo loco explicabitur. Significat autem Iesus Saluatorem, vt interpretatus est Angelus, siue absolutam salutem nō tantùm à periculis in bello, vt Iosue; neque in consilijs, vel sapientia, vt Iesus filius Sirach; sed etiam in potestate sacrificandi, orandique virtute, vt filius Iosedech summus Pontifex; quod putari posset non subsecuto verbo: *Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur*: & Angelus loquitur iuxta res à Maria antè de Messia conceptas. Illud quoque diligenter annotandum, dixisse Angelum: *Vocabis nomen eius Iesum*: cùm Isaias dicat: *Vocabitur nomen eius Emmanuel*. Verùm hæc non pugnant inuicem. Cùm enim Emmanuel interpretetur: *Nobiscum Deus*, & posit esse nobiscum Deus ad iudicandum nos, vel ad perdendum: vt intelligant homines Christum non venisse, vt iudicet mundum, sed, *Vt saluetur mundus per ipsum*: idcircò noluit nomen, quod horrorem pijs, aut impijs posset adferre: verùm illud nomen accepit, quod in se Emmanuelis nomen clauderet, & salutem, quā præstare cupiebat, aperiret. Nam apertum est, si si Deus salus nostra est, nobiscum planè est. Salus enim intra saluum est, nō extra. Ideò nos sibi, vt capiti tanquā sui corporis membra coniunxit, vt sicut corpus sanum membra, &c. reddit sana, ita & ipse salus nostra nos faceret saluos: quod nulla ratione fieri posse videbatur, nisi Deus se hominē reddidisset, & se nobis personaliter, & substantialiter vniuisset.

Sequitur: *Hic erat magnus*: Vt superiùs annunciata Ioannis natiuitate, explicauit Angelus Zachariæ parenti filij conditiones; ita & hîc exponit virgini sanctæ Filij sui in lucem edēdi excellentias, quò magis agnoscat quam gratiam apud Deum inuenerit. Absolutè magnus, & non coram Domino, vt dixerat de Ioanne: & absolutè magnus, nō secundùm quid, siue secundùm partem, id est, secundùm sapientiam, vt Salomon: vel secundùm Prophetiam, vt Dauid: vel secundùm fortitudinem, vt Sampson: vel secundùm pulchritudinem, vt Absalon: sed absolutè magnus, quia nō tātùm homo, sed etiam Deus: nec tantùm Deus, sed etiam homo, nobilitate, nouitate, atque vtilitate maximus. Est enim magnus substātia, quia Deus, qui dicitur à Damasceno esse pelagus infinitæ substantiæ: magnus quātitate, quia omnia potest, & omnia implet: magnus qualitate, quia summū bonū: magnus relatione, quia Filius Dei: magnus in temporis siue præteriti, siue futuri duratione, quia æternus: magnus in prędicamēto Vbi, quia cœlum & terram implet: magnus situ, quoniam ait: *Cœlum sedes mea, terra autem, scabellum pedum meorum*: Magnus habitu, quia *Dominus regnauit, decorem indutus est: indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se*. & alibi:

Gal. 4. *Matth. 1.* *Luc. 2.* Virginei partus prærogatiua singularis quædam.

Damasc. lib. 4 de ortho fide. c. 15. è medio. *Isai. 66.*

Suprà 26.

Fœminæ abortum facientes voluntarium, quæ grauiter peccent. *Isai.* Allegoria.

Ibidem.

Suprà 7. & Matth. 1 His verbis ad Virginem: & vocabis nomē eius Iesum: duo significauit Angelus.

Quorum fuerit proprium Iesu nomen imponere.

Iesu nomen, quid sonet.

Quod Angelus Messiam Iesum, Propheta verò Emmanuel vocādū prænunciet, nihil contrarij sonat habere.

Ioan. 3. & alias.

Iesum, & Emmanuelem, non differre.

Luc 1. Cur Angelus Mariæ futurum Messiæ annuncians magnitudinem eius futuram prænunciet. *Ibidem* Qualis quantaque sit Christi magnitudo.

Omnē ei præ dicamētalem magnitudinē competere.

S. Damascen. lib. de fide orthod. c. 12. & Greg. Nazianz. ex orat. Natali Domini.

Isai. vlt. Matth. 5.

Psalm. 92.

Ioan. 15.
Genes. 1.
Psalm. 103.
Isai. 53.

Amictus lumine sicut vestimento: Magnus in actione: quia *In principio creauit Deus cœlum & terram.* Et, *Si opera nō fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Magnus Passione, quia *Nouissimus virorum, vir dolorū, & sciens infirmitatem:* qui mundum vniuersum sua patientia seruabit. *Et filius Altissimi vocabitur.* Vnum ex decem Deo attributis nominibus ab Hebræis in Sephiroth, est עליון, Græcè ὕψιστος, hoc est, supremus, summus, altissimus, de quo Psaltes, & *Altissimus dedit vocem suam.* Et iterum: *Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus.* Filius etiam humillimæ, ac proinde altissimæ Virginis; & Christus infrà dicitur *Virtus altissimi.* Filius ergo non adoptiuus, sed naturalis; & priùs dicitur Filius Altissimi, quàm Dauidis, cùm ait: *Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius:* ad insinuandum vtramque naturam, vt Beda annotauit. Et sic habes ex hac legatione, vocandum Iesum filium Dauid, filium Dei, & denique filium Altissimi. Homo enim spiritu altus est, altior Angelus natura, altissimus Deus. Et intellige, quòd via humilitatis, & crucis ad nomen Filij Altissimi, & filij Dei perueniet, iuxta illud: *Humiliauit semetipsum, &c. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen.* Vocabitur ergo Altissimi filius, quia iam erit, ne falsò vocetur à Patre in baptismo, & transfiguratione, & ab hominibus eius signa, & patientiæ virtutē spectantibus. Vel perinde est dicere, vocabitur, ac dicere, erit. Sicut illud est: *Videte qualem charitatē dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur.* — ita tātùm Græcè habetur: & sensus est, vt filij Dei simus. Vel *vocabitur*, hoc est, inuocabitur à fidelibus; id enim significare potest verbū Græcum κληθήσεται. Sequitur: *Et dabit Dominus Deus sedem Dauid patris eius.* In his verbis tres, aut quatuor quæstiones sunt absoluendæ. Prima est, quid significet hæc sedes: nā temporalem Dauidis sedem Messias nō habuit: spiritualem Messiæ sedem Dauid non habuit; quomodo ergo habuit sedē Dauidis; Secunda, quare potius sedem Dauid, quàm sedem Salomonis, aut alterius Regis? Tertia quæstio est de Iechonia Rege, de quo dicitur Ierem. 22. *Scribe virū istum sterilem, virū qui in diebus suis non prosperabitur. Nec enim erit de semine eius vir, qui sedeat super solium Dauid.* Quartò quæritur, qua ratione dederit Dominus Deus sedem Dauid? num quod iure belli, aut hæreditatis, aut alio iusto titulo? Respondemus ad primam: nomine sedes hoc loco nō intelligi aliquam cathedram ex ligno, materiaúe cōfectam: quemadmodum nec Matthæi 23. cùm dicitur: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi:* sed vt ibi per cathedræ nomen potestatem docendi, ita hîc per sedem Dauid, regiam ius dicendi potestatē voluit à nobis intelligi. Vnde subdit: *Et regnabit in domo Iacob:* vt intelligas promissam sedē regiam: quemadmodū Cyrillus Hierosolymitanus admonuit. Sedes autē Dauid non intelligitur illa, quæ temporalis fuit in Dauide, sed illa, quę secundùm spiritum intelligebatur in illa Dauidis terrena, & temporali: hanc quippè spiritualem possedit Christus, de qua dicitur: *Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eum; de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Haud secùs quàm si Rex magnus multas possidens prouincias, & ciuitates, digito ostenderet vnā ex ipsis in descriptione orbis delineatam, diceretque filio suo paruulo: Hanc prouinciam tibi dono regendam, proculdubiò nō intelligeret frustum illud chartæ, aut picturæ mundi, in qua descripta sit illa prouincia, sed ipsam verā atque propriam, quæ in tabula repræsentata est, & significata, prouinciam. Ad hunc sanè modum sedes Dauid promissa est Messiæ, nempè sedes spiritualis, quæ in temporali illa præfigurabatur: quemadmodum ipse Dauid Christum repræsentabat. Hanc pulchram doctrinā tradit Bernardus homilia super Missus est, dicens: *Dabit ergo ei Dominus Deus sedem Dauid patris sui, non typicam, sed veram; non temporalem, sed æternam; non terrenam, sed cœlestem. Quæ ideircò (vt iam dictum est) memoratur fuisse Dauid: quia hæc, in qua temporaliter sedit, æternæ illius gerebat imaginem.* Hæc ille.

Hebræis Sephiroth, & Grçcè ὕψιστος quid sit.
Psalm. 17.
Psalm. 45.
Luc. 1.
Filius Altissimi prius quā filius Dauid cur Messias appellatus.
Beda in hunc locum, tom. 5.
Dei Angeli & hominis differentia.
Qua ratione Christus filij Altissimi, & filij Dei sibi nomen comparauerit.
Philipp. 2.
Verbi, vocabitur, triplex significatus.
Matth. 3.
Infra 17.
Infra 17.
1. Ioan. 3.
Vocare, pro inuocare in Scripturis nō raro sumitur.
Proponuntur quæstiones quatuor diluendæ.
Ierem. 22.
Quænam illa sedes quā Dominus Deus Messiæ dare debebat.
Matth. 23.
Cyril. Ierosol. Catech. 12. à medio.
Psalm. 131.
Qualem sedē Dauid promiserit Angelus Mariæ.
Bern. hom. 4. super Missus est, sub finem.

De secunda verò, asserimus, aptè in sede Dauidis repræsentatū Christi regnum: tū quia Prophetæ de sede Dauidis loquuntur, nam præter Dauidem paulò ante citatum ait Isaias: *Super solium Dauid, & super regnum eius sedebit; vt confirmet illud, & corroboret in iudicio, & iustitia amodò, & vsque in sempiternum.* In Ieremia etiam, & Ezechiele scriptum est: *Suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit Rex, & sapiens erit: & faciet iudicium, & iustitiam in terra.* Et rursus: *Suscitabo super eas pastorem vnum. qui pascet eas, seruum meum Dauid: ipse pascet eas, & ipse erit eis in pastorem.* Deinde Dauid præterquam quod Rex, & Propheta fuit, mansuetus, & mitis erat, & aptè Christum repræsentauit, qui dixit: *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde:* & rursus: *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus;* id est, blandus, & benignus, & clementer suscipiens peccatores ad se venientes. Tertiò, qualitas regni Christi pulchrè in illa Dauidis sede delineata fuit: nā vt ille regnauit super eos, *qui erant in angustia cōstituti, & oppres-*

Quàm aptè in sede Dauidis Christi regnū fuerit delineatum.
Isai. 9.
Psalm. 131.
Ierem. 23.
Ezech. 34.
II. Ratio regni Christi in sede Dauidica delineata.
Matth. 11.
Zach. 9.
Matth. 21.
III. Ratio.
Reg. 22.

Regnũ Christi ex quibus constet. *oppreßi are alieno, & amaro animo, & factus est eorum princeps:* Ita regnum Christi conflatur ex hominibus, qui per pœnitétiam peccatorum amaro sunt animo, & qui se decem millium talentorũ apud diuinam iustitiam esse debitores agnoscunt. *Matth. 18.* IV. Ratio. Regnum Salomonis pacificum, illud vero Dauidis turbulentum, quę duo regna præfigurauerit. Quartò, regnum Dauid turbulentum fuit, & bellis multis tùm cum internis, ac domesticis, tùm etiam cum externis hostib' agitatum; regnum autem Salomonis pacificum, & tranquillum: Quare vt hoc rectè Ecclesiam triumphantem designat, de qua legimus: *Psalm. 117.* *Qui posuit fines tuos pacem.* Et alibi: *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiducia, & in requie opulenta*; *Isai. 32.* Ita regnum illud Dauidis Ecclesiam militantem aptè repræsentat: in qua pugnãdum est cum antiquo serpente, cum mundo, & carne, cum internis, & externis hostibus, qui nos à Fide Christo data ad defectionem solicitant.

V. Ratio. Atque his de causis Angelus potius sedis Dauidis, quàm sedis Salomonis meminit. Ad hæc, vt Dauid multò ante tempore vnctus fuit in Regem, quàm in solio regni sederet: *1. Reg. 18.* & primùm super domum Iuda, deinde super omnes Tribus Israel, demum extendit regnum suum super externas gentes: ita Christus à Natiuitate sua vnctus fuit Spiritu sancto à Patre, & Rex populi sui declaratus, *Luc. 4. & Isai. 61.* muneribusque trium Regum cohonestatus: *Matth. 2.* & primò cœpit regnare super Israelitas, qui sponte se illi subiecerunt per Fidem, postea verò protulit imperium suum in Gentes, *Psalm. 2.* dataque est illi omnis potestas in cœlo, & in terra. *Matth. vlt.*

Ierem. 36. Illud: Non erit ex eo, qui sedeat super solium Dauid, quomodo accipiendum. Ad id verò, quod in tertia quæstione propositum est, dicendum: de Iechonia esse scriptum: *Non erit ex eo qui sedeat super solium Dauid:* intellige ad regnandum temporaliter. Christus enim, qui dixit: *Regnum meum non est de hoc mundo,* *Ioan. 18.* spiritali modo, & Regnũ Christi quale sit. in cordibus hominum Fide, Spe, & Charitate regnat, ex accidenti autem & indirectè corporibus, & fortunæ bonis, quatenus hęc ad spiritum referuntur, atque illi famulantur: nam de omnibus his iuxta legem Dei rectè administrandis, gubernandisque legem tulit Christus. Expenditur Domini dictũ: Regnũ meum non est de hoc mundo, non autem in hoc mundo, côtra Lutheranos. Verùm hæc regnandi ratio nõ tollit Reges temporales, quin potiùs illos statuit, exemplumque rectè regnãdi docet, vt Reges post ritè & sapienter administratum regnum, cum Christo in cœlo simul regnare promereantur. Et licèt Christus dixerit: *Regnum meum non est de hoc mundo:* quandoquidem ortum & originem ab hominibus non habet, non tamen dixit: *Regnum meum non est de hoc mundo:* ipse *Matth. 28.* enim de se alibi dixit: *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra.*

Quo iure Christus regnum suum obtinuerit. Vocat nos quarta dubitatio: de qua dicimus, Christum à Deo non obtinuisse regnum iure belli, vt alij principes: nisi per bellum intelligas debellatas aëreas potestates, *Coloss. 2.* & mundi principem expugnatum. *Ioan. 12. & 14.* Neque rursus hæreditario iure à patribus accepto, vt putauit Armacanus: *Armacanus lib. 4. c. 5.* tũ quia regnũ Christi erat spirituale in animis, & æternum: *Luc. 1.* successioni auté temporis obnoxium æternum esse nequaquam potest, iuxta illud. *Et regni eius non erit finis:* Verùm Christi morte finitum esset, nec Maria, aut Ioseph viuentibus, Dominus Rex fuisset. Tum quia sceptrum non esset ablatum de Iuda, vt in Genesi dicitur. *Gen. 49.* Tertiò, non accepit regnum à Satana, quando ei obtulit omnia regna mundi, si cadens eum adoraret: *Matth. 4.* at reiectus est. Quartò, noluit accipere regnum ex donatione populi: nam vt dicitur apud Ioannem, volentibus turbis eum facere Regem, *Ioan. 6.* fugit in montem: sed à Deo immediatè obtinuit regnum. Ob id dictum est: *Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid* & ipse ait per Prophetam: *Psalm. 2.* *Ego autem constitutus sum Rex ab eo.* Item: *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra.* *Matth. vlt.* Non ergo ipse vt raptor regnum vsurpauit, vt Iudæi falsò illi obiecerunt coram Pilato, cùm dicerent: *Omnis qui se Regem facit, contradicit Cæsari.* *Ioan. 19.* Et rursus: *Nolumus hunc regnare super nos.* *Luc. 19.* Verum enimuerò admirabili modo lapis reprobatus ab ædificantibus: *Hic factus est in caput anguli. A Domino factum est istud,* *Psalm. 117. & Matth. 21.* nõ ab hominibus. Homines enim repugnarunt sicut fratres vndecim, qui noluerunt Ioseph in Regem: *Gen. 37.* sic Dauid à Domino est vnctus in Regem, *1. Reg. 16.* *2. Reg. 5.* etsi persecutioné passus, non Rex, sed exul diu visus sit, donec Deus eum Regem constituit. Simili ratione Moyses, primùm quidem repulsus est, dictumque illi est: *Exod. 2.* *Quis constituit te principem, & iudicem super nos?* *Infrà 4.* Et tamen dux populi factus est. Ita primùm Christus reiectus, tamen repugnante omni vi atque conatu Satana, Iudæis pariter atque Gentilibus Rex perpetuus & spiritualis in vniuerso mundo est côstitutus: quod idem vnum ipse maximè cœpit post resurrectionem ostendere. Quãdo regnare cœperit Christus. Nam cùm aliorum regna ipsorũ morte extinguantur, regnum Christi post mortem, & resurrectionem inchoatum est.

Sequitur: *Et regnabit in domo Iacob in æternum.* *Gen. 21.* *Gal. 4.* Non ait in domo Abraham, in qua Ismael pugnat cum Isaac, id est, carnalis cum spirituali, & Paganus cum fideli: Cur in domo Iacob, non Abrahæ, vel Isaac, vel Messias regnaturus dicatur. nec in domo Isaac, vbi Esau pilosus, & terrenus persequitur Iacob, qui supplantauit eum in vtero, surripuitque ei paternam benedictioné, ac primogenituram. nec in domo

Iuda,

Infrà 27.
Ibidem.
Suprà 25.
Hebr. 12.
Domus Iacob mysticè quid.

Iuda, de qua oriundus erat: verum super vniuersam domum Iacob, & super vniuersos filios Israel, quorum omniũ pater fuit Iacob: etsi enim illorum quidam peccauerint, egerunt tamen pœnitentiam. Erat autem domus Iacob sanctior cæteris; sicut sedes Dauid iustior reliquis. Et sicut per sedem Dauid intelligimus spiritualem Messiæ in illa Dauidis in temporali sede figuratam potestatem: ita per domum Iacob intelligimus populum Dei spiritualem, & Christi Ecclesiam in illa domo carnali Iacob repræsentatam. Qui enim in illa, quæ æterna non est, in æternum regnaturus sit? An non domus illa Iacob exasperans, impiè abnegauit eum, & insipienter respuit ante faciem Pilati? Apostolus etiam filios fidei Abrahæ a filijs carnis distinguit: & discernit eum, qui in occulto Iudæus est, ab illo qui est in manifesto: & eam, quæ in spiritu est circũcisionem, ab ea, quæ fit in carne. In domo verò Iacob spirituali verè ij esse dicuntur, qui supplantatis vitijs, ac debellatis cum carne, mundo, atque diabolo per Christum, verè Israelitæ, hoc est, fortes cum Deo, & potentes cũ Deo, ad regnũ eius spectant.

Ezech. 2. 3. 12.
Dan. 9. & Act. 2.
Ioan 19. & seq.
Rom. 2.
In domo Iacob verè qui sint.
Israel quid.
Gen. 32.

Duo autem habet hoc regnum singularia maximè: primum quidem, quod ęternũ est; alterum, quod eius non erit finis, cùm cætera omnia regna mundi finem habuerint. Dicimus enim tot annos regnasse Assyrios, tot Persas, tot Græcos, tot Romanos, Dauidẽ regnasse per quadraginta annos, & totidem per alios Salomonem: Regnum autem Christi, quia spirituale est, & post resurrectionem inchoatum, meritò æternum est. Hinc Danielis illa præclara sententia. *Et dedit ei potestatem, & honorem, & regnum: & omnes populi, tribus, & linguæ ipsi seruient: potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius, quod non corrumpetur.*

Duo maximè singularia habet Christi regnũ, & quænã illa.
2. Reg. 5. & 3. Reg. 2.
Christi regnũ cur sit æternũ.
Dan. 7.

Quòd si obijcias, Satanam, & mundum regnare, & alios item Turcas atque infideles potentissimos Reges. Respondemus Satanã cum vniuersis suis ministris subiectũ esse huic Regi tanquàm suum lictorem, & alios fidei lumine destitutos principes in manu Domini positos esse, nullamque in suos electos habere dominationẽ, nec potestatem: *Portæ*, inquit, *inferi non præualebunt aduersus Christi regnũ*, quod est Ecclesia, quæ ad finem est vsque seculi duratura. Quapropter malè sibi consulunt Hebræi putãtes aliũ Messiam oriturum, præter Iesum, qui per se immediatè in cordibus regnat per fidem & charitatem: quod ad externa spectat, per Pontifices, & Episcopos eius Vicarios, ac ministros, vt exponit Epiphanius disputans in Nazaræos lib. 1. siue etiam per sanctos Christianorum Reges, vt exponit Athanasius in Euangelium de sanctissima Deipara. Nam capiens Christus thronum Dauidis, transtulit illud, & dedit sanctis Christianorum Regibus. Et ponderat quod cùm dixit: *Dabit illi Dominus sedem Dauid*, non subiunxit: *Vt confirmaret, & corroboraret*, sed simpliciter, *dabit*: vt transferret hunc thronum, id est, temporariam sedem Dauid in Principes Christianos, qui regnãt, & suo modo sunt Christi vicarij. Et ita sedes Dauid non tantùm significaret sedem, vel potestatem spiritualem, sed etiã temporalem. Perpende verba Epiphanij in hæresim 29. Nazaræorum: *Thronus igitur Dauid & regia sedes est sacerdotium in sancta Ecclesia, quam dignitatem regiam, simulq; Pontificiam simul coniunctam largitus est Dominus sanctæ Ecclesiæ suæ, translato in ipsam throno Dauid, non deficiente in æternum.* Hęc Epiphanius. Hoc ergo verbo meritò consolari nos debet: quia nunquam erimus sine Rege, sine Pontifice, sine Prophetia, & lege, quãtumuis sęuiat Satanas, insaniant Hæretici, ac Turcæ glorientur. Deindè malè sibi cõsulunt, ac peius etiam Hæretici, atq; Schismatici, qui se ipsos eis regendos non submittunt, sed nolunt antiquum, & notum Christum, & qualem hactenus pręedicauit Ecclesia, super se regnare, sed nouum fictumque Christum perquirunt, qui carni sensuique applaudat. Postremò, & illi non bene sibi consulere inueniuntur, qui vel horam vnam Christo in æternum regnanti negant, & seipsos sua voluntate, nutuque regere volunt, quemadmodum absens à domo paterna filius prodigus fecit; atque ideò incidunt in eam extremam calamitatem, vt pascant porcos. Sed profectò qui nolunt Christum misericordem, atque clementem regnare per gratiam super se, adigent eum, vt regnet per iustitiam, cõdignis & æternis supplicijs eos adiudicans.

Christo regnante, vt regnant etiam mali, & hostes Ecclesiæ.
Matth. 16.
Aduersus Iudæos alium præter Christum Messiam expectantes.
Epiph. in hæresi 19.
Athan. tom. 3.
Isa. 9.
B. Epiphanius.
B. Epiphan.
Malè qui sibi consulant.
Luc. 15. & seq.
In quibus regnet per iustitiam Christus.

Sed obijcit aliquis; quomodo dicitur Regnum Christi esse æternum, & finem nullũ habere, cùm Paulus ad Corinth. scribat: Deinde finis, cùm tradiderit Regnum Deo, & Patri, cùm euacuauerit omnẽ principatum, & potestatem, & virtutem: Et rursus, Cùm subiecta fuerint illi omnia, tunc & ipse filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia? Respondendum est, quod cum Patri regnum tradit Christus, non minus regnabit ipse cum Patre, quàm anteà. Sicut cum dicitur, Pater omnem potestatem iudicandi Filio tradidisse, non à se abdicat iudicandi potestatem. Interim tamen

Si Regnum Christi est æternum, & omni fine carens, cur mud tradendum Deo Patri, ab Apostolo dicitur.
1. Cor. 15.
Ibidem.
Ioan. 5.

dicitur Pater Regnum Christo dimisisse propter victoriam & triumphum, quem in militāti gerit Ecclesia, cui inuigilat semper, & inuigilabit, quoad vsque finis erit militiæ: & tunc erit finis talis regni, vt euacuet omnem potestatem, & principatum: atque hoc regnum durabit donec ponat inimicos scabellum pedum eius: de quo dictum est: *Regnauit à ligno Deus.*

Psal. 109.
Psal. 95.

Regnum Christi nullum finem habere, quid.

Alterum peculiare huic regno est, *Quod eius non erit finis*: id est, nullis limitibus, ac terminis concluditur, sicut Regnum Palestinæ, vel Iudææ, Regnum Græcorum, & Romanorum, de quibus Poeta dixit:

Virgil lib. 1. Aeneid. ante medium.

Imperium Oceano, famam qui terminet astris.

Idem lib. 6. circa finem.

Et rursus:

Imperium terris, animos æquabit Olympo.

Idem lib. 1.

Rursus etiam ait Iupiter de Romanis:

His ego nec metas rerum, nec tempora pono:
Imperium sine fine dedi.

Romanorum Imperium nec æternum, nec infinitum fuit.

At ingenti mendacio ingentes etiam attestantur ruinæ Romani Imperij: namque finem & in tempore, & in loco habet, de Iesu verò Rege solùm verissimè dicitur: *Dominabitur à mari vsque ad mare: & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum*, & quæ sequuntur. Regnat enim Christus in cœlo, & in terra, & subtus terram, nimirum in Purgatorio, & in inferno, & in opposita mundi parte apud Antipodas, qui aduersa nobis vrgent vestigia, & in mari, hoc est, in insulis: nullus denique à sua potestate, & dominio locus exclusus est. Nemo ergo causetur, locum esse vllum, in quo Christi regno subijci non possit: quandoquidem inter ipsos etiam Turcas, & infideles regnat Christus. Nam & ibi multi Christiani sunt & liberi, & serui publicè Christianam religionem profitentes: vt nos pudere debeat, quòd in tanta commoditate, & otio seruiendi Christo vix illum Regem agnoscamus. Demus igitur operam, vt spectemus ad domum Iacob, atque vt omnibus Christi hostibus bellum indicamus, illosque gladio verbi Dei expugnemus, quo simul cum Deo in æternum regnare possimus, præstante Domino nostro Iesu Christo, cui cum Patre, & Spiritu sancto reddatur ab omnibus summus honos, gloria, & imperium in secula seculorum. Amen.

Psal. 71.

Quàm longè lateque pateat regnum Christi.

Vt cum Christo regnemus, quid nobis necessarium sit.

TRACTATVS VII.

Super illis verbis: *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?*

Luc. 1.

Mariæ humilitas summa cū prudentia coniuncta.

MAGNIFICA prorsus, & sublimia sunt, quę Mariæ de filio eius futuro Angelus prænunciauit: verùm illa, vtpote prudentissima, ad tam excelsa promissa adhuc non permouetur. Quid enim maius, aut gloriosius accidere mulieri possit, quàm vt filium masculum pariat, qui sit Altissimi filius, & cuius regnum non sit vllum vnquàm vel temporis, vel loci finē, ac terminum habiturum? Sed cum audisset illa, Filium Altissimi fore vocandum, non se offerebat alius modus, quàm quod is generaretur ex matre, & patre, qui esset homo, nimirum altissimus, ac nobilissimus: & tamen ante omnia de sua integritate, atque virginitate vult esse tuta. In his ergo verbis explicandis. *Quomodo fiet istud* primò quærendum est, an Maria dictis, & verbis Angeli fuerit incredula. Ita enim Lutherus in Postilla Euangelij de Annunciatio. asserit Mariam, cùm verba illa dixit, aliquē incredulitatis sensum, vel insultum habuisse. Et Sarcerius eius discipulus: *Verba*, inquit: *Sunt ipsissima rationis, quæ nihil percipit eorum, quæ sunt Dei, iuxta illud, Animalis homo non percipit ea quæ Dei sunt.* Et subdit: *Proponit nobis hic locus exemplum infirmitatis, dubitationis, & ignorantiæ in Maria, quæ verbo & operibus Dei ab Angelo reuelatis ex rationis, & humanæ sapientiæ argumentis se opponit.* Et subdit: *Maria typum gerit omnium hominum, qui natura se opponunt verbo rationis, & humanæ sapientiæ argumentis.* Deinde si credula fuit, cur dixerit: *Quomodo fiet istud?* Nam ob similia verba punitus fuit Zacharias, dixit enim: *Vnde hoc sciam? Ego enim sum senex, &c.* Tertiò illud verbum, Quomodo, videtur esse infidelitatis. Sic enim ait Nicodemus: *Quomodo potest homo nasci, cum sit senex?* & Iudęi dixerunt: *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducādum?* rursus: *Quomodo hic literas scit, cùm non didicerit?* Et illud Dauidicum: *Quomodo scit Deus, & si est scientia in excelso?* In omnibus quippe his locis non sine dubio aliquo infidelis dicitur, Quomodo? Quartò, quid significauerit B. Virgo illo verbo pręsentis temporis: *Quoniam virum non cognosco?*

Mirum virginitatis studiū Mariæ virginis.

Lutherus, ac eius discipuli B. Virginem Angeli verbis incredulam facere non verentur.

1. Cor. 2.

Luc. 1.

Ioan. 3.
Infra 6.

Infra 7.
Psal. 72.

Sanctissimam Virginem Angelico nuncio vere credulam fuisse, ab eoq; tantum modū Incarnationis quæsisse mysterij.

Primæ dubitationi respondemus, Virginem Angeli verbis minimè fuisse incredulam: quare in huius rei Fidē, ab Angelo reprehensa non est, sed dulciter, ac suauiter ab eodem instructa de modo quem postulauerat, ac scire cupiebat: quē profectò, nisi

verbis Angeli fidem habuisset, non interrogasset. Et merito modum rei nouę, exemploque in scripturis carentis explicauit Angelus. Deinde Elisabeth Spiritu sancto plena eam à fide laudauit, cùm dixit, *Beata quæ*

Luc. 1.

credidisti, quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Domino. Huius autem testimonium Spiritus sancti testimonium est. Tertiò Angelus etiam dixerat: *Gratia plena, Dominus tecũ & benedicta tu in mulieribus:* quomodo ergo incredula? Postremò idem confirmāt Patres, & in primis Ambrosius, qui in

Ambr. lib. 2. in Luc. c. 4. in prin. tom. 5. initio.

hęc verba sic ait: *Videtur hic nō credidisse Maria nisi diligenter aduertas. Neque enim fas est, vt electa ad generandum vnigenitum Dei Filium fuisse videatur incredula.* Ac subdit: *Quo ergo modo fieri posset vt Zacharias, qui non crediderat, silentio condemnaretur: Maria autem, si non credidisset, Spiritus sancti infusione exaltaretur? Sed neque nō credere Maria, neque tam temerè debuit vsurpare: non credere Angelo, vsurpare diuina. Neque enim facilè erat scire mysterium absconditum à seculis in Deo, quod nec superiores potestates scire potuerunt. Et tamen nō fidem renuit, non officium refutauit, sed accommodauit affectum, spopondit obsequium. Etenim cùm dixit,*

Ephes. 3.

Longè moderatius Mariam Virginem, quā Zachariam Angelo respōdisse, secundū Ambrosium.

Quomodo fiet istud? non de effectu dubitauit, sed qualitatem ipsius quæsiuit effectus. Quanto temperantior ista responsio, quam verba sunt sacerdotis? Hæc ait: Quomodo fiet istud? Ille respondit: Vnde hoc sciã? Hæc iam de negotio tractat, ille adhuc de negotio dubitat. Negat ille se credere, qui negat scire, & quasi fidei adhuc alium quærit autorem, ista se facere profitetur, nec dubitat esse faciendũ, quod quomodo fieri possit, inquirit. Sic enim habes: Quomodo fiet istud, quoniã virũ non cognoui? Incredibilis & inaudita generatio ante audiri debuit, vt crederetur. Virginem parere, diuini est signum mysterij, nō humani. Denique accipe inquit, signũ tibi: Ecce Virgo in vtero accipiet, & pariet filium. Legerat hoc Maria, ideo credidit futurũ sed quomodo fieret, ante nō legerat. Non enim, quemadmodum fieret, vel Propheta tanto fuerat reuelatum. Hactenus ille. Cuius verba etsi longiora, quia tamen docta sunt, & proposito loco explicando seruiunt, libenter recitauimus. Hieronymus de beatæ Mariæ Natiuitate: *His*, inquit, *Angelus verbis Virgo non incredula, sed modum scire volens: Quomodo istud fieri potest? Nam cum ipsa virum iuxta votum meum nondum cognosco, quomodo sine virilis seminis incremento parere possum?* Idem etiam docet Ambrosius libr. 2. de Abraham Patriarcha, cap. 8. vbi dictum Abrahæ: *Quomodo, inquit, intelligam quia hæres eius sum? Gen. 15. quia crediderat, comparat cum dicto hoc Mariæ: Quomodo fiet istud, &c.* & ostēdit vtrobique quęstionem esse de modo. Accedit Augustinus lib. 16 de Ciuita. Dei, cap. 24 loques de Abraham: *Quod ergo satis est*, inquit, *nosse debemus: post aquam dictum est, credidisse Abraham Deo, & reputatum illi esse ad iustitiam: non eum in fide defecisse, vt diceret: Dominator Domine secundum quid sciam, quòd hæres eius ero? Terræ quippe illius promissa erat hæreditas. Non enim ait, vnde sciam, quasi adhuc non crederet, sed ait: Secundum quid sciam: vt ei rei quã crediderat, aliqua similitudo adhiberetur, qua eius modus agnosceretur. Sicut non est virginis Mariæ diffidentia quod ait: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Quod enim futurum esse certa erat, modum quo fieret, inquirebat. Et hoc cùm quæsisset, audiuit: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.* Idem quoque docet Bernardus homil. 4. super missus est, his verbis: *Non dubitat de facto, sed modum requirit, & ordinem. Nec enim quærit, an fiet istud, sed quomodo. Quasi dicat: Cùm sciat Dominus meus testis conscientiæ meæ, votum esse ancillæ suæ non cognoscere virum, qua lege, quo ordine placebit ei, vt fiat istud? Si oportuerit me frangere votum, vt pariam talem filium, & gaudeo de filio, & doleo de proposito. Fiat tamen voluntas eius: sin verò virgo concipiam, virgo & pariam, quod vtique si placuerit ei impossibile non erit, tunc scio verè, quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* Hæc Bernardus.

Ang. tom. 5.

B. Hier. to. 4

Ambro. to. 4 circa princ.

Gen. 15.

B. Bernardus.

Virginem parere, diuini est signum mysterij, non humani, ait Ambr.

Isa. 7.

Matth. 1.

Atque ita Euthymij in hunc locum, & aliorum fortè Græcorum expositio non est recipienda, quæ sic habet. *Et hæc itaque non credidit sicut Zacharias, non tamen incredulitatis admonita est per pœnam: ille siquidem multa habuit exēpla susceptionis liberorum, Saram, Rebeccam, Rachel, Annam: virgo autem nullum. Nulla enim virgo ad id vsque tempus sine viro conceperat, & pepererat.* Sic ille. At certe expositio hęc dignitati virginis, & veritati Scripturæ, quæ illam à fide commendat, derogare videtur; ac proinde respuenda meritò est, vt etiam Hæreticorum, Lutheri, & aliorum discipulorum reprobanda sententia; qui post tot patres, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, Bernardum, ita ausi sunt interpretari verba Virginis, vt eã sub incredulitatis peccato, quod horrendum est vel cogitare, continere velint. Atqui eo ipso tempore maxima, & incredibilia mysteria ab Angelo nunciata firma fide apprehēdit, nimirum Deum fore hominē, mortalem Deum de fœmina nasciturum, Virginem sine viro cōcepturam, & Deum parituram, & permansuram integram, & fœminę pauperis filium fore monarcham, regemque totius orbis sempiternum, & mysterium sanctę Triadis, id est, Patris, Filij, & Spiritus sancti, tunc primum audiuit Maria. Quod si nobis post secula hæc mysteria admirationem & stuporem efficiunt,

Euthym. in Luc. c. 1.

Gen. 21.

Infrà 25.

Infrà 29.

1 Reg. 1.

Euthymij sensus, vt etiam Hæreticorum improbatur de incredulitate Mariæ virginis.

Qualia virgini diuina mysteria per Angelum fuerint patefacta.

Quàm impiè asseratur, Mariam eos qui verbo Dei aduersantur significare.

quid mirum si mater sanctissima, quæ tunc primum audiuit, admirata sit, & minorem eorum explicationem petierit, & statim totam se subdidit diuino beneplacito, nec amplius dubitat, aut sciscitatur? Est etiam contumeliosum: quod eam typum faciunt eorum, qui verbo Dei aduersantur. Quomodo ergo ipsa in spiritu dixit: *Beatam me dicent omnes generationes?* Et vnus ex ipsis Hæreticis, nempè Brètius hom. 6. in Luc. ait: *Hæc nō sunt verba incredulitatis, qualia fuerunt Zachariæ, sed sunt verba, quæ proficiscuntur ex admiratione fidei. Non enim dubitat Maria de certitudine verbi, quod audierat ab Angelo, sed dubitat de modo quo verba Dei explenda sunt.*

Luc. 1.
Idem asserunt alij eiusdem farinæ viri, vt Bucerus & Bullingerus.

Cum eadem propè Virginis, atque Zachariæ responsio fuerit, cur hic tantum ab Angelo fuerit reprehensus, & non illa.

Quod ad secundum attinet, aduerte, iure optimo damnatum Zachariam, atq; reprehensum fuisse. Primum quidem, quia dubitauit de Angelo: Deinde obiecit rationes ad suā, & vxoris imbecillitatem respicientes: Tertiò, quia petiuit signum, quod Virgo non postulauit. Quod autem verba Mariæ verbis Zachariæ proxima esse videantur, nihil refert: quia sensu & mente erāt diuersa. Vnde Augustinus lib. 50. homiliā. ho. 43. pulchrè ait: *Si verba attendemus, haud ambo crediderunt Zacharias, & Maria. Sed nos verba audiuimus, Deus potest corda interrogare. Intelligimus apertissimè, quoniam Zacharias quādo ait: Per quid cognoscam hoc? Ego enim sum senex, &c. desperando dixit, non inquirendo. Maria verò è contrario, quando ait: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? inquirendo dixit, non desperando. Cùm interrogauit, non de promissione dubitauit.* Idem prorsus dicit in quæst. in lib. Nume. Non ergo semper, illud aduerbium, Quomodo signum est diffidentiæ, vel infidelitatis, sed prudentis, & simplicis interrogationis ad intelligendum rationem, & modum alicuius rei assertæ, vt est illud Apostoli ad Romanos 4. *Dicimus enim quia reputata est fides Abrahæ ad iustitiam: Quomodo ergo reputata est, in circumcisione, an in præputio?* Quæ interrogatio doctrinæ gratia facta est. Neque semper est signum negationis, vt est illic: *Si Sathanas in Sathanam diuisus est, quomodo stabit regnum eius?* quasi dicat; Non poterit stare. Quoniam aliquando affirmat, vt Roman. 8. *Qui etiam proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* Ergo pro ratione loci, & sermonis, vel nota est incredulitatis, & diffidentiæ, vel admirationis, vel negationis, vel affirmationis, vel prudentis percunctationis. Vt rectè propterea dicto loco dixerit Augustinus: *Deus non de verbis, sed de cordibus iudicat.* Accedamus iam ad tertium, & de eo intelligamus, primas duas sententias, dubitationes esse hominis de Dei potentia, alias verò duas de Dei scientia diffidentis. Maria verò non dubitat de Angelo an sit à Deo missus, an mentiatur, & decipiat: non de Dei potentia: ideo non dixit: Quomodo potest hoc fieri? quia nouerat infinitæ Dei potentiæ nihil esse impossibile. Non de Dei voluntate, quoniam optimè ex scripturis Deum sciebat ex Virgine in carne nasciturū: quemadmodum Ambrosius paullò antè allegatus, & Orig. tradunt. Non recusat obedire, quæ ad obed étiam semper fuerat, eratque promptissima. Neque seipsam excusare voluit, tametsi in se ipsa nihil cerneret, propter quod ad maternitatem Filij Dei assumenda esset. Nouerat enim, dominum, si vellet, vti opera sua posse, & scire tantā dignitatē sibi conferre, quantam præsenti negotio nouerat conuenire. Sed posita potentia, & voluntate Dei, inter rationes ac modos quos diuina virtus adhibere poterat infinitos, quærit modū operis & qualitatem, qua vti ad perficiendum hoc opus dignabatur, & quomodo salua sua virginitate fieret: & quāquam ipsa, vt erat prudētissima, atq; in scripturis Prophetarū probè erudita, modum cōiectaret, modestè tamen atq; sapienter interrogat: docens nos hac ratiōe, vt ea quæ scire videmur, ab alijs certè discere ne aspernemur, aut negligamus. Dicere ergo: *Quomodo fiet istud?* non est ignorantia, q̄ de ijs est rebus, quæ scire quis debet, & culpam includit. Deinde non est dubitatio, quæ quidem defectum & imbecillitatem humanæ mentis solet in sui notione includere: nam B. Virgo præclaro, atque præstanti erat ingenio prædita. Tantum ergo fuit, vt ita dicam, nescientia quædam, quam de multis futuris contingentibus, seu euentis etiam Angeli ipsi, & beati habent: & à qua inuicem purgantur, dum superiores spiritus inferioribus illa reuelant. Ad hūc modū beatissima Virgo haud debebat ab alio homine instrui, & ab ignorato modo incarnationis purgari, præterquàm Angelo, qui omnibus hominibus lōgè dignior est, & excellentior. Sicut ergo Paulus doctrinæ gratia interdum interrogat, vt cùm ait ad Romanos: *Quomodo ergo reputata est.* scilicet fides Abrahæ, *ad iustitiā, in circumcisione, an in præputio?* & ad Corinth. *Quomodo resurgunt mortui? quali autem corpore venient?* vt ita interrogando doceat modū, quo reputata est fides Abrahæ ad iustitiam, & modum resurrectionis: similiter & B. Virgo, vt doceretur atque instrueretur de modo, ideò interrogauit: *Quomodo fiet istud?* Et prudenter sanè, non vt Eua nimium credula

B. Aug. tom. 10.
Idem lib. 4. q. in lib. Numer q. 19. 10. 4. sub initium.
Aduerbium quomodo, variè vsurpatur.
Rom. 4.
Luc. 11.
Rom. 8.
Deus non de verbis, sed de cordibus iudicat ait Augustinus.

Verbum, Quomodo, quonā sensu à B. Virgine pronunciatum fuerit.
Isa. 7.
Ambr. lib. 2. in Luc. c. 3.
Orig. hom. 6. in Luc. 10. 5
B. Virginis obedientia, & modestia.
Deiparæ Virginis exemplū humilitatis.
Ignorantia secundum se, culpæ rationē habet.
Angeli quomodo nescire dicantur secūdum Theologos.
Rom. 4.
Gen. 15.
1. Cor. 15.
Interrogationis vsus.
Virginis beatissimæ interrogatio quanto prudentior quam Euæ.

Eccl. 19.
Gen. 3.

credula de qua dici potest: *Qui credit citò, leuis corde est, & minorabitur.* Vtinam Eua sic dixisset ad serpentem diuinitatem promittentem: Quomodo potest pomum manducatum Deos omnia scientes efficere? profectò & sibi, & nobis melius consuluisset. Et hæc de tertio.

Cur B. Virgo de præsenti dicat: Virum non cognosco. 1. sensus.
Athan. tom. 3. ferè medium. Caietanus.

Differamus de quarto, cur scilicet de præsenti dicat: *Quoniam virum non cognosco?* Ad hoc variè respondēt Patres. B. Athan. serm. de sanctissima Deipara, quem etiam sequitur Caietanus, tametsi, vt puto, illum nec viderit, nec citauerit, propterea Virginem respondisse de præsenti: *Virum non cognosco,* quia Angelus quasi de præsenti dixerat: *Ecce concipies, & paries filium:* at sciens illa filios nō gigni nisi ex commixtione viri cum fœmina respondit: Quomodo id fiet, cùm virum meum Ioseph, cui desponsata sum, non cognoscam? Sed huic sensui obijci ab Angelo poterat: Virgo sanctissima, congredieris cum viro tuo Iosepho, & ita habebit in vtero filium, quem annuntio. Dictura quoque erat ad significandum. Quia virum nondum cognoui, & non de præsenti cognosco: futuri namque conceptus futurum congressum potius, quàm præteritum debuit intelligere fore caussam. Impugnat quoque hunc sensum Nicolaus Papa, cuius verba paullo post producemus.

Refellitur hic sensus.

Nicol. Pap.

Alter sensus horum verborum: Quoniā virum non cognosco.

Secundò alij tradunt: propterea de præsenti dixisse, virum nō cognosco: quod vouerat, & consecrauerat virginitatem suam Deo. Vt sit sensus, virum nō cognosco, hoc est, cognoscere non possum. Quemadmodum qui religione, aut publica professione, aut solenni voto ad aliquid seruādum adstricti sunt, de præsenti loquuntur. Turca enim, siue Mahometanus cui ex lege vinū interdicitur, dicit: Non bibo vinum, id est, non possum iure bibere vinum. Carthusianus, Non edo carnes: Franciscanus: Non tango pecuniam: id est, religio mihi est, vel edere carnes, vel tangere pecuniam: quia ex regula quam voui, professusq; sum, abstinentiæ disciplina arctiori teneor, &c. Atque in hanc sententiam exponit hæc verba Bernardus paullo antè citatus. Idem tamen serm. de Assumptione Mariæ docet, his verbis: *Si rerum pretia de raritate pensamus, quæ prima in terris Angelicam proposuit ducere vitam, super omnes est. Quomodo, inquit, fiet istud, quoniā virum non cognosco? Immobile propositum virginitatis, quod nec Angelo filium promittenti aliquatenus titubauit. Quomodo, inquit, fiet istud? Neque enim eo modo quo fieri solet in terris, virum penitus non cognosco, nec filij desiderio necessitate proles* Nicolaus etiam Papa eo-

B. Bernar. ser. 4. de Assump. Mariæ circa finem.

Nicol. Pap.

dem modo exponit. Nam 28. quæst. 2. cap. sufficiat, sic ait: *Si cohabitationis consensus matrimonium facit, tunc frater cum sorore matrimonium potest contrahere: si carnalis copulæ, inter Mariam & Ioseph non fuit coniugium. Vouerat enim Maria se virginem perseueraturam. Vnde ait Angelo: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? id est, me non cognituram proposui? Neq; enim, quia tūc virum nō cognoscebat, necesse erat inquiri quomodo posset filium habere, sed quia nunquam se cognituram proposuerat. Si ergo contra suum propositum posteà consensit in carnalem copulam, rea facta est voti virginalis mente, etsi non corpore violati: quod de ea sentire nefas est.* Idem docet Augustinus libro de sancta Virginitate. *Priusquàm conciperetur,* inquit: *Iam Deo dicatam, de qua nasceretur, elegit. Hoc indicant verba, quæ sibi fœtum annuncianti Angelo Maria reddidit. Quomodo,* inquit, *fiet istud, quoniam virum non cognosco? Quod profectò non diceret, nisi Deo virginem se ante vouisset. Sed quia hoc Israelitarum mores adhuc recusabant, desponsata est viro iusto, non violenter ablaturo, sed potiùs contra violentos custodituro quod illa iam vouerat.* Hæc ille, affirmans votum hoc ante matrimonium, seu dispensationem cum Iosepho emisisse. Gregorius item Nyssenus sermone de sancta Christi Natiuitate: *Audi,* inquit, *puræ virginis vocem: Quomodo fiet mihi hoc? quoniam virum non cognosco. Angelus partum denunciat, & illa virginitatem amplectitur, castitatem Angelicæ præferens apparitioni: ac neque rationem expeditam habet, cur Angelo non credat, neque ab instituto discedit, interdicta mihi, inquit, est viri consuetudo, quo pacto hoc mihi continget, quando quidem virum non cognosco? Hæc Mariæ vox demonstrat esse vera, quæ per occultam illam historiam traduntur. Nam si nuptiarum caussa assumpta erat à Iosepho, quomodo Angelum de partu prædicentem, quasi re noua atque insolita obstupefacta auersata esset? cùm prorsus speraret se quoque ipsam aliquando iuxta legem naturæ matrem esse futuram. Sed quoniam Deo dicatam, & consecratam carnem, veluti sanctum quoddam donarium, intactam seruari oportebat, propterea etiamsi Angelus sis, inquit, ac de cœlo veneris: etiamsi suprà hominem sit id quod appares: attamen vt virum cognoscam, fieri non potest, qui mater ero absque viro? Iosephum enim sponsum quidem noui, virum autem non cognosco.* Hactenus ille, & ante eum Gregorius Θαυματουργὸς cognominatus in homilia de Annūciatione, quę cū alijs multorum Patrum Græcorum inserta inuenitur, sic habet in illa verba: *Ait Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud? Nunquid maneo adhuc virgo? nūquid proditur dignitas virginitatis? Certe vbi proditio est, ibi fidelitas desideratur. Et*

Aug. lib. de sancta Virg. c. 4. to. 6.

Greg. Nyssen.

Quantus in Virgine castitatis amor. Virginem pudicissimam nuptiarum caussa non nupsisse Iosepho.

Gregorius Thaumaturgus.

Cui debuerit fidelitatem seruare Maria.

vbi fidelitas desideratur, ibi fides debetur. Debebat ergo Maria fidelitatem seruare, cui fidem debebat: etsi non obseruaret, prodidisse fidem videtur. Sic pater ille vetus, & sanctus: Cuius verba, sine voto à Virgine nuncupato intelligi non possunt. Beda quoque hæc verba explicans, ait: *Propositum suæ mentis reuerenter exposuit, vitam videlicet virginalem se ducere decreuisse.*

Beda lib. 1. in Luc. c. 3. to. 5.

Ratione adē veritas deuotæ Deo Virginitatis perpetuæ comprobatur. Deo quatenus grata virginitas.

Ratio etiam hoc votum comprobat. Nam cùm virginitas non vt naturalis, sed vt moralis est virtus, minus Deo placeat quàm quatenùs Deo dicata est, & oblata: constat certè excellentiorem, & maiorem esse virginitatem voto confirmatam. Nam & deliberatio offerentis fortior est, & offertur Deo nō tantùm actus, sed etiam habitus: & moralis quęcunque virtus per votum fit sancta atque sacra, ac proinde Deo acceptior.

Si B. Virgo propositum virginitatis habuit, cur se desponsari permiserit.

Quòd si obijcias, si B. Virgo degere in virginitate decreuerat, Deoque inspirante vouerat, cur desponsari se permisit: & quomodo id vouit, quod eo tempore probro dabatur? Respōdetur, id spiritus sancti cōsilio illam gubernantis factum fuisse: Nam si hanc desponsationem recusauisset, primū rei nouitas offensionem peperisset, ac probro illi esse potuisset. Deinde cùm electa esset vt virgo pareret, nisi desponsari se esset passa, non Virginis, sed iam scorti nomē haberet, & spurius haberetur filius: Dicenti namque se virginem peperisse, nunquàm fuisset creditum. De sterilitate etiam non curabat: cùm ex diuinis voluminibus probè nosset magnos, & excellentes viros de sterilibus fuisse ortos. Ergo credendum est audito cōceptus, & partus nomine, B. Virginem voluisse de virginitate sua iam Deo consecrata, tutā reddi: quia virum, inquit, quem habui, non cognoui, nec cognoscere mihi proposui. Quidam verò referunt, eam vouisse virginitatem ob humilitatem, ne scilicet mater Messiæ fieret. At hoc est in charitatem, & humilitatem, vt quæ non esset parata obedire Deo. Alij verò dicunt vouisse se virginitatem, vt famula & ancilla matris Messiæ esse posset: vtque eius pedissequa liberius illi, ac diligentius ministraret. Sed & hoc impugnari facilè potest. Nam si ob id virginitatis propositum concepit, haud debuit nuptijs assentiri, ne quouis modo obsequijs atque seruitijs Messiæ matris impedimentum daretur. Nisi dicamus id, quod Gratianus ex B. Augustino profert in libro decretorum: *Beata,* inquit, *Maria proposuit se seruaturam votum virginitatis in corde, sed ipsum votum virginitatis non expressit ore. Subiecit se diuinæ dispositioni, dum proposuit se perseueraturam Virginem, nisi Deus aliter illi reuelaret. Committens ergo virginitatem suam diuinæ dispositioni, consensit in carnalē copulam, non illam appetendo, sed diuinæ inspirationi in vtroque obediendo. Posteà verò cùm filium genuit, quod corde conceperat, simul cum viro labijs expressit, & vterq; in Virginitate permansit.* Hæc ille: nec ex quo libro Augustini hoc Gratianus deprompserit testimonium, hactenùs inuenire quidē potui.

Contra eos, qui Virginem Mariam ex humilitate (sic) mater Messiæ fieret, Deo vouisse aiunt virginitatem. Improbatur hoc dictum quorundam: Maria Virgo vouit virginitatem, vt ancilla matris Dei esset atq; pedissequa.

Gratian. 27. q. 1. can. B. Maria.

Quomodo teste Augustino, B. Virgo vouerit virginitatē.

Votum virginitatis conditionale quod minime censendum.

Vbi nota, quod illa cōditio generalis, nisi Deus aliter reuelaret, vel si Deo placuerit quod voueo, in omni voto expressa, vel subintellecta, non efficit votum conditionale: nam alioqui nullum esset votum purum, & simplex. Nec sanè incredibile censendum est, quòd eo tempore B. Maria virginitatem vouerit: quoniā sicut illo seculo digamia, qua plures simul vxores habere aliquando Iudæis licuit, aboleuerat: ita & castitas & virginitas in pretio esse cœperūt, vt de Essenis testatur Plinius, atque Iosephus. Quare B. Maria prima est mulier, quæ perpetuam legitur vouisse Deo Virginitatem: idque nouo quodam exemplo in matrimonio posita, per quod non solùm non est imminuta, sed decorata, & illustrata magis, vt etiam sua probitate, & exemplo virum ad amplectendum castitatem pertraxerit: & futuris omnibus Virginibus documentum vitæ cœlestis, & angelicæ præbuerit.

Essenis olim virginitas in pretio habita. Plin. lib. 5. cap. 17. Ioseph. lib. 2. de bel. Iud. cap. 7. Virginitatem Deo perpetuā consecrauisse, ex fœminis prima legitur Virgo Maria.

Tertia opinio, seu ratio huius dicti de præsenti: Quoniam virum non cognosco.

Tertiò igitur alij docent, eam de pręsenti dixisse, virum non cognosco, vt quæ diuinaret matrem Messiæ virginem futuram, & ex verbis Isaiæ Prophetę id colligere poterat. Cùm ergo per Angelum, vt mater fieret Messiæ, inuitata esset, prudenter respondit; *Quomodo mihi fiet istud?* hoc est, cùm constitutum sit, vt mater Messiæ intacta, Virgoque permaneat, me, quam tantam ad dignitatē inuitas, quęso te docere vt velis, & instruere de modo, quo salua virginitate concipere, & parere possim. Cū enim Angelus omnia verba Prophetiæ ex Isaia produxisset: *Ecce concipies & paries filium, & vocabis nomen eius, &c.* & solum nomen Virginis prætermisisset (de quo dicitur: *Ecce virgo concipiet*) tanquam rem ipsi, cum qua loquebatur, benè notam, ipsa de se prędicat, Virgo sum: sed honestius periphrasi illud expressit: *Quoniam virum non cognosco,* id est, cùm quidem Virgo, vt possim esse illa, quæ prædicta est ab Isaia: sed quæro modum, quo salua virginitate cōtingat. Quem Angelus confestim illi expressit: *Spiritus Sanctus,* inquit, *superueniet in te.* Ideò quod Ambrosius in Lucam ait. *Legerat hoc Maria, ideo credidit futurum, sed quomodo fieret, ante non legerat.*

Isa. 7.

Matt. 1.

Ambr. lib. 2. in Luc. c. 4. tom. 5.

legerat. Non enim, quemadmodũ fieret, vel Propheta tanto fuerat reuelatum: intellige planè & apertè. Vbi aduerte, in quibusdam codicibus Græcis legi: *Quomodo mihi fiet hoc?* Et ita legit Grego. Nyssen. serm. de sancta Christi Natiuit. etsi non esset ad sensum: tamen supplendum erat. Deinde aduerte more Hebræo præsens tempus pro futuro plerunque accipi, vt illud: *Exiuit sermo iste inter fratres, quia discipulus ille non moritur,* id est, non est moriturus. Et: *Christus cùm venerit, nemo scit vnde sit,* id est, nemo cogniturus est. Et alibi: *Non do vobis paleas,* scilicet, non dabo. Rursus: *Pro eis ego sanctifico me ipsum,* Et, *Apud te facio Pascha cum discipulis meis,* id est, Mox sanctificabo, vel, statim apud te faciam Pascha. Et in hoc loco: *Quod nascitur ex te sanctum,* sic enim Græcè de præsenti dicitur, γεννώμενον. hoc est, pro eo quod nasciturum est, vel nasci debet. Hanc etiam phrasim vsurpant Græci & Latini. Ait enim Aristoph. τί δρῶ; pro τί δράσω; *Quid facio?* pro, quid faciam? quod item in lingua materna, & vulgari Italica obseruamus. Virgilius quoque lib. Æneid. sic ait:

Greg. Nyssen.

Præsens pro futuro apud Hebræos sæpè accipi consueuit.

Ioan. 21.

Suprà 7.

Exod. 5.

Ioan. 17.

Matth. 26.

Aristoph.

Virgil. 1. Æneid. initio.

> *Progeniem sed enim Troiano à sanguine duci*
> *Audierat.*

Producendam esse, per enallagen. Atque ita sensus esset, Quomodo hæc mihi contingent, cùm mater Messiæ Virgo esse debeat, ac propterea virum nũquam cognoscere habeat, vt Scripturæ tradunt, quæ tamen modum, quem aueo ex te scire, non tradunt. Præterea huic sensui fauet, quod etsi B. Virgo virginitatem vouisset, poterat tamen Deus dispensare cum ea, si potest vicarius eius Pontifex Summus cum religioso viro, vel religiosa fœmina ad contrahendum, pro salute totius alicuius regni matrimonium dispensare, & voto illã virginitatis liberare: Quanto magis ipse omnium Dominus & Deus, cuius voluntas in omni sancto & religioso voto intelligitur excepta, pro salute totius mundi, quæ ex hoc mysterio Incarnationis pẽdebat? Cùm hoc ergò nouisset prudẽtissima Virgo, modum quæsiuit ab Angelo, quo mater Messiæ, quam se futurã intelligebat, salua virginitate concipere & parere posset: quam cùm saluam prædicasset Angelus, Virgo sine mora consensum adhibuit. Videtur autem huic sensui fauere Hebræorum traditio quædam, ab antiquis patribus, Gregorio Nysseno, & Epiphanio enarrata. Si quidem Epiphanius in Antidicomarianitas differens sic exprimit: *Primum enim,* inquit, *Quando Virgo tradebatur ipsi Ioseph, sortibus cogentibus ipsam ad hoc venire, non tradita est ipsi ad coniunctionem, si verum dicere oportet; quoniam viduus erat, sed propter legem quidem vir ipsius vocatus est. Iuxta consequentiam verò ex Iudæorum traditione ostenditur, quòd non coniunctionis gratia ipsi tradebatur Virgo, sed quo conseruaretur in testimonium futurorum, quod non spuria dispensatio aduentus in carne accessit, sed quæ testimonia haberet in veritate, extra semen viri, in Spiritu sancto dispensata in veritate.* Gregorius verò Nyssenus serm. de sancta Christi Natiuitate: *Deliberantibus igitur,* inquit, *eis* (scilicet Sacerdotibus) *super hac re, diuinitùs incidit consilium, vt darent eam quidem viro nomine desponsationis, is autem ad custodiendam virginitatem eius idoneus esset. Inuentus est igitur Ioseph talis, qualem ratio consilij requirebat, ex eadem cum Virgine familia, ac tribu: Isq; de consilio sacerdotum sibi puellam despondet. Coniunctio autem vltra sponsalia non progrediebatur.* Hactenus ille. Atque ita sensus esset: *Quomodo fiet istud?* quoniam non sum desponsata à Sacerdotibus, vt virum cognoscere debeam, vel possim? Hanc eandem traditionem Nicephorus Callistus ferè iisdem verbis repetit, vbi refert non alium ab ipso Ioseph visum esse magis idoneum ad solorum sponsalium coniunctionem contrahendam, vt qui propinquitate gentis ea contingeret, quòd essent eiusdem tribus. Eandem prorsus historiam tradit Simeon Metaphrast. in oratione de hoc venerando ortu, & educatione sanctissimæ Dominæ nostræ Deiparæ, & ortu Christi Dei nostri, & quæcunque contigerunt vsque ad viuificum eius discessum. Chrysostomus quoque in oratione de Annũtiatione allegatus à Simeone Metaphraste, eandem traditionem insinuat. Nec tamen ex illis Nysseni verbis desponsationem Mariæ non vltra sponsalia progressam, & similibus in aliis patribus obuijs colligere licet, vt quidam falsò colligunt, inter Mariam & Ioseph sponsalia per sola verba de futuro celebrata: huic enim repugnat quod dicitur: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam:* & rursus: *Ascendit Ioseph cum Maria sibi desponsata vxore prægnante:* vxor autem & coniux plus quàm sponsam, quæ de futuro promittitur, significat. Deinde non obstat illa ponderatio, nempe: Ioseph sponsum: nam Matthæi 1. dicitur: *Iacob genuit Ioseph virum Mariæ.* Constat autem virum, vxoris esse virum, sicut vxorem viri esse vxorem: Adhæc, per verba tantùm de futuro, non videbatur seruari intentio Spiritus sancti; quæ erat, vt omnes existimarent, Ioseph verum virum Mariæ, & verum patrem Christi fuisse: at quod

Hebræorum traditio quædam de Ioseph in sponsũ non autem in virum Mariæ à parentibus tradito.

Greg. Nyssen. in homil. de

Christi Natiu.

Epiphan. in hæresi 78. circa initium.

Grego. Nyssen.

Nicep. Callist. lib. 1. cap. 7.

Simeon Metaphr.

Chrysost.

Fuisse sponsalia de præsenti inter Mariam & Ioseph.

Matth. 1.

II. argum.

Ibidem.

III. argum.

quod opus est verba de præsenti, vel actũ coniugalem præcessisse, cuius virtute sponsalia de futuro transeunt in rationem perfecti matrimonij, vt iura canonica docent. Idem prætereà ex eo colligitur, quod Ioseph cogitabat eam occultè dimittere: erat ergò cum illa cõiunctus per verba de præsenti; nam de sponso per verba de futuro, etiam si recedat, & cum alia cõtrahat, non tam solet magni fieri, nec tam propriè dimittere dicitur, qua cùm nondum perfectum erat matrimoniũ in prima sua perfectione, quæ est per verba de præsenti. Illud vero: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam*, non significat: Noli timere ducere vxorem; vt quidam putant, sed potius oppositum, id est: Noli timere eam, quæ coniux tua est, in domum tuam traducere, iam enim in templo, ductis sortibus captus erat Ioseph, cum eaque contraxerat. Quod verò etiam ponderant isti Græcum verbum μεμνηστευμένη, id est, desponsata, siue sponsione promissa (quod & Theodorus Beza nostri sæculi hæreticus imprudenter considerauit) certè desponsata non tantùm est illa, quæ de futuro promisit cõiugium, sed etiam illa, quæ per verba de præsenti sui corporis potestatem in virum transfert, & prętereà promittit copulam coniugalem, cuius promissionis vi & efficacia sponsus vir, & sponsa vxor vocantur, iuxta illud: *Gaudebit sponsus super sponsa, & gaudebit super te Deus tuus*: Et Ioel Propheta: *Egredietur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo*: Et Sephora vxor Moysi, post genitum filium dixit viro: *Sponsus sanguinum tu mihi mihi es*. Augustinus quoque lib. 1. ad Valerium de Nuptijs, & concupiscentia, cap. 11. tradit, Virginem inter & Ioseph cõiugium perfectum fuisse, etiam si vsus carnis copulæ nec præsens esset, nec futurus. Et ponderat verba illa Matthæi: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam. Coniux*, inquit: *vocatur ex prima fide desponsationis, quam concubitu nec cognouerat, nec fuerat cogniturus: nec perierat, nec mendax manserat coniugis appellatio, vbi nec fuerat, nec futura erat vlla carnis commixtio*. Et lib. 5. cap. 12. contra Iulianum Pelagianum, qui dicebat, vbi deest concubitus, ibi non esse coniugium. Respondet: *Per hoc* inquit, *Secundùm te, cùm destiterint concumbere coniuges, iam non erunt coniuges, & diuortiũ erit illa cessatio. Quod ne contingat, agant, sicut possint decrepiti, quod iuuenes agebant*. Hæc ille, quæ ideò à me producta sunt, vt constet inter Mariam & Ioseph perfectum fuisse coniugium; & per verba de præsenti celebratum, etsi maximè desponsata dicatur.

IV. Argum. *Matth. 1.*

Verus sensus ac germanus huius dicti quis: Noli timere accipere Mariam coniugem tuam.

Theod. Beza.

Ioseph si vir, non sponsus virginis fuit, cur illi dicitur desponsata.

Isai. 62. *Ioel. 2.*

Exod. 4. *D. August. to. 7*

Ioseph inter & Mariam verũ coniugium extitisse.

Idem eo. tom.

Quod ergo Cyrillus Hierosolymitanus docet Catechesi 12. Mariam vxorem dictã Iosephi, propter solam despõsationem: intelligo desponsationem per verba de præsenti, sicut reuera accipi debet. Et vt huic disputationi finem tandem imponamus, duorum alterum probabiliter dici potest: primum vel Virginẽ vouisse se perpetuam Deo castitatẽ, ac proinde nec maternitati filij Dei voluisse assensum præstare, nisi prius cõstaret sibi saluam & integram esse suam virginitatem, & ita directè proponit votum suum, docens hoc suo exemplo, ne nos facile, neq; leuiter à semel Deo ꝓmissis resiliamus, recedamusque, tametsi nobis montes aurei promittantur, & magnæ rationes & speciem pietatis pręseferentes, & gloriam Dei illustrantes occurrant: cùm scriptum sit: *Si quid vouisti Deo, ne tardês reddere. Displicet enim Deo infidelis & stulta promissio*. Et fœminæ, quæ castitatem professæ erant, damnationem habere dicuntur ab Apostolo, quia primã fidem irritã fecerũt. Quare stupẽda est mirum in modu, omninoq; deplorãda hæreticorum nostræ tempestatis imprudentia, & impudentia, qui à promissa solẽni castitate retrocedẽtes, sanctimoniales, vt vocantur Christi virgines in vxores acceperunt, gloriæ sibi ducentes, quod Scripturæ tã aperti verbis tanquã sacrilegum damnatur atq; detestatur. Et vt facinus detestãdum, atq; flagitiũ miseri tueãtur falsis & detortis glosis, & à sensu patrum alienis atque abhorrentibus, hos locos Scripturarum interpretãtur, hoc est, peruertunt, vitiant, atq; corrumpunt.

Alio verò modo fortasse nõ minus probabili dici posset, Mariam Virginem sacrarum literarum benè peritã & scientem, intellexisse matrem Messiæ futuram Virginem: ac propterea quęsisse ab Angelo modum, quo, salua (vt iam dixi sæpè) Virginitate, mater fieri posset, qua cognita, statim acquieuit, Angeloq; prõpto animo assensit. Atq; hic sensus directè ꝓponit Scripturæ autoritatem asserẽtis Messiæ matrẽ Virginem futuram: indirectè autẽ ponit votũ Virginis de castitate perpetuò seruanda emissum. Et siue hoc, siue illo modo dixeris rectè verba Euangelij explicabis, quamuis prior sensus autoritate veterũ patrum magis roboretur, & dogma de voto Virginitatis à Deipara emisso magis cõstabiliat aduersus hæreticos. Ne verò hic tractat' protractior reddatur atq; prolixior, finem illi imponẽdum esse hoc loco existimauimus: admonẽtes omnes fideles, & Religioni viros addictos, vt quæ de ore ipsorum processerunt, ac Deo promiserunt, nõ faciant irrita:

Explicatur dictum Cyrilli Hierosolymitani: Maria vxor dicta est Iosephi propter solam desponsationem

Quid Mariæ Virginis non nisi ante salua suam virginitatem in matrem Dei assensus, doceat nos.

Eccles. 5.

1. Tim. 5.

Nostri sæculi hæretici quantum a Virginis ...ius sancto exemplo degenerauerint.

Circa illud: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco quid probabilius opinandũ.

Ad votorum obseruantiam adhortatio.

Psal.65. irrita: verum dicat quilibet: *Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea.* Meminerint fideles, quid in sacro Baptismatis, ac salutari fonte, de Satana, & omnibus pompis eius abrenuntiandis promiserint: & quã alienam vitę rationem ab his, quę sunt polliciti, hactenus duxerint, vt saltem de malè adimpletis promissionibus Domino factis tempestiuam ac fructuosam pœnitentiam agant: tãtæ enim bonitatis est Deus noster, vt pro accepto solutoque habeat, quod nõ soluimus, neque reddidimus: modò nobis ipsis displiceamus, & de commissis atque omissis pœnitentiam agamus: quod nobis vtinã præstet Dominus noster Iesus Christus, cui cum Patre, & Spiritu sancto, ab omni creatura, honos, gloria, imperiumque reddatur in secula seculorum. Amen.

Quàm bonus sit Deus noster.

TRACTATVS VIII.

In illa verba: *Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoq; & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua: & hic mensis sextus est illi, quæ vocatur sterilis: quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.*

Luc.1.

Epilogus dictorum de legatione Angeli ad Mariã.

ANgelus Gabriel ad Virginem destinatus, principio legationis suæ Virginem officiosissimè salutauit. Secundò, perturbatam & timidam honorificis suis verbis, eius expresso nomine erexit, & confirmauit: atque illud, ad quod missus erat, euangelizauit, nempe: *Ecce concipies in vtero, & paries filium, &c.* Tertiò, illam de modo concipiendo filium Dei instrui desiderantem, propositis verbis docet atque illuminat, & de seruanda virginitate securã reddit. Sed antequàm ad verba Angeli explicanda accedam, respondebo ad ea, quę noui quidã dogmatistæ, ac magistelli (& præsertim Erasmus Roterodamus) aduersus Virginis honorem nec pudẽter, nec piè effundunt. Aiunt enim extra rem esse, minimeque conueniens, in concionibus, publicisque prædicationibus ad populum, principio verbis Angelicis salutare, atque inuocare Virginem Mariam. At hoc quàm sit ad rem, atq; cõueniens, ex his quæ sequuntur, rationibus, si oculos aperire velit, prudens lector intelliget. Namq; vt omittam consuetudinem vniuersalis Ecclesiæ, quæ hunc ritum nobis à patribus acceptum, fideliter tradidit, certè vel ex eo, quod Angelus Gabriel fecit, si pietatis fuissent studiosi, intelligere potuissent. Nam vt Angelus antequam Marię euangelizaret & diceret: *Ecce concipies in vtero, & paries filium,* prius illam reuerenter salutauit, dicendo: *Aue gratia plena, Dominus tecum, &c.* Ita Ecclesia ad imitationem Angeli, præmitti voluit salutationem Angelicam, Virginisque inuocationem, antequam populo euangelizetur. Deinde, conuenienter illa inuocatur in Euangelio Dei proponendo: vt quẽadmodum illa simul operata est, vt Verbũ Dei æternum, & sub aspectum non cadens, carneum & visibile per incarnationem nobis redderetur: ita apud Deũ promeruit, vt inuocata à prædicatore & auditore, verbum prędicationis carneum redderet, atq; vt sic dicam, palpabile, captuiq; cuiusq; accommodatum ac penetrabile. Tertiò, constat ex Euangelio, Virginis salutationem efficacem fuisse: nam ad eius vocem impleta Spiritu sancto est Elisabeth, *& exultauit infans præ gaudio in vtero eius:* & Act.1. cum Apostolis legitur astitisse, nimirum vt Spiritum sanctum in illos de cœlo mitti impetraret, quemadmodum precatione sua, & salutatione domum Zachariæ Spiritu sancto adimpleuit: siquidem & patrem & matrem, & filium præcursorem Spiritu sancto repletos legimus. Cùm ergò nihil sit magis necessariũ, vel prædicatori ad rectè proponendum verbum Dei, vel auditori ad fructuosè illud percipiendũ, quàm Spiritus sanctus: magna ratione per illam Spiritum sanctum dari nobis à Deo postulamus. Quartò, putat Albertus Pighius hunc morem ab Ecclesia introductũ ad confundendos Hæreticos, qui de Virginis dignitate detrahebant; vel negantes Deum filium esse Virginis, vel Mariam Christotocon, non Theotocon cõtentes, quẽadmodum Nestorius fecit; vel negãtes verum corpus ex Virgine Maria sumpsisse, vt Valentinus, qui corpus cœleste Christo tribuebat; vel negantes eius perpetuam virginitatem, vt Heluidius & alij Hæretici; vel alijs rationibus eius dignitati & honori detrahentes: rectè Ecclesia cõstituit, vt etiam verbi Dei ministri in cõcionibus publicis eam vt Dei matrem inuocent, salutentque, vt impleatur eius verbum: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Tum vt obstruantur ora non tantùm Hæreticorum, sed etiã Iudæorum, qui ex contemptu dicebant: *Nonne mater eius dicitur Maria, & fratres eius, &c. Et sorores eius nonne omnes apud nos sunt?* Quintò, Apostolus ad Coloss.4. postulat orationes Colossensium, vt gẽtes credãt, &

Concionaturi more Ecclesię, cur prius B. Virginem salutent, & inuocent.

II. Ratio.

III. Ratio.

Act.1.

Luc.1.

Ibidem.

IV. Ratio.

Albertus Pighius recens noster scriptor.

Quæ olim hæreses contra Mariam Virginem exortæ fuerint.

Luc.1.

Matth.13.

V. Ratio.

Coloss.4.

Deus illi ostium verbi ad dignè loquendū aperiat. Actuum etiam 6. Petrus nomine Apostolorum reiecit ministerium mensarum, & dixit: *Non est aequum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis.* Rursus: *Nos autem orationi & ministerio verbi instantes erimus.* Ex cuius verbis Thomas Vvaldensis colligit, orationem cōmunem Dei verbū praecedere debere, atq; ita introductum ab Ecclesia per Traditionem vsum orādi atq; inuocandi B. Virginem. Sextò, vt testatur Hieron. ad Gal. Grande periculum est in Ecclesia loqui, ne fortè interpretatiōe peruersa de Euangelio Christi, hominis fiat Euangelium, aut quod peius est, diaboli. Accurrimus igitur ad B. Deiparam, quae fide insignis, & singularis extitit, &: *Haec est victoria, quae vincit mundum, fides nostra,* vt ita praedicanti & audienti assistat, ne ille haereses ferat, hic verò deceptus eas simpliciter amplectatur. Nam de B. Maria scriptū est: *Ipsa conteret caput tuum,* non tantùm serpentis ipsius, sed etiam seminis serpentis, id est Haereticorum, per quos daemon virus suum iaculatur. Hinc aperte cantat: *Gaude Maria Virgo, sola cunctas haereses interemisti. Quae Gabrielis Archangeli dictu credidisti.* Nec miretur quisquam, hoc illi tribui ab Ecclesia, quia patres etiam illud agnouerunt. Vnde Hieronymus, vel potius Sophronius serm. de Assumptione: *Haec est Virgo, quae sola interemit vniuersam haereticam prauitatem.* Et Bernard. serm. de Maria ex verbis Apocalypsis: *Nimirum ipsa Maria quondam à Deo promissa, serpentis antiqui caput virtutis pede contritura: cuius plane calcaneo in multis versutijs insidiatus est, sed sine caussa: Sola enim cōtriuit vniuersam haereticam prauitatem.* Neque haec obscurant Christi gloriam: quia sicut lumen Lunae, & aliorū syderum non derogat luci & splendori Solis, à quo illa astra luminis sui copiā accipiunt, ita nec Mariae per intercessiones suas dare lumen fidei, & illud alere ne extinguatur flatu Haereticorum, etiam si ipsa à Christo capite omnia mutuetur. Dicitur porrò cūctas haereses interemisse: quia quā plurimae haereses contra illam olim, & modò ortae sunt, quas omnes suis precibus adiuti patres damnarunt, in quo aliquo modo Christo est similis, in quem omnes Haeretici pugnarunt.

Act. 6. *Ibidem.* *Thom. Vvaldensis.* VI. Ratio. *Hieron. in c. 1 ad Gal. circa med. tom. 9.* *1. Ioan. 5.* *Gen. 3.* Semen antiqui serpentis haeretici sunt, quibus cum B. Virgo gerit inimicitias, eorumque omnes interficit. Id vnde cōstet. *Hier. tom. 4.* *Bernard. Apoc. 12.* Eiusmodi Virginis priuilegium quomodo salua Christi gloria possit consistere B. Virgo, vt ei Ecclesia tribuit, quomodo cunctas haereses interemisse sola dicatur.

Sed Erasmus pluribus in locis hanc Ecclesiae cum ratione coniunctam atque laudabilem consuetudinem sanè impudenter irridet, maximè verò in suo Ecclesiaste: quibus verò rationib. id efficiat, quaeso expendamus. Primò, inquit, quia maiori religione inuocatur Maria, quàm Christus. At haec pura est, apertaq; calūnia: magis enim colimus Christum, dum illum non solùm in se ipsa, sed etiam in sua matre sanctissima veneramur, & propter ipsum non solùm matrem colimus, verumetiam omnes Sanctos. Secundo, inquit, Nihil petitur ab ea. Sed falsum est, quia de more dicimus: *Ora pro nobis peccatoribus.* Et licèt nihil peterem, vel hoc satis esset, quod humanae redēptionis opus ei in memoriam reducimus, agentes gratias Deo pro hoc tanto beneficio in nos collato. Quot Psalmos legimus in Ecclesia, in quibus nihil petimus, sed tantum potentiam, sapiētiam, & bonitatem Dei in illis admiramur & commemoramus? Tertiò ait: Est praeter exemplum Scripturae, & nouum inuentum. Sed falsum est: quia Gabrielis exemplum habet Ecclesia: ex eo .n. loco, Spiritu sancto, & Christo inspirante, instruenteq́; aequum est Ecclesiā accepisse. Nam quòd egit tunc Angelus cū Virgine, cui annunciauit, simile videtur agere concionator, dum populo Euāgelium proponit, meritoq; proinde à praedicatore, atq; ab auditore salutatur beata virgo. Neq; verò si nouum existeret, omnino reijciendū esset: quia sic antiquum nihil esset probatū, aliquando enim nouum fuit. Nec si aliquid est antiquum, idcircò durare semper debet: alioquin duraret lex Moysi. Neq; nouum est hoc inuentum in Ecclesia: per plura enim secula iam hoc obseruari consuetum est. Quod verò in Ecclesia primitiua non fieret, mirum non est: nam tunc temporis Christus docendus & instillandus erat, quē ob id toties Paulus in Epistolis Iesum nominat, & magnificat, & proptereà ab eo implorandum erat suffragium. Tunc autem inuocantem Virginem Iudaei, aut Gentiles irridere potuissent: secùs modò, vbi nomē matris Iesu celebratum est, & in vniuerso mundo gloriosum redditur, vt sic post Christū Deum & hominē, prima creatura plena gratia colatur, veneretur, atq; benedicatur. Quartò ait: Quandoq; argumento praedicationis non quadrat inuocatio Virginis, vt si de lasciuia vel superbia sermo habendus sit. Quasi verò non valeat Virgo succurrere in exprobratione vitiorum, sicut in cōmendatione virtutum. An verò argumētum tale quadrabit Christo, vel Spiritui sancto? certè multò minus. Quis ergò inuocandus, Iuppiter, an Mercurius? Venus, an Flora? Quintò, producit ex Apostoli Iacobi epistola: *Si quis vestrum,* inquit, *indiget sapientia postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter,* &c. Non ait, postulet à Virgine. Respondetur non minus à Deo petere, qui per Virginem petit, imò efficacius, quia citiùs de nobis diffidentes, & humiliati exaudimur

Rationes Erasmi diluuntur cōtra pium Ecclesiae salutandi B. Virginem in concionibus morem proponuntur, ac diluuntur. I. Ratio.

II. Ratio. Non omnes Psalmi petitionem continent. III. Ratio. Non omnia noua reijcienda esse, neque antiqua omnia retinenda & probanda. Hunc morem Ecclesia olim primitiua, quare non seruauerit. Cur tam celebre ac frequens apud Paulum sit nomen Iesu. IV. Ratio Erasmi aduersus salutationem Angelicam. V. Ratio. *Iacob. 1.*

VI. Ratio.

Matth. 10.

audimur per matrem quàm sine ea. Sextò, Christus Apostolis, & in eis prædicatoribus omnibus dixit: *Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*, ac per hoc inuocandus est Spiritus sanctus, non B. Virgo. Respondemus: quemadmodum Dei filius, non per alium, quàm per Virginem incarnationis ministrâ nobis datus est, ita & Spiritus sanctus per eã communiter datur. Ideò cùm Spiritus sanctus primò missus est in Apostolos, ibi aderat Maria, feruenter orans, ac perficiens defectum orationum, quas Apostoli, & alij fideles ad Deum pro eius aduentu fundebãt: & intelligamus idem facere nobiscũ, dum Spiritum infundi nobis precamur.

Quare Spiritus sanctus nõ nisi per Virginem a Deo nobis donetur.

Act. 2.

VII. ac postrema ratio.

Postremò quod ait, inductum esse hunc morem in sermonibus ad blandiendũ fœmineo sexui, fictio est: quod acceptum ab Ethnicis & Poetis, qui Musam inuocabant, impostura est: quod ait B. Virginem loco Veneris à Nautis inuocari, plusquàm blasphemia est. Atque de his hactenus.

His Verbis: Spiritus sanctus superueniet in te, quid Angelus doceat Mariam.

Sed ad verba Angeli redeamus. *Spiritus sanctus superueniet in te*. Instruit Angelus Gabriel Mariam Virginem de modo & ratione, qua illæsa & integra virginitate sua conciperet, ac pareret. Et ait: *Spiritus sanctus superueniet in te*: hoc est, Non est quod à viro metuas, nam superueniet Spiritus sanctus de cœlo (non malus Spiritus de abysso, vel subtus) totum negotiũ in te peraget eo modo, quem sola diuinitas nouit. Tãtum scio non hominis hoc alicuius, sed Spiritus sancti opificis summi, ac conditoris opus futurum. Hinc doctè in hæc verba Chrysost. scribit: *Ne quæras*, inquit, *naturæ modum, & ordinem naturalem, quando super naturam sunt quæ fiunt. Ne expectes coniugij dolores, quando maior quàm in nuptijs virginitatis modus erit. Et quomodo fiet istud*, inquit, *quoniam virum non cognosco? Sanè propter hoc, quoniam virum non cognoscis. Nam si cognosceres virum, non fuisses habita digna, vt huic ministerio seruires. Atque adeò quod incredula es, per hoc crede, non quia malum nuptiæ, sed quia melior virginitas*. Hæc ille: in cui⁹ verbis illud nõ probatur, quòd incredulam Virginem asserit, cuius tamen fidem commendauit Elisabeth Spiritu sancto plena. Accedit Chrysologus serm. de Annunt. *Virgo te gratia matrem præstitit, non natura: genitricem te dici pietas voluit, quam non sinebat integritas: in tuo conceptu, in tuo partu creuit pudor, aucta est castitas, integritas roborata est, & solidata virginitas, omnes perseuerauère virtutes*. Hæc ille. Gregor. Nyssen. vt citatur à Thom. in catena aurea, pulchrè ait: *Tabulas nostræ naturæ, quas culpa cõfregerat, denuò verus Legislator de terra nostra sibi dolauit absque concubitu, diuinitatis suæ corpus susceptibile creans, quod digitus sculpsit, scilicet Spiritus superueniens Virgini*. Hæc ille.

B. Chrysost. hom. 49. in Gen. circa med. tom. 1.

Naturæ modus & ordo vbi non est inquirendus.

Petrus Ra. ser. 143.

Virginei conceptus, & partus bona.

D. Tho. 10. 15.

Duo hic explicanda sunt: Primùm, ad quid superuenerit. Deinde, cur Spiritui sancto potiùs, quàm Patri, aut Filio hoc opus adscribatur. Ad primum dicimus propter duo Spiritum superuenisse. Primum quidem non ad mundandam eam ab vlla criminis labe, quæ quidem Virgo per Spiritum sanctum ab initio excellentioris sanctificationis genere fuisset præseruata, verũ vt eam ad tãti mysterij sanctitatem disponeret ac prępararet, illustriorem fidem, ardentiorem charitatem, & lumen diuinum clarius & excellentius infundendo, quò se, atq; Deum & Spiritum sanctũ valeret agnoscere, vtq; magnis votis expeteret quod ipse volebat, atque eo ipso modo quo volebat. Atque ita *sanctificauit tabernaculũ suum Altissimus*, scilicet B. Virginem, vt exponit Athanas. serm. de sanctiss. Deipara.

Cur in Virginem Spiritus sanctus superuenerit.

Psal. 54.

M. Athanas. tom. 3.

Dicitur autem de Spiritu sancto conceptus Christus, non quòd de substantia Spiritus sancti sit, sed de potentia: nec generatione, sed iussione & benedictione conceptus, vt docet Aug. ser. 2. de natiuit. Dom. Vnde Spiritus sanctus nequaquam dicitur Christi pater, nec Christus filius Spiritus sancti, quia nõ generatione de propria substantia, sed artificio mirabili de aliena materia, & substantia cõdidit Spiritus S. Christi sanctissimam humanitatẽ. Deinde affuit Spiritus S. operi huic incarnationis efficiẽdo (cui proptereà tribuitur, quòd sit opus amoris, singularisque Dei charitas ad vniuersos homines argumentũ) quia significare voluit opus fore mundum, atque ab omni corruptione ac immũditia alienum. Quare Greg. Nysse. serm. de sanctiss. Christi natiui. *O beatum*, inquit, *illum ventrem, qui propter excellentiam puritatis animæ bona ad se attraxit. Nam in cæteris quidem omnibus vix animæ pura Spiritus sancti præsentia, hic verò receptaculũ spiritus fit*. Hæc ille. Adhæc, omnes generationes principium radicale, vt vocãt à spiritu, qui est in virtute seminis, habent, & sine spiritu nihil germinare possunt, & qualis est spiritus, tale est & germẽ. Et quia Verbũm generatur ab æterno ex Patre excellenter, incõprehensẽ & ineffabiliter: ita ex te nascetur sanctũ excellẽti, incõprehenso & ineffabili modo nõ spiritus creati alicuius, aut humani virtute, verùm Spiritus creatoris, & Dei: omnis namq; actio ex spiritu quodam proficiscitur, & amore, qui id quod agit, vnit ei, in quod agit: mot⁹ enim sine spiritu esse non potest, & quod in vẽto motionem efficit, id spiritum appellamus:

Quomodo Christus sit de Spiritu S. conceptus.

Aug. tom. 10.

II. ratio superuenientis in Virginem Spiritus.

Greg. Nyss. à med. sermonis

Virginei beatitudo ventris.

III. Ratio.

Vtriusq; Christi generationis modus.

Actionis omnis fons, atque principium quodnam sit.

motu ſiquidem omnes efficiunt quicquid volunt. Sic ergò vbi quis operatur, affici illi rei oportet, cui dat operam. Cùm ergò ex Spiritu & amore opera proficiſcantur, neceſſarium fuit, vt maximum hoc opus coniungendæ nimirum Hypoſtaſis diuinę cum humana natura ex maximo vniente amore proficiſceretur, qui Spiritus S. eſt tertia in Diuinis perſona, per quem ſolum ſine adminiculo creati agentis, Filium Dei Patris potuit Virgo concipere. Nã vt Deus omnia ſpiritu ſuo formauit, quæ cum non eſſent, vt eſſent effecit; ita hoc maximum atque præcipuum, planeque diuinum opus eodem operante Spiritu ſancto, peregit.

Gen. 1. & ſeq.

Quomodo Deus Pater per Spiritum ſuum virginea Verbum ſuum carne veſtierit.

Quod vt capias, prudens lector, illuſtretur hoc exemplo. Sit enim excellẽs præceptor quiſpiam, qui quod mente concepit, quaſi partum ſuę mentis diſcipulis aperire velit, quo demonſtrata aliqua veritate pateſcat: hic in primis operam dabit, vt mẽtis conceptum voce tanquàm indumento aliquo veſtiat: nam alioqui niſi aliquo modo ſubiectus ſit ſenſibus, oſtendi diſcipulis nequaquã poteſt: hoc autẽ niſi ab naturali magiſtri ſpiritu effici nequit, qui ex attracto ad ſe aere vocalẽ figuram accõmodat, vt mentis conceptui conſẽtaneam: quare huic ſpiritui ita conceptam adunat ſententiam, vt vox ipſa in ipſa re concepta ſubſiſtat, vt auditores voce media conceptu aſſequantur. Ad hunc modũ Pater pro amore ſuo erga nos verbum ęternum, quod eſt omnium plenitudo, humana natura induit per Spiritum S. qui eiuſdẽ eſt cum eo ſubſtantiæ deferens verbum, quod Virgini obumbrauit. Et quemadmodum ex aere contracto per inſpirationem formatur vox, in qua eſt conceptus: ita de puritate fœcunditatis virgineæ Spiritus S. corpus ipſum animale contexuit, vt in illa humana natura eſſet Verbum Dei Patris, tanquàm conceptus quidã voce expreſſus, ſenſuiq; auditus obiectus. Et queadmodum vox defert conceptum, ita Spiritus S. dicitur ſuperuenire in Virginem, virtutem Altiſſimi deferens ad illam obumbrandam: & quemadmodũ clibanus primùm quidem ignem recipit, deinde in eo coquendum panem: ita Virginis vterus primò Spiritum ſanctum, eiuſque operationem diſponentem accepit, deinde panem vitæ Chriſtum per nouem menſes decoquendum, poſteà de clibano in die Natiuitatis extractus eſt, iuxta illud: *Tu es qui extraxiſti me de ventre: ſpes mea ab vberibus matris meæ.* Dein & iterum in clibano crucis ardore charitatis coctus eſt, vt panis eſſet nauticus, qui competit nauigantibus maximè, & per nauem pœnitentię tendentibus ad portum cœleſtis Hieruſalem.

Epheſ. 1.

Vox quomodo formetur.

Duplici exemplo ſatis idoneo virginea hæc Spiritus ſancti obumbratio explicatur.

Ioan. 6. & ſeq.
Luc. 2.
Pſal. 21.

Qualis panis Chriſtus.

Quod verò dixit de Spiritu ſancto quod ſuperueniet: nimirum quia regere, & non regi vult. Ita enim dicitur ſuper Apoſtolos deſcendiſſe, ſediſſeq; ſupra ſingulos eorum. *Superueniet ergò*, id eſt, cœlitus illabetur in te, ſicut Apoſtolis dicitur: Accipietis virtutem ſuperuenientis Spiritus ſancti in vos: quod apud Lucã explicans Dominus, dixit: *Sedete in ciuitate, quoadusq; induamini virtute ex alto.* Quanquam Bernard. homil. ſuper *Miſſus eſt*, referat ad abundãtioris gratiæ plenitudinẽ, quam effuſurus erat ſuper eam, vel quia prius gratia eius mentem tantùm repleuerat, ſequẽs verò etiam ventrẽ perfundere debebat. ¶Sequitur: *& virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Quanquam Iuſtinus martyr Apologia ad Antoninũ Pium pro eodem interpretetur Spiritum ſanctum, & virtutem Altiſſimi, dicens: *Spiritum autem & virtutem non aliud intelligere fas eſt, quàm Verbum* (τὸν λόγον) *quod & primogenitũ Deo eſſe,* &c. Rurſus alij volunt, eſſe vnum & idem ſignificatũ per Spiritum S. & virtutem Altiſſimi, id eſt, ipſum Spiritum S. Nam apud Lucam præcepit Apoſtolis: *Vos autem ſedete in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto:* & iterum: *Accipietis virtutem ſuperuenientis Spiritus ſancti in vos.* Rurſus: *Quomodo vnxit eum Deus Spiritu ſancto, & virtute.* Ipſe etiã delineatus eſt in nube leui obumbrante Apoſtolos in transfiguratione, & ita virtutem obumbrantem accepit Athanaſ. paulo inferiùs citandus, & Damaſcen. lib. 4. de Orth. fide c. 14. Tamen præſtat ſecundùm alios, illa eſſe diſtincta. Nouo autẽ loquendi modo in noua re vtendum fuit Angelo: nam nihil magis nouũ, quàm illud de quo Propheta cecinit: *Nouum faciet Dominus ſuper terram, Fœmina circundabit virum.* Id eſt: Mulier quæ non nouit virum ad cõcipiendum, cõtinebit tamen virum ad eum in lucem edendum. Videtur ergo Angelus Virginis interrogationi his verbis ſatisfacere. Sed quia res erat omnem creatam ſuperans intelligentiam, quod effari potuit, dixit: ſatis eſſe Virgini debere inſinuãs, ſi tuta redderetur à viri commercio, quod timebat, cætera nube tegi, & ſoli huius operis artifici relinquere: Ex quo Athan. ſer. de ſanctiſ. Deipara: *Introgreſſa eſt in Virginem diuina Filij eſſentia, adeò vt nec ipſa Virgo hæc cognouerit: cognouerit aũt Dei Filius quo pacto introierit.* Et B. Bern. ſer. ſuper Miſſus eſt: *Quid eſt*, inquit *& virtus Altiſſimi obumbrabit tibi? Qui poteſt capere, capiat. Quis enim, excepta fortaſſis illa, quæ hoc ſola in ſe feliciſſimè meruit experiri, intellectu capere, ratione diſcernere poſſit, qualiter ſplendor ille inacceſſibilis virgineis ſeſe viſceribus*

Superuenire cur dicatus S. Spiritus.

Act. 2.
Suprà 1.
Luc. vlt.

III. Ratio D. Bernardi.

Bern. hom. 4. ſuper Miſſus eſt.

Virtus Altiſſimi quæ. Primus ſenſus.

Iuſt. mart. Apolog. 1. inter init. & med. tom. 1. in princ.

Alter ſenſus.

Luc. 24.
Act. 1.
Infrà 10.

Nubes leuis apud Iſaiã quid myſticè.

Iſai. 19.
Matth. 17.
Io. n. Damaſc.

Tertius ſenſus præſtantior.

Hierem. 31.

Quid illud Hierem. Fœmina circundabit virum.

Magn. Athan. tom. 3. à med.

B. Bernar. ſer. p. citato.
Matth. 19.
1. Tim. 6.

infude-

infuderit,& vt illa inaccessibilem accedere, ac , e ferre potuisset, de portiuncula eiusdem corporis, cui se animata contemperauit, reliqua massæ vmbraculum fecerit? Et fortasse propter hoc maximè dictum est: Obumbrabit tibi, quia res nimirum
Mariæ Virginis priuilegiũ singulare.
in Sacramento erat, & quod sola per se Trinitas in sola, & cũ sola Virgine voluit operari; sed datum est nosse, cui soli datum est experiri. Dicatur ergo, Spiritus sanctus superueniet in te, qui vtiq; sua potentia fœcundabit te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, hoc est, illum modum, quo de Spiritu sancto concipies, Dei virtus, & Dei sapientia Christus, sic in suo secretissimo consilio obumbrando conteget, & occultabit, quatenus sibi tantum notus habeatur, & tibi. Hæc ille. Vbi notandũ est, vmbrã varia officia pręstare. Nã in primis vmbra protegit, recreat, atque defendit. Vnde Propheta: *Scapulis suis obumbrabit tibi*, &: *Obumbrasti super caput meum in die belli.* In libro Sapientiæ: *Nubes castra eorum obumbrabat.* Item: *Sub vmbra alarum tuarum protege me.* Et Loth dixit: *Ingressi sunt sub vmbra culminis mei*: & Sponsa: *Sub vmbra illius quem desideraueram, sedi*: & vmbra hederę Ionã Prophetam protegebat. Deinde vmbra facit videre quod nimius solis splendor visui adimebat: vnde & manum oculis superponimus, vt perspicacius videre possimus. Vmbra etiam non inquinat, neque diuidit quod tangit. Deniq; vmbra fit ex corpore obiecta luci. Cum ergo tot vsus vmbra pręstet, dubiũ est ad quẽ respiciens Angelus, dixerit: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Et fortassis à scopo non erraret, qui diceret, ad omnes hos vmbrę vsus Angelum simul respexisse. Nam ad creandũ, refrigerandũq; si referas, sensus erit: *Virtus Altissimi* tanquã nubes quędã omnem æstũ arcebit, ne vlla ex parte lædatur, ac violetur virginitas: atque ita exponit August. lib. 50. homiliarũ, hom. 24. & serm. 14. de nat. Domini: quem sequitur etiam Beda. Et idem erit sensus, si obumbrare idem sit quod protegere ac defendere: quemadmodũ ex Script. obseruauimus. Atq; ita hęc nubes obumbrauit Virginem, vt illã neque inquinauerit, neq; diuiserit, aut aperuerit, aut grauauerit, verũ summo modo protexerit, atq; ab omni immunditię genere pręseruauerit. Quocirca Aug. in Psal. 67. super id: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi: vmbra porrò ista*, inquit, *defensaculum intelligitur ab æstu concupiscentiarum carnalium: vnde illa virgo Christum non carnaliter concupiscendo, sed spiritualiter credendo concepit.* Sic etiã Theoph. *Obumbrabit tibi, hoc est, conteget te, hoc est, vndiq; te circundabit. Sicut auis obumbrat pullos suos, ita & diuina virtus totã Virginẽ apprehendit: & hoc est obumbrare.* Indicat tamen, quosdã sic interpretatos esse, vt significetur Dominus sibi carnẽ condẽs primum illã delineasse in vtero Virginis, ac deinde illã figurasse: sicut pictor primũ delineat, deinde perfectos & viuos colores inducit. Atq; hac ratione secundò obumbratio respicere potest ad vsum videndi & cognoscendi, quod in summa lucis pręsentia spectari nequit: atq; in hunc sensum exposuit hæc verba Bern. ante allegatus. Expressit etiã Greg. Nyssen. qui ser. de sancta Christi Natiu. ita scribit: *Quemadmodũ enim vmbra corporum ex forma prægredientiũ effingitur; eodẽ modo figura, atq; indicia Filij Deitatis in virtute nascentis elucebunt, & apparebunt, imago videlicet, & sigillum, & vmbra, & splendor primarij autoris, qui per mirabiliter actionũ ostẽditur effectum.* Athan. quoq; ser. de sanctiss. Deipara: *Non enim suspicandũ est*, inquit, *quod secundum simplicẽ naturæ suæ proprietatẽ Virgo in se habitantem Deum videre potuerit, aut quod ipsa animata, rationalisq; & intellectualis incarnatio conspicere valuerit, sed quatenus possibile fuit, vtpote obumbrante illam virtute Altissimi, & vmbras, lineamentaq; quasi faciente, vt videret quatenus fieri poterat Deũ in se habitantẽ. Et vt nos ipsi animam inhabitantem in carne nostra possidemus, nec tamẽ quomodo, qualisue ea sit, conspicere possumus, sed quasi vmbram eius, & lineamenta ex virtutibus eius, & internis efficacijs colligimus: Tale quiddam tum Virgo, tum ipsa rationalis & intelligens anima contueri poterat, atq; etiam nunc potest ex potentijs, operationibusq; inde prodeuntibus.* Hæc ille. Alij tertiò hoc referũt ad generationẽ vmbræ: vt enim illa ex obiecto corpore lumini efficitur; ita Verbum, quod est illa lux, *quæ illuminat omnem hominem*, assumptione corporis vmbrã quandam, siue vmbraculũ fecit: vt exponit Magnus Grego. & Ambrosius li. de ijs, qui mysterijs initiantur. Et locutio illa: *Obumbrabit tibi*, Gręca est: nam Gręcis ἐπισκιάζειν ratione præpositionis ἐπὶ, Datiuũ regit, interdum etiã Accusandi casum, vt cũ dicitur: *Et nubes lucida obũbrauit eos*, ἐπεσκίασεν αὐτούς. Vel dici potest Hebræa phrasis, quod verbum id regat Datiuum, sicut dicitur iuxta Hebręũ: *Scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis eius sperabis.* Mihi verò inter cæteros sensus magis placet, vt per virtutem Altissimi intelligamus Spiritũ sanctum, qui sanctè pręstitit officiũ mariti in pręparanda Virgine, & in Christi cõceptione: vnde illi tribuitur conceptio vt artifici, & ita interpretatur Athanasius. Vel intelligamus Patrẽ, cui obumbratio tribuitur Virginis, pręseruans eam à calore concupiscentiæ, & vt nubes lucida defendens à calore Solis, id est, Diuinitatis, cui etiã virtus, id est, fortitudo tribuitur, sicut Filio

Marginal notes (left): 1. Cor. 1. — Vmbræ vsus triplex. Psal. 90. Psal. 139. Sap. 19. Psal. 16. Gen. 19. Cant. 2. Ioan. 4. — Vmbræ proprium. — Quomodo fiat. — Spiritus sanctus Virgini tripliciter obumbrauit. I. Modus. — B. Aug. 10. 10. Bern. in Lucã lu. 1. c. 3. 10. 5. — Aug. tom. 8. — Theophyl. in Luc. 1. — II. modus obumbrationis a Spiritu sancto Virg. Mariæ.

Marginal notes (right): Ber. eod. loco. Greg. Nyssen. Simile — Athan. tom. 3. post domit. — Quo modo B. Virgo Deum videre potuerit in se inhabitantem. — Anima à nobis vt videri possit eodem autore. — III. modus obumbrationis virgineæ. Ioan. 1. — Greg. lib. 18. Moral. ca. 12. init. & lib. 33. ca. 3. in princ. tom. 1. — Ambr. c. 3. circa med. to. 4. Matth. 17 Psal. 90. — IV. sensus cæteris præstantior. — Diuinarum attributa personarum.

Sapientia, Spiritui sancto bonitas. Et in obumbratione eius depingitur cōplexus viri amplectentis vxorem ad conceptionem, modestissimis, & honestissimis verbis. Et ita in hoc mysterio totam licet cōtemplari Trinitatem, Patrem mittentē Angelum, & obumbrantē Virginem; ne alius intelligatur prolis huius pater, quàm Deus Pater, qui & genitor est Filij in Diuina natura. In secundo, habes Filium carnē assumentē; vt mundus per eundem restauretur filium, per quem fuit conditus, & quia non nisi per naturalem Filium Dei incarnatum parerat homines in Dei filios adoptari. Tertiò habes Spiritum sanctum superuenientem, & Virgini illabentem, vt esset sancta proles omninò.

Mysterium sanctæ Trinitatis in Angelica salutatione non obscurè insinuatum. Iacob. 1.

Non ignoro alios esse, qui virtutem obumbrantem tribuant Filio, vt Patri vocem Altissimi. Ait enim Ruffinus in expositione Symboli, circa initiū: *Vide ergo*, inquit, *cooperantem sibi inuicem Trinitatem. Spiritus sanctus venire dicitur super Virginem, & virtus Altissimi obumbraret ei. Quæ est autem virtus Altissimi, nisi ipse Christus, qui est Dei virtus, & Dei sapientia? Cuius autem hæc virtus est? Altissimi, inquit. Adest ergo Altissimus, adest & virtus Altissimi, adest & Spiritus sanctus.* Sic ille. Sed præstare videtur prior modus: vt Pater sit obumbrans fortitudo DEI, & contegens complexu suo Virginem: Filius sit proles, quæ nascitur assumpta carne: Spiritus sanctus, qui præparauit Virginem, vt sanctum ederet fœtum, & vim præstaret spirituālē, quam homo non præstat munde in semine virili. ¶ Sequitur: *Ideoq; & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* In primis consequentiæ vis aduerbio, ideò, significata, ponderanda est. Quia non ex via seminali, quemadmodum omnes filij Adæ, sed de Spiritu sancto, & ex sanctissima Matre cōceptus est, suaptè natura liber est ac immunis ab omni criminis labe per Adæ transgressionem in mūdū ingressi, cum cæteri non nisi immundi de immundo nascantur semine, iuxta illud: *Quis potest facere mundum de mundo conceptum semine? nonne tu qui solus es?* Imò non tantùm natura sanctus conceptus, & natus est Dominus, cum reliqui per gratiam Dei sanctificētur ferè post natiuitatem virtute Sacramenti actu, vel voto suscepti, vel extraordinariè, atque ex priuilegio in vtero existentes necdum in lucem editi, vt de Hieremia, & de Præcursore legimus; verum etiam suapte natura sanctificator, & purgator humanæ naturę suo iure conceptus est, illáq; ab initio mūdare, ac purificare cœpit. Rectè ergo dicitur sanctum, in neutro, & substātiuè, quod plus est, quàm si dixisset, Sanctus: quia sanctitas ipsa, & natura sanctus, de Spiritu sancto, & matre omni ex parte sancta conceptus est: vt ponderant Rupertus, & B. Bernardus. Et ita secernitur Dominus à Ioanne Baptista, qui & sanctus natus est ex vtero; verum non est sanctus natus natiuitate in vtero. Et licet B. Maria piè credatur nata sancta natiuitate in vtero, adhuc illam Christi non æquat natiuitatem; quia Christus natus est sanctus ex natiuitatis suę proprietate, & modo propagationis, cum non sit ex libidine, vel immundo semine, sed ex Spiritu sancto conceptus, & natus; illa verò sancta concepta non ex propagationis suæ conditione, sed ex singulari Dei priuilegio. Hinc rectè August. li. de natura & gratia: *Cum de peccatis agitur*, inquit, *Nullā prorsus de beata Virgine haberi volo quæstionem.* Origenes lib. de principijs: *Immaculatum* (ait) *esse præter Patrem & Filium, & Spiritum sanctum, nulli substātialiter inest, sed sanctitas in omni creatura accidens res est: quod autem accidit, & decidere potest.* Idē asserit in alijs locis plerisque docte satis, & catholicè: & beatus si sic omnia dixisset. Epiphan. in Theodotianos ponderat, coniunctionem &, nō iungendam cum verbo, vocabitur, sed cū verbo, *nascetur*, in conceptu scilicet, & partu, vt ostenderet Verbum, Deum qui est ex alto, etiam in vtero genitum, cum homo fieret. Græcè enim, vt diximus, de pręsenti dicitur, nascitur: vel quod in proximo esset, vt nasceretur, vt rectè interpres verterit de futuro, vel vt significetur augmentū futuræ prolis, vt explicat Theophylactus, quia particulatim in vtero crescebat; vel denique, vt non solū postquam natus est, sed etiā dum formaretur in vtero, Sanctum, Filium Dei fuisse intelligamus. Cōtra Cherintum, ac similes Hęreticos, qui dixerunt non fuisse filiū Dei, qui in vtero Virginis formatus, sed nudum hominem, qui posteà Deum sibi comitē factū habuisset: vt ex Irenæo, superiori lib. probauimus. ¶ Ait etiam, *nascetur ex te.* Nam si pictor debili manu pulchram figurā potest pingere, quantò magis Deus per robustiorē, vel per suam ipsius? Ponderat B. Athanasius epist. ad Epictetū Corinthiorum Episcopū, non dixisse, in te, sed, ex te; vt ostēdat contra hęreticos Verbū non accepisse corpus phantasticum, & imaginarium, vt docent Manichæi, sed verum, & carneum & substantiale, ex B. Virginis immaculatis purissimisque carnibus, atque sanguinibus assumptum. Ne quis etiam existimaret corpus in ipsam de cœlis introductum, vt Valentinus, sed, ex te, inquit: nempe vt natura

Marginalia (left): V. sensus. — Ruffinus apud Hier. tom. 4. — 1. Corint. 1. — Solus Christi conceptus vnde suapte natura mundissimus existat, atque purissimus. — Roman. 5. — Iob 14. — Communis hominum sanctificatio quādo contingat vt plurimum. — Hierem. 1. — Luc. 1. — Quare dictum sit: Quod nascetur ex te sanctum, & non sanctus.

Marginalia (right): Rupert. Tuit. lib. 1. de Spir. sanct. cap. 10. — B. Bern. ser. 4. super missus est, ante med. — Præcursoris natiuitas, & B. Virginis ab illa Christi quātum distet. — Aug. libr. de Nat. & Grat. ca. 36. tom. 7. — Orig. lib. 1. Periarch. cap. 5 in fin. tom. 1. — Epiphan. in Hæres. 54 — Quare Græcè dicitur præsenti: Quod enim nascitur ex te sanctum, &c. — Theophylac. in Lucæ cap. 1 — Cherinthi, ac similium impium dogma quod. — Irenæ. lib. 1. cap. 25. — B. Athan. — Quare dictum sit: quod enim nascetur ex te non, in te, secundum Athanasium.

ex ipſa eſſe crederetur quod gigneretur. Dimeritæ enim, in quos ille pugnat, cenſebant Chriſti corpus eſſe ipſi diuinitati coëſſentiale. Quanquam, ne quid diſſimulem, alibi Angelus dixit: *Quod enim in ea natũ eſt, ex ſpiritu ſancto eſt.*. Sed certè vtramque veritatem oportet confiteri, & in illa, & ex illa natum; ad diuerſa ſcilicet myſteria repręſentanda, de quibus ſuo loco dicetur. Subdit: *Vocabitur Filius Dei.* Quemadmodũ ex illo verbo Angeli: *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te*, intulit vocandum eſſe ſanctũ fœtũ; ita ex altero antecedenti: *Et virtus altiſſimi obumbrabit tibi*, infert genitum filium Dei vocandũ: quia naturã ſuam humanam non ex viro, ſed ex Deo accepit, & quia ex natiuitate temporali ex Virgine agnoſcendus erat ſilius Dei ab æterno natus; nec hæc natiuitas alteri quam ei qui eſſet filius Dei, cõueniebat; & quia ex Deo, & ab homine, hoc eſt, eſt Virgine genitus eſt, Deus ſimul & homo futurus erat: Vocabitur ergo filius Dei: non quidem ab initio, quia filius fabri, & filius Ioſeph putabatur, & negatus eſt Filius Dei: ſed tandem peruincet, atq; obtinebit: quia, vt Paulus ait: *Prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute, ſecundum Spiritum ſanctificationis, ex reſurrectione mortuorum*: & Centurio à veritate cõuictus, dixit: *Vere Filius Dei erat iſte.* Vocabitur autem, quia erit, & vocabitur à Patre, & Angelis, ab hominibus, ab Apoſtolis, & denique à dæmonibus ipſis vel inuitis, haud valentibus tantam veritatem celare. Sequitur: *Et ecce Eliſabeth cognata tua, &c.* Rectè dixit Ambroſius in Lucam: *Morale eſt omnibus, vt qui fidem exigunt, fidem adſtruant. Et ideò Angelus, cum abſcondita nunciaret, vt fides aſtrueretur, exemplo ſeniorũ fœminæ ſterilisq́; conceptum Virgini Mariæ nunciauit, vt poſſibile Deo omne quod ei placuerit, aſſereret.* Sic ille. Quia enim in Maria toti mundo Angelus loquebatur, probationes facit vt credamus: nam tantum incarnationis opus non eſt vlli merito datum. Ideò coram cacodæmone primis parentibus peccatoribus, & infideli Regi Achaz promiſſum fuit. Non ergo vt dubiam recentiori miraculo confirmaret Angelus hęc produxit, cum probatum ſit eam integrã Angelo pręſtitiſſe fidem; ſed vt dũ miraculum miraculo additur, gaudiũ gaudio cumuletur. Neq; vetera tamen Saræ, vel Rachelis, vel Rebeccæ, vel Annæ exempla produxit, vt annotauit Chryſoſtomus, ſed imminens factum cognatæ; vt credentem magis confirmaret. Deinde decebat, vt verbum mox diuulgandum vbiq;, prius ſciret Virgo per Angelum, quàm audiret ab hominestum vt tacite Virginẽ excitaret ad agendum gratias Deo de beneficio cognatę impenſo, atq; ad congratulandum bono proximi; tum etiam vt hac ratione illam ad viſitandam Eliſabetham, & ad ſanctificandum ſuo aduentu præcurſorem excitaret, atq; ita Virgo tempus, & ordinem rerum tenens, melius poſtmodum ſcriptoribus Euangelij reſeraret veritatem.

Dimeritæ olim hæretici impie de Chriſto quid ſenſerint.

Matth. 1.

Chriſtus homo in vtero Virginis conceptus, cur vocetur Filius Dei.

Matth. 13. & Ioan. 6.

Infra 19.

Matth. 26.

Roman. 1.

Matth. 27.

Chriſtus a quibus ſit vocatus Filius Dei.

Ambro. lib. 2. in Lucam c. 1. ab init.

Cur ſterilis conceptum Eliſabethæ Angelus Virgini Mariæ nunciauerit.

Gen. 3.

Iſai 7.

Cur Eliſabetham, non Saram, vel Rebeccam Angelus commemorauerit.

Gen. 18.

Infra 29 & 30. Chryſ. ho. 49. in Gen. circa fin. to. 1

Præterea in hoc exemplo allato illud expendendum eſt, quòd videtur probare à minori quod maius eſt per affirmationẽ: quæ ratio argumentandi inefficax eſt. Sed dicendum eſt, probationem non eſſe à minori, ſed à ſimili: Quia ſi ſumma Dei potẽtia illud, quod ſupra naturam eſt, effecit; ergo & iſtud. Et ideò concluſit: *Quia non erit impoſſibile apud Deum omne verbum.* Auguſtinus quoq; de hoc myſterio diſſerens, ait; totã rationem facti, eſſe potentiam facientis. Quantum ad potentiam igitur æquè facilè eſt vnum, ac alterum: nam vt in conceptu Virginis defuit ſemen viri, ita in ſterilis anus conceptione defuit naturaliter ſemen mulieris, in qua prę ſenectute & ſterilitate deſierant fieri muliebria, vt olim Saræ. Et quoniam conceptus Virginis occultus futurus erat, confirmari debuit per alium conceptum ſupernaturalem manifeſtum, & conſpicuum apud omnes. Et proptereà dixit Angelus eam vocari ſterilem; id eſt, omnibus notam eſſe eius ſterilitatẽ, vt ob eam non ſine opprobrio vocaretur vulgo ſterilis. Hic autem conceptus ſuper naturam nulli alteri magis conueniebat, quam illi, qui mittendus erat à Deo, vt de Chriſto teſtimoniũ perhiberet, vt ita ſuo ortu, & conceptu confirmaret Chriſti cõceptionem, & natiuitatem: ſicut ſuo baptiſmo, & prædicatione comprobabat baptiſmum, & prædicationem eiuſdem poſt ſe venientis. Quod igitur magis mirabile, occultum tamen, confirmetur per minus mirabile, ſed manifeſtum in Scripturis, nouum non eſt: nam ea ratione probandi, vſus eſt Dominus apud Matthæum. Nam cum allatus ante illum eſſet paralyticus, ijs, qui circumſtabant, dixit: *Quid eſt facilius dicere, Dimittuntur tibi peccata tua; an dicere, Surge, & ambula? Vt autem ſciatis quia Filius hominis habet poteſtatem dimittendi peccata, (tunc ait paralytico) Surge, & ambula.* Vbi etiam à minori videtur argumentari: nã remittere peccata, & iuſtificare peccatorem maius eſt, quã ſanare paralyticũ, vel creare cœlos, & terram. Et ſanare paralyticũ, ſi pertinebat ad oſtendendã poteſtatẽ remittendi peccata, cũ finis nobilior ſit his, quæ ducunt ad finem: cõſtat remiſſionem peccatorũ magnificẽtius Dei opus extitiſſe. At

Quomodo Angelus per id quod minus eſt, probet quod maius eſt.

Aug. epiſt. 3. ad Voluſianũ, to. 2. in prin.

Quare non ſit impoſſibile apud Deum omne verbũ.

Gen. 18.

Eliſabeth cur dicta ſterilis ab Angelo.

Ioan. 1.

Matth. 3. & ſeq.

Ioan. 1.

Matth. 9.

Argumentum a minori quale vſurpatum a Domino.

Quale opus Dei ſit peccatoris iuſtificatio.

que ita

que ita dubium non est, quin si rem factam expendas, nobilius opus sit remissio peccatorum, quam curatio paralytici: quemadmodum conceptio ex Maria Virgine sine semine viri, præstantius quid est, quam anum sterilem, & decrepitam generare. Patres quoque illam probandi rationem non ignorarunt. Nam ecce B. Ambrosius li. de ijs qui mysterijs initiantur, ca. 9. Eucharistiæ Sacramenti fidem multis exemplis, & signis longè inferioribus ijs mirabilibus, quę in Eucharistia contingunt, probat. Ecce denique mysteria Christi omnia talia, & tanta sunt, vt nequeant nisi per ea, quę minora, & inferiora sunt, comprobari. Si tamen potentiā Dei spectemus, æqualia sunt opera: perinde enim infinitam potentiam requirit vno verbo corpoream sanare paralysim, & sterilem anum reddere fœcundam ad generandum; atque remittere peccata, & virginem sine opera viri item reddere ad gignendum fœcundam. Ideoq; rectè vnum per alterum probatur argumentatione vel à simili, vel à minori, quando potentiam Creatoris vtrunq; requirit: minus enim, & maius non dicuntur respectu potentiæ Dei, quę infinita est, & ad vtramq; opus æquè necessaria: verum respectu (vt dixi) operum ipsorum. Si verò ad Dei voluntatem, atq; magnificentiam spectes, cū procliuius sit magnificentię Dei magna facere, quàm parua: nā magnanimi operari parua dedignātur: profectò maius est ꝙ fecit vt sterilis conciperet, quàm vt Virgo item conciperet. Et si pro seruo suo & præcursore illud voluit præstare, quid pro Filio suo Deo, ac Domino exaltando, atque glorificando non voluit? licet ad probandum potentiam, hoc argumentum non valeat. Ne ergò B. Virginis fides nutaret, ex humilitate ad suam paruitatem, & tenuitatem spectando, & se tali ac tanto conceptu indignam reputādo, vel à rei nouitate, quę cum natura ipsa pugnare videbatur, vacillaret; datur ab Angelo exemplum, in quo natura, & ętate simul sterilis supra naturam concepit, vt cōfirmetur Virginis supra naturam conceptus: & quia cognata Virginis sterilis fuit, & hoc tantum beneficium accepit à Deo; debuit meritò credere simile beneficium cōferri sibi posse. Nam certius credimus nos illa accepturos beneficia ab aliquo Principe, cuius nomine nobis promittuntur, dum in alios nostri generis illos beneficos extitisse experimur. Etsi ergo, vt diximus, hoc argumento non ita efficaciter probetur potentia; attamen posita potentia faciendi, probat Deum voluisse facere. Vnde subdit: *Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Sunt etiam qui considerent duplicem impotentiam generandi infuisse Elisabethæ, nempè sterilitatis, & decrepitæ ætatis; in Maria verò vnam tantum, virginitatis extitisse; ętate enim iuuenis erat, & idonea naturaliter ad filios procreandum. Si ergo Elisabeth duplici potentia impedita, ac per legem concupiscentię diuina virture, & miraculo cōcepit præcursorem; quid mirum, si beata Virgo vno tantum modo impedita, & sine lege concupiscentiæ filium supra vires naturæ generauerit? *Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Sciebat Angelus, Virginem nisi circa modum minimè hæsitare: & sciens oportere illam esse fidelissimam matrem promissi seminis Abrahæ; ne differretur conceptio, circa modum illam pacauit, quemadmodum Deus Saram, cui per Angelum dixit: *Nunquid Deo quicquam est difficile?* Nam inquirere apud Deū de modo, penes quem nihil est impossibile, absurdum est: quia id quod vult, necesse est esse, non obstante naturæ vsu contrario. Ipse enim pura est necessitas, neque ad vllum efficiendi modum adstringitur, vt sic, vel sic agat quod acturus est. Etenim quod modus requiratur, hoc aliquo ex defectu oritur; vt si ædificaturus domum, quærat quo id modo fiat, propter multiplicem scilicet materiam, quæ ad artificium necessaria est, vt calcis, lapidum, lignorum, sine quibus non ædificatur. At cum Deus mundum ædificare voluit, nullus modus requisitus fuit, verum *ipse dixit, & facta sunt.* Ideò possibile, & impossibile, ad hunc mundum tantum pertinent: sed in Deo locum non habent, cuius pura voluntas, est absoluta necessitas: ideo modum inquirere, superfluum est. Et ita cognoscet mundus quod in Deo essentia, intelligentia, voluntas, & potentia sunt vnum & idem: & vnam non esse maiorem, nec minorem altera, quia omnes sunt infinitæ, & omnes simul vna infinita Deitas. Ex quo tantus est Deus, quantum intelligit, & vult: & tantum potest, quantum vult, & intelligit. Quamobrem quicquid mente sua potest concipere, totum est Verbū, ipsi nec impossibile, nec difficile: ipsumque facere non minus facilè est illi, quàm ipsum velle, & intelligere. Superest igitur, ô B. Virg. nihil aliud est, nisi vt à me, Dei iussu, propositis consentias, & ad consensū gratiosè te inuito. Hoc expectat Dominus qui me misit, hoc Spiritus sanctus, & verbum ipsum: hoc expectamus, & supplicamus tibi omnes cœlestes Spiritus, quorū ego personam sustineo: hoc vniuersi homines,

[Marginal notes:]

S. Ambro. ca 4. circa med.

Qua ratione maius opus Dei sit, sterilē quam virginē facere vt pariat.

Quid eguerit Maria Angelico Elisabethæ sterilis exemplo, vt mater fieret Dei.

Quo etiam modo fuerit maius Elisabethæ sterilis, quam Virginis parientis miraculum Deo.

Gabriel cur Angelus Virgini impossibile nil esse dixerit apud Deum.

Gen. 12.

Infra 18.

Dei voluntas quam potens.

Domus constructio quid requirat.

Psalm. 148.

Possibile & impossibile vbi tantum reperiantur.

Diuinæ potentiæ magnitudo.

Virgineus in Dei matrem consensus, quam desideratus, & optatus orbi vniuerso.

mines, & maximè progenitores & maiores tui, qui velut in carcere, in limbo detinentur: deniq; ad hoc te totus mundus adhortatur, & inuitat, cum ex tuo assensu agnoscat suam salutem posse proficisci. Vnde Augustinus sermone in natali Domini, ita scribit: *Deus in porta est, Angelum quem moraris, expectat: O beata Maria seculum omne captiuum tuum deprecatur assensum; te Deo mundus suæ fidei obsidem facit; per te parentum suorum iniurias abstergi deprecatur. Ipse prior, qui offensus est, misit: claustrum, quod iniquitas nostra cœlo infixerat, reserauit. Est nobis aditus, si assensus tuus fuerit commodatus. Et nobis succurris, & tibi: quia nobis pœna successit: & tibi nuptias Filio suo in tuo thalamo Pater præparabit.* Et B. Bernardus in hęc verba: *Exspectat Angelus responsum, tempus est enim vt reuertatur ad Deum qui misit illum. Exspectamus & nos, ô domina verbum miserationis, quos miserabiliter premit sententia damnationis. Et ecce offertur tibi pretium salutis nostræ, statim liberabimur, si consentis. In sempiterno Dei verbo facti sumus omnes, & ecce morimur: in tuo breui responso sumus reficiendi, vt ad vitam reuocemur: Hoc supplicat à te, o pia Virgo, flebilis Adam cum misera sobole sua exul de paradiso: hoc Abraham, hoc Dauid; hoc cæteri flagitant sancti Patres, scilicet tui, qui & ipsi habitant in regione vmbræ mortis. Hoc totus mundus tuis genibus prouolutus exspectat.* Et paullo post: *Da Virgo responsum festinanter. O Domina, responde verbum quod terra, quod inferi, quod exspectant & superi. Ipse quoque omnium Rex, & Dominus, quantum concupiuit decorem tuum, tantum desiderat & responsionis assensum, in qua nimirum proposuit saluare mundum. Et cui placuisti in silentio, iam magis placebis ex verbo; cum ipse tibi clamet è cælo: O pulchra inter mulieres, fac me audire vocem tuam. Si ergo tu eum facias audire vocem tuam, ipse te faciet videre salutem nostram. Nunquid non hoc est quod quærebas, quod gemebas, quod diebus & noctibus orando suspirabas? Quid igitur? Tu es cui hoc promissum est, an aliam expectamus? Imò tu ipsa, non alia. Tu inquam, illa promissa, illa expettata, illa desiderata, ex qua sanctus pater tuus Iacob iam morti appropinquans, vitam sperabat æternam, cum dicebat: Exspectabo salutare tuum Domine: In qua denique, & per quam Deus ipse Rex noster ante secula disposuit operari salutem in medio terræ. Quid ab alia speras quod tibi offertur? Quid per aliam exspectas, quod per te mox exhibebitur, dummodò præbeas assensum, respondeas verbum? Responde itaque citius Angelo, imò per Angelum Domino. Responde verbum, & suscipe Verbum: profer tuum, & concipe diuinum: emitte transitorium, & amplectere sempiternum. Quid tardas? Quid trepidas? Crede, confitere, & suscipe. Sumat humilitas audaciam, verecundia fiduciam. Nullatenus conuenit nunc vt virginalis simplicitas obliuiscatur prudentiam. In hac sola re, ne timeat prudens Virgo præsumptionem: quia etsi grata in silentio verecundia, magis tamē nunc in verbo pietas. Aperi Virgo beata cor fidei, labia confessioni, viscera Creatori. Ecce desideratus cunctis gētibus foris pulsat ad ostium. O si te morante pertransierit, & rursus incipias dolens quærere quem diligit anima tua. Surge, curre, aperi. Surge per fidem, curre per deuotionem, aperi per confessionem.* Hactenus deuotissimus Pater.

Aug. ser. 17. in natali Domini, non longè à fine, seu de tēpo. serm. 21. tom. 10e

B. Bern. ho. 4 super Missus est, aliquantò à medio.

Gen. 3.

Isai. 9.

Psalm. 44.

Gen. 49.

Psal. 73.

Agg. 2.

Cant. 3.

Redeamus ad verba Angeli, vocat Elisabetham cognatam: quia tribus Leuitica cum tribu Iuda commiscebatur à principio: nam Aaron accepit vxorem Elisabetham filiam Aminadab abnepotis Iudę: fortassis quòd tunc non essent terrā ingressi, nec erat periculum tribuum hęreditates permisceri. Postea etiam admistæ sunt alię tribus cum Leuitica: nā Iosabeth filia Iorā Regis Iuda vxor fuit Ioiadæ summi Pontificis, vt habes libro 2. Paralipomenō: quoniam tribus Leui non habebat hæreditatem separatam ab alijs, sed ex decimis & oblatis templo viuebat. Et Maria cognationem cum vtraque tribu habuit, Regali videlicet, & Sacerdotali, quę summum Regem, & Sacerdotem erat paritura: vt testatur Augustinus libro de Euangelistarum consensu. Erat autem cognata Elisabethę Maria per Annam matrem, non per Ioachim, vt putat Caietanus: alioqui Christus non fuisset de tribu Iuda secundum carnē, sed magis de tribu Leui, & sic Christus potuisset altari pręsto esse: contra Apostolum aliter in epistola ad Hebræos docentem. Manifestè Christus ortus est de tribu Iuda, de qua nullus pręsto fuit altari: & Ioannes inquit: *Vicit Leo de tribu Iuda.* Et ratio est in promptu: quia filius non dicitur huius, vel illius filius per lineam fœmininam, sed per lineam masculinam, & falsò caneret Ecclesia: *Natiuitas Mariæ de semine Abrahæ orta, de tribu Iuda, clara ex stirpe Dauid.* Maria ergo, & Elisabeth, filiæ fuerunt duarum sororum, nempè Annæ, & Ismariæ, vt quidam tradunt: vtraque Bethleemitica fuit de domo Dauid; sed Ismaria nupsit viro Leuitico; & Anna viro Bethleemitico Ioachim. Atque hac ratione desumenda est cognatio, quæ erat Virginem inter & Elisabethā. Nisi quis dicat ad tuendum dictum Caietani matrem Ioachim Virginis Mariæ parentis fuisse de tribu Leui: quia tunc rationes contra eum factæ nō militarent: essent enim tunc verè tam Maria, quam Christus de tribu Iuda.

Elisabetham Virginis cognatā cur vocet Angelus.

Exod. 6.

2. Paralip. 22

Mariā Virgo cur de tribu Iuda simul & Leui fuerit oriunda.

Aug. lib. 2. de consensu Euangel. c. 2. to. 4.

Qua ratione Maria esset cognata Elisabethæ, patris, an matris.

Caiet. in cap. 1 Matthæi.

Heb. 7.

Apocal. 5.

Cuius quis filius dicatur.

Vt verum sit dictum Caietani, Mariam Elisabethæ cognatam per Ioachimum patrem.

Subdit:

Quorsum illud: & hic mẽsis est sextus illi, quæ vocatur sterilis.

Subdit: *Et hic mensis, sextus est illi*: Quod ad veritatis euidentiam positum est; & vt ostendat conceptum illius sterilis, certò iam cognosci etiã ipsis sensibus posse, tum ex vtero tumẽte, tum ex motu viuentis in vtero infantis. Nam ad opera charitatis nõ tam pręcepto superioris, quam charitatis stimulis incitari deberemus. Quod dicitur *Quia non erit impossibile apud Deum omne Verbum*: Omne verbum: pro, vllum verbum, vsurpatur. Solent namque frequenter Hebræi negationẽ pręponere verbo כל id est, non omne. Idẽ enim est: *Nõ erit impossibile apud Deum omne Verbum*; ac dicere, nullũ verbum erit impossibile apud Deum: quãquam regulæ quorundam Dialecticorum refragentur, non tamẽ Aristotelis. Et nota quod ait de futuro, erit: quia hoc verbum adductum est ab Angelo, vt probet Deum posse pręstare, vt Virgo salua integritate concipiat, & pariat; non ad probãdum quod sterilis anus possit ope Dei concipere. Non enim rectè diceretur, Elisabeth concepit, quia non erit impossibile: Sed dicendum fuisset, concepit, quia non est impossibile. Atque eadem hæc sententia penè ad verbum habetur in Hieremia, qui ait: *Non erit tibi difficile omne verbum*; vbi, teste Hieronymo, difficile poterat verti per impossibile.

Quid non esse impossibile apud Deum omne verbũ.

Cur dictum de futuro: Nõ erit impossibile apud Deũ, &c.

Hierem. 32.
B. Hierony. tom. 5.

Verbum verò, Gręce dicitur ῥῆμα, quicquid Deus futurum promiserit, vel prędixerit, siue quod de quolibet dici, aut enunciari potest. Non est autem verbum quodcunque implicat contradictionem: & ideò solum fieri non potest, quia nec cogitari. Omnis ergo propositio, in qua prędicatum non destruit naturam subiecti, vel in qua non est repugnãtia extremorum, quæ constitueret duo simul pugnãtia, id est, esse, & nõ esse, Verbum est, & à Deo fieri potest. Quidam autem hoc loco verbum pro facto, vel re accipiunt more Hebræo, vt ibi: *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo* (id est, in omni re) *quod egreditur de ore Domini*. Ita etiam dicitur: *Videamus hoc verbum quod factum est*; id est, hanc rem nobis ab Angelo reuelatam: quia Deus nec mentitur, nec decipit. Simili ratione, huius sententiæ: *Non erit impossibile apud Deum omne verbum*, sensus esset: Nulla res erit Deo impossibilis. Et Septuaginta interp. verba citata ex Hieremia verterũt: *Nihil apud te absconditum est*. In quem sensum quæstiones de illa vniuersali enunciatione occurrerẽt. Non enim potest mori Deus, aut peccare, aut fallere, aut negare se ipsum, vt Paulus ait: Et tunc respondendum esset, Deum idcircò dici omnipotentẽ; quia potest quicquid vult, & quicquid velle potest. Ita enim August. li. de Ciuit. Dei: *Deus*, inquit, *non ob aliud vocatur Omnipotens, nisi quoniam, quicquid vult, potest*. Sic ille. Sed certè verbum hic magis propriè accipitur pro promissione verbo ab Angelo facta secundum responsionem Marię dicentis: *Fiat mihi secundum verbum tuum*. B. Bernardus, proptereà dictum esse, omne verbum, & non omne factum, ponderauit, quò nimirũ ostenderet soli Deo idem esse dicere, & facere: idem velle & efficere: *Quia ipse dixit, & facta sunt*. Deum ergo tantę potentię meritò colere, & venerari debemus vel ob id maximè, quod omnipotẽtiam suam parcendo, atque miserando declarat, vt Ecclesia precatur: ex qua opus incarnationis processit. Et Euangelium virtus Dei dicitur, ad salutem omni credenti: vt propter summam potẽtiam suam Deus magis voluerit à nobis diligi, quã timeri. Nihil ergo de his, quę ad fidem spectant, dubitemus, cum à Deo cui nihil est impossibile, ad credendũ proponantur; verum certissima fidei persuasione omnia mysteria apprehendamus; præstante Domino nostro Iesu Christo, cui cum Patre, & Spiritu sancto reddatur ab omni creatura honos, gloria, & imperium in secula seculorum, Amen.

Quod verbũ non sit impossibile apud Deum.

1 sensus.

Deut. 8. & Matth. 4.
Luc. 1.
Hebr. 6.
Hierem. 32.
2. Timot. 2. Deus cur dicatur omnipotens, teste Augustino.

Aug. li. 5 de ciu. Dei, ca. 7. pau. ante mediam.

Alter sensus congruentior.

Tertius B. Bernardi.
B. Bern. loco iam citato.

Psalm. 148. Deus cur maxime colendus.

Roman. 1.

TRACTATVS IX.

In quo exponuntur illa verba: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum: & discessit ab illa Angelus.*

L. c. 1.

BEATISSIMA Virgo, audita diligenter Angeli annunciatione, Dei potentiam, ac voluntatẽ oculis fidei spectans, & mundi iam perditi redemptionem, ac reparationẽ sitiens, tota in seipsam descendens, promptam se pro gloria Dei obtulit ad omnes diuinę Maiestatis voluntates, dicendo: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*. Quasi dicat: scio, quod omnes creaturæ plus debent Deo subijci, quam domino seruus, aut lutum figulo: nulla etiam creatura debet plus Deo, quã ego domino meo, atq; tuo: & ideò, ecce me prõptam. Et (vt Theophylactus exponit) tabula sum pictoria, pingat pictor quid voluerit; faciat Deus quod libuerit; non me excuso, vt olim Moyses, cum mitteretur ad populũ Dei liberandũ; neq; rursus, vt Abigail dicam: *Ecce famula tua sit in ancillam: vt lauet pedes seruorum Domini mei*: ego pluribus rationibus sum illi ancilla: ille infinitis

Virginis obedientia.

Theophyl.

Exod. 4.

1. Regum 25.

decaus-

Quid est dicere: Ecce ancilla Domini.

de caussis mihi Dominus. Cum tamen me agnoscam omni dono, & virtute nudam, non audeo quicquam illi promittere; benè tamē contenta sum, vt diuinum eius beneplacitum per me, & in me impleatur. Ego nolo me cæteris mulieribus meliorem, aut magis idoneam existimare, sed ego libenter me consecro dicoq́ue eius perpetuo famulatui, atq; seruitio pro omnibus hominibus ac mulieribus, vt minima, promptissima, & obedientissima ancilla. Et hoc quidē dico non solū, vt verbis tuis, quibus me, vt consentiam, inuitasti, sed & ardentibus precibus postulo in me fieri, quod euangelizasti. Cum enim nouerim diuinam Maiestatem in his, quę promittit, rogari & precibus velle pulsari, nec ob aliud illa polliceri, nisi vt promissione sua, eorum in nobis desiderium excitet, desiderium verò perducat ad preces, preces verò assequātur quod donare disposuit; vt non det sine merito, vel dispositione, quod gratiosè donaturus est: idcircò non tantū legationi tuæ assensum prębeo, sed ex intimis etiā cordis medullis rogo, petóq; vt fiat in me, & per me, quicquid illi placet. Hoc donū tale est, & tam adoptabile, vt nulla ei mora prorsus facienda sit: nā qua ratione eū melius honorare potero, quā habendo in propriū filiū illū ipsum, qui est Filius Dei? Ipse me dignā, & idoneam fauore suo faciet: nec ego absq; Dei auxilio plus apta sum minimis, quam maximis rebus: vt ergo omnia possim in eo qui me confirmat, sine quo boni nihil facere possum, ipse præstabit. Tantummodò videndū nobis est, quis sit, qui præcipiat: neq; de nobis anxiè discutiendū an idonei simus: nam solet ipse infima mūdi eligere, vt confūdat fortia, vt illustretur gloria sua. Imitanda ergo est nobis beata Virgo; primū quidē in discernendis & probandis spiritibus. Deinde, postquā certi sumus Deum esse, qui præcipit, vel suadet, non est tardandū, vel excusandū, aut labor fugiendus, ne perinde nobis irascatur Deus, ac Moysi Exod. 3. & 4. est indignatus, quasi nos simus Deo sapientiores, aut ipsos, quos elegerit, nequeat reddere ad quod elegit idoneos. Piè autē & cū ratione creditur, Beatam Virginem in genua prouolutā, & capite inclinato, aut vt Hieronymus ait sermone de Natiuitate sanctę Mariæ, manibus expansis, oculisq; ad cœlum leuatis, hæc verba dixisse, cum ingenti ac ineffabili virtutum omnium, nempè Fidei, Spei, & Charitatis, Magnanimitatis, Obedientię & Humilitatis exercitio: quas quidem virtutes in ipsis verbis expressisse videtur. Verbum enim, *Ecce*, promptam, & cœcam obedientiam significat, non cunctantem, moras ve nectentem, verum ipsis verbis, & factis simul promptum obsequium pręstantem. Et nota, Virginem de se in tertia persona loqui, vt moris est in Sacris literis, vt Paulus ait de se ipso: *Scio hominem ante annos quatuordecim, &c.* & Ioannes de se: *Hic est discipulus ille, quem diligebat Iesus*: & de se Christus: *Vt autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem, &c.* Sic enim modestius loquimur, cum quid magnificum, aut excelsum de nobis dicimus: Hoc autē aduerbiū, *Ecce*, tum à Prophetis, tum ab Euangelistis, in describendis Messię mysterijs sępè vsurpatum est. Dixit enim Angelus: *Ecce concipies, & paries filium*: & rursus: *Ecce Elisabeth cognata tua, &c.* B. Virgo dixit: *Ecce ancilla Domini*: & rursus: *Ecce enim ex hoc beatam me dicēt omnes generationes.* Dixit Elisabetha: *Ecce vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis.* Dixit eius filius Pręcursor: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Dixit vnus Euangelista: *Ecce Magi ab Oriente.* Dixit alter: *Et ecce, homo erat in Hierusalem, cui nomen Simeon.* Dixit Propheta: *Ecce Deus ipse veniet, & saluabit nos: tunc aperientur oculi cæcorū.* Dixit alter: *Ecce Rex tuus venit tibi iustus, & Saluator.* Dixit denique Pilatus: *Ecce homo*: Et, *Ecce Rex vester.* Omnia siquidem, quæ ad Messiam spectant, admirāda sunt: noua, & inaudita sunt: frequenter ruminanda, & plena fide meditanda sunt: vt nobis pretiosa sint, & salutaria, vt sunt in se ipsis. Secundò ancillam se Domini vocauit, cum esset ad matris dignitatem Filij Dei, quasi ad cōuiuium, inuitata: Sedit in vltimo conuiuij loco, ex modestia, animiq; submissione se ipsā deprimens atq; humilians, vt ita digna haberetur, quę ascenderet ad primum, honorarioremq; conuiuij locū, & exaltaretur super oēs choros Angelorum ad cœlestia regna, iuxta Christi regulam: *Qui se humiliat exaltabitur.* Subiūgā verba Bernardi, quę ille super his verbis de humilitate Virginis est meditatus: *Quæ est*, inquit, *hæc tam sublimis humilitas, quæ credere non nouit honoribus, insolescere gloria nescit? Mater Dei eligitur, & ancillam se nominat. Non mediocris reuera humilitatis insigne, nec (oblata tanta gloria) obliuisci humilitatem. Non magnum est esse humilē in abiectione, magna prorsus, & rara virtus humilitas honorata.* Hęc ille. Meritò ergo Virgo se humiliauit, cum intelligeret infinitā Dei humiliationem, vt quę humilem & mitem esset paritura, humilis ipsa & mitis esset. Tum deinde quia omnia ancillæ obsequia, vt suo Domino placeant ex humilitate offerenda sunt, & se ancillam agnoscere & profiteri, iuxta illud: *Cum feceritis omnia* qua

Margin notes (left): *Philip. vlt.* — *Ioan. 15.* — *1. Cor. 1.* — Virginis in annunciatione nobis tradita documenta. — *1. Ioan. 4.* — Quo habitu Virgo hæc verba pronunciauerit: ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. — *Tomo 4. operū D. Hieronym.*

Margin notes (right): Cur illud dixerit in tertia persona, non in prima. — *2. Cor. 4.* — *Ioan. 13. & passim deinceps.* — *Matth. 9.* — Aduerbium Ecce: Prophetæ, & Euangelistæ quando adhibeant, & quare. — *Matth. 1.* — *Isai 7.* — *Luc. 1* — *Ibidem.* — *Ibidem.* — *Ioan. 1.* — *Matth. 2.* — *Luc. 1.* — *Isai. 35.* — *Zach. 9. & Matth. 21.* — *Ioan. 19.* — *Ibidem.* — Maria Virgo cur se ancillam Domini vocauerit. — *Luc. 14.* — *Ibidem. & Infra 18.* — *Bern. hom. 4. super Missus est post med.* — Quæ rara virtus humilitas Bernardo. — *Luc. 17.*

II. Ratio, cur Virgo se Domini ancillam vocauit.

quæ præcepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus: quod præceptum obseruasse videtur B. Virgo: & sicut Dominū altitudo, ita ancillam decet humilitas, quam in ea respexisse dicitur: tū quia ancillę nō est curiosius discurrere, & examinare opera dominæ suę, sed obsequi eius imperio: tum denique, quia, vt *Superbia, omnis peccati initium fuit; ita humilitas omnis virtutu fundamentum est*. Et vt superbia homines à Deo alienauit; ita humilitas Spiritus sancti domicilium effi it, iuxta illud: *Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem & quietum, & trementem sermones meos?* Sic beata Virgo humilem se præbuit, & mansuetam, & trementē ad verba Dei per Angelum allata. Tertiò dixit, *Fiat mihi*, quo verbo charitatem feruidam, spem certam, & magnanimitatem ostēdit; indicādo se illud expetere, ac petere, quod supra omnium mortalium vota, & cogitationes situ est: illamq; dignitatem, cui etiā vel Angeli ipsi inuidere, si capaces inuidiæ esse possent, non recusarent. Vnde Bernardus serm. 4. super Missus est, sic ait: *Fiat, desiderij est signum, non dubitationis indicium. Et per hoc, quod dicit, Fiat mihi secundum verbum tuum, magis intelligenda est exprimere affectum desiderantis, quam effectum requirere, more dubitantis: quanquam nil obstet intelligi, Fiat, esse verbum orantis. Nemo quippè orat, nisi quod credit, & sperat: vult autem à se requiri Deus etiam quod pollicetur. Et ideo forte multa, quæ dare disposuit, prius pollicetur, vt ex promissione deuotio excitetur, si. q; quod gratis daturus erat, deuota oratio promereatur. Sic pius Dominus, qui omnes homines vult saluos fieri, merita nobis extorquet à nobis: & dum nos præuenit tribuendo, quod retribuat gratis, agit, ne gratis tribuat.* Hactenus ille. Est etiam magnitudo animi B. Virginis in his verbis demōstrata: nouerat enim prudentissima Virgo, matrem Messiæ magnis doloribus, & tormentis, super omnes mulieres esse exponendam, quia nō semel legerat in Prophetis, Christum flagellandum, conspuendum, crucifigendum, & omnes filij iniurias in matrem aliquo modo detorquendas. Et quemadmodum Messias futurus erat nouissimus virorum, vir dolorum, & sciens infirmitatem, & vt leprosus putandus, & futurus opprobrium hominum, & abiectio plebis: ita nouerat & matrem eius futuram nouissimam mulierū, mulierem dolorum, & scientem infirmitatem. Quare beatissima Virgo, quę hæc minimè ignorabat, nō potuit nisi ab excelso, & constanti animo dicere, *Fiat mihi*. Nihil Virgini de cruce Christi Angelus dixit, vt posteà fecit Simeon, quòd verbū Dei cum iudicio sit dispensandum: neque plura Angelus debuit dicere, quàm haberet in mandatis: nec, si de cruce, & morte filii quicquā dixisset, vllo modo cōtradixisset, sed absque mora conditionem accepisset: nam & ipsa ex scripturis intelligere poterat crucē ac mortem Messiæ: ideò magnanimitatis verbum fuit dicere: *Fiat mihi*. Mihi quidē primum, & in vtilitatem meam: deinde etiam in honorem meum, post Christi gloriam: tamen pro omnibus etiam dico.

Eccles. 10.
Isai. vlt. iuxta septuaginta
Quid illud: Fiat mihi secundum verbum tuum.
Idem Ber.
Alter sensus nempe B. Bernardi.
Cur Deus velit a se requiri quod pollicetur.
1. Tim. 2.
III. ratio eius dicti: Fiat mihi secundum verbum tuum.
Matth. 17.
Isai. 53.
Psalm. 21.
Angelus Mariæ de Christi cruce quare nil dixerit.
Luc. 2.
Verbum quando primum fuerit incarnatum.

Quartò ruit hoc verbo sententia Theophylacti, qui quidem in illa verba: *Quod vocatum est ab Angelo, priusquam in vtero conciperetur*: ait nō audere se definire, an ante colloquium Angeli cum Virgine, an post illud verbum Dominus sit incarnatus: quia enim B. Virgo dixit, *Fiat*, constat post hęc verba tanti desiderij factum fuisse mysterium: post factum enim non opus erat orare, *Fiat mihi*: nec enim petimus quod iā habemus, ac possidemus. Quintò dixit: *Secundum verbum tuum*. Quo verbo insignem suā prodidit prudentiam, tantum optans, quātum sibi fuerat per verbum euangelizatū: nihil maius, nihil minus. Ita enim decet nos ipsos Deo subijcere, quantū in nobis, & per nos operari dignabitur. Et quanquam B. Virgo ad Angelum præsentem, ac euangelizantem dicere: *Secundum verbum tuum*: tamen cum illum nuncium Dei esse non ignoraret, cuius proposuerat verba, probabile est, Virginem sacrosanctam, quæ superueniente repleta erat Spiritu sancto, æternum Patrem respexisse, atq; fidei oculis Deum prȩsentem spectantibus, ad illum orationem suam direxisse, cum non tam sisteret in nuncio, quam per eum, ad Dominum Angelorum, qui legationem illā instituerat, ascenderat. Vnde Bernardus homil. 4. super Missus est: *Fiat*, inquit, *mihi de Verbo secundum verbum tuum, quod erat in principio apud Deum. Fiat caro de carne mea, secundum verbum tuum: Fiat obsecro mihi verbum nō prolatum, quod transeat, sed conceptum, vt maneat, carne videlicet indutum, non aere. Fiat mihi non tantum audibile auribus, sed & visibile oculis, palpabile manibus, gestabile humeris. Nec fiat mihi verbum scriptum, & mutum: sed incarnatum & viuum: hoc est, non mutis figuris, mortuis in pellibus exaratum, sed forma humana meis castis visceribus viuaciter impressum: & hoc non mortui calami depictione, sed sancti Spiritus operatione. Eo videlicet modo fiat mihi, quo nemini ante me factum est, nemini post me faciendum. Porro multifariam, multisq; modis olim Deus locutus est Patribus in Prophetis, & alijs quidem in aure, alijs in ore, alijs etiam in manu factum esse verbum Domini memoratur: mihi autem oro vt in vtero fiat iuxta verbum tuum.*

Theophyl. in c. 2. Luc.
Expenditur illud: Secundū verbum tuum.
Ad quem ea Virginis verba dirigantur, ad Deum, an ad Angelum.
D. Bern. ad finem hom.
Ioan. 1.
Gen. 2.
Eiusdem sententiæ, nempe Fiat mihi secundum verbum tuum sanè elegans & docta consideratio Bernardi.
Hebr. 1.

Nolo

Nolo autem, vt fiat mihi declamatoriè prædicatum, aut figuraliter significatum, aut imaginatoriè somniatum; sed silenter inspiratum, personaliter incarnatum, corporaliter inuisceratum. Verbum igitur, quod in se nec poterat fieri, nec indigebat, dignetur in me, dignetur & mihi fieri secundum verbum tuum. Fiat quidem generaliter omni mundo, sed specialiter fiat mihi secundum verbum tuum. Hactenus ille. Deinde Athanasius sermone de sanctissima Deipara, reprehendit quosdam Hæreticos, qui vocem Angeli, intelligebant fuisse materiam, & substantiam verbi: *Sed certè vox Angeli sonus quidam tantum erat, & creatura fluxum, ac debile habens esse. ab æterni hypostasi Verbi, siue à substantia filij Dei longè omninò distincta. Et quod hic dicitur: secundum verbum tuum, nequaquam est est referendum ad Verbum æternum, quod nō erat verbum Angeli, quod Græcè non dicitur hic λόγος, sed ῥῆμα: verum ad Angeli promissa, verbi æterni incarnationem annunciantis.*

Quale hoc verbum Angeli, olim hæretici quidam somniauerint. S. Athan. to. 3.

Sequitur: *Et discessit Angelus ab ea.* Quod in prędicto loco ponderat Athanasius propterea dictum fuisse, ne quis existimaret, per ipsum Angelum fuisse factam incarnationem. Recessit autem cum magno gaudio, expletaque feliciter legatione, ac impetrato consensu Virginis, ad quem exhibitum sciebat complendum esse incarnationis mysterium: non tamē ante discessit nisi prius Angeli omnes è cœlo ad adorandum Christum descendissent, iuxta DEI mandatum in Propheta Dauide, & Apostolo Paulo ad Hebr. 1. expressum, dicente: *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Exponit rectè B. Anselmus, dici, *iterum,* quia primū erat in mundo inuisibilis, postea verò visibilis in carne fuit. Nec desunt Doctores, qui asserant, huic incarnati Verbi adorationi accepto ferendam esse omnem gratiam, & gloriam, quam habuerunt Angeli. Nam etsi Angelorum per crucem & sanguinem Redemptor non fuerit: fuit tamen Rex, caput gratificator Angelorum, & glorificator. Introductus est autem primogenitus in orbem terrę nō tantùm per Natiuitatem ex vtero, sed etiam per Incarnationem in vtero Virginis. Et Propheta, postquam dixit: *Adorate eum omnes Angeli Dei.* subdit: *Audiuit, & lætata est Sion:* hoc est B. Virgo Maria, quæ de adoratione Verbi incarnati, & honore sibi vt matri Messiæ præstito, vehementer gauisa est, & lætata, eorumque exemplo ipsa quoque verbum ex se, & in se incarnatum adorauit; & quemadmodum in natiuitate, vt canit Ecclesia, ipsum, quē genuit, adorauit. Hac ergo adoratione exhibita, abierunt omnes, & Angelus Gabriel redijt in cœlum. Nec prius redijt ad Deum, vt pietas & ratio persuadent, nisi ante nouo nuncio ad sanctos Patres, qui tum in limbo erant, perlato de Christi aduentu, deque instanti eorum liberatione, quo illi vehementer recreati sunt. In instanti autem, quo verba Marię assensum præbentis terminata sunt, Incarnatio Filij Dei est subsecuta sub mediā noctem; ad quam, vt deuoti quidam meditātur, protractum fuit Virginis cum Angelo Gabriele colloquium, iuxtà illud: *Cum enim quietum silentium contineret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet: Omnipotens sermo tuus, Domine, exiliens de cœlo à regalibus sedibus venit:* quod etsi ad literam de occidēdis primogenitis Ægyptiorum dictum sit: Ecclesia tamen, iuxta mysticum sensum, ad incarnationis, siue natiuitatis Christi mysterium media nocte peractum applicuit. Fuit autem Christus in meridie hora sextę crucifixus: & in meridie ex mōte Oliueti cœlos conscendit; vt ascendens clarius discerni posset, & ex maiori distantia. Et quemadmodū verbo, *Fiat,* sexies repetito, mundus conditus est, vt cum dicitur: *Fiat lux, fiat firmamentum, fiant luminaria, &c.* ita vnico fortissimæ Virginis verbo *Fiat,* reparatus est mundus: quia non nisi Verbi incarnati beneficio, homines Deo recōciliantur: incarnatio autem vno tantum *Fiat,* peracta est. Non expressit Euangelista Lucas mysterium subsequutum incarnationis, sicut fecit Ioannes, dicens: *Verbum caro factum est*: tum quia nouerat hoc Dei opus esse incomprehensum, & verbis humanis ineffabile. Vnde Patres hoc nobis tradiderunt. Iustinus enim in li. de vera Fidei expositione ostendēs dispensationis, siue incarnationis (sic enim Græci œconomiam, siue dispensationem vocant, vt li. superiore diximus) rationem inexplicabilē subdit: *Ne me verò quisquam de vnionis modo percontetur: nō enim me pudebit fateri ignorantiā. Quin contra potius gloriabor quoq́, me arcanum minimè vulgandū fidem habere, & mysten, doctoremque esse eorum sacrorum, ad quorum perceptionem ratio, & mens propter debilitatem suam languet. Quocirca neque ex me, neque ex alio clarè quidquam, & dilucidè de his discere velis.* Hęc ille. Damascenus verò libro 1. de Fide orthodoxa: *Quemadmodū,* inquit, *semetipsum exinaniuit vnigenitus Filius, & Deus, homo factus, ex virgineis sanguinibus, alia quā naturæ lege plasmatus, aut quomodo siccis pedibus super aquas incessit, & ignoramus & eloqui non valemus. Et Iosaphat sic instruitur à Barlaam: Ne velis discutere, quomodo exinaniuit semetipsum filius Dei, & homo factus ex virginali sanguine sine matris cor*

Quorsum illud: Et discessit Angelus ab ea, secundū Athanasium.

Quando discesserit Angelus à Virgine.

Psal. 96.
Hebr. 1.
Cur iterum primogenitus Dei in orbem terræ dicitur introductus.
Ansel. tom. 2.

Audiuerit & lætata fuerit quæ Sion, iuxta Prophetam

Luc. 2.

Quo tempore die, an noctu, Verbum sit incarnatum.

Sap. 18.

Ioan. 6.
Act. 1.

Gen. 3 & seq.

Quid quod Virginis responsum, incarnationem subsecutam suppressit Lucas.

Iustin. martyr to. 3. sub init.

Quam nos incarnationē dicimus: græci verbis exprimere soleant.

Damasc. c. 2 in fine.
Philip. 2.
Matth. 14.
Idem in vita SS. Barlaam & Iosaphat.

Idem ca.1. Psalm.17. Inclinauerit quando cœlos Deus, & descenderit, iuxta Prophetiam. *Homil.31* Omnium nouorum maximum nouum, incarnatio Filij Dei secundum Damascenum. *Aug. epist.3. inter med. & initium, tom. 2. in princ.* II. Ratio suppressi à B. Luca incarnationis operis ab exemplo. III. Ratio. *Idem lib. de Assump. virg. Mariæ capit.1. tom.9 circa med. circiter & finem.*

ruptione. Fide enim ista sumus edocti tenere, diuinitus docti ex diuina Scriptura tradita. Modū igitur ignoramus, nec dicere valemus. Rursus libro 3. *Inclinauit cœlos, & descendit: hoc est, Inhumiliabilem eius altitudinem in humilitate humiliauit, & descendit cum seruo suo descensu ineffabili, & incomprehensibili (hoc enim ostendit descensio) & perfectus Deus existens, homo perfectus fit. Et hoc impletur opus, quod omnium nouorum maximè nouum est, & quod solum nouum sub sole, per quod infinita Dei apparuit virtus.* Augustinus epist. ad Volusianum loquens de hoc mysterio, ait: *Hic si ratio quæritur, non erit mirabile: si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus Deū aliquid posse, quod nos fateamur inuestigare non posse: in talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis.* Hæc ille. Deinde, videtur Lucas celebrem illum pictorem vocatum Timantem imitatus fuisse: vt enim ille quod exprimere pennicillo non poterat, velo quodam tegebat: ita Lucas silentio magis explicauit operis magnitudinem, quā verbis. Tertiò sic ait B. August. li. de Assumpt. Virg. *Quædam Scriptura sancta varijs indagationum studijs quærenda reliquit, quæ non sunt superflua existimanda, dum vera indagatione fuerint patefacta. Fœcunda est enim veritatis autoritas; & dum diligenter discutitur de se gignere quod ipsa est cognoscitur. Sæpè enim discussa veram conuenientiam parit, quam manifestis sermonibus abscondit, & sæpè apertis sermonibus insinuat, in quib. nihil præter id quod sonat, quærendum inuitat.* Hæc ille, pulchrè docens, quædam à Scripturis relinqui, quæ facilè à ratione, & conuenientia coniectantur. Nam si agens naturale in subiecto iam dispositio, & quantū potest, illi applicato, non moratur operari: quid de Deo, & verbo infinitæ virtutis artifice putandum est, cum vidisset à Spiritu sancto paratam Spōsam, & non tantum cōsentientem, sed & desiderantem etiam id, quod Deus eam desiderare volebat? In hunc modum, postquā omnia quæ ad tabernaculum spectabant, perfecta sūt, operuit nubes tabernaculū testimonij, & gloria Domini impleuit illud: vt dicitur Exod. 40. in huius typum obumbrationis per Verbum in Maria iam probè disposita factæ. Est & alia quarta ratio; quia cum statim surgens visitauit cognatam suā, ab ea cognita est mater Messiæ, cum dixit: *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* quæ verba ponunt, opus incarnationis iam fuisse perfectum.

Exod. 40. IV. Ratio. *Luc.1.*

Quod immediatè Virginis assensum opus incarnationis consecutum sit, ostenditur. *Athan. to.3. à medio.*

Quod autem immediatè post Virginis assensum consecutum sit opus incarnationis, tradunt Patres, & in primis Athanasius in Euangelium de sanctiss. Deipara, dicens: *Hoc significat Euangelista, Angelum ab ea digressum esse: ne occasionem relinqueret dicere volentibus, eum ipsum Angelum incolam Virginis incarnatum fuisse, aut verbum quod ille insonuit, aut prolocutus est, hominis naturam condidisse, sed quod abscedente Angelo superuenerit in Virginē Spiritus sanctus, obumbraueritque illam virtus Altissimi: atque ita postmodum consummatus est salutaris ille conceptus.* & Damascenus libr. 3. *Post igitur consensum sanctæ Virginis Spiritus sanctus superuenit in eam, iuxta sermonem Domini quem dixerat Angelus instruens ipsam, & virtutem diuinitatis Verbi susceptiuam præbuit, simul autem & generatiuam. Et tunc obumbrauit ei, Dei Altissimi in sua subsistens hypostasi sapientia, & virtus, Filius Dei, Patri consubstantialis, velut diuinum semen. Et construxit sibi ipsi ex castis, & purissimis sanguinibus carnem animatam anima rationali, & intellectuali, primitias nostræ conspersionis, non cum semine, sed cōditorio opere per Spiritum sanctum: non paulatim per additamenta expleta figura, sed vno contextu absoluta.* B. August. libr. de Symbolo ad Catechumenos: *Quando Angelus istam virginem sic salutauit, tunc eam Spiritus sanctus fœcundauit, tunc illa fœmina virum sine viro concepit, tunc est repleta gratia, tunc Dominum suscepit, vt esset in ea, qui fecerat eam.* Rursus in serm. de Natali Domini: *Ecce,* inquit, *ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Mox igitur Angelus Virginis accepto consensu, cœlestis regionis accolas repetiuit: & ecce subitò secretum Virginis ineffabilis potentia penetrauit. Intrat artifex mundi angustias ventris humani, efficitur grauida mater intacta, & ecce tanquam sponsus de thalamo Mariæ, Christus procedit ex vtero.* Idem de eodem: *Nec mora reuertitur nūcius & nuptialem thronū ingreditur Christus. Accipit stolam carnis in thalamo Virginis.* Hæc ille. Hanc eādem doctrinam omnes patres veteres, sed maximè Scholastici vno consensu tradūt. Item Gregorius Romanus, qui ait: *Tunc Deus Pater Deo Filio suo nuptias fecit, quādo hunc in vtero Virginis humanæ naturæ coniūxit: quando Deum ante secula, fieri voluit hominem in fine seculorum.* Idem quoq; alibi tradit: *Nunciante Angelo, & adueniente Spiritu, mox Verbum in vtero, mox intra vterum verbum caro: & manente incommutabili essentia, quæ ei est cum Patre, & sancto Spiritu coæterna, assumpsit intra virginea viscera: vnde & impassibilis pati, & immortalis mori, & æternus ante secula, temporalis posset esse in fine seculorum.* Et Petrus Martyr libro de Deitate, vt producitur in Concilio Ephesino: *Tunc Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, cum Angelus Virginem salutauit.* Lege Euthymium in Lucæ primum caput, & Nicephorum libro primo historiæ Ecclesiasticæ, capite octauo.

B. Damasc. ca. 2. lib. de Orthod. fide propè initium. *B. Aug. lib. 2. de Symbol. ad Catech. c. 5 init. 6, to. 9. propè fin. Idem serm. 5. in Natali Domini. sub finem. tom. 10. inter med. & init.* *Psalm. 18. Idem ser. 17. in fine.* *Greg. hom 38. in Euangelia, propè init. tom 2.* Deus Pater quando nuptias fecerit Filio suo, *Mat. h. 22.* *Idem lib. 18. Moral. cap. 36 initio, tom. 1.* *Ioan. 1.* *Petr. Martyr.* *Euthym.* *Niceph.*

Rupert. Tuit.

uo. Rupertus ad hęc libro primo de Spiritu sancto: *Maria vix absoluerat sermonē, quin è vestigio adfuerit Spiritus sanctus & sese in Virginis vterum infuderit, vt matrem illam faceret Emmanuelis.*

Statim post Virginis assensum Verbum carnem factū esse, contra Magdeburgenses rursus ostenditur.

Ambr. libr. 2. in Lucam, c. 6 tom. 5.

Mariæ oratio nubes penetrat.

Matth. 8.

Ioan. 4.

Frustra igitur Magdeburgenses Centuria prima, libro primo, sub dubio relinquunt, an conceptio Christi consecuta sit Angeli cum Maria finitum colloquium. Sed quid quæso impediret, quo minus sitientissimus nostræ salutis Deus id cōfestim præstiterit, & nesciat tarda molimina Spiritus sancti gratia? Quid etiam non impetraret, aut non efficeret ipsos cœlos, ac nubes penetrās Marię orantis deprecatio? Ad hęc Dominus rogatus vt impertiret sanitatem seruo Centurionis paralytico, & filio Reguli febricitāti, dicitur quòd sanatus est puer in illa hora, & quod hora septima (qua dixerat Dominus: *Vade filius tuus viuit,*) reliquit illum febris: quātò magis confestim absoluit opus incarnationis suæ à tempore, quo Maria consensum suum præbuit, ad quem solum exprimendum venerat Angelus de cœlo?

Quando primum fuerit corpus Christi formatum.

Illud etiam tanquam dogma Fidei à Patribus est assertum, corpus Christi fuisse à primo instanti conceptionis perfectè dispositum, & in sua membra distinctum, vt animam rationalem reciperet: quod in nobis non contingit, nisi post quadraginta dies, in fœmina verò post octoginta. Hoc autem summæ virtuti artificis Spiritus sancti tribuendum est, quæ cum sit infinita, potuit vnico temporis momento disponere non solum ad animam rationis participem accipiendam, sed etiam ad vnionē Verbi cum humana natura.

Qualis hominum soleat esse conceptus

Non ergo in Christi conceptione is ordo fuit, qui in reliquorum hominum conceptu: vt scilicet prius in vtero Virginis fuerit quædam informis massa, quæ deinceps per membrorum, & organorum distinctionem formaretur, & postea per animæ infusionem animaretur: sed in ipso conceptus Christi momento simul fuit carnis formatio & figuratio, animæ infusio, animæ & corporis à diuinitate assumptio.

Contra Lutherum & eius asseclas.

Quamobrem falsò Lutherus in Postilla Dominicæ primæ post Natalem Domini exprobrat Catholicis, quod nouum Fidei articulum finxerint. Et Bucerus in Luc. 11. *Quæ superiorū, inquit, seculi Theologi de cōsummatione Domini nostri, vt hominis in instāti (vt loquuntur) conceptionis perfecta disputant, ipsis relinquamus; nam ex se illa commenti sunt.* Sed Patres plures qui subiunguntur, calumniam hanc facilè reuincent, & quā parū versati fuerint in veterū Patrum lectione, ostendent. Quare apertè etiam reuincuntur Bezani, qui fabulantur, humanam Christi naturam seorsum à Verbo in vtero genetricis extitisse: quod falsissimum est, & contra doctrinam sanctorū Patrum.

Contra Bezanos humanā Christi naturā seorsum a Verbo in vtero genitricis extitisse fabulantes.

Ioan. 4.

Aug. li. 13. de Trin. ca 17. circa med. tom. 3.

Ioan. 1.

Idem epist. 3. paulò ante med. tom. 2. initio.

B. Theodor. 2. circa med.

Ait enim Augustinus: *Ex quo (Christus) homo esse cœpit, ex illo est & Deus: vnde dictum est: Verbum caro factum est.* Et epistola ad Volusianum: *Cum enim Verbum Dei permistum est animæ habenti corpus, simul & animā suscepit, & corpus.* Adde Theodoritum libro secundo Polymorphi: *Quando autem dicis factum fuisse vnionem? Ego dico, statim in ipsa conceptione: carnem autem à Spiritu sancto fuisse formatam, postquam prædictum est ab Angelo. Non erant ergo duæ naturæ ante vnionem, sed vna tantum. Si enim vna præexistit quidem diuinitas, non simul autem existit humanitas; formata est enim post salutationem Angelicām, formatione autem coniuncta est vnio, vna ergò natura erat, quæ semper est, & est ante secula.* Sic ille.

Athan. tom. 3.

Matth. 1.

Et ante hos omnes Athanasius, libr. de incarnatione Christi: *Carnis initio cum verbi diuinitate ex vtero originem traxit: ibi enim eam Verbum, cum è cœlo aduenisset, constituit; quippè quæ non erat, antequàm cœlitus verbum aduenisset.* Accedit illud: *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Vbi Ambrosius libro secundo de SPiritu sancto, & Autor operis imperfecti in Matthæum, legunt: *Quod enim ex ea nascetur.* Maluit enim Angelus nascendi, quàm concipiēdi verbo vti, vt Christi corpus statim à sua conceptione perfectum iudicaret.

Ambr. tom. 4 à med.

Autor oper. imperfe in Matth. ho. 1.

Luc. 1.

Et confirmatur ex illo: *Ideoq; & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Quibus verbis declarat cōceptum Mariæ mox perfectum fore, quoniam non de homine, sed de Spiritu sancto virtutem Dei, hoc est, filium Dei conceptura esset.

Operationes Dei propriæ quanam sint.

Greg. Rom. li. 9. Regist. epi. 61 paullo à med. tom. 2.

Sunt autem operationes Dei propriæ illæ quæ fiunt in instanti. Quare rectè Gregorius Romanus epistola ad Quirinū Episcopum: *Non prius in vtero Virginis caro concepta est, & postmodū diuinitas venit in carnē: sed mox vt Verbum venit in vtero, mox Verbum seruata propria natura factum est caro: & perfectus homo, id est, in veritate carnis, & animæ rationalis, natus est per vterum Virginis vnigenitus filius Dei. Vnde & vnctus præ participibus dicitur; quia omnes nos prius peccatores homines existimus, & postmodum per vnctionem sancti Spiritus sanctificamur. Ipse autem qui existes Deus ante secula per sanctum Spiritum in vtero Virginis homo conceptus est in fine seculorum: ibi ab eodem Spiritu vnctus est, vbi conceptus.*

Christus cur vnctus præ participibus dicatur, teste Gregorio.

Psal. 44.

Hebr. 1.

Basil. hom. 15. circa med. to. 1

Hæc idem tradit Basilius homilia de humana Christi generatione, qui ait: *Hinc enim deprehendi licet, quod non secundum communem modum carnis constitutio Domino fuit. Conceptum namque illicò perfectum fuit, non per interualla*

paullatim formatum, vt planè verba declarant. Non enim dicit: Quod in ea conceptum est; sed, quod in ea natum est. Gregorius Nazianze. in Monodia ait, Christum à perfectione cœpisse. Euthymius apertè idem docet super illud Matthęi; *Quod enim in ea natum est. Formatum in ea genitum dixit; vt discamus nos paulatim modo feminis formatum esse, sed repentè quantum ad formationem, perfectè factus est.* Idem docet Bernardus homilia super Missus est, ponderans verba Hieremię: *Nouum faciet Dominus super terrã,* FOEMINA CIRCVNDABIT VIRVM: *Nec fuit hora,* inquit, *in quacunque ætate sua, qua de plenitudine illa, quam in sua conceptione accepit in vtero, vel aliquid eidem adijceretur, sed à principio perfectus, à principio, inquam, plenus fuit Spiritu Sapientiæ, & intellectus; spiritu consilij, & fortitudinis; spiritu scientiæ, & pietatis; & spiritu timoris Domini.* Hęc ille. Ergo à primo instanti plenus fuit, & perfectus homo, quamquam corporis magnitudine posteà cresceret, & proficeret ætate. Quodq; proficeret sapientia, & gratia, ibidem soluit Bernardus, & nos alibi latius differemus. Augustinus, vel potius Fulgentius libro de fide ad Petrum Diaconum: *Firmissimè,* inquit, *tene, & nullatenus dubites, non carnem Christi sine diuinitate conceptum in vtero virginis priusquam susciperetur à Verbo, sed ipsum Verbum Deum sua carnis acceptione conceptum; ipsamq; carnem Verbi incarnatione conceptam.* Gregorius quoque libro Moralium: *Annunciante Angelo, & adueniente Spiritu, mox Verbum in vtero, mox intra vterum Verbum caro.* Sic ille. Quod si Christi caro fuisset, priusquam à Verbo susciperetur; ergo aliam ab hypostasi Verbi subsistentiam habuisset; ac proinde opus fuisset Verbum Dei in assumptione destruere priorem carnis subsistentiam præexistentem: quod absurdum esset, & conceptio tota nõ posset tribui Filio Dei. Si verò conceptus totus simul fuit à Verbo assumptus: consequitur etiam fuisse ab initio anima ratione prædita animatum, cum caro humanæ naturæ fuerit à Verbo assumpta nisi ratione animæ rationalis, sine qua incongruum fuisset diuinitati assumere carnem. Quare Damascenus rectè dixit: *Simul caro & Dei Verbi animata caro, rationalis & intellectiua. Quamobrem non hominem Deificatum dicimus, sed Deum humanatum.* Rursus idem; *Simul cõceptus quidem Verbi, carnis autē in Verbi subsistentia.* Hactenus ille. Quod consonum videtur sententiæ Hieremiæ Prophetę, dicētis: *Nouum faciet Dominus super terram, Fœmina circundabit virum.* Quod ita exponit Hieronymus: *Fœmina circundabit virum gremio vteri sui: Qui iuxta incrementa quidem ætatis per vagitus, & infantiam proficere videbitur sapientia, & ætate: sed perfectus vir in ventre fœmineo solitis mensibus continebitur.* Quod verò Theophylactus scribit hoc loco, dicēs: *Sunt qui dicunt, quod vbi Dominus obumbrauit vtero Virginis, statim perfectus fuerit infans. Alij autem hoc non recipiunt Audi enim quid dicat: Ideò & quod nascetur sanctum, hoc est, quod particulatim in vtero crescit, & non statim perfectum existit.* Hęc, inquam, verba rectum sensum accipiunt, si reuera dicamus, eum perfectum, consummatumque fuisse in primo instanti conceptionis, sed in corporis magnitudine, & confortabatur, & proficiebat sapientia, & ætate, vt infra dicitur. Subitoq; facta sunt admiranda illa quatuor, nempe formatio corporis ex purissimis sanguinib. Virginis, ac eius in suas partes distinctio; Creatio animæ rationalis, eiusque in corpus formatum iam, & suis perfectum organis infusio; & vnio illa ineffabilis diuini Verbi cum anima, & per animam mediam cum corpore ipso coniunctio. Tunc illa tria mirabilia effecta, de quibus Bernardus loco prędicto: *Coniuncta sunt,* inquit, *ad inuicem Deus, & homo; mater, & virgo; fides, & cor humanum. Et quidem tertia inferior est alijs duabus, sed non minus fortis. Mirum est enim quo modo cor humanum his duobus fidem accommodauit: quomodo credi potuit quod Deus homo esset? quod virgo, quæ peperisset?* Hæc ille ferè.

Meditantur autem quidem, tres sanguinis guttas virtute Spiritus sancti, & Angelorum ministerio (quatenus ministrare potuerunt) de corde Virginis erutas, & in vtero ad formandom corpus Filii Dei repositas. Tum quia cor nobilius membrũ hominis est, & sedes vitæ, atq; ex eo formandum membrum nobilius, hoc est, caput Ecclesiæ, quod nouam vitæ rationē per gratiam, & gloriam daturum erat. Cor etiam in medio est animalis, & in medio cõsistit virtus; & Christus in gradu supremo omnes virtutes habiturus erat, & cor templũ Spiritus sancti nos inhabitantis, & Christi, de quo Apostolus: *Habitare,* inquit, *Christum per fidem in cordibus vestris.* Ideò ex sanguine cordis formari voluit: sicut etiam corpus Christi templum fuit diuinitatis, vt inquit Ioannes. Debebat prætereà Christus ad amandum esse propensus; atque ideò sanguine illius membri, in quo est sedes amoris, corpus suum formari voluit, vt tam ex parte materiæ, quam artificis Spiritus sancti efficeretur hominum ardentissimus amator, vt pro membris suis liberandis sanguinem totum suum ex corde profunderet.

In hanc tamen piam, & specie religio-

sam

Marginalia (left): Greg. Nazian. — Euthym. in Matth. operis initio. — Luc. 1. — B. Bern. ho. 2. super Missus est, circa med. — Hierem. 31. — Isai. 11. — Idem ibid. — Aug. li. de Fide ad Petrum c. 18. to. 3. cir. med. à princ. — Greg. libr. 18. Moral. cap. 36 init. tom. 1. — Si prius caro Christi fuisset quàm susciperetur à Verbo, quid inde. — Damasc. lib. 3 ca. 2. in fine. — Idem cap. 11. eiusdem libri. — Hierem. 31. — Hieron. in dictum c. Hier. lib. 6. tom. 5.

Marginalia (right): Quo sensu Theophyl. statim ab obumbratione virginis perfectũ Christi corpus neget fuisse. — Theophyl. — Luc. 1. — Luc. 2. — Admirabilia quatuor incarnationis simul peracta ministerio S. Spiritus virtute diuina, quænam illa. — Bern. in vigilia Natalis Domini, circa finem. — Quibus rationibus adducti pij quidam vi ri meditentur Corpus Christi de virginea corde Mariæ fuisse formatum. — Ephes. 1. & 4. & 5. & Coloss. 1. — Herat. — Cordis prærogatiuæ. — Ephes. 3. — 1. Cor. 3. — Ioan. 2. — Cor sedes amoris.

Hanc sententiam impugnat Abul. Episcopus. *Abul. in c. 12. Leuit.*

Quadruplex humani fœtus concipiendi modus.

sam meditationem, solida quadam argumenta obiecit Episcopus Abulensis, quæ minimè dissimulanda esse duxi, ne prætextu pietatis quenquam à Catholico sensu aberrare contingat. Nam corpus Christi aut de semine formatum est, aut de carne & ossibus B. Deiparæ, aut de sanguine, qui erat in corde, siue in venis, siue in alijs eius corporis partibus, aut denique de sanguine menstruo, qui naturalis materia fœtus esse solet. Si ergò ostédero tribus priorib. modis cótingere nó potuisse, necessariò quartus & verus, & catholicus retinendus erit.

Christum de virili semine non fuisse conceptum.

Luc. 1. Isai. 7. & Matth. 1.

Nec de Virginis quidé corruptæ suscepto semine potuisset formari.

Philosophus tom. 2.

Quòd igitur de semine masculino conceptus non sit, Fides apertè docet, quæ tradit B. Mariam fuisse Virginem virginum, & in illam Spiritum sanctū superuenisse: atque de illa prædictum erat: *Ecce, virgo concipiet, & pariet filium,* videlicet remanens Virgo. Imò etsi B. Virgo fuisset à viro cognita, non formatum fuisset corpus Christi de viri semine, quia illud non est materia fœtus, sed tantùm actiuum, siue efficiens principium, vt tradit Aristot. libr. 15. de histor. animalium, siue lib. 1. de generatione, cap. 20.

Fœmineum item semen Dominici corporis materiā non fuisse. *B. Thom. 3. p. q. 31. art. 5. ad. 3. tom. 13. Aristot.*

Nec etiam formatum ex semine fœminæ, quod humor quidā est aquosus, & imperfectum in illo seminis genere, vt docet Thomas, & non est materia fœtus, & quædam fœminæ, non seminantes concipiunt ex semine menstruo, qui remanet vltra semen fęminæ dictum, vt ibidem tradit Philosophus. Si ergò in alijs non est materia fœtus, multò minus fuit in Christo: quia tale non deciditur sine venerea voluptate rationem absorbente: quę omnia repugnant virginitati, & puritati pudicissimæ Virginis. Non ergò conceptus est ex vllo semine, vt probatum est.

Alter modus conceptionis Christi ex carne, & ossibus Virginis matris excluditur multiplici ratione.

Secundò, corpus Christi non debuit neque potuit formari de carne & ossibus Virginis: hoc enim fieri non poterat sine corruptione corporis sui tollendo aliquid, quod ad integritatem eius spectabat; siue illud esset os, siue caro, siue vtrumque: nec sic nasci conueniebat, vt mater eius aliquo membro, aut osse destitueretur.

Quare sicut ex costa Adæ Eua, ita ex B. Virginis etiam costa Christus non fuerit formatus. *Gen. 2.*

Nec obstat ex casta Adę Euam formatā fuisse, quia in Adamo non fuit aliquid, ex quo Eua formaretur, nó facta aliqua in eo ablatione, siue diminutione. Ideò posuit in eo Deus costam quandam suo quidem corpori superfluam, sed necessariam speciei ad formandam Euam, & qua ablata nihil de integritate corporis Adæ detrahetur; sicut

Humanum semen quatenus superfluum

est quantum ad semen in viro, quod, quantum ad integritatem viri, & substantiam, profectò est superfluū, sed simpliciter minime superfluum: quia est necessarium ad conseruationem speciei. Sed nihil tale in beata Virgine superfluum fuit (quantum attinet ad integritatem propriam) ex quo Christi corpus formaretur. Deinde noluit Deus duos homines simul creare, id est, masculum & fœminam, sed ex vno omnes deriuare voluit, & ille vnus debuit esse masculus ob nobilitatem sexus, & alias rationes: quamobrem fœmina esse non poterat, quę per conceptionem in vtero id prę-stare posset: nam vir matricem non habet, nec viam habet emissionis. Ideò aliter fieri non potuit, nisi sumendo de corpore viri partem aliquam, ex qua Eua formaretur, sicut & factum est: secus est in Virgine, quę concipere poterat & parere, etiamsi supra naturam adiuta.

II. Ratio. *Hebr. 2.*

Ex viro, eodéque masculo cur exierit genus humanū. *Act. 17.*

Viri ad concipiendum impotentiam.

III. Ratio.

Tertiò, si hoc modo Christi corpus formatum fuisset, nihil referebat, an ex viro, an ex fœmina formaretur, cùm ex vtraq; æquè posset formari: & potiùs de viro formandum fuisset ob nobilitatem & perfectionem sexus, & tamen Christus de muliere natus est. Adhæc si hoc modo conceptus esset Christus de Maria, & corpus eius de virginea carne formatum, minimè de ea Christus natus, sed sumptus & factus tā-tùm diceretur: vt Eua dicitur non nata de Adam, sed de viro sumpta siue ædificata: & tamen Christus dicitur de Virgine natus. Non debebat ergo sic formari de Virgine, vt verè de ea natus dici non posset. Deniq; si hoc daretur, maxima B. Virgini dignitas eriperetur, quia nó esset mater Christi, aut mater Dei: quod est summum eius prærogatiuum, & priuilegium. Non enim aut est, aut vocatur illa mater, in qua, vel ex cuius substantia aliquid fit, vel formatur. Nam sic terra esset mater omnium animantium; & Eua esset Adæ filia, & animalia quædam quæ intra, aut extra hominem formantur, filij hominis dicerentur: quia ad veram rationem maternitatis vel paternitatis, adesse oportet aliquam virtutis generatiuæ operationem, quæ hic minimè fuit, sed solū materia inde sumpta, quæ ad maternitatis rationem non fecit: non enim lignum est mater scamni, licèt scamnum ex ligni materia desumatur. Quare nec sic esse debuit in hoc tanto B. Virginis mysterio.

IV. Ratio.

Gen. 2.

V. Ratio.

Quęnam summa fuerit prærogatiua Virginis matris.

Ad hoc vt quis sit verus Pater aut vera mater, quid necessario requiratur.

Iam ad tertium membrum transeamus, & ostendamus Christum nequaquam conceptum ex sanguine alio à menstruo, siue ille esset in corde, siue in venis, vt quidam magis piè, quàm solidè cogitant, putantes menstruum sanguinem immundū esse, at mundissimum Christi corpus de immūdo sanguine prodire non debuisse: præsertim

Nequaquā ex venali sanguine, verùm ex méstruo Christum fuisse cóceptum.

cùm ex purissimis & castissimis Virginis sanguinib. id profiteatur Damascenus formatum fuisse. Verùm si penitùs rem speculemur, non potuit Christi corpus ex alio quocunque sanguine existente in venis, aut in corde, aut in alia qualibet corporis parte, sed tantùm ex sanguine menstruo concipi: quod sequentibus euincitur rationibus.

B. Damasc. lib. 3. cap. 2. de Orth. fid.

Prima ratio.

Prima sit: Si ex tali sanguine, quem illi dicunt, fœtus Christi conceptus fuisset, certè beata Maria vera eius mater non esset. Nam sicut si formatus fuisset ex carne, vel osse Virginis, Beata Virgo vera Christi mater minimè extitisset, vt probatū est: quia illæ partes nō sunt materia disposita ad generationem per facultatem generantem, quæ nil super illas agit, sicut nec super phlegma, nec super cholerā, sed actu sunt corporis partes non existentes in potentia naturali ad generationem fœtus. Ad eum prope modum sanguis, qui est in alijs corporis partibus, non est materia apta generationi subseruiens, sed tantùm nutritioni accommodata, quam facultas nutritiua agens efficit vt sit in via, vt transeat in carnē vel ossa. Quamobrem ad generationē fœtus in potentia naturali non est; ex qua etsi Deus potuerit formare Christi corpus, sicut poterat de lapidibus illis suscitare filios Abrahæ, Matth. 3. tamen etsi maximè fieret, Virgo Christi mater non esset, quia nō inueniretur ibi ratio maternitatis, nec ibi est materia per potentiam generatiuā dispositа.

Sanguis venalis ad quid naturaliter institutus.

Matth. 3.

II. Ratio.

Deinde Christi corpus ex eo concipi debuit, ex quo cætera hominū corpora concipiuntur: nam *debuit per omnia fratribus similari*, vt dixit Apostolus: at reliqua hominum (qui fratres eius dicuntur) corpora ex menstruo sanguine formantur, vt probat Aristot. lib. 1. de gener. animal. multis rationibus & experientijs contra eos qui aliter opinabantur: ex eodem igitur cum alijs sanguine conceptus fuit Christus.

Heb. 2.

Philosophus.

III. Ratio.

Tertiò, B. Deipara in Euangelio dicitur Christum progenuisse, vnde & Primogenitus vocatur: dicitur & pregnans fuisse, & peperisse, & mater eius extitisse: & tamen super nullam aliam materiam habet operationē virtus generatiua in muliere, præterquàm super menstruum sanguinē, quia illū transmutat, digerit, ac disponit, vt fiat apta materia generationi fœtus. Imò interdum etiam mulieres efficienter se habent, quia non solùm dant materiam, sed etiam sibi similem reddūt: nam interdum fœtus matri suæ assimilatur: quod profectò contingere non posset, nisi esset in materia fœtus aliqua virtus actiua à matre profecta: nam materia non est principium similitudinis, sed ab aliqua actione facultatis generatiuæ omninò proficiscitur.

Matth. 1. Luc. 2. Ibidem. Ibidem. & alias.

Quid argumēto sit mulieres non solùm vt patientes, sed vt agentes etiā ad fœtum concurrere.

IV. Ratio.

Quartò, tale conflatur argumentū: Mulieres concipere nequaquam possunt, antequàm menstruū sanguinem habeant, etiāsi maximè à viris cognoscantur, vt experientia docet in his, quæ sunt impuberes. Iterū etiam postquàm per longam ætatem cessauit fluxus menstruorū, generare nequeūt, vt Genes. 18. de Sara constat, cui desierant fieri muliebria. Si ergò sanguis menstruus non esset materia fœtus, profectò miraculum nō esset concipere Saram, cessantibus menstruis. Quòd si in alijs mulieribus conceptio fœtus de menstruo sanguine fieret, & in beata Virgine non fuisset ex illo, sed ex alio sanguine, qui est in corde aut venis, hoc certè fuisset, quia hic esset melior & præstantior. Sed hoc falsum est: quia ille qui est in venis aut in corde, imperfectam digestionem tantùm habet, vt per vim nutritiuam transeat in carnem: at menstruus sanguis residuus est illius sanguinis, & per facultatem generatiuam aliam perfectionem à præcedenti digestione maiorem accipit. Prçterquàm quod si sanguis alius manens in venis nobilior & præstantior esset sanguine menstruo, natura, quæ solicita est erga optimum, ex illo solo, & non ex menstruo formaret omnium fçtuum corpora.

Gen. 18.

Sanguinem cordis, aut venarum non esse menstruo meliorem, vnde constet.

Naturæ prouidentia.

V. Ratio.

Quintò, si Christus verus est homo, vt est, ergo eodem modo, quo alij homines, genitus est; & alij ex menstruo sanguine fœminæ tanquàm materia, & ex semine masculino tanquam principio actiuo prolseminantur: quæ duo inuicem commiscentur per corporum commixtionem: & ita dicēdum, si ex mare & fœmina genitus esset Christus: at hoc pugnat cum verbo Dei, quod apertè masculi operationem reijcit in fœtu Christi. Aliud verò de menstruo sanguine non pugnat cum Fide, aut cū verbo Dei: reliquum ergò est, vt ex sanguine sit formatus, nisi velimus sine caussa multiplicare miracula: cùm tamen Deus naturæ cursum absque caussa mutare non soleat. Quòd si ponamus, ex alio sanguine præter menstruum Christi conceptū factum, duo poneremus miracula; alterum supplens viri potentiam & actionem: alterum supplēs materiam fœminæ, & nouam suppeditans. Ac primùm quidē in eo est necessariò ponendum, quia alioqui mater non fuisset virgo, si cognita à viro fuisset; estque in eo fœditas, voluptas, & rationis absorptio: alterum verò non est necessarium, in quo nō fuit concupiscentiæ ardor, aut vlla carnis delectatio.

Quare Deus hoc caussa, vt dicitur, non multiplicet miracula.

Necessariò in fœtu Christi ex sanguine venali (quod negatur) duplex fuisse miraculum.

Tres in actu generationis deformitates.

Postre-

ratio,atq; trema.

Postremò, si ex alio, quàm ex menstruo sanguine formatum esset Christi corpus in vtero Virginis, potuisset virgo quadriennis aut quinquennis eo modo Christū concipere, aut postquam ad summam peruenisset senectutem, quia in omni tempore est sanguis in venis, & in corde, at non omni tempore est sanguis menstruus: & tamē constat, Spiritum sanctum voluisse vt Maria conciperet in ætate pubertatis, & quādo incipiunt naturales menstruorum fluxus: vnde & eo tempore fuit desponsata viro suo Ioseph. Tradit Caietan. libellum, qui hunc errorem continebat, Romam allatū, & se præsente fuisse damnatum.

Virgo quando concepit & fuerit desponsata. c.1. Matth.1. Caietan.in 3. art.D.Tho. 31.art.5. m.13.

Ad id verò quod in cōtrarium obiectū fuit, sanguinem videlicet menstruum esse immundum. Dicendum est, eiusmodi sanguinem nequaquam esse impurum aut immundum, sed perfectiorem & puriorem multò eo, qui est in corde, aut in venis, etiamsi Spiritus S. volens significari magnas sordes, dicat per Isaiā: *Quasi pannus menstruata vniuersæ iustitiæ vestræ.* Hic tamen menstruus sanguis dicitur ille, qui separatus est à mēstruo illo, quod emittitur. Cùm enim dicitur, quòd generatio fit de sanguine mēstruo, id est, qui per menses fluit, non intelligas de illo sanguine, qui per singulos mēses eijcitur, sed de eo, à quo separatur ille sanguis, qui vt purgamentū à natura emittitur: nam ex isto, vt impuro, nō fit forma fœtus, sicut nec nutritio animalis ex ijs quę excernuntur, sed de sanguine purissimo, à quo secernitur ille, qui per menses emittitur. Quòd autem ille sit purior & defœcatior, ex eo primùm constat, quòd natura illum instituit ad nobiliorē finem, qui est conseruatio speciei, & non tantum ad conseruationem indiuidui, cui deseruit facultas nutritiua. Deinde, quia præter reliquas digestiones in stomacho, hepate, & in venis, quartam quandam accipit à virtute generatiua perfectionem & digestionem, donec materia apta reddatur fętui: & ideò nobilior & perfectior est sanguis, quem natura formare valet, & si facultas nutriens semper sit in homine, dum viuit: at generans virtus, & si sit semper in homine dum viuit, non tamen semper potest operationem suam perficere, nisi magno sit calore adiuta. Quare nec in pueris, nec in puellis, nec in prouectis, aut grandæuis fœminis inuenitur generatio, quia vtrique calore necessariò ad digerēdam & concoquendā materiam destituuntur. Et quemadmodū impurum primæ digestionis emittitur ex stomacho per secessum, impurum autem secundæ digestionis eijcitur ex hepate per

Argumenta in contrarium diluuntur.

Primum argumentum. Isai.64.

De quo sanguine menstruo fœtus concipitur.

Prima ratio, quod sanguis menstruus sit purior atque perfectior venali. II. Ratio.

Pueri, aut puellæ, aut senes quare non generent.

Digestiones quatuor, vnde & quatuor genera excremētorum.

vrinam, impurum verò tertiæ digestionis, quæ fit in omnibus membris, eijcitur per sudorem, qui in omnibus membris esse potest, ne impuris impediatur nutritio: ita impurum quartæ digestionis, quæ fit in sanguine menstruo, emittitur per vasa sua naturalia, & tempore suo, ne noceat. Nam vt reliqua impura retēta valdè animal grauarēt, & vitam abrumperent: ita si sanguis ille menstruus superfluus retineretur, efficeret in fœminis graues ægritudines. Et ita sanguis qui remanet, ex quo fœtus formatur, est purissimus & perfectissimus, quod erat probandum.

Ad illud verò quod Damascenus dixit lib.3.cap.2. Filius Dei construxit sibiipsi ex castis & purissimis sanguinibus (Virginis Mariæ) carnem animatam anima rationali & intellectuali. Respondemus primò, his verbis excludere à conceptione corporis Christi commixtionem seminum, quæ in omni alia hominum conceptione contingit: Nā ille sanguis in seipso purior est sanguine venarum & cordis. Secundò, cùm ait, ex castis, excludit voluptatem venereā, quæ communiter accidere solet, & quæ castitati & virginitati Marię repugnabat, quę secundùm materiam dicit in experientiam venereæ voluptatis, quæ nec etiam esse poterat in Virgine: quia conceptus ille factus est diuinitùs in instanti, in quo non potuisset esse vlla carnis delectatio, quæ consistit in motu quodam ac sensu: at B. Virgo nihil sentire potuit quid in ea fieret, quia insensibiliter in ea actum est per Spiritum sanctum, adducētem materiam fœtus in locū vteri, in quo fit cōceptio. Obijciebatur postremò, expedire Christum formari ex sanguine cordis, quò propensior esset ad amādum, & ad sanguinem suum pro salute hominum profundendum: soluitur dicendo, nō tam esse ad materiam spectandum, quā ad infinitum charitatis donum, quo anima Christi plena erat; quo propensissima & accensa erat ad nos amandum: etsi non negemus eam corporis tēperaturam Christū sortitum fuisse, qua melior vlli contingere non potuerit, εὐκρασίαν, siue ad iustā & moderatam corporis temperiem, & quæ proxima erat illi, quæ præ alijs sanguine abundat, ab omnibus vt confessum traditur, & quæ illi non defuit.

II. argum. ex B. Damasc.

Prima solut.

Altera.

IV. argum. sumptum ex corde amoris sede ac fonte.

Cum illis quatuor ergò admirandis operibus, addimus quintum. Fuit enim anima Christi illo eodem instanti non solùm beata, & felicissimo lumine gloriæ plena, sed omnibus sapientiæ & gratiæ Dei ornamentis ad summum referta, nempe quantum creata potentia animæ Christi capax esse pote-

Admirabile opus quintum in incarnatione perfectum.

Ioan.1.

Ibidem.

poterat, quantumque habitus illi gratiæ ac sapientiæ, vt ita dicam, creabiles erant: ita vt verè dici possit plenus gratiæ & veritatis, de cuius plenitudine nos oẽs accepturi eramus, ceu ex capite & fonte, per quem Deus ad nos omnia dona ad gratiam spectantia, & cœlestia descendere voluit. Atque in eodem puncto temporis, seu instanti cœpit vti ratione, & libero arbitrio Christu, & consequenter meritum infinitum apud Deum habere.

Christus cur fuerit plenus gratiæ & veritatis, teste Ioanne.

Quidam autem de prima cogitatione, quam anima Christi habere cœpit, inquirunt qua nam illa fuerit. Et meo quidẽ iudicio haud ineptè, nec parum probabiliter meditantur, qui existimãt primum actum animę Christi fuisse, offerre se ipsum Patri in hostiam & sacrificium pro mũdi salute: quod ex B. Paulo ad Heb. videtur deduci. Ait enim: *Ideò ingrediens mundum* (hoc est, quando: *Verbum caro factum est*, in conceptione: tũc enim verè ingressus est mundum, cùm factus est pars mundi) *dicit: Hostiam & oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi. Holocaustomata & pro peccato non tibi placuerunt: tunc dixi: Ecce venio. In capite libri scriptũ est de me: vt faciam Deus voluntatem tuam.* Ex quibus accipimus, primam Christi cogitationem fuisse: ECCE VENIO: *vt faciam Deus voluntatem tuam*; & se ipsum Patri pro mũdi redemptione hostiam, iuxta eius beneplacitum obtulisse. Nam votum de mundo redimendo Christum concepisse, tradit Hilarius in illa verba Psalmi 131. *Sicut iurauit Domino, votum vouit Deo Iacob.*

Prima animæ Christi meditatio i cogitatio quænam illa fuerit.

Ioan. 1.

Hebr. 10.

Psal. 39.

Quando Christus mundum fit verè ingressus, vt ait Apostolus.

Christus Deo Patri quale votum vouerit, secundum Hilarium.

Psal. 131.

Vltima verò Christi animæ cogitatio fuit: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* In quo spiritu Christi Patri cõmendato, & ex obedientia omnes electorũ spiritus commendati & oblati sunt. Vt ita prima Christi, atque vltima cogitatio mirificè consentire, & conuenire videantur.

Vltima rursus animæ Christi cogitatio quænam illa.

Psal. 30.

Luc. 23.

Fuit autem illa Verbi cum humana natura vnio, quæ hypostatica dicitur, alteri nulli ex his, quæ naturaliter fiunt, similis, sed longè nobilior, fortior & admirabilior. Magna quidẽ est vnio animæ per gratiam, at mortifero peccato dissoluitur: maior & fortior animæ cum Deo per gloriã, quæ semel habita nunquã perdi potest: sed maior ac fortior hypostatica illa vnio, virtute cuius in vnam Verbi personam, & diuina, & humana natura cõuenerunt, & quæ simul etiam est caussa vnionis, quæ cum hominibus siue per gratiam, siue per gloriam fit. Maxima verò & fortissima omnium vnionum est illa, quæ fit in natura, vel essentia, vt est trium Personarum illa æterna vnio in vna natura diuina, in qua quæuis natura subsistẽs est omnipotens & infinita. In vnione vero hypostatica Incarnationis Deus est omnipotens & immortalis: homo finitus & mortalis. Primam vnionem per gratiam solet homo frangere, non Deus: secundam per gloriã potest Deus soluere, non autem homo: tertiam Incarnationis, nec Deus vult soluere, nec Humanitas solutionem potest aut facere, aut velle: quartam verò Vnionem in natura diuina, nulla Persona potest, vel vult illam dissoluere, neque omnes simul. Cumque tria operum genera in hoc mundo reperiantur, nempe secundùm legem, contra legem, pręter, vel supra legem: (Secundùm legem enim est, debitum creditori reddere: contra legem est, aliena rapere; supra legem, vel præter legem est, cui nihil debeo, centum aureos donare, quam donationem lex neq; prohibet, neq; præcipit) ad hunc modũ Incarnatio secundùm naturam nõ est, quia esset naturalis: nec cõtra naturam est, quia esset innaturalis: sed supra naturam est: ac proinde immensæ Deo gratiæ agendæ, & habendæ de tanta dignatione sua, tantaq; exaltatione nostra, ac dignitate, ad quam gratis omninò euecti sumus. Facta est ergò Incarnatio admirantibus, & gaudentibus Angelis, atque ineffabili gaudio exultante sanctissima Christi matre, gratiasq; Trinitati Sanctissimę penè immensas non modò pro se, sed etiam pro toto mũdo, cuius personam sustinebat, & agente, & reddente: tuncq; impletum est verbũ Prophetæ: *Nouum faciet Dominus super terram, fœmina circundabit virum.* Vt enim dixit Damascenus: Omnium nouorum incarnatio maximè nouum est. Quod enim mulier cognitũ infantem circundet, vsitatum est: Virginem verò virum perfectum, & plenum gratiæ & veritatis circundare, & qui Deus sit, inauditum, & maximè nouũ est. Tunc enim quod dici solet, completum est.

Qualis sit hypostatica vnio

Omnium fortissima & maxima vnio quæ sit.

Opera in vniuerso triplicia inueniuntur.

Quale & quantum sit opus incarnationis.

Hierem. 31.

Damascen. li. 3. cap. 1.

Expenditur dictum Prophetæ: Fœmina circundabit virum.

Sphæra centro clauditur:
In centro iacet circulus:
De vase prodit figulus.
Fontem excedit riuulus:
Pars excedit totum:
Lux monstratur per ignotum.
Stella parit solem:
Virgo sancta seculorum saluatorem.

Rectè autem Propheta dixit: *Circundabit*: quia totum suum est, in quo viri opus non fuit. Id enim dicimus circũdare, quod nostrum est, non quod alienum. Figura etiam circularis vnica linea cõtenta est: ita Christus ex matre tantùm constat, cùm reliqui omnes duabus lineis, nimirum patre & matre constituamur. Verbo item: *Circundabit*

Mariam Virginem per auré concepisse, quo modo verum.

cundabit(quod significat, vndique obsidebit) significatur matris in conceptu, in partu,& post partũ virginitas: nam vt Ecclesia cantat, B. Virgo per aurem concepit, inquit enim:

Gaude Virgo mater Christi,
Quæ per aurem concepisti
Gabriele nuncio.

Dicitur autem per aurem concipere, hoc est, per fidem: nam vt ait Apostolus: *Fides, ex auditu: auditus autem per verbum Christi.* Vnde in Canticis dicitur: *Dilectus meus misit manum suam per foramen,& venter meus intremuit ad tactum eius.* id est: Deus misit Angelum suum annũciantem,& per aurem suggerentem Dei verba quasi per foramen: & & post assensum præstitum Verbum incarnatum est, atque illo contactu diuino,& mundissimo non solùm intremuit præ reuerentia,& animus,& corpus Mariæ, verũ etiam exultauit iuxta illud: *Cor meum,& caro mea exultauerunt in Deum viuũ.* Hoc etiam docent Patres. Athanasius in serm. de sanctiss. Deipara ait: *Simul ac aperirentur aures Virginis per Angelicum sonum, introgressa est in eam diuina Filij essentia.* Damascenus: *Per auditum quidem conceptio, sed natiuitas per consuetum parientium egressum.* August. serm. de Natali Domini: *Fecit grauidam Virginem ipse, qui erat nasciturus ex Virgine. Expauit in partu suo mater, Deus per Angelum loquebatur,& Virgo auribus impregnabatur. Audiat omnis ætas quod nunquam audiuit. Virgo partu suo nupsit, Virginitatem dum pareret, duplicauit, filium quem genuit, adorauit.* Idem de eodem: *Quoniam diabolus per serpentem Euæ locutus, per Euæ aures mundo intulit mortem, Deus per Angelum ad Mariam protulit verbum, & cunctu seculu vitam effudit. Angelus sermonem eiecit,& Christum virgo concepit. O coniunctio sine sordibus facta, vbi maritus sermo est, & vxor auricula.* Sic ille. Bernard. serm. in die Pentecostes: *Missus est interim Angelus Gabriel à Deo, vt Patris Verbum per aurem Virginis in ventrem & mentem ipsius eructaret: vt eadem via intraret & antidotum, qua venenum intrauerat.* Hæc ille. Ex quibus constat, Virginem per aurem concepisse, vt suo exemplo nos doceat matres Christi effici secundùm spiritum, iuxta illud: *Qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater & soror, & mater est.* Ad faciendam autem Dei voluntatem, in primis opus est, à prædicatore, quasi ab Angelo quodam à Deo ad nos cœlitùs misso, Verbum Dei per aurem suscipere: cui dum assensum præstamus, Christum in corde per fidem concipimus. Et vt beata Virgo assensum pro toto mundo Angelo prçstitit per excellentem suam fidem, & obedientiam, vt ex Augustino atque Bernardo superiùs attulimus, ita & nos debemus propria fide & voluntate consensum illum Virginis ratum facere, quò nobis fructuosa Verbi Dei incarnatio existat. Et ideò ego, quantum ad me attinet, tota fidei meæ plenitudine & gratum, & maximè ratum habeo, atque ex intimis sensibus profero, ecce seruus tuus, Domina: fiat mihi secundùm fidem & voluntatem tuam. Hic autem conceptus spiritalis Christi haud fit sine Spiritu sancto superueniente in nos,& virtute altissimi obumbrãte: quoniam sancti Spiritus operatione, disponitur thalamus cordis nostri, vt dignè ac conuenienter Christum fide concipiamus: & deinde bonis actibus suo tempore in lucem edamus, quod nulla anima præstat, nisi in spiritu sit Maria; sit Virgo, sit desponsata Ioseph, sit in seipsam collecta atque solitaria, ad laudes proprias perturbetur, & probet spiritus an ex Deo sint, postremò sit obediens,& magno animo desideret effici mater Christi. Est autem quælibet anima Maria, quæ propter peccatum admissum contrita est, doloreq; & amaritudine per pœnitentiam & affecta,& confecta. Sit, inquã, Virgo puritate fidei, qua dæmoni impura, & carnalia, vel falsa,& hæretica suggerenti non assentiatur. Desponsata censeatur Ioseph (qui interpretatur, augmentum) cùm anima ad interiora progreditur esuriendo,& sitiendo iustitiam. Sit etiam clausa in cubiculo, oratione,& puritatis intentione, fugaq; loquacitatis, atq; illud vnum quærens, de quo Christus dixit: *Porrò vnum est necessarium,* scilicet vnio animæ cum Christo per charitatem, ita vt vnus spiritus sit cum eo. Debet etiam ex humilitate ad proprias laudes formidare: quia eò dignior inuenietur, quò magis illis se indignam putauerit. Debet probare spiritus, num ex Deo sint: atque à promissis, pactisque cum Deo quamcunque ob causam etiam glorię Dei illustrandæ, & salutis animæ propriæ, vel alienæ speciem præ se ferentem, nõ retrocedere. Sit denique obediens, & in obedientia fortis ac strenuus, vt sit filius Abrahæ, qui proprio filio suo propter Deũ non pepercit: efficiamurque aptæ ac dignæ matres eius, qui factus est: *Obediens vsq; ad mortem, mortem autem Crucis.* Præstante eodem Domino nostro Iesu Christo, cui cum Patre & Spiritu sancto ab omni creatura impendatur omnis honos, gloria,& imperium in sempiterna secula.

Amen.

Marginalia (left): Rom. 10. — Cant. 5. Quid illud Canticorum: Dilectus meus misit manum suã per foramen,& vẽter meus intremuit ad tactum eius. — Psal. 83. — B. Athanas. tom. 3. à med. — Damascen. li. 4. de fide Orthod. c. 15. sub fin. — August. ser. 6. in Natal Domini, paulo à princ. 10. 10. — Idem serm. 9. de eodem init. — Gen. 3. — B. Bernar. ser. 2. in die Pentecostes. — Virgo Maria per aurem concipiens, quid suo nos doceat exemplo. — Matth. 12. — Ad faciendam Dei voluntatẽ quæ à nobis requirantur.

Marginalia (right): Christus quomodo in nobis concipitur. — 1. Ioan. 4. — Omnis anima fidelis qualis sit Maria Christi mater. — Luc. 10. — Gen. 12. — Philip. 2.

TRACTATVS X.

Luc. 1.

In illa verba: *Exurgens autem Maria in diebus illis abyt in montana cum festinatione in ciuitatem Iuda: & intrauit in domum Zachariæ, & salutauit Elisabeth, &c.*

Euangelicæ omnis historiæ maiestas.

OMnis Euangelica historia plena est miraculorum, ac eius maiestatis, quæ rapere in admirationem omne hominum genus meritò debeat: nam maxima & ingentia sunt beneficia, quæ Deus Optimus Maximus beneficio incarnationis, mundo exhibuit, ac patefecit: sed & hæc, quæ consequuntur, in Virginis visitatione illius haud sunt dissimilia, vt videbimus. Quoniam autem vnica & singularis fuit Virginis visitatio, nempè maximæ ad magnam, sanctissimæ ad sanctam, matris Domini ad matrem Præcursoris, propterea est à nobis diligenter expendenda & meditanda, vt discamus tum visitare, tum ab alijs visitari cum fructu. Plerunque enim visitationes nostræ, & quas ipsi facimus, & quas accipimus, vanæ, infructuosæ, interdum etiam, periculosæ, ac perniciosæ existunt: siue sint virorū ad viros, siue mulierū ad mulieres, siue mulierū ad viros, siue virorū ad mulieres institutæ atque susceptæ. Dicēdum igitur à nobis erit in primis de causis, propter quas hæc Virginis visitatio suscepta est.

Huius tractationis ordo.

Deinde de circunstantijs eius: nam surgens in diebus illis, abijt cum festinatione in montana: & intrauit in domum Zachariæ. Postremò, de admirandis, quæ in ipso ingressu & salutatiōe Virginis sunt gesta, mysterij: dicitur enim, in vtero infantem exultasse, & matrem infantis Spiritu sancto fuisse repletam, verbisque honorificis & excelsis ad Virginem exclamasse. Vt igitur à primo exordiamur, scribit Theophylact.

I. Ratio, cùm Maria visitauerit Elisabeth parum idonea.

Theophyl.

Valens vt prudentissima, maiore certitudine certior reddi, num vera dixisset, qui apparuerat ei, vt ex hoc nec de suo dubitaret, statim abijt ad cognatam. Prudens enim cùm esset, timebat ne fortè deciperetur: & non vt incredula, sed diligenter rem explorare volebat. Hactenus ille parum constanter loquens, quia modò de dictis Angeli illam dubitantem facit, modò subdit illam non fuisse incredulā. Et paulò ante in illud: *Ecce ancilla Domini*, declarat, verba illa: *Quomodo fiet istud*, nō fuisse incredulitatis, sed desiderij addiscendi modum.

Idem Theoph.

Nam si discredidisset, neutiquàm dixisset: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Hæc protulimus, vt hominis inconstātiam videas. Parum etiam honorificè de sanctissima Deipara loquitur, cuius fides

Luc. 1.

laudata fuit ab ipsamet Elisabetha. Et cùm illam iam Spiritus sanctus obumbrasset, in eaque Deus factus homo fuisset: iam supremo genere certitudinis erat illius mysterij conscia: quare nec timebat decipi, nec dubitabat vllo modo: nec vlla experiētia certior reddi valebat, cùm omnis experientia euidentiæ naturalis sit certitudo, quæ longè minor est quā certitudo Fidei: nam hæc verbo Dei nititur, vt illa sensuū cognitioni.

Quid sit experientia.

Fides diuinæ cur certior sit quam experientia.

Ruit etiam sentētia Caluini in harmonia Euangelica, docentis nō esse absurdum dicere, quæsitam à Maria fidei confirmationem fuisse ex miraculi conspectu, quod Angelus nō frustrà illi proposuerat in medium. Sed certè non potest non esse absurdissimum dicere, Mariam nudo verbo Dei non fuisse contentam, sed aduentu suo ad cognatam quæsiuisse, vt accepti nuntij veritatem euentu ipso comprobaret.

Non debuisse Virginem Mariam ab Elisabetha supernaturalis eius conceptus confirmationem inquirere contra Caluinum.

Neque hanc profectionem instituit, vt verbo Angeli obediret, vt docet Brētius: nihil enim tale illi ab Angelo fuit præceptum. Neque tertiò, vt tantùm prægnāti cognatæ inseruiret, vt docet Lutherus ser. de visitatione Virginis: quia ob talem seruiēdi rationem tantum non decebat Virginem adire procul, & tanto tempore à domo sua abesse.

II. Ratio Brentij item improbabilis, visitationis Mariæ.

III. Lutheri, quæ & ipsa reijcitur.

Honorificentius autem quàm omnes isti loquitur B. Ambrosius, his verbis: *Nō quasi incredula de oraculo, nec quasi incerta de nūcio, nec quasi dubitans de exemplo, sed quasi læta pro voto, religiosa pro officio, festina pro gaudio, in montana perrexit.* Sic ille.

Ambros. lib. 2. in Lucam, cap. 6. initio. tom. 5. ferè in prin.

Aliæ veriores & solidiores rationes proferuntur visitationis iā dictæ.

I. Ratio.

Vera ergò causa visitandi fuit, tum vt congratularetur cognatæ de tanto bono, quod præter omnem expectationem in senectute à Deo acceperat: tum vt perficeret mysteria suo aduentu & salutatione, vt euentus ostendit, sanctificationi Ioannis cooperādo, ad eum scilicet Spiritu sancto replendum, quēadmodum Angelus futurum prędixerat, atq; ea ratione mater eius quoque repleretur.

Luc. 1.

II. Ratio.

Tum vt ex miraculo Ioannis in vtero matris exilientis, & Elisabethę prophetantis, & Zachariæ soluto linguæ vinculo Deum benedicentis fides virginis, eiusque gaudium, & in Deum deuotio excresceret, atque ita præsentia sua, & sanctis officijs, & verbis Elisabethæ ministraret.

Charitas virginis matris.

Tandem, cùm Dei filio grauida esset, vt de sua plenitudine cæteris impertiret: postquam enim mater Iesu facta est, cœpit quærere, non quæ sua sunt, sed nostram salutem. Non enim venit ipsa ministrari, sed ministrare cum filio: communis siquidem persona effecta, communem caussam agere cœpit, primitias maternæ affectionis in præcursore sanctificando ostendens. Tum

1. Cor. 13.

Matth. 20.

vt do-

I. Ratio.

vt doceat, eos, qui à Deo per Angelum, & Spiritum ſanctum viſitantur, ad alios inuiſẽdos charitatis lege teneri: quemadmodũ paſtor, & Epiſcopos gregem ſuum viſitare

Paſtoris offici[um] & Epiſco-[pi]

debet. Et hęc de primo.

Virgo viſitatura cur dicatur exurgẽs.

De ſecundo nunc diſſeramus. Expendẽda ſunt verba textus. Et primum quidem verbum: *Exurgens*, ſecundum aliquos, Hebræa locutio eſt, quæ tunc vſurpatur, cùm quid alicui eſt agendum: vt illud: *Surge propera amica mea: Surge Domine in requiem tuã: Exurge Domine, non confortetur homo: Qui conſurgens* (ſcilicet Ioſeph) *accepit puerum, & matrem eius nocte.* Sic B. Virgo ſurrexit, vt alijs miniſtraret, & de ſua plenitudine effunderet: quemadmodum mater ſurgit, vt panem filijs ſuis porrigat, ne fame pereant.

[C]ant. 2.
[Pſ]al. 131.
[Pſ]al. 9.
[M]att. 2.

Alia ratio.

Alij autem meditantur beatam Virginem maximis & altiſſimis in Filij Dei incarnatione cõtemplationibus fuiſſe ſuſpenſam, & ab illa quiete, & dulcedine ex officio charitatis ad ſanctificãdum Præcurſorem ſurrexiſſe, atque profectionem inſtituiſſe, vt ſic doceret, guſtum contemplationis propter aliorum ſalutem ſpontè eſſe deſerendum, & ad actionem prodeundum. Quanquàm, vt arbitror, tantæ fuit perfectionis B. Virgo, vt in ea contemplatio actionem non excluderet: actio rurſus contemplationem non impediret: atque ita Marthæ, & Marię officia eminentiſſimè in ſanctiſſima Dei genitrice fuiſſe intelligamus.

[V]itæ vtriuſq; [a]ctiuæ ſcilicet [e]t contemplatiuæ perfectio [i]n Maria.
[L]uc. 10.

Sequitur: *In diebus illis:* Nempè feliciſſimis, in quibus Verbum Dei æternum per conceptionem in vtero diebus, & tempore menſurari cœpit. Tres autem illos dies fuiſſe, à quibuſdam creditum eſt. Primum quidem fuiſſe dicunt deſponſationis cum Ioſepho, nõ in templo, ſed in domo materna in Nazareth, quo multi Sacerdotes & cognati cõuenerant Mariæ, vt cuius illorum virga floreret, eſſet eius ſponſus. Vnde poſt deſponſationem venit Angelus Gabriel in Nazareth annũciaturus myſterium incarnationis. Confirmaturque hęc ſententia; quia illud tempus incidit in proximũ Paſcha Iudæorum illo anno, vt vna Virgo opera perficeret & religionẽ viſitandi templi, & pietatem inuiſendi cognatam: maximè cum domus Zachariæ parum diſtaret à Hieroſolymis. Secundum fuiſſe putant diem aduentus Angeli conceptum annunciantis, & conſequenter myſterij incarnationis in ædibus paternis peracti. Tertium verò viſitationis. Atque ita omnes illi dies magnis myſterijs referti fuerunt. Ex antiquorum tamen hiſtoria conſtat, & multis magis probatur, in templo fuiſſe ſponſam datam Virginem Ioſepho, & deinde adductam Nazareth, 25. Martij læto Angeli ſuſcepto nuntio cõcepiſſe, ac tandem 26. aut 27. die eiuſdem menſis ad inuiſendam Eliſabetham profectionẽ ſuſcepiſſe: quo iam Paſcha erat celebratum.

[Q]uot diebus [p]oſt annunciatione exurgẽs [M]aria, viſitauerit Eliſabeth.
[Q]u[ot] fuerint [i]lli dies.

[Lu]c. 1.

Quo anni tempore Maria viſitauerit Eliſabeth.

Illi dies adhuc quomodo permaneant.

Illi autem dies et actu tranſierint, permanent tamen, ſi attẽdas ad fructum eorum, quę in illis geſta ſunt: & tam grata eſſe nobis debet eorum recordatio, tamque fructuoſa, ac ſi nunc præſentes eſſent, cernerenturque. Subdit: *Abijt in montana cum feſtinatione in ciuitatem Iuda: & intrauit in domum Zachariæ:* Non ſignificat ciuitatem dictam montana, ſed vt Græcè ſignificãtius dicitur, εἰς τὴν ὀρεινὴν, hoc eſt, in ſummitatem montium. Erat enim regio montoſa prope Hieruſalem: iuxta illud: *Montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi ſui:* Et in illa regione montana, erat ciuitas, in qua natus eſt Ioannes.

Ciuitas Iudæ quænam illa fuerit, duplex opinio.

Pſal. 124.

Domum Zachariæ non alibi fuiſſe, quàm Hieroſolymis, docent recentiores, & ante eos, vt aiunt Auguſtinus, & Beda. Sed quia ciuitatis Iudæ nomine nõ ſolet venire Hieruſalem, idcirco certius eſt, aliam fuiſſe ciuitatulam in montoſa parte Iuda ſitam. Vnde ſuperius, expleto miniſterij ſui tempore, ſacerdos Zacharias dicitur reuerſus mutus in domum ſuam. Ex quo non videtur fuiſſe Hieroſolyma, ſed locus extra eã.

Auguſtinus.
Beda in hæc verba, to. 5.

Probabilior opinio.
Luc. 1.

Grauidę Deo Virginis Eliſabeth inuiſentis myſterium.
B. Ambr. lib. 2. in Lucam, cap. 6. to. 5.

Quanquàm myſterio nõ vacet, quòd grauida Deo Virgo nonniſi ad ſuperiora cum feſtinatione cõtenderet, vt Ambroſius meditatur, ſubiungens: *Diſcite & vos ſanctæ mulieres ſedulitatem, quam prægnantibus debeatis exhibere cognatis. Maria, quæ ante ſola in intimis penetralibus verſabatur, non à publico Virginitatis pudor, non à ſtudio aſperitas montium, non ab officio prolixitas itineris retardauit.* Sic ille.

B. Virgo quibus comitatã viſitauerit Eliſabeth.
Matth. 1.

Abijt autem, non ſola, ſed comitante eã Ioſepho viro ſuo. Nam ob eam potiſſimùm cauſſam deſponſata cum illo erat, vt miniſterium & conſolationem ab eo acciperet, & vt teſtem pudicitiæ, & puritatis haberet. Et denique, vt de Virginis impręgnatione, proleue legitima homines ignari diuini myſterij, nihil ſiniſtri cogitare poſſent, aut ſuſpicari.

Eiuſdem Ioſepho deſponſationis cauſæ.

Aderãt & innumerabiles Angeli, quibus præceptum erat, vt Domino ſuo, ac Conditori, Reginæq; Angelorum omnium inſeruirent, ſecundum illud: *Angelis ſuis Deus mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis.* Nam ſi Tobiam iuniorem abeũtem, ac redeuntem, in profectione à patre ſuo imperata Raphael Angelus eſt comitatus: quanto ęquius erat tenerioris ſexus puellam, & Matrem Meſſiæ effectam, in itinere, inſtinctu Spiritus ſancti perficiendo, Angelos illam aſſectari, atque comites indiuiduos ſe eius præſtare miniſterio? Quo-

Pſal. 90.
Tob. 5.

Scripturæ prudentia.

[illegible]

dam enim, vt nota per se, ponit Scriptura, ac proinde non narrat spõsum Iosephum, vel matrem Virginis Annam illi in hoc itinere adfuisse. Sequitur: *Cum festinatione.* Tradunt quidã ex reuelatione, iter sex dierum fuisse à Nazareth vsque ad ciuitatem

Maria cur ascenderit in montana cum festinatione.

Zachariæ, & vno die à B. Virgine: iuuantibus Angelis fuisse emensum, & propterea dictum fuisse, cum festinatione. Tradit etiam quidam recens scriptor à Nazareth ad domum Zachariæ esse viginti milliaria, in-

I. Ratio. & II. Ratio.

telligo milliaria germanica. Volebat etiam ea festinatione ostendere, quòd nõ grauaretur à Verbo, quin potiùs subleuaretur, gestareturque ab eo, quem gestabat. Hinc

B. Bernardus. Virginis matris prærogatiua inter mulieres.

B. Bernardus in sermone: *Signum magnum apparuit in cælo:* hoc ponderans ait: *Iure etiam illud molestißimum tædium, quo reliquæ omnes grauidæ mulieres laborare noscuntur, sola non sentit, quæ sola sine libidinosa voluptate concepit. Vnde & in ipso suæ conceptionis initio, quãdo potißimum cæteræ mulieres miserabilius affliguntur, Maria tota alacritate montana conscendit, vt Elisabeth ministraret. Sed & ascendit Bethleem imminente iam partu, portans pretiosißimum illud depositum, portans onus leue, portans à quo portabatur.* Hæc ille. Alij verò do-

III. Ratio eius festinationis.

cent, festinationem hanc, indicium fuisse verecundiæ, quæ in publico videri erubesceret, nam pudor Virginitatis, pudicitiæque est custos tutissimus: vt cõtra, dux impudicitiæ est inuerecundia. Ideò cuidam

Hiere. 3.

dictum est: *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* Sanè mulieribus, si saperẽt, haud esset facili de causa ex penetralibus domus egrediendũ foras, nisi magna aliqua proximi iuuãdi charitas & pietas, vel

Mulieribus egrediendum quando.

diuini obsequij grauis vrgeret necessitas: & tunc quidẽ festinanter, & diligenti quoque adhibita oculis, atq; auribus custodia, atq; cũ magna cultus & ornatus moderatione, ac sobrietate. Quare de puellis Hebræis põposè & ambitiosè, lenteq; incedentibus cõqueritur Isaias dicẽs: *Pro eo, quod eleuatæ sunt*

Isa. 3.

filiæ Sion, & ambulauerũt extento collo, & nutibus oculorũ ibant, & plaudebant, & ambulabãt, & pedibus suis composito gradu incedebant, &c.

Gen. 34.

Dina quoq; filia Iacob, ex curiositate egressa ad videndum mulieres regionis Sichem, incidit in raptorem, & pudicitiæ violatorẽ. Cõsidera autem, prudẽs lector, huius profectionis pompã: Nullus hic apparatus ve-

Virginis comitatus ab omni pompa, fastuque remotissimus.

stium, nõ multitudo equorũ, rhedarũ, curruum, famulorũ, nullus mũdus muliebris, nulla vana ornamenta: verum pro comitibus, ac ministris Angelos habet, & matrem, & spõsum pro ornamẽtis, ac vestibus charitatem, humilitatem, prudentiã, verecundiam, atque diligentiam. *Discite Virgines* (inquit Ambrosius hoc verbum ponderãs)

F. Ambr. lib. 2. in Lucam, cap. 6. to. 5.

non circumcursare per alienas ædes, non demorari in plateis, nõ aliquos in publico miscere sermones. Maria in domo sera, festinat in publico, & paulò antè: *Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia.* Sic ille. Adhæc, festinabat vt ostẽ-

IV. Ratio festinationis Mariæ.

deret opera charitatis promptè & alacriter esse facienda: nam qui citò dat, bis dat, &:

Prou. 3.

Ne dicas amico tuo vade, & reuertere, & cras dabo tibi, cùm statim poßis dare. Sanctificatio autẽ ab originali delicto magnũ erat opus charitatis, quod ad Christum spectabat potissimùm. Ex quo Origenes festinationem

Orig. initio serm. to. 2.

huiusmodi ad Christum refert in vtero delitescentem, ait enim homil. in Luc. 7. *Iesus verò, qui in vtero illius erat, festinabat adhuc in vẽtre matris positum Ioannem sanctificare.* Hæc ille. Fortassis alludens ad nomẽ suum. Vo-

Isa. 8.

ca, inquit Isaias, nomen eius, accelera, spolia detrahe, festina, prædari.

Quod verò dicitur, *Cũ festinatione,* Græ-

Qualis fuerit festinatio Mariæ tantummodo.

cè habetur μετὰ σπουδῆς, hoc est, cum diligentia, studio, & sedulitate. Itaque noli cogitare festinationem aliquã vitiosam, vel turpem & parientem scandalum: sed grauem quandam, atq; ex virtute diligentiæ procedentem properationem, quæ etiã videntes

Mariæ introitus in domum Elisabeth quã felix.

mouere, ad bonum facilè posset. *Et intrauit in domũ Zachariæ.* Quæ erat in ciuitate Iuda, hoc est, ad tribum Iuda pertinẽte: nec enim ad alienas domos diuertebat B. Virgo, sed ad illã ipsam, quam quærebat, peruenit. Et intrans domum, implet eã odore vnguentorum suorum, & radijs solis illuminantis

Apoc. 12.

Christi aduentante Luna, seu muliere amicta sole. Quod si B. Virgo festinauit ire in domum Zachariæ, vt ab originali crimine

Maria ad nos vt maxime veniet sanctificandos.

sanctificaret præcursorem, quantò magis ipsa à nobis inuocata, ad nos peccato mortifero emortuos, ac in spiritu viuos efficiendos, festina veniet, si peccatores sumus? vel ad nos Ioãne, id est, gratia Dei grauidos, vt per bona opera pariamus diligẽtius accedet, & appropinquabit, si iusti sumus? Venit aũt non sine Anna, & Ioseph: quia ad animas sanctificãdas, misericordiã Dei sanctificatã in Anna, & esuriẽ, & sitim iustitiæ cũ omniũ augmẽto virtutũ in Iosepho repræsentatã, secũ adferre solet. *Et salutauit Elisabeth.* Sa-

Salutare quid sit.

lutare, aliud nõ est, quã salutem optare, cõmuniter loquendo. At si is, qui salutem optat, etiam illam dare possit, non tam erit salutem dicere, quam illam adferre, atque donare. Maria ergo salutans, salutem, quã secum adferebat, quæque per illam diffundere semetipsam volebat, obtulit, maximè cùm salutatio Virginis, potius Christi esset

Theophyl. in Lucam, Euthym. ibidem.

per illam loquentis, atque eius voce Ioannem sanctificantis, vt Theophyl. & Euthy-

mius

Quibus verbis Elisabetham Virgo salutauerit. Luc. 24. Ioan. 20. Ibidem.

minus tradur: quemadmodu vox Elisabethæ, atq; exclamatio, præcursoris vox erat iam de Domino testificantis. Et licet, quibus eã verbis salutauerit, ignoremus: verisimile tamen est ipsam dixisse: *Pax tibi*, Hebraicè, Schalom Lach: quomodo Christus salutare consueuerat. Quidam tamen referunt his verbis salutasse. *Pax tibi magni Prophetæ & vocis clamantis in deserto dignissima mater:* Et intrans domum, dixit: *Pax huic domui.* Verbum autem Græcum ἀσπάζεσθαι salutationem significat cum amplexu, & osculo: quæ de more gentis Hebrææ obseruabantur. Salutauit autem Elisabeth, non Zachariam, quoniã ætas, honestas, ac virginis pudor congressum virorum refugit, quò scilicet teneris puellis virorum vitandi colloquium præberet exemplum.

Isa. 40. Apud Hebræos mos salutãdi qualis. Cur Elisabeth, non Zachariã salutauerit Virgo.

B. Ambr. lib. 2. in Lucam, cap. 6. to. 5. Deiparæ Virginis humilitatis documẽtum insigne.

Deinde vt ponderat Ambrosius: *Venit propinqua ad proximam, iunior ad seniorem. Nec etiam venit, sed etiã prior salutauit. Decet enim, vt quantò castior Virgo, tantò humilior sit. Nouerat deferre senioribus: Sit magistra humilitatis, in qua est professio castitatis.* Hectenùs ille.

Vltimo loco dicẽdum de mysterijs, quę acciderunt in ista salutatione, de quibus dicitur: *Et factũ est, vt audiuit salutationem Mariæ Elisabeth, exultauit infans in vtero eius.* Verbum, infans, Græcè dicitur, βρέφος, id est, ἔμβρυον, hoc est, fœtus dum est in vtero. Et propriè dicitur βρέφος de partu recens edito, licet interdum hæ voces apud autores permutentur. Sed fortassis hoc loco Lucas rectè illa voce vsus est potiùs quàm altera ἔμβρυον, vt motum hunc lætitiæ insolitarum, & puero iam nato magis conueniẽtem, quàm delitescenti in vtero insinuaret: Vnde & aptè noster interpres vertit infantem. Fuit enim ille motus nõ naturalis, sed ab Spiritu sancto profectus: quod oratio ipsa Elisabethę de Christi conceptu vaticinantis, cui non interfuerat, & quem aliunde cognoscere non potuerat, abundè testatur. Salutante ergo Maria, primò vox salutationis peruenit ad aures Elisabeth: quam infans in vterò audiens, primus impletus est Spiritu sancto, agnito Domino pręsenti, & eius matre. Præ gaudio autem exultauit, & in occursum eius exiliens gestiuit erumpere, vt Ecclesia canit, ad honorandum eum. Deinde Ioannes Spiritu sancto repletus repleuit & matrem, eiusque vocem ad exclamandum, & prophetandum aperuit. Atque hunc ordinem notauit Ambrosius his verbis. *Vide distinctionem singulorumq; verborum proprietatem. Vocem prior Elisabeth audiuit, sed Ioannes prior gratiam sensit. Illa naturæ ordine audiuit, iste exultauit ratione mysterij. Illa Mariæ, iste Domini sensit aduẽtum.*

Præcursorem adhuc in vtero delitescẽtem, infantem cur potius quàm fœtum nominet B. Lucas.

Infans Ioannes Baptista cur in vtero matris exultauerit.

Ambr. cap. 7. iam citato.

Maria & Elisabeth Christi & præcursoris infantiu

Fœmina mulieris, & pignus amoris. Istæ gratiam loquuntur, illi intus operantur. pietatisq; mysterium maternis adoriuntur profectibus, dupliciq; miraculo prophetant matres spiritu paruulorum. Exultauit infans, repleta mater est. Nõ prius mater est repleta quàm filius: sed cùm filius esset repletus Spiritu sancto, repleuit & matrem. Idem innotat Origenes in Lucam, dicens: *Non est itaq; dubiũ, quin quæ tunc repleta est Spiritu sancto, propter Filium sit repleta. Neque enim mater primùm Spiritum sanctum meruit, sed cùm Ioãnes adhuc clausus in vtero Sanctum Spiritum recepisset, tunc & illa post sanctificationem filij repleta est Spiritu sancto.* Sic ille.

propriæ functiones.

Orig. hom. 7. in Lucam, initio.

Quo autem ista melius intelligãtur, tria dubia, vel quatuor nobis resoluenda sunt. Primum est, qua ratione semestris partus potuerit gaudere, & in vtero exultare: Secundum quomodo dici possit Ioannem Spiritu sancto repleuisse matrem suam: Tertium, quis finis sit huius exultationis, seu saltus: Quartum, quidnam ex hoc Ioãnis saltu Hæretici perniciosè colligant. Primum omnium velim animaduerti, quod cùm gaudium ex cognitione boni præsentis oriri soleat: Ioanni singulari Dei priuilegio accelleratus fuisse vsus liberi arbitrij videtur, quo primùm præsentem Dominum, & se visitantem, sanctificantemque, deinde eius matrem sanctissimam ipsum in vtero gestantẽ cognouit: quare non potuit ad Messiæ, & matris eius nõ gaudere & exultare præsentiam. Hãc autem doctrinã de accelerato liberi arbitrij vsu, tradũt Patres. In primis Origenes in Luc. sic habet: *Sãcta erat anima B. Ioannis, & adhuc in matris vtero clausa, ventura, in mundum, quasi per experientiæ sensum sciebat, quæ Israel ignorabat. Vnde exiliuit, & non simpliciter exiliuit, sed in gaudio. Senserat enim venisse Dominum suum, antequàm de matris vtero procederet.* Idem docet Euthymius, dicens: *Christus quidem locutus est per os suæ matris, Ioannes autem audiuit per aures suæ matris: & agnito supernaturaliter Domino suo, exultatione illum prædicauit: infans enim, qui in vtero ferebatur Virginis, prophetica statim gratia donauit infantem, qui in vtero gestabatur sterilis.* Idem quoque docet Chrysostomus in hæc verba, quemadmodum in Diuino legitur officio: *Cùm ad nos aduenisset, inquit, sicut modò audiuistis, redemptor nostri generis, venit protinus ad suum amicum Ioannem, dum adhuc esset in vtero. Quem cùm ex matrice in matrice aspexisset Ioannes, terminos naturæ concutiens exclamat: Video Dominum, qui naturæ imposuit terminos, & non expecto tempus nascendi: nouem enim mẽsium tempus in vtero non est mihi necessarium, &c.* Lege quę sequuntur. Cyrillus Hierosolymitanus

Qua ratione semestris partus potuerit gaudere, & in vtero exultare. Gaudium vnde oriatur.

Ioanni adhuc in vtero matris existenti acceleratum liberi arbitrij vsum. Orig. supradicto loco.

Euthym. in Lucam, c. 1.

Chrysost. in ho. quadam de visita.

Cyril. Hierosol. catech. 3.

inter medium & initium.

Theophyl. in Lucam. c. 1.

testatur, Ioannem in vtero exultantem, Dominũ agnouisse in spiritu. Theophylactus: *Vox, inquit, Virginis, vox erat incarnati in illa Dei. Et idcircò etiam præcursorem in vtero gratia prosecutus est, & Prophetam fecit. Quæcunq; enim dixit Elisabeth prophetice ad Mariam, non verba fuerunt Elisabeth, sed infantis: os autem Elisabeth tantùm ministrauit, sicut & vox Mariæ ministrauit Filio Dei, qui in vtero eius erat.* Hæc ille, qui paullò ante dixerat, propter hanc exultationem in vtero matris, maiorem esse Ioannem cunctis Prophetis. *Nam alij quidem* (inquit) *prædixerunt futura, postquàm nati sunt, ille autem, cùm adhuc esset in vtero matris, gratiam talẽ assecutus fuit.* Idem quoque tradit Ambrosius in Lucam super illa verba: *Et tu Propheta Altissimi vocaberis*, ait enim: *Sed fortasse aliqui quasi irrationabilem mentis excessum putent, quòd octo dierum alloquitur infantem. Verùm si teneamus, intelligimus profectò, quòd potuit vocem patris natus audire, qui Mariæ salutationem antequàm nasceretur, audiuit. Sciebat Propheta alias esse aures Prophetæ, quæ Spiritu Dei, non corporis ætate reserantur: Habebat intelligendi sensum, exultandi habebat affectum.* Hactenus ille. Verùm latius & copiosius nemo quàm Augustinus, qui Epistola ad Dardanum primò ponderat non dixisse Euangelistam: Credidit infans in vtero eius, sed: *Exultauit*: Neque ipsa mater dixit: exultauit in fide infans in vtero meo, sed, *Exultauit in gaudio. Videmus aũt*, inquit: *Exultationem non solùm paruulorum, sed etiam pecorum, non vtique de aliqua fide, vel religione, vel quacunque rationali cognitione venientem. Sed hæc planè inusitata, & noua extitit, quia in vtero, & ad eius aduentum, quæ hominum Saluatorem fuerat paritura. Ideò mira, ideò in magnis signis deputanda. Ideò hæc exultatio, & tanquam matri Domini reddita resultatione, sicut solent miracula fieri, facta est diuinitùs in infante, non humanitùs ab infante.* Et subdit: *Quanquàm etiamsi vsque adeò est in illo puero acceleratus vsus rationis & voluntatis; vt intra viscera materna iam posset agnoscere, credere, consentire, quod in alijs paruulis ætas expectatur vt possint, etiam in hoc miraculis habendum diuinæ potentiæ, non ad humanæ trahendum est exemplar naturæ. Nam quando Deus voluit, etiam iumentum mutum rationabiliter est locutum: Nec ideò sunt admoniti homines in deliberationibus suis etiam asinina expectare consilia. Quocircà nec quod factum est in Ioanne contemno, nec inde regulam quid sentiendum sit de paruulis, figo. Imò id in illo propterea mirabiliter prædico, quia in alijs non inuenio. Habet quidem aliquid simile etiam illa Rebeccæ in vtero lucta geminorum. Verùm & hoc vsq; adeò prodigiũ fuit, vt diuinum propterea mulier oraculum quæreret, & audiret duobus illis infantulis duos populos fuisse figuratos. Scire autem diuina paruulos, qui nec humana adhuc nouerint, si verbis vel nutibus ostendere, vereor ne ipsis sensibus nostris facere videamur iniuriam, quando id loquendo suademus, vbi omnes vires, officiumq; sermone facillimè superat euidentiam veritatis.* Et infrà: *Dicimus ergo in baptizatis paruulis, quamuis id nesciant, habitare Spiritum sanctum. Sic enim eum nesciunt quamuis sit in eis, quemadmodum nesciunt, & mentem suam, cuius in eis ratio, qua vti nondum possunt, velut quædam scintilla sopita est, excitanda ætatis accessu.* Hactenus ille, doctissimè probans in pueris etiam baptizatis non esse vllum sensum cognitionis vel liberi arbitrij, in præcursore verò fuisse acceleratum vsum liberi arbitrij: quod ad diuinæ potentiæ miracula referendum est, quemadmodum asinæ Balaam rationabilẽ loquelam adscribit. Nam si venti, & mare sensu carentia Domini voci obediebát, ita vt mirentur qui erant in naui: Quid igitur mirum, Ioannem cùm esset rationis capax suo tempore exercendæ, Dei gratia, & priuilegio anticipatũ rationis vsum, vt Christum, & matrem eius agnosceret, à Deo accepisse? vt verè posset dicere quod de eo legit Ecclesia: *Formans me ex vtero seruum sibi*: Et in Hymno cantant:

Vnde maior omnibus prophetis Ioannes Baptista.

B. Ambr. lib. 2. in Lucam, cap. 12.

August. epist. 57. circa med. to. 2.

Præcursoris Ioannis exultatio qualis in vtero.

Num. 22. & 2. Pet. 2.

Gen. 25.

Acceleratio liberi arbitrij Præcursoris, cui tantum virtuti sit adscribenda.

Num. 22. & 2. Pet. 2. Matth. 8. Infra 14.

Isa. 49.

Ventris obstruso recubans cubili
Senserat Regem thalamo manentem.

Et in alio Hymno Natalis Domini:

Enixa est puerpera
Quem Gabriel prædixerat:
Quem matris aluo gestiens,
Clausus Ioannes senserat.

Num. 17.

Vt enim Virga Aaron arida, vna nocte folia, & flores, & fructus sine humore protulit, non naturali virtute, at diuina, & prorsus prodigiosa: (Nam si hoc communi naturæ cursu, ac ordine efficiendum fuisset, multis tum diebus, tum mensibus, & fortassis etiam annis opus fuisset:) Sic Ioãnes, qui aliquot post annos ad vsum rationis suapte natura peruenturus erat plusquam naturali præuentus virtute, statim exercitium liberæ voluntatis habuit. Et licet B. Augustinus proponat alterũ modum priorem, quo Ioãnes miraculo edere saltem potuit: tamen posterior modus de accelerata quãtum ad vsum ratione, magis est verbis textus cõsonus, qui exultasse in gaudio (quod nonnisi ex cognitione prouenire solet) tradit infantẽ. Magis etiã est dictis Patrũ conueniens, est item magnificẽtius, & excelsius miraculũ, ac propterea Christũ incarnatũ magis exaltat, & demonstrat, Postremò videtur ab Augustino ipso modus hic magis probatus, cũ posteriori loco quasi vltimus

De duobus exultandi modis Præcursoris in vtero quis alteri præferendus videatur.

propo-

proponatur. Quod si aliter Augustinus decernere voluit, & cognitionis, & liberi arbitrij vsum in Ioanne negare, vt quidā putant, non tamē propterea tenenda esset illa sententia, cum altera & pietatem, & Ecclesiæ sensum, & doctores non paucos habeat. Quēadmodum nec videtur sequendus Augustinus in eo quod eodē loco sanctificationē Ioannis in dubium reuocat, contra cōmunem aliorum Patrum sententiam.

Luc. 1.
Hiere. 1.

Hæc autem acceleratio dupliciter cōtingere potuit. Primo quidē vel corporis mēbris, & organis ad exercendam rationē dispositis, ac consummatis, vt in grādiusculis pueris solet cōtingere: anima siquidem ceu artifex quidam est: sed vt scriptor, & faber sine instrumentis accōmodatis efficere nihil potest: ita anima est vt tabula rasa, in qua nihil est depictum, vt testatur Philosophus, nisi corporea sensuū organa ad vsum rationis habeat accommodata. Secūdo verò modo speciebus diuinitus infusis in anima, quæ instrumentis corporis non egent, sicut Angeli, & anima separata: nā pro hoc statu necesse est intelligentem phantasmata speculari. Atq; hic modus Prophetis & angelis magis familiaris videtur in Ioanne obseruatus, vt opus non sit fingere organa sensuum perfecta, & consummata. Atque hæc sentētia verbis Ambrosij magis est cōsona, ita dicentis: *Sciebat Propheta alias esse aures Prophetæ: quæ spiritu Dei non corporis ætate reserantur.* Et hæc de primo dubio.

Vsus liberi arbitrij accelera tio dupliciter contingit.
1. Modus.
Arist. lib. 2. de anima, te. 2.
Alter modus.
Idem.
Ambros. iam citatus.

Circa secundum ab Origine, Ambrosioq; asseritur, Ioannem gratia repletum matrē quoq; repleuisse: quod bene, & prudenter est intelligendum. Non enim authoritate, aut potestate sua Ioannes cōtulit illi Spiritum sanctū, cùm hoc soli Deo sit propriū: Neq; rursus tanquàm minister, vt Apostoli manuum impositione, & Sacerdotes in Sacramentorum administratione solent cōferre Spiritum sanctum. Superest ergo, vt quemadmodum nonnulli dicunt, vel per modum causæ merendi instrumentalis id fecerit, quod in seipso per gratiam fuerit acceleratus vsus liberi arbitrij, quo id promereri posset, & ita impleatur verbū Euangelistę, qui ait: *Hic venit in testimonium, vt omnes crederent per illum,* etiam mater, & pater eius, quod enim dixit: *Omnes*, tā ad iustos, quàm ad peccatores extenditur. Vel quod p modum occasionis matrē suā, Spiritu sancto repleuerit, quoniā illa filij præter naturam exultationem in se persentiēs, ex hoc in Deum mente effusa est, eiusque charitate dilatatum cor, factum est gratia capax [illegible]plioris. Dico autem amplioris quoniam ante conceptum Ioannis de san-

Origen.
Ambros.
Ibidem.
Quomodo verum sit, Ioannem Spiritu sancto matrē suam repleuisse.
Ioan. 1.
II. Solutio.
Quid. Elisabeth Spiritu sancto repleri, more scripturæ.

ctitate laudatur, iamque plena erat Spiritu sancto, dictum est enim: *Erant ambo iusti ante Deum*: nemo autem iustus esse ante Deū potest sine Spiritu sancto. Mos autem sacrę Scripturæ est, vt hominem repleri Spiritu sancto asserat, cum gratia abundātiori perfunditur. Ex his licet colligere, minimè esse solidam eorum doctrinam, qui aiunt ante conceptum Mariam, post cōceptum verò Elisabetham Spiritu sancto fuisse repletam: Nam vtraque ante conceptum repleta fuit, vt ostendimus.

Luc. 1.
Quando repleta fuerit Spiritu sancto Elisabeth.

Succedat iam tertij dubij explicatio. Tradunt nonnulli in amplexu Marię, & Elisabeth, Mariam in spiritu vidisse Ioānem genuflexum coram Christo, & se mutuò oculis mentis respexisse, & Christum sedētem illi benedixisse, atq; ita sanctificasse, & Spiritu sancto repleuisse, ac præcursorē instituisse, eiq; nomen Ioannis indidisse, Ioannem verò lingua angelica Christo cāticum cecinisse, tuncq; tripudiasse, saltumq; exultationis edidisse. Atq; hæc quidem dum fierēt, matres erant in mutuo amplexu, linguaq; prope modum angelica ad se inuicē loquebātur. Elisabeth quidē Mariā interrogans, Maria verò illam de Angeli annūciatione, & Filij Dei cōceptione instruens: at illa Angelico more à matre Dei instructa, & edocta, prorupit exclamando in vocem magnā, vt testatur Euangeliū. Aderāt istis mysterijs Ioseph, & Zacharias. Sed neque illi quæ fiebant, neque verba, quæ Angelica penè lingua loquebantur, inter se capiebant: quemadmodum in Pauli cōuersione dicitur: *Viri autem illi, qui comitabantur cum illo stabant stupefacti audientes quidem vocem, neminem autem videntes.* Hęc quidem nō videntur vsquequaque aspernanda, vt pia tamen admittenda, cùm Euāgelio nulla in re repugnare videantur, deuotionem verò pietatemque promoueant.

Ioannes Baptista quomodo exultauerit in vtero matris: secundum aliquos.
Actor. 9.

Verùm vt ad exultationem Ioannis redeamus, exultare, est extra saltare præ lętitia interna, & proprè est ratione viuentium. Et saltus hic gaudium Ioannis internū ex pręsentia Christi profectū secutus est, vt eum resultaret, & quo posset modo honoraret. Deinde ex repletione sancti Spiritus, quia repletus saltat, non secus ac Apostoli in die Pentecostes: vt enim illi pleni Spiritu exultabant, & prorumperunt in verba: *Loquentes varijs linguis magnalia Dei.* Sic Ioannes repletus Spiritu sancto, exultauit præ gaudio, & in laudes Christi, & sanctissimæ Deiparæ per os matris suę prorupit. Tertiò secutus est hic saltus sanctificationem ab originali peccato, à quo se nouit Christi beneficio liberatum: quemadmo-

Exultare propriè quid.
II. Ratio cur Ioannes exultauit in vtero.
Act. 2.
III. Ratio.

autem sunt baptismi commoda, fide eorum, qui illos ad baptismum offerunt. Hęc ille, cuius sententiam immeritò carpunt Centuriatores. Ambrosius in Epistolam ad Hebræos: *Baptisma, corporis mundatio non est, sed animi, si fides adest baptizatio, siue parentum (nempè si est paruulus) siue sui ipsius, si ad ætatem rationabilem peruenerit.* Augustinus præterea lib. de Libero arbitrio: *Piè, rectéque,* ait, *creditur, prodesse paruulo eorum fidem, à quibus consecrandus offertur: & hoc Ecclesia commendat autoritas.* Idem docet in libro contra Donatistas Bernard. serm. super Cantica: *Nemo mihi dicat, quia nõ habet fidem, cui mater impertit suam inuoluens illi in Sacramento, quousque idoneus fiat proprio non tantùm sensu, sed assensu euolutam, puramque percipere. Nunquid breue pallium, vt non possit lumbos cooperire? Magna est Ecclesiæ fides. Nunquid minor fide Chananeæ mulieris, quã constat & filiæ sufficere potuisse, & sibi? Ideò audiuit: O mulier, magna est fides tua; fiat tibi sicut petisti.* Sic ille. Quod verò paruuli actũ Fidei proprium nõ habeant, sicut nec vsum rationis, & ipsa docet experientia, & ratio. Quia si crederent actu, possent posteà meminisse, & traditio Ecclesiæ oppositũ semper docuit. Gregorius Nazianzenus oratione in sanctũ Lauacrum, eos neque quid sit gratia, quidúe pœna cognoscere, & nondum rationis compotes sanctificari, idque sine sensu sanctitatis affirmat. Chrysost. in Epistolam ad Hebræos, infantulũ regium vsquequò in vtero materno est, nihil sentire, vel intelligere ostendit. August. ad Dardanũ suprà productus, testatur eos credendi sensu nondũ esse præditos, & corde proprio ad iustitiam nõ posse credere, qui flendo & vagiendo ipsis mysticis verbis, & actionibus, quibus sanctificantur, reluctentur. Prosper lib. de vocatione gẽtium, eosdem asserit paruulos ante vllũ intelligentiæ vsum, & ante liberum voluntatis arbitrium ad æternã beatitudinem regenerari. Bernardus quoque Epistola ad Hugonem de S. Victore: *Sanè,* inquit, *infantes, quia hãc, prohibente ætate nõ possunt habere fidem, hoc est, cordis ad Deum conuersionem, consequenter nec salutem, si absque baptismi perceptione moriuntur. Non quod vel ipsi quando baptizantur, fide omninò careant, sine qua impossibile est vel ipsos placere Deo; sed saluantur & ipsi per fidem, non tamen suam, sed alienam. Dignum nempè est, & ad Dei spectat benignitatem, vt quibus fidem ætas denegat propriam, gratia prodesse concedat alienam.* Hæc ille sanctissimus Pater. Quod verò in Scripturis petat Deus fidem à baptizandis, vt apud Marcum, & in Actis: hoc est, quia agebant Apostoli cum viris adultis, non cum infantibus, à quibus id nõ exigeret Deus, qui nouerat omninò ab eis pręstari nõ posse. ¶ Iam verò tẽpus est, vt verba discutiamus. Dicitur Elisabetha repleta spiritu sancto ad salutationem Mariæ, siue Christi per matrem, quia Verbũ portat secum spiritũ loquẽtis, vt auarus, aut lasciuus, aut superbus, si loquitur, in verbis suis spiritum auaritiæ, vel luxuriæ, vel superbiæ profert: ita verbũ Christi matris ore pronunciatum, Spiritum suum (qui Spiritus est sanctus) protulit, atque eo Elisabetham repleuit. Atque in ista matris repletione subintelligenda est, quæ per Angelũ facta fuerat, promissio adimpleta, nempè: *Et Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ:* nam nisi ipse repletus Spiritu sancto, qua ratione matrem illo replere potuisset? Secundò, dicitur exclamasse voce magna: quia mater erat eius, qui de se ipso dicturus erat: *Ego vox clamantis in deserto.* Spiritus etiã sanctus efficit nõ vocem exiguam, vel tenuem, sed magnam, nõ tã mole corporis, quàm affectus, & deuotionis magnitudine. Nam, vt ait David: *Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem;* cùm tamen infantes, si ad viros comparentur, magnam vocem edere minimè queant. Dona etiam, & prærogatiuæ B. Virginis magna voce indigent, vt explicari valeant: *Vnde loquente Iesu ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi: Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti.* Solent quoque attoniti & suspensi ad rem nouam, ac insolitã, præ admiratione exclamare: ad hunc modũ Elisabetha de mysteriorum magnitudine attonita, vocem magnã edidit, dicens: *Benedicta tu inter mulieres.* A verbis Euangelicis auspicatur gratulationẽ suam Elisabeth, quasi Angelum audiuisset cum Virgine loquentem. Et ita cõfirmantur verba Angeli, vt in ore duorum, vel trium stet omne verbum. Verba quę Angelus illi dixerat in persona Ecclesiæ triumphantis, Elisabetha in persona militãtis Ecclesiæ repetit; vt ita beatã illam dicant omnes generationes. Et dicitur singulariter benedicta: quia maledictionem legis in steriles, & datã Euæ, & in ea omnibus fœcundis maledictionẽ, nempè: *In dolore paries filios,* prorsus euasit: perfectionẽ etiam vtriusque Testamenti, id est, fœcunditatem Veteris, & virginitatem Noui, singulari priuilegio possedit. Sed illud maximum est, & omnia vincit, vt meritò dicatur benedicta, quod illum eundẽ in filium habeat, quem Pater ab æterno progenuit, & per quẽ in omnes benedictio diffundenda erat.

Et quoniam benedictio fœcunditatem, & multiplicationẽ includit, cùm B. Virgo vnicum tantùm filium habuerit; quomodo be-

Side notes, left column:
Cent. 5. cap. 4.
Ambr. in cap. 10. Epist. ad Hebr. tom. 5.
Aug. libr. 3. de liber. arbitr. cap. 23. tom. 1.
Idem lib. 4. contr. Donat. c. 24. tom. 7.
Bern. serm. 66 super Cantica.
Matth. 15.
Quod paruuli actum fidei proprium nõ habeant.
Greg. Nazian.
B. Chrysost. homil. 1. in Epist. ad Heb. tom. 4.
Aug. epist. 57. qu. 2. tom. 2.
Rom. 10.
Prosper. lib. 1. de vocatione gentium, c. 16 apud B. Ambr. tom. 2. initio.
Bern. epist. 77
Infantes per quam saluentur fidem tantummodò.
Hebr. 2.
Fidem à quibus Deus baptizandis exigeret.
Marc. vlt.
Actor. 2.

Side notes, right column:
Elisabeth cur repleta Spiritu sancto.
Spiritus Christi quis.
Cur dicatur exclamasse voce magna Elisabeth.
Ioan. 1.
Psalm. 8. & Matth. 21.
Luc. 11.
Deut. 19. & Matth. 18. & alibi.
Exod. 23. & Deut. 7. Genes. 3.
B. Virgo cur dicatur benedicta.

Cùm B. Virgo vnum tantùm filium genuerit, quomodo benedicta inter mulieres dicitur, à quibus numero prolis exceditur.

do benedicta inter mulieres prædicatur, cùm aliæ numero prolis eam superent? Dicendum est; quòd etsi vnum filium naturalem genuerit, ille tamen talis ac tantus est, vt præstet omnibus hominibus, cùm Mesias sit Deus, & homo. Per illum etiam facta est mater omnium credentium. Si enim Abraham pater multarum gentium est constitutus, nō per naturalem generationē (si enim id esset, vnius tantùm populi fuisset pater) sed quia fuit illi repromissum semen, in quo essent benedicendæ gentes: multò iustiùs B. Virgo, per quā semen repromissum esset, mater omnium fidelium dicenda erit, quæ ob id peperisse filium suum primogenitum dicitur, vt agnoscas illam plures alios filios habere, vt sit Christus primogenitus in multis fratribus. Vnde Alb. Magnus lib. de laudibus B. Virginis scribit: *Virgo mater est vnius hominis per generationem; omnium hominum mater per regenerationem; virginum verò per imitationem.* Hæc ille. Vnde autem istam benedictionem habuerit, subdit: *Et benedictus fructus ventris tui.* Vbi, &, causam reddit, vt notat Theophylactus. Et est sensus: Benedicta tu, quia benedictus fructus. Ita Angelus priùs vocauerat Virginem benedictam: & subiunxit causam: *Ecce concipies in vtero.* Et rectè, postquam vocauit illam benedictam, subdit: *Et benedictus fructus ventris tui:* quia nimirùm olim multæ piæ, sanctæq; fœminæ filios impios habuerunt, quemadmodū Rebecca Esau. Rectè etiā ait: *Fructus ventris tui:* solius scilicet, non patris, nam illo caret. Quo verbo etiam iugulatur Eutychetis peruersus error, qui negabat Christum eiusdem esse naturæ cum Virgine, vel nobiscum. Sed conuincitur ex eo, quòd omnis fructus eiusdem est naturæ cum arbore cuius est fructus. Atque ille solus fructus ventris suo iure benedictus est, cæteri verò omnes maledicti, quia filij iræ, donec regenerentur. De hoc fructu ventris benedicto loquuntur Prophetæ; ait enim Psalmista: *Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eum; De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Et, *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Et ad Abraham dictū est: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* Vt autē conuenienter ederetur hic fructus benedictus, quia terra nostra maledicta, spinas & tribulos germinabat, id est, peccatores; propterea in alio loco idem Propheta dixit: *Benedixisti Domine terram tuam, auertisti captiuitatem Iacob:* vt congruè ex benedicta benedictus prodiret ad benedicendum omnibus. Angelus autem cùm salutauit beatam Virginem, & dixit illi: *Benedicta inter mulieres,* nō addidit: *Et benedictus fructus*

Rom. 4. & cap. 17. & infra 22.

Maria Virgo ut sit mater omnium credentium.

Luc. 1.

Rom. 8.

Albert. Magn.

Quare benedictus fructus virginei ventris.

Theophyl. in Luca cap. 1.

Genes. 25.

Error Eutychetis eiusdē naturæ cum Virgine, vel nobiscum, Christum esse negantis, conuincitur.

Ephes. 2.

Psalm. 131.

Psalm. 117.

Gen. 22.

Suprà 3.

Psalm. 84.

ventris tui, quia nondum beata Virgo conceperat. Secus est tempore, quo hæc dixit Elisabetha: tunc enim conceptus erat hic fructus, nempè Christus benedictus. Sequitur: *Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* Nō quasi ignara dicit hæc verba, quę maximè Spiritu sancto plena erat, quasi nesciat iuxta Dei voluntatē, matrem Domini venisse ad eum; verùm isto sensu loquitur: Quid boni feci? quæ opera, siue merita mea tāta sunt, vt mater Domini mei ad me veniat? quo iure, vel qua dignitate id factū est mea? Meritum certè tuum est, vt ego ministratura tibi occurrerem, & tu venis ad me? Ego hominis mater sum, tu Dei: ego serui, tu Domini mei: ego Prophetam, tu Prophetarum Dominū in vtero habes.

Hæc verba: Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me, quo animo fuerint prolata.

Cognouit autem Elisabetha, concepisse Mariam de Spiritu sancto, non ex intumescente vtero, cùm ante paucos dies concepisset, sed per Spiritum sanctū eam cócepisse cognouit, & matrem Domini sui effectam. Neque dixit: Vt veniat filia Dauid, vel sponsa Ioseph ad me: nā prægnātes mulieres à progenitorib' suis, vel à maritis solent commendari, nunquam à fœtu, quem nesciunt qualis futurus sit. Secùs Maria Mesiæ mater, quæ filium mundi conditorem, atque eius restauratorē editura erat in lucem. Et cum articulo dixit: ἡ μήτηρ τοῦ Κυρίου μου, id est, mater illius summi Domini, qui natura Deus, & homo est. Credibile enim est Elisabetham dixisse, Mater Iehouah, vel loco eius, Adonai, quod soli Deo in Scripturis tribuitur: Demari voce vtitur Syriacum Euangelium, id est, Domini mei. Ac proinde retunditur Nestorij, aliorumque Hæreticorum insania, confitentium illā matrem Christi, sed non matrem Dei.

Vnde Mariam cognouerit Elisabeth de Spiritu sancto concepisse.

Solius Christi matris priuilegium fuit scire quem paritura esset.

Deo, Iehouah, & Adonai Scripturæ nomen tantùm accōmodant. Mariam esse non tantùm Christotocon, sed etiā Theotocon, contra Nestorianos.

Annotauit hîc Erasmus, non dixisse Elisabetham matrem Dei, sed, matrem Domini, quasi Christum Deum esse nō cognosceret. Sed certè impium & cæcum hoc est: nam vel solùm hoc Euangelium, & hic stupor sanctæ fœminæ, qui fuit in Spiritu sancto, atque hæc mysteria à voce salutari profecta, os loquentium impia obstruere possunt. Alioqui si mater Dei nō erat, non esset vnde miraretur de puella cognata visitante: & Christus Matth. 22. probat Messiam, Deum, ex eo, quòd à Propheta dicatur Dominus, iuxta illud: *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.* Et matrem Domini vocat, quæ corā oculis hominū mater adhuc nō erat: nondum enim est mater nobis, quæ nondum peperit, propter metum aborțiendi, vt ait Theophylactus. At Elisabeth nō humanis oculis, verùm spiritualibus, atque propheticis intuebatur, in quorū con-

Elisabetham Christum, & Dominum, & Deum cognouisse, contra Erasmum.

Vnde Christus Messiam Deum comprobauerit.

Psalm. 62.

Matth. 22.

Psalm. 109.

Mariam Elisabetha cur vocet Domini matrem, cùm nondum peperisset.

Theophyl.

Ibidem.

Christus cur fuerit plenus gratiæ & veritatis, teste Ioanne.

poterat, quantumque habitus illi gratiæ ac sapientiæ, vt ita dicam, creabiles erant: ita vt verè dici possit plenus gratiæ & veritatis, de cuius plenitudine nos oẽs accepturi eramus, seu ex capite & fonte, per quem Deus ad nos omnia dona ad gratiam spectantia, & cœlestia descendere voluit. Atque in eodem puncto temporis, seu instanti cœpit vti ratione, & libero arbitrio Christus, & consequenter meritum infinitum apud Deum habere.

Prima animæ Christi incarnati cogitatio quænam illa fuerit.

Quidam autem de prima cogitatione, quam anima Christi habere cœpit, inquirunt qua nam illa fuerit. Et meo quidẽ iudicio haud ineptè, nec parum probabiliter meditantur, qui existimãt primum actum animæ Christi fuisse, offerre se ipsum Patri in hostiam & sacrificium pro mũdi salute: quod ex B. Paulo ad Heb. videtur deduci. Ait enim: *Ideò ingrediens mundum* (hoc est, quando: *Verbum caro factum est*, in conceptione: tũc enim verè ingressus est mundum, cùm factus est pars mundi) *dicit: Hostiam & oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi. Holocaustomata & pro peccato non tibi placuerunt: tunc dixi: Ecce venio. In capite libri scriptu est de me: vt faciam Deus voluntatem tuam.* Ex quibus accipimus, primam Christi cogitationem fuisse: Ecce Venio: *vt faciam Deus voluntatem tuam*; & se ipsum Patri pro mũdi redemptione hostiam, iuxta eius beneplacitum obtulisse. Nam votum de mundo redimendo Christum concepisse, tradit Hilarius in illa verba Psalmi 131. *Sicut iurauit Domino, votum vouit Deo Iacob.*

Ioan. 1. *Hebr. 10.* *Psal. 39.* *Quando Christus mundum sit verè ingressus, vt ait Apostolus.*

Christus Deo Patri quale votum vouerit, secundum Hilarium. *Psal. 131.*

Vltima rursus animæ Christi cogitatio quænam illa. *Psal. 30.* *Luc. 23.*

Vltima verò Christi animæ cogitatio fuit: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* In quo spiritu Christi Patri cõmendato, & ex obedientia omnes electorũ spiritus commendati & oblati sunt. Vt ita prima Christi, atque vltima cogitatio mirificè consentire, & conuenire videantur.

Qualis sit hypostatica vnio

Fuit autem illa Verbi cum humana natura vnio, quæ hypostatica dicitur, alteri nulli ex his, quæ naturaliter fiunt, similis, sed longè nobilior, fortior & admirabilior. Magna quidẽ est vnio animæ per gratiam, at mortifero peccato dissoluitur: maior & fortior animæ cum Deo per gloriã, quæ semel habita nunquã perdi potest: sed maior ac fortior hypostatica illa vnio, virtute cuius in vnam Verbi personam, & diuina, & humana natura cõuenerunt, & quæ simul etiam est caussa vnionis, quæ cum hominibus siue per gratiam, siue per gloriam fit. Maxima verò & fortissima omnium vnionum est illa, quæ fit in natura, vel essentia, vt est trium Personarum illa æterna vnio in vna natura diuina, in qua quæuis natura subsistẽs est omnipotens & infinita. In vnione vero hypostatica Incarnationis Deus est omnipotens & immortalis: homo finitus & mortalis. Primam vnionem per gratiam solet homo frangere, non Deus: secundam per gloriã potest Deus soluere, non autem homo: tertiam Incarnationis, nec Deus vult soluere, nec Humanitas solutionem potest aut facere, aut velle: quartam verò Vnionem in natura diuina, nulla Persona potest, vel vult illam dissoluere, neque omnes simul. Cumque tria operum genera in hoc mundo reperiantur, nempe secundùm legem, contra legem, prǽter, vel supra legem: (Secundùm legem enim est, debitum creditori reddere: contra legem est, aliena rapere; supra legem, vel præter legem est, cui nihil debeo, centum aureos donare, quam donationem lex neq; prohibet, neq; præcipit) ad hunc modũ Incarnatio secundùm naturam nõ est, quia esset naturalis: nec cõtra naturam est, quia esset innaturalis: sed supra naturam est: ac proinde immensæ Deo gratiæ agendæ, & habendæ de tanta dignatione sua, tantaq; exaltatione nostra, ac dignitate, ad quam gratis omninò euecti sumus. Facta est ergò Incarnatio admirantibus, & gaudentibus Angelis, atque ineffabili gaudio exultante Sanctissima Christi matre, gratiasq; Trinitati Sanctissimæ penè immensas non modò pro se, sed etiam pro toto mũdo, cuius personam sustinebat, & agente, & reddente: tuncq; impletum est verbũ Prophetæ: *Nouum faciet Dominus super terram, fœmina circundabit virum.* Vt enim dixit Damascenus: Omnium nouorum incarnatio maximè nouum est. Quod enim mulier cognitũ infantem circundet, vsitatum est: Virginem verò virum perfectum, & plenum gratiæ & veritatis circundare, & qui Deus sit, inauditum, & maximè nouũ est. Tunc enim quod dici solet, completum est.

Omnium fortissima & maxima vnio quæ sit.

Opera in vniuerso triplicia inueniuntur.

Quale & quantum sit opus incarnationis.

Hierem. 31. *Damascen. li. 3. cap. 1.*

Expenditur dictum Prophetæ: Fœmina circundabit virum.

Sphæra centro clauditur:
In centro tacet circulus:
De vase prodit figulus.
Fontem excedit riuulus:
Pars excedit totum:
Lux monstratur per ignotum.
Stella parit solem:
Virgo sancta seculorum saluatorem.

Rectè autem Propheta dixit: *Circundabit*: quia totum suum est, in quo viri opus non fuit. Id enim dicimus circũdare, quod nostrum est, non quod alienum. Figura etiam circularis vnica linea cõtenta est: ita Christus ex matre tantùm constat, cùm reliqui omnes duabus lineis, nimirum patre & matre constituamur. Verbo item: *Cir-*

cundabit

Mariam Virginem per aurē concepisse, quo modo verum.

cundabit(quod significat, vndique obludebit) significatur matris in conceptu, in partu,& post partú virginitas: nam vt Ecclesia cantat, B. Virgo per aurem concepit, inquit enim:

Gaude Virgo mater Christi,
Quæ per aurem concepisti
Gabriele nuncio.

Rom.10.

Dicitur autem per aurem concipere, hoc est, per fidem: nam vt ait Apostolus: *Fides, ex auditu: auditus autem per verbum Christi.*

Cant 5. Quid illud Cāticorum: Dilectus meus misit manum suā per foramen, & vēter meus intremuit ad tactum eius. Psal.83.

Vnde in Canticis dicitur: *Dilectus meus misit manum suam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum eius.* id est: Deus misit Angelum suum annúciantem, & per aurem suggerentem Dei verba quasi per foramen: & & post assensum præstitum Verbum incarnatum est, atque illo contactu diuino, & mundissimo non solùm intremuit præ reuerentia, & animus, & corpus Mariæ, verú etiam exultauit iuxta illud: *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuū.* Hoc etiam docent Patres.

B. Athanas. tom.3. à med.

Athanasius in serm. de sanct. B. Deipara ait: *Simul ac aperirentur aures Virgines per Angelicum sonum, introgressa est in eam diuina Filij essentia.*

Damascen. li. 4. de fide Orthod. c.15. sub fin.

Damascenus: *Per auditum quidem conceptio, sed natiuitas per consuetum parientium egressum.*

August. ser. 6. in Natal. Domi. pau.o à princ. to.10. Idem serm. 9. de eodem tuit. Gen.3.

August. serm. de Natali Domini: *Fecit grauidam Virginem ipse, qui erat nasciturus ex Virgine. Expauit in partu suo mater, Deus per Angelum loquebatur, & Virgo auribus impregnabatur. Audiat omnis aetas quod nunquam audiuit. Virgo partu suo nupsit, Virginitatem dum pareret, duplicauit, filium quem genuit, adorauit.* Idem de eodem: *Quoniam diabolus per serpentem Euæ locutus, per Euæ aures mundo intulit mortem, Deus per Angelum ad Mariam protulit verbum, & cunctis seculis vitam effudit. Angelus sermonem eiecit, & Christum virgo concepit. O coniunctio sine sordibus facta, vbi maritus sermo est, & vxor auricula.*

B. Bernar. ser. 2. in die Pentecostes.

Sic ille. Bernard. serm. in die Pentecostes: *Missus est interim Angelus Gabriel à Deo, vt Patris Verbum per aurem Virginis in ventrem & mentem ipsius eructaret: vt eadem vita intraret & antidotum, qua venenum intrauerat.* Hæc ille.

Virgo Maria per aurem concipiens, quid suo nos doceat exemplo. Matth.12.

Ex quibus constat, Virginem per aurem concepisse, vt suo exemplo nos doceat matres Christi effici secundùm spiritum, iuxta illud: *Qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater & soror, & mater est.*

Ad faciendam Dei voluntatē quæ à nobis requirantur.

Ad faciendam autem Dei voluntatem, in primis opus est, à prædicatore, quasi ab Angelo quodam à Deo ad nos cœlitùs misso, Verbum Dei per aurem suscipere: cui dum assensum præstamus, Christum in corde per fidem concipimus. Et vt beata Virgo assensum pro toto mundo Angelo præstitit per excellentem suam fidem, & obedientiam, vt ex Augustino atque Bernardo superiùs attulimus, ita & nos debemus propria fide & voluntate consensum illum Virginis ratum facere, quò nobis fructuosa Verbi Dei incarnatio existat. Et ideò ego, quantum ad me attinet, tota fidei meæ plenitudine & gratum, & maximè ratum habeo, atque ex intimis sensibus profero, ecce seruus tuus, Domina: fiat mihi secundùm fidem & voluntatem tuam.

Christus quomodo in nobis concipitur.

Hic autem conceptus spiritalis Christi haud fit sine Spiritu sancto superueniente in nos, & virtute altissimi obumbrāte: quoniam sancti Spiritus operatione, disponitur thalamus cordis nostri, vt dignè ac conuenienter Christum fide concipiamus: & deinde bonis actibus suo tempore in lucem edamus, quod nulla anima præstat, nisi in spiritu sit Maria; sit Virgo, sit desponsata Ioseph, sit in seipsam collecta atque solitaria, ad laudes proprias perturbetur, & probet spiritus an ex Deo sint, postremò, sit obediens, & magno animo desideret effici mater Christi. 1. Ioan.4.

Omnis anima fidelis qualis sit Maria Christi mater.

Est autem quælibet anima Maria, quæ propter peccatum admissum contrita est, doloreq; & amaritudine per pœnitentiam & affecta, & confecta. Sit, inquā, Virgo puritate fidei, qua dæmoni impura, & carnalia, vel falsa, & hæretica suggerenti non assentiatur. Desponsata censetur Ioseph (qui interpretatur, augmentum) cùm anima ad interiora progreditur esuriendo, & sitiendo iustitiam. Sit etiam clausa in cubiculo, oratione, & puritatis intentione, fugaq; loquacitatis, atq; illud vnum quærens, de quo Christus dixit: *Porrò vnum est necessarium,* scilicet vnio animæ cum Christo per charitatem, ita vt vnus spiritus sit cum eo. Luc.10.

Debet etiam ex humilitate ad proprias laudes formidare: quia eò dignior inuenietur, quò magis illis se indignam putauerit. Debet probare spiritus, num ex Deo sint: atque à promissis, pactisque cum Deo quamcunque ob causam etiam gloriæ Dei illustrandæ, & salutis animæ propriæ, vel alienæ speciem præ se ferentem, nō recedere. Sit denique obediens, & in obedientia fortis ac strenuus, vt sit filius Abrahæ, qui proprio filio suo propter Deū non pepercit: efficiamurque aptæ ac dignæ matres eius, qui factus est: *Obediens vsq; ad mortem, mortem autem Crucis.* Præstante eodem Domino nostro Iesu Christo, cui cum Patre & Spiritu sancto ab omni creatura impendatur omnis honos, gloria, & imperium in sempiterna secula.
Amen.

Gen.12. Philip.2.

TRA-

TRACTATVS X.

Luc. 1.

In illa verba: *Exurgens autem Maria in diebus illis abyt in montana cum festinatione in ciuitatem Iuda: & intrauit in domum Zachariæ, & salutauit Elisabeth, &c.*

Euangelicæ omnis historiæ maiestas.

OMnis Euangelica historia plena est miraculorum, ac eius maiestatis, quæ rapere in admirationem omne hominum genus meritò debeat: nam maxima & ingentia sunt beneficia, quæ Deus Optimus Maximus beneficio incarnationis, mundo exhibuit, ac patefecit: sed & hæc, quæ consequuntur, in Virginis visitatione illius haud sunt dissimilia, vt videbimus. Quoniam autem vnica & singularis fuit Virginis visitatio, nempè maximæ ad magnam, sanctissimæ ad sanctam, matris Domini ad matrem Præcursoris, proptereà est à nobis diligenter expendenda & meditanda, vt discamus tum visitare, tum ab alijs visitari cum fructu. Plerunque enim visitationes nostræ, & quas ipsi facimus, & quas accipimus, vanæ, infructuosæ, interdum etiam periculosæ, ac perniciosæ existunt: siue sint virorũ ad viros, siue mulierũ ad mulieres, siue mulierũ ad viros, siue virorũ ad mulieres institutæ atque susceptæ. Dicẽdum igitur à nobis erit in primis de causis, propter quas hæc Virginis visitatio suscepta est. Deinde de circunstantijs eius: nam surgens in diebus illis, abijt cum festinatione in montana: & intrauit in domum Zachariæ. Postremò, de admirandis, quæ in ipso ingressu & salutatiõe Virginis sunt gesta, mysterij: dicitur enim, in vtero infantem exultasse, & matrem infantis Spiritu sancto fuisse repletam, verbisque honorificis & excelsis ad Virginem exclamasse. Vt igitur à primo exordiamur, scribit Theophylact. *Valens vt prudentissima, maiore certitudine certior reddi, num vera dixisset, qui apparuerat ei, vt ex hoc nec de suo dubitaret, statim abijt ad cognatam. Prudens enim cùm esset, timebat ne fortè deciperetur: & non vt incredula, sed diligenter rem explorare volebat.* Hactenus ille parum constanter loquens, quia modò de dictis Angeli illam dubitantem facit, modò subdit illam non fuisse incredulã. Et paulò ante in illud: *Ecce ancilla Domini*, declarat, verba illa: *Quomodo fiet istud*, nõ fuisse incredulitatis, sed desiderij addiscendi modum. Nam si discredidisset, neutiquàm dixisset: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Hæc protulimus, vt hominis inconstãtiam videas. Parum etiam honorificè de sanctissima Deipara loquitur, cuius fides laudata fuit ab ipsamet Elisabetha. Et cùm illam iam Spiritus sanctus obumbrasset, in eaque Deus factus homo fuisset: iam supremo genere certitudinis erat illius mysterij conscia: quare nec timebat decipi, nec dubitabat vllo modo: nec vlla experiẽtia certior reddi valebat, cùm omnis experientia euidentiæ naturalis sit certitudo, quæ longè minor est quã certitudo Fidei: nam hæc verbo Dei nititur, vt illa sensuũ cognitioni. Ruit etiam sentẽtia Caluini in harmonia Euangelica, docentis nõ esse absurdum dicere, quæsitam à Maria fidei confirmationem fuisse ex miraculi conspectu, quod Angelus nõ frustrà illi proposuerat in medium. Sed certè non potest non esse absurdissimum dicere, Mariam nudo verbo Dei non fuisse contentam, sed aduentu suo ad cognatam quæsiuisse, vt accepti nuntij veritatem euentu ipso comprobaret. Neque hanc profectionem instituit, vt verbo Angeli obediret, vt docet Brẽtius: nihil enim tale illi ab Angelo fuit præceptum. Neque tertiò, vt tantùm prægnãti cognatæ inseruiret, vt docet Lutherus ser. de visitatione Virginis: quia ob talem seruiẽdi rationem tantum non decebat Virginem adire procul, & tanto tempore à domo sua abesse. Honorificentius autem quàm omnes isti loquitur B. Ambrosius, his verbis: *Nõ quasi incredula de oraculo, nec quasi incerta de nũcio, nec quasi dubitans de exemplo, sed quasi læta pro voto, religiosa pro officio, festina pro gaudio, in montana perrexit.* Sic ille.

Vera ergò causa visitandi fuit, tum vt congratularetur cognatæ de tanto bono, quod præter omnem expectationem in senectute à Deo acceperat: tum vt perficeret mysteria suo aduentu & salutatione, vt euentus ostendit, sanctificationi Ioannis cooperãdo, ad eum scilicet Spiritu sancto replendum, quẽadmodum Angelus futurum prædixerat, atq; ea ratione mater eius quoque repleretur. Tum vt ex miraculo Ioannis in vtero matris exilientis, & Elisabethæ prophetantis, & Zachariæ soluto linguæ vinculo Deum benedicentis fides virginis, eiusque gaudium, & in Deum deuotio excresceret, atque ita præsentia sua, & sanctis officijs, & verbis Elisabethæ ministraret. Tandem, cùm Dei filio grauida esset, vt de sua plenitudine cæteris impertiret: postquam enim mater Iesu facta est, cœpit quærere, non quæ sua sunt, sed nostram salutem. Non enim venit ipsa ministrari, sed ministrare cum filio: communis siquidem persona effecta, communem caussam agere cœpit, primitias maternæ affectionis in præcursore sanctificando ostendens. Tum vt do-

Marginal notes:

Huius tractationis ordo.

I. Ratio, cùm Maria visitauerit Elisabeth parum idonea.

Theophyl.

Idem Theoph.

Luc. 1.

Quid sit experientia.

Fides diuina cur certior sit quàm experientia.

Non debuisse Virginem Mariam ab Elisabetha supernaturalis eius conceptus confirmationem inquirere contra Caluinum.

II. Ratio Brentij item improbabilis, visitationis Mariæ.

III. Lutheri, quæ & ipsa reijcitur.

Ambros. lib. 2. in Lucam, cap. 6. initio. tom. 5. ferè in princ.

Aliæ veriores & solidiores rationes proferuntur visitationis iã dictæ.

I. Ratio.

Luc. 1.

II. Ratio.

Charitas virginis matris.

1. Cor. 13.

Matth. 20.

III. Ratio. vt doceat, eos, qui à Deo per Angelum, & Spiritum sanctum visitantur, ad alios inuisendos charitatis lege teneri: quemadmodum pastor, & Episcopos gregem suum visitare debet. Et hęc de primo.

Pastoris officium & Episcopi.

II. Virgo visitatura cur dicitur exurgēs. De secundo nunc disseramus. Expendēda sunt verba textus. Et primum quidem verbum: *Exurgens*, secundum aliquos, Hebræa locutio est, quæ tunc vsurpatur, cùm quid alicui est agendum: vt illud: *Surge propera amica mea: Surge Domine in requiem tuā: Exurge Domine, non confortetur homo: Qui consurgens* (scilicet Ioseph) *accepit puerum, & matrem eius nocte.* Sic B. Virgo surrexit, vt alijs ministraret, & de sua plenitudine effunderet: quemadmodum mater surgit, vt panem filijs suis porrigat, ne fame pereant.

Cant. 2. Psal. 131. Psal. 9. Matt. 2.

Alia ratio. Alij autem meditantur beatam Virginem maximis & altissimis in Filij Dei incarnatione cōtemplationibus fuisse suspensam, & ab illa quiete, & dulcedine ex officio charitatis ad sanctificādum Præcursorem surrexisse, atque profectionem instituisse, vt sic doceret, gustum contemplationis propter aliorum salutem sponte esse deserendum, & ad actionem prodeundum. Quanquàm, vt arbitror, tanta fuit perfectionis B. Virgo, vt in ea contemplatio actionem non excluderet: actio rursus contemplationem non impediret: atque ita Marthæ, & Marię officia eminentissimè in sanctissima Dei genitrice fuisse intelligamus.

Vitæ vtriusque, actiuæ scilicet & contemplatiuæ perfectio in Maria. Luc. 10.

Quot diebus ab annunciatione exurgēs Maria, visitauerit Elisabeth. Qui fuerint illi dies. Sequitur: *In diebus illis:* Nempè felicissimis, in quibus Verbum Dei æternum per conceptionem in vtero diebus, & tempore mensurari cœpit. Tres autem illos dies fuisse, à quibusdam creditum est. Primum quidem fuisse dicunt desponsationis cum Iosepho, nō in templo, sed in domo materna in Nazareth, quo multi Sacerdotes & cognati cōuenerant Mariæ, vt cuius illorum virga floreret, esset eius sponsus. Vnde post desponsationem venit Angelus Gabriel in Nazareth annūciaturus mysterium incarnationis. Confirmaturque hęc sententia; quia illud tempus incidit in proximū Pascha Iudæorum illo anno, vt vna Virgo opera perficeret & religionē visitandi templi, & pietatem inuisendi cognatam maximè cum domus Zachariæ parum distaret à Hierosolymis. Secundum fuisse putant diem aduentus Angeli conceptum annunciantis, & consequenter mysterij incarnationis in ædibus paternis peracti. Tertium verò visitationis. Atque ita omnes illi dies magnis mysterijs referti fuerunt. Ex antiquorum tamen historia constat, & multis magis probatur, in templo fuisse sponsam datam Virginem Iosepho, & deinde addu-

Luc. 1.

Quo anni tempore Maria visitauerit Elisabeth.

ctam Nazareth, 25. Martij læto Angeli suscepto nuntio cōcepisse, ac tandem. 26 aut 27. die eiusdem mensis ad inuisendam Elisabetham profectionē suscepisse: quo iam Pascha erat celebratum. Illi autem dies etsi actu transierint, permanent tamen, si attēdas ad fructum eorum, quę in illis gesta sunt: & tam grata esse nobis debet eorum recordatio, tamque fructuosa, ac si nunc præsentes essent, cernerenturque.

Illi dies adhuc quomodo permaneant.

Subdit: *Abijt in montana cum festinatione in ciuitatem Iuda: & intrauit in domum Zachariæ:* Non significat ciuitatem dictam montana, sed vt Græcè significātius dicitur, εἰς τὴν ὀρεινὴν, hoc est, in summitatem montium. Erat enim regio montosa prope Hierusalem: iuxta illud: *Montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi sui:* Et in illa regione montana, erat ciuitas, in qua natus est Ioannes. Domum Zachariæ non alibi fuisse, quàm Hierosolymis, docent recentiores, & ante eos, vt aiunt Augustinus, & Beda. Sed quia ciuitatis Iudæ nomine nō solet venire Hierusalem, idcirco certius est, aliam fuisse ciuitatulam in montosa parte Iuda sitam. Vnde superius, expleto ministerij sui tempore, sacerdos Zacharias dicitur reuersus mutus in domum suam. Ex quo non videtur fuisse Hierosolyma, sed locus extra eā.

Ciuitas Iudæ quænam illa fuerit, duplex opinio. Psal. 124. Augustinus. Beda in hæc verba, to. 5. Probabiliot opinio. Luc. 1.

Quanquàm mysterio nō vacet, quòd grauida Deo Virgo nonnisi ad superiora cum festinatione cōtenderet, vt Ambrosius meditatur, subiungens: *Discite & vos sanctæ mulieres sedulitatem, quam prægnantibus debeatis exhibere cognatis. Maria, quæ ante sola in intimis penetralibus versabatur, non à publico Virginitatis pudor, non à studio asperitas montium, non ab officio prolixitas itineris retardauit.*

Grauidę Deo Virginis Elisabeth inuisendæ mysterium. B. Ambr. lib. 2. in Lucam, cap. 6. to. 5.

Sic ille. Abijt autem, non sola, sed comitante eā Iosepho viro suo. Nam ob eam potissimùm caussam desponsata cum illo erat, vt ministerium & consolationem ab eo acciperet, & vt testem pudicitiæ, & puritatis haberet. Et denique, vt de Virginis imprægnatione, prole eue legitima homines ignari diuini mysterij, nihil sinistri cogitare possent, aut suspicari. Aderāt & innumerabiles Angeli, quibus præceptum erat, vt Domino suo, ac Conditori, Reginæq; Angelorum omniū inseruirent, secundum illud: *Angelis suis Deus mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis.* Nam si Tobiam iuniorem abeūtem, ac redeuntem, in profectione à patre suo imperata Raphael Angelus est comitatus: quanto ęquius erat tenerioris sexus puellam, & Matrem Messiæ effectam, in itinere, instinctu Spiritus sancti perficiendo, Angelos illam assectari, atque comites indiuiduos se eius præstare ministerio?

B. Virgo quibus comitata visitauerit Elisabeth. Matth. 1. Eiusdem Iosepho desponsationis caussæ. Psal. 90. Tob. 5. Scripturæ prudentia.

dam enim, vt nota per se, ponit Scriptura, ac proinde non narrat spõsum Iosephum, vel matrem Virginis Annam illi in hoc itinere adfuisse. Sequitur: *Cum festinatione.* Tradunt quidã ex reuelatione, iter sex dierum fuisse à Nazareth vsque ad ciuitatem Zachariæ, & vno die à B. Virgine: iuuantibus Angelis fuisse emensum, & propterea dictum fuisse, cum festinatione. Tradit etiam quidam recens scriptor à Nazareth ad domum Zachariæ esse viginti milliaria, intelligo milliaria germanica. Volebat etiam ea festinatione ostendere, quòd nõ grauaretur à Verbo, quin potiùs subleuaretur, gestareturque ab eo, quem gestabat. Hinc B. Bernardus in sermone: *Signum magnum apparuit in cælo*: hoc ponderans ait: *Iure etiam illud molestißimum tædium, quo reliquæ omnes grauidæ mulieres laborare nosćuntur, sola non sentit, quæ sola sine libidinosa voluptate concepit. Vnde & in ipso suæ conceptionis initio, quãdo potißimum cæteræ mulieres miserabilius affliguntur, Maria tota alacritate montana conscendit, vt Elisabeth ministraret. Sed & ascendit Bethleem imminente iam partu, portans pretiosißimum illud depositum, portans onus leue, portans à quo portabatur.* Hæc ille. Alij verò docent, festinationem hanc, indicium fuisse verecundiæ, quæ in publico videri erubesceret, nam pudor Virginitatis, pudicitiæque est custos tutissimus: vt cõtra, dux impudicitiæ est inuerecundia. Ideò cuidam dictum est: *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* Sanè mulieribus, si saperẽt, haud esset facili de causa ex penetralibus domus egrediendũ foras, nisi magna aliqua proximi iuuãdi charitas & pietas, vel diuini obsequij grauis vrgeret necessitas: & tunc quidẽ festinanter, & diligenti quoque adhibita oculis, atq; auribus custodia, atq; cũ magna cultus & ornatus moderatione, ac sobrietate. Quare de puellis Hebræis põposè & ambitiosè, lenteq; incedentibus cõqueritur Isaias dicẽs: *Pro eo, quod eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerũt extento collo, & nutibus oculorũ ibant, & plaudebant, & ambulabãt, & pedibus suis composito gradu incedebant, &c.* Dina quoq; filia Iacob, ex curiositate egressa ad videndum mulieres regionis Sichem, incidit in raptorem, & pudicitię violatorẽ. Cõsidera autem, prudẽs lector, huius profectionis pompã: Nullus hic apparatus vestium, nõ multitudo equorũ, rhedarũ, curruum, famulorũ, nullus mũdus muliebris, nulla vana ornamenta: verum pro comitibus, ac ministris Angelos habet, & matrem, & spõsum pro ornamẽtis, ac vestibus charitatem, humilitatem, prudentiã, verecundiam, atque diligentiam. *Discite Virgines* (inquit Ambrosius hoc verbum ponderãs) *non circumcursare per alienas ædes, non demorari in plateis, nõ aliquos in publico miscere sermones. Maria in domo sera, festinat in publico*, & paulò antè: *Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia.* Sic ille. Adhæc, festinabat vt ostẽderet opera charitatis promptè & alacriter esse facienda: nam qui citò dat, bis dat, &: *Ne dicas amico tuo vade, & reuertere, & cras dabo tibi, cùm statim possis dare.* Sanctificatio autẽ ab originali delicto magnũ erat opus charitatis, quod ad Christum spectabat potissimùm. Ex quo Origenes festinationem huiusmodi ad Christum refert in vtero delitescentem, ait enim homil. in Luc. 7. *Iesus verò, qui in vtero illius erat, festinabat adhuc in ventre matris positum Ioannem sanctificare.* Hæc ille. Fortassis alludens ad nomẽ suum. Voca, inquit Isaias, nomen eius, accelera, spolia detrahe, festina, prædari.

Quod verò dicitur, *Cũ festinatione*, Græcè habetur μετὰ σπουδῆς, hoc est, cum diligentia, studio, & sedulitate. Itaque noli cogitare festinationem aliquã vitiosam, vel turpem & parientem scandalum: sed grauem quandam, atq; ex virtute diligentiæ procedentem propè rationem, quæ etiã videntes mouere, ad bonum facilè posset. *Et intrauit in domũ Zachariæ.* Quæ erat in ciuitate Iuda, hoc est, ad tribum Iuda pertinẽte: nec enim ad alienas domos diuertebat B. Virgo, sed ad illã ipsam, quam quærebat, peruenit. Et intrans domum, implet eã odore vnguentorum suorum, & radijs solis illuminantis Christi aduentante Luna, seu muliere amicta sole. Quod si B. Virgo festinauit ire in domum Zachariæ, vt ab originali crimine sanctificaret pręcursorem, quantò magis ipsa à nobis inuocata, ad nos peccato mortifero emortuos, ac in spiritu viuos efficiendos, festina veniet, si peccatores sumus? vel ad nos Ioãne, id est, gratia Dei grauidos, vt per bona opera pariam' diligẽtius accedet, & appropinquabit, si iusti simus? Venit aũt non sine Anna, & Ioseph: quia ad animas sanctificãdas, misericordiã Dei sanctificatã in Anna, & esuriẽ, & sitim iustitię cũ omniũ augmẽto virtutũ in Iosepho repræsentatã, secũ adferre solet. *Et salutauit Elisabeth.* Salutare, aliud nõ est, quã salutem optare, cõmuniter loquendo. At si is, qui salutem optat, etiam illam dare possit, non tam erit salutem dicere, quam illam adferre, atque donare. Maria ergo salutans, salutem, quã secum adferebat, quæque per illam diffundere semetipsam volebat, obtulit, maximè cùm salutatio Virginis, potius Christi esset per illam loquentis, atque eius voce Ioannem sanctificantis, vt Theophyl. & Euthymius

Maria cur ascenderit in montana cum festinatione.

I. Ratio. & II. Ratio.

B. Bernardus. Virginis matris prærogatiua inter mulieres.

III. Ratio eius festinationis.

Hiere. 3.

Mulieribus egrediendum quando.

Isa. 3.

Gen. 34.

Virginis comitatus ab omni pompa, fastuque remotissimus.

F. Ambr. lib. 2. in Lucam, cap. 6. n. 5.

IV. Ratio festinationis Mariæ.

Prou. 3.

Orig. initio serm. 10. 1.

Isa. 8.

Qualis fuerit festinatio Mariæ tantummodo.

Mariæ introitus in domum Elisabeth quã felix.

Apoc. 12.

Maria ad nos vt maximè veniet sanctificandos.

Salutare quid sit.

Theophyl. in Lucam, Euthym. ibidem.

Quibus verbis Elisabetham Virgo salutauerit.
Luc. 24.
Ioan. 20.
Ibidem.
Isa. 40.
Apud Hebræos mos salutandi qualis.
Cur Elisabeth, non Zachariã salutauerit Virgo.

minus tradũt: quemadmodu vox Elisabethæ, atq; exclamatio, præcursoris vox erat iam de Domino testificantis. Et licet, quib' eã verbis salutauerit, ignoremus: verisimile tamen est ipsam dixisse: *Pax tibi*, Hebraicè, Schalom Lach: quomodo Christus salutare consueuerat. Quidam tamen referunt his verbis salutasse. *Pax tibi magni Prophetæ & vocis clamantis in deserto dignissima mater.* Et intrans domum, dixit: *Pax huic domui.* Verbum autem Græcum ἀσπάζεσθαι salutationem significat cum amplexu, & osculo: quæ de more gentis Hebrææ obseruabantur. Salutauit autem Elisabeth, non Zachariam, quoniã ætas, honestas, ac virginis pudor congressum virorum refugit, quò scilicet teneris puellis virorum vitandi colloquiorum præberet exemplum.

B. Ambr. lib. 2. in Lucam, cap. 6. to. 5.
Deiparæ Virginis humilitatis documẽtum insigne.

Deinde vt ponderat Ambrosius: *Venit propinqua ad proximam, iunior ad seniorem. Nec etiam venit, sed etiã prior salutauit. Decet enim, vt quantò castior Virgo, tantò humilior sit. Nouerat deferre senioribus: Sit magistra humilitatis, in qua est professio castitatis.* Hactenùs ille.

Præcursorem adhuc in vtero delitescentem, infantem cur potius quàm fœtum nominet B. Lucas.
Infans Ioannes Baptista cur in vtero matris exultauerit.
Ambr. cap. 7. iam dicto.
Maria & Elisabeth Christi, & Præcursoris infantiũ

Vltimo loco dicẽdum de mysterijs, quę acciderunt in illa salutatione, de quibus dicitur: *Et factũ est, vt audiuit salutationem Mariæ Elisabeth, exultauit infans in vtero eius.* Verbum, infans, Græcè dicitur, βρέφος id est, ἔμβρυον, hoc est, fœtus dum est in vtero. Et propriè dicitur βρέφος de partu recens edito, licet interdum hæ voces apud autores permutentur. Sed fortassis hoc loco Lucas rectè illa voce vsus est potiùs quàm altera ἔμβρυον, vt motum hunc lætitiæ insolitum, & puero iam nato magis conuenientem, quàm delitescenti in vtero insinuaret: Vnde & aptè noster interpres vertit infantem. Fuit enim ille motus nõ naturalis, sed ab Spiritu sancto profectus: quod oratio ipsa Elisabethę de Christi conceptu vaticinantis, cui non interfuerat, & quem aliunde cognoscere non potuerat, abundè testatur. Salutante ergo Maria, primò vox salutationis peruenit ad aures Elisabeth: quam infans in vterò audiens, primus impletus est Spirtu sancto, agnito Domino pręsenti, & eius matre. Præ gaudio autem exultauit, & in occursum eius exiliens gestiuit erumpere, vt Ecclesia canit, ad honorandum eum. Deinde Ioannes Spiritu sancto repletus repleuit & matrem, eiusque vocem ad exclamandum, & prophetandum aperuit. Atque hunc ordinem notauit Ambrosius his verbis. *Vide distinctionem singulorumq; verborum proprietatem. Vocem prior Elisabeth audiuit, sed Ioannes prior gratiam sensit. Illa naturæ ordine audiuit, iste exultauit ratione mysterij. Illa Mariæ, iste Domini sensit aduẽtum. Fœmina mulieris, & pignus amoris. Istæ gratiam loquuntur, illi intus operantur. pietatisq; mysterium maternũ adoriuntur profectibus, dupliciq; miraculo prophetant matres spiritu paruulorum. Exultauit infans, repleta mater est. Nõ prius mater est repleta quàm filius: sed cùm filius esset repletus Spiritu sancto, repleuit & matrem.* Idem annotat Origenes in Lucam, dicens: *Non est itaq; dubiũ, quin quæ tunc repleta est Spiritu sancto, propter Filium sit repleta. Neque enim mater primum Spiritum sanctum meruit, sed cùm Ioãnes adhuc clausus in vtero Sanctum Spiritum recepisset, tunc & illa post sanctificationem filij repleta est Spiritu sancto.* Sic ille.

propriæ functiones.
Orig. hom. 7. in Lucam, initio.

Quo autem ista melius intelligãtur, tria dubia, vel quatuor nobis resoluenda sunt. Primum est, qua ratione semestris partus potuerit gaudere, & in vtero exultare: Secundum quomodo dici possit Ioannem Spiritu sancto repleuisse matrem suam: Tertium, quis finis sit huius exultationis, seu saltus: Quartum, quidnam ex hoc Ioãnis saltu Hæretici perniciosè colligant. Primum omnium velim animaduerti, quod cùm gaudium ex cognitione boni præsentis oriri soleat: Ioanni singulari Dei priuilegio acceleratus fuisse vsus liberi arbitrij videtur, quo primùm præsentem Dominum, & se visitantem, sanctificantemque, deinde eius matrem sanctissimam ipsum in vtero gestantẽ cognouit: quare non potuit ad Messiæ, & matris eius nõ gaudere & exultare præsentiam. Hãc autem doctrinã de accelerato liberi arbitrij vsu, tradũt Patres. In primis Origenes in Luc. sic habet: *Sãcta erat anima B. Ioannis, & adhuc in matris vtero clausa, ventura; in mundum, quasi per experientiæ sensum sciebat, quã Israel ignorabat. Vnde exiliuit, & non simpliciter exiliuit, sed in gaudio. Senserat enim venisse Dominum suum, antequàm de matris vtero procederet.* Idem docet Euthymius, dicens: *Christus quidem locutus est per os suæ matris, Ioannes autem audiuit per aures suæ matris: & agnito supernaturaliter Domino suo, exultatione illum prædicauit: infans enim, qui in vtero ferebatur Virginis, propheticæ statim gratia donauit infantem, qui in vtero gestabatur sterilis.* Idem quoque docet Chrysostomus in hæc verba, quemadmodum in Diuino legitur officio: *Cùm ad nos aduenisset*, inquit, *sicut modò audiuistis, redemptor nostri generis, venit protinus ad suum amicum Ioannem, dum adhuc esset in vtero. Quem cùm ex matrice in matrice aspexisset Ioannes, terminos naturæ concutiens exclamat: Video Dominum, qui naturæ imposuit terminos, & non expecto tempus nascendi: nouem enim mẽsium tempus in vtero non est mihi necessarium, &c.* Lege quę sequuntur. Cyrillus Hierosolymitanus testa-

Qua ratione semestris partus potuerit gaudere, & in vtero exultare.
Gaudium vnde oriatur.
Ioanni adhuc in vtero matris existenti acceleratum liberi arbitrij vsum.
Orig. supradicto loco.
Euthym. in Lucam, c. 1.
Chrysost. in serm. quodam de visita.
Cyril. Hierosol. catech. 3.

testatur, Ioannem in vtero exultantem, Dominū agnouisse in spiritu. Theophylactus: *Vox*, inquit, *Virginis, vox erat incarnati in illa Dei. Et idcircò etiam præcursorem in vtero gratia prosecutus est, & Prophetam fecit. Quæcunq; enim dixit Elisabeth prophetice ad Mariam, non verba fuerunt Elisabeth, sed infantis: os autem Elisabeth tantùm ministrauit, sicut & os Mariæ ministrauit Filio Dei, qui in vtero eius erat.* Hæc ille, qui paullò ante dixerat, propter hanc exultationem in vtero matris, maiorem esse Ioannem cunctis Prophetis. *Nam alij quidem* (inquit) *prædixerunt futura, post quàm nati sunt, ille autem, cùm adhuc esset in vtero matris, gratiam talē assecutus fuit.* Idem quoque tradit Ambrosius in Lucam super illa verba: *Et tu Propheta Altißimi vocaberis*, ait enim: *Sed fortasse aliqui quasi irrationabilem mentis excessum putent, quòd octo dierum alloquitur infantem. Verùm si teneamus, intelligimus profectò, quòd potuit vocem patris natus audire, qui Mariæ salutationem antequàm nasceretur, audiuit. Sciebat Propheta alias esse aures Prophetæ, quæ Spiritu Dei, non corporis ætate reserantur: Habebat intelligendi sensum, exultandi habebat affectum.* Hactenus ille. Verùm latius & copiosius nemo quàm Augustinus, qui Epistola ad Dardanum primò ponderat non dixisse Euangelistam: Credidit infans in vtero eius, sed: *Exultauit*: Neque ipsa mater dixit: exultauit in fide infans in vtero meo, sed, *Exultauit in gaudio*: *Videmus aūt*, inquit: *Exultationem non solùm paruulorum, sed etiam pecorum, non vtique de aliqua fide, vel religione, vel quacunque rationali cognitione venientem. Sed hæc planè inusitata, & noua extitit, quia in vtero, & ad eius aduentum, quæ hominum Saluatorem fuerat paritura. Ideò mira, ideò in magnis signis deputanda. Ideò hæc exultatio, & tanquam matri Domini reddita resultatione, sicut solent miracula fieri, facta est diuinitùs in infante, non humanitùs ab infante. Et subdit: Quanquàm etiamsi vsque adeò est in illo puero acceleratus vsus rationis & voluntatis; vt intra viscera materna iam posset agnoscere, credere, consentire, quod in alijs paruulis ætas expectatur vt possint, etiam in hoc miraculis habendum diuinæ potentiæ, non ad humana trahendum est exemplar naturæ. Nam quando Deus voluit, etiam iumentum mutum rationabiliter est locutum: Nec ideò sunt admoniti homines in deliberationibus suis etiam asinina expectare consilia. Quocircà nec quod factum est in Ioanne contemno, nec inde regulam quid sentiendum sit de paruulis, figo. Imò id in illo propterea mirabiliter prædico: quia in alijs non inuenio. Habet quidem aliquid simile etiam illa Rebeccæ in vtero lucta geminorum. Verùm & hoc vsq; adeò prodigiū fuit, vt diuinum propterea mulier oraculum quæreret, & audiret duobus illis infantulis duos populos fuisse figuratos. Scire autem diuina paruulos, qui nec humana adhuc nouerint, si verbis vel. mus ostendere, vereor ne ipsis sensibus nostris facere videamur iniuriam, quando id loquendo suademus, vbi omnes vires, officiumq; sermone facillimè superat euidentiam veritatis.* Et infrà: *Dicimus ergo in baptizatis paruulis, quamuis id nesciant, habitare Spiritum sanctum. Sic enim eum nesciunt quamuis sit in eis, quemadmodum nesciunt, & mentem suam, cuius in eis ratio, qua vti nondum possunt, velut quædam scintilla sopita est, excitanda ætatis accessu.* Hactenus ille, doctissimè probans in pueris etiam baptizatis non esse vllum sensum cognitionis vel liberi arbitrij, in præcursore verò fuisse acceleratum vsum liberi arbitrij: quod ad diuinæ potentię miracula referendum est, quemadmodum asinæ Balaam rationabilē loquelam adscribit. Nam si venti, & mare sensu carentia Domini voci obediebāt, ita vt mirentur qui erant in naui: Quid igitur mirum, Ioannem cùm esset rationis capax suo tempore exercendæ, Dei gratia, & priuilegio anticipatū rationis vsum, vt Christum, & matrem eius agnosceret, à Deo accepisse? vt verè posset dicere quod de eo legit Ecclesia: *Formans me ex vtero seruum sibi.* Et in Hymno cantant:

Ventris obstruso recubans cubili
Senseras Regem thalamo manentem.

Et in alio Hymno Natalis Domini:

Enixa est puerpera
Quem Gabriel prædixerat:
Quem matris aluo gestiens,
Clausus Ioannes senserat.

Vt enim Virga Aaron arida, vna nocte folia, & flores, & fructus sine humore protulit, non naturali virtute, at diuina, & prorsus prodigiosa: (Nam si hoc communi naturæ cursu, ac ordine efficiendum fuisset, multis tum diebus, tum mēsibus, & fortassis etiam annis opus fuisset:) Sic Ioānes, qui aliquot post annos ad vsum rationis suopte natura peruenturus erat plusquam naturali pręuentus virtute, statim exercitium liberæ voluntatis habuit. Et licet B. Augustinus proponat alterū modum priorem, quo Ioānes miraculo edere saltem potuit: tamen posterior modus de accelerata quātum ad vsum ratione, magis est verbis textus cōsonus, qui exultasse in gaudio (quod nonnisi ex cognitione prouenire solet) tradit infantē. Magis etiā est dictis Patrū conueniens, est item magnificētius, & excelsius miraculū, ac propterea Christū incarnatū magis exaltat, & demonstrat. Postremò videtur ab Augustino ipso modus hic magis probatus, cū posteriori loco quasi vltimus propo-

Margin notes (left): *inter medium & initium.* — *Theophyl. in Lucam. c. 1.* — Vnde maior omnibus prophetis Ioannes baptista. — *B. Ambr. lib. 2. in Lucam, cap. 12.* — *August. epist. 57. circa med. to. 2.* — Præcursoris Ioannis exultatio qualis in vtero. — *Num. 22. & 2. Pet. 2.* — *Gen. 25.*

Margin notes (right): Acceleratio liberi arbitrij Præcursoris, cui tantum vitrum sit adscribenda. — *Num. 22. & 2. Pet. 2. Matth. 8. Infra 14.* — *Isa. 49.* — *Num. 17.* — De duobus exultandi modis Præcursoris in vtero quis alteri præferendus videatur.

proponatur. Quod si aliter Augustinus decernere voluit, & cognitionis, & liberi arbitrij vsum in Ioanne negare, vt quidã putant, non tamẽ propterea tenenda esset illa sententia, cum altera & pietatem, & Ecclesiæ sensum, & doctores non paucos habeat. Quẽadmodum nec videtur sequendus Augustinus in eo quod eodẽ loco sanctificationẽ Ioannis in dubium reuocat, contra cõmunem aliorum Patrum sententiam.

Luc. 1. Hiere. 1.

Hæc autem acceleratio dupliciter cõtingere potuit. Primo quidẽ vel corporis mẽbris, & organis ad exercendam rationẽ dispositis, ac consummatis, vt in grãdiusculis pueris solet cõtingere: anima siquidem ceu artifex quidam est: sed vt scriptor, & faber sine instrumentis accõmodatis efficere nihil potest: ita anima est vt tabula rasa, in qua nihil est depictum, vt testatur Philosophus, nisi corporea sensuũ organa ad vsum rationis habeat accommodata. Secũdo verò modo speciebus diuinitus infusis in anima, quæ instrumentis corporis non egent, sicut Angeli, & anima separata: nã pro hoc statu necesse est intelligentem phantasmata speculari. Atq; hic modus Prophetis & angelis magis familiaris videtur in Ioanne obseruatus, vt opus non sit fingere organa sensuum perfecta, & consummata. Atque hæc sententia verbis Ambrosij magis est cõsona, ita dicentis: *Sciebat Propheta alias esse aures Propheta: quæ spiritu Dei non corporis atate reserantur.* Et hæc de primo dubio.

Vsus liberi arbitrij accelerartio dupliciter contingit.

1. Modus.

Arist. lib. 2. de anima, to. 2.

Alter modus.

Idem.

Ambros. iam citato.

Circa secundum ab Origine, Ambrosioq; asseritur, Ioannem gratia repletum matrẽ quoq; repleuisse: quod bene, & prudenter est intelligendum. Non enim authoritate, aut potestate sua Ioannes cõtulit illi Spiritum sanctũ, cùm hoc soli Deo sit propriũ: Neq; rursus tanquàm minister, vt Apostoli manuum impositione, & Sacerdotes in Sacramentorum administratione solent cõferre Spiritum sanctum. Superest ergo, vt quemadmodum nonnulli dicunt, vel per modum causæ merendi instrumentalis id fecerit, quod in seipso per gratiam fuerit acceleratus vsus liberi arbitrij, quo id promereri posset, & ita impleatur verbũ Euangelistę, qui ait: *Hic venit in testimonium, vt omnes crederent per illum*, etiam mater, & pater eius, quod enim dixit: *Omnes*, tã ad iustos, quàm ad peccatores extenditur. Vel quod p modum occasionis matrẽ suã, Spiritu sancto repleuerit, quoniã illa filij præter naturam exultationem in se persentiẽs, ex hoc in Deum mente effusa est, eiusque charitate dilatatum cor, factum est gratia capax amplioris. Dico autem amplioris quoniam ante conceptum Ioannis de san-

Origen. Ambros. Ibidem.

Quomodo verum sit, Ioannem Spiritu sancto matrẽ suam repleuisse.

Ioan. 1.

II. Solutio.

Quid. Elisabeth Spiritu sancto repleri, more scripturæ.

ctitate laudatur, iamque plena erat Spiritu sancto, dictum est enim: *Erant ambo iusti ante Deum*: nemo autem iustus esse ante Deũ potest sine Spiritu sancto. Mos autem sacrę Scripturæ est, vt hominem repleri Spiritu sancto asserat, cum gratia abundãtiori perfunditur. Ex his licet colligere, minimè esse solidam eorum doctrinam, qui aiunt ante conceptum Mariam, post cõceptum verò Elisabetham Spiritu sancto fuisse repletam: Nam vtraque ante conceptum repleta fuit, vt ostendimus.

Luc. 1.

Quando repleta fuerit Spiritu sancto Elisabeth.

Succedat iam tertij dubij explicatio. Tradunt nonnulli in amplexu Marię, & Elisabeth, Mariam in spiritu vidisse Ioãnem genuflexum coram Christo, & se mutuò oculis mentis respexisse, & Christum sedẽtem illi benedixisse, atq; ita sanctificasse, & Spiritu sancto repleuisse, ac præcursorẽ instituisse, eiq; nomen Ioannis indidisse, Ioannem verò lingua angelica Christo cãticum cecinisse, tuncq; tripudiasse, saltumq; exultationis edidisse. Atq; hæc quidem dum fierẽt, matres erant in mutuo amplexu, linguaq; prope modum angelica ad se inuicẽ loquebãtur. Elisabeth quidẽ Mariã interrogans, Maria verò illam de Angeli annũciatione, & Filij Dei cõceptione instruens: at illa Angelico more à matre Dei instructa, & edocta, prorupit exclamando in vocem magnã, vt testatur Euangeliũ. Aderãt istis mysterijs Ioseph, & Zacharias. Sed neque illi quæ fiebant, neque verba, quæ Angelica penè lingua loquebantur, inter se capiebant: quemadmodum in Pauli cõuersione dicitur: *Viri autem illi, qui comitabantur cum illo stabant stupefacti audientes quidem vocem, neminem autem videntes.* Hęc quidem nõ videntur vsquequaque aspernanda, vt pia tamen admittenda, cùm Euãgelio nulla in re repugnare videantur, deuotionem verò pietatemque promoueant.

Ioannes Baptista quomodo exultauerit in vtero matris secundùm aliquos.

Actor. 9.

Verum vt ad exultationem Ioannis redeamus, exultare, est extra saltare præ lętitia interna, & proprię est ratione viuentium. Et saltus hic gaudium Ioannis internũ ex pręsentia Christi profectũ secutus est, vt eum resultaret, & quo posset modo honoraret. Deinde ex repletione sancti Spiritus, quia repletus saltat, non secus ac Apostoli in die Pentecostes: vt enim illi pleni Spiritu exultabant, & proruperunt in verba: *Loquentes varijs linguis magnalia Dei*. Sic Ioannes repletus Spiritu sancto, exultauit præ gaudio, & in laudes Christi, & sanctissimæ Deiparæ per os matris suę prorupit. Tertiò secutus est hic saltus sanctificationem ab originali peccato, à quo se nouit Christi beneficio liberatum: quemadmo-

Exultare proprie quid.

II. Ratio cur Ioannes exultauit in vtero.

Act. 2.

III. Ratio.

dum claudus à Petro, & Ioanne Apostolo sanatus exultabat præ lætitia. Hinc dicitur: *& exiliens stetit, & ambulat, & intrauit cum illis in templum ambulans, & exiliens, & laudās Deum.* Quartò legitur de Dauide, quod præ deuotione, atque horum, vel similium fortè mysteriorum contemplatione corā arca Domini nudus saltauerit, ac tripudiauerit, fortassis in arca illa Testamenti cōsiderans in spiritu cum Propheta Dei esset, & quidem eximius veram arcam humanitatis Christi, siue sanctissimam dices Deiparam, quæ Christum per nouem mēses gestatura erat, & seruatura. Certè B. Ambros. ser. 80. in fine, per arcam apertè sanctissimā Christi matrem intelligendam esse scribit. Si ergo ille ad vmbratilem illam arcā, & significatam, in eo rē futurā respiciens, præ gaudio, & pietatis affectu continere se non potuit, quin tripudiaret & saltaret: rationi cōsonum valdè profectò est, cognito Christi aduentu, & præsente arca sanctificationis serio, & magno cū gaudio exultasse Ioannē. Adhæc benè gaudet, & saltat, qui præcurrit verū Isaac, & gaudiū magnum mundi annuntiaturus erat: officiumq; præcursionis à gaudio interno, saltuq; externo voluit inchoare: prosecutus est etiam cū gaudio: *Qui habet*, inquit, *Sponsam sponsus est, amicus autem sponsi, qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi.* Denique in gaudio cōpleuit ministerium suum, quia lætus pro Christo mortuus est: quemadmodum vox edita propter verbum repræsentandū deficit, & moritur pro exprimēdo verbo. Quia enim Ioannes futurus erat vox (est autē omnis vox, alicuius verbi vox, à quo formatur) ideò verbum æternum visu, & benedictione interna, & salutatione matris externa Ioannem vocem constituit. Quia etiam Ioannes futurus erat lucerna ardens, & lucens, opus fuit per Mariam Virginem adduci lucem Verbi, vt Ioannes tanquàm lucerna accenderetur, vt ita in se ipso arderet, & alijs luceret. Atq; ea ratione per hāc lucernā accensam drachma decima humani generis perdita inueniretur.

Act. 3. — IV. Ratio. — *2. Reg. 6.* Arca Domini, antequam Regius Psaltes nudus saltauit, quid mysticè. — *B. Ambr. to. 3.* — *Psalm. 131.* — V. Ratio. *Gen. 21.* — *Ioan. 3.* — VI. Ratio. — *Matth. 14.* — *Suprà 3. Isa. 40.* — *Ioan 5.* Ioannes lucerna quomodo fuerit accensa. — *Luc. 15.*

Circa quartum aduertendum seculi nostri hæreticos vehementer hic fuisse hallucinatos, ac duos perniciosos errores ex hoc exultantis Ioannis in vtero exemplo collegisse. Alter est, hoc iam in reliquis fidelium infantibus vsu venire, vt nescio quos cœlestes fidei motus & actus, & sentiant ipsi, & necdum nati, vel dum in Ecclesia baptizātur, motu rationis vtātur, & credant. Hinc Bullingerus in cap. 1. Lucæ: *Discimus infantes suos habere motus Spiritus sancti nobis incognitos.* Et Beza libro de re sacramentaria, suum confirmat dogma de infantum in vtero matris sanctificatione, exemplo Ioannis, secutus Caluinum suum præceptorem, qui in appendice ad Interim, & in Antidoto ad acta Concilij Tridentini idem prior docuit, sicut & Zuinglius contra Balthasarem in Elencho, & in 1. Corinth. 7. & Bucerus in cap. 3. Matthæi: qui contendunt, fidelium liberos in vteris maternis esse sanctos, & promissionis, & gratiæ filios: qui etiam sine baptismo sola Dei promissione Abrahæ facta; vel eiusdē prædestinatione seruentur. Sed hic vetus est Pelagij error, & Vincentij cuiusdam ab Augustino cōfutati in libris de Anima, & eius origine. Sed in primis in hanc perniciosam, & hæreticam sententiam facit, quod ex vnius exēplo, aut potius priuilegio communem fidei regulā faciunt, præsertim de paruulorū motibus, quos quales sint, prorsus ignorant. Et quomodo sine scriptura hoc audent asserere, qui ad omnia petūt apertas scripturas à nobis? Deinde hoc est velle æquare omnes alios infantes Ioanni Baptistæ: quare ergo in spiritu prophetico, & præcursione, & cæteris Ioānis prærogatiuis alios infantes illi non exæquant? Certè Augustinus loco ad Dardanum superiùs producto non audet æquare. Et Cyril. Hieros. Catechesi tertia ad illuminatos, hoc est, baptizatos ait, solus Ioannes in vtero existens exultat in gaudio, & oculis corporis nihil videns Spiritu Dominum cognouit. Tertiò, hæc doctrina derogat cōmunibus Christi legib. dixit. n. Dominus: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, nō potest intrare in Regnum Dei:* vt olim in circumcisus faciebat irritum fœdus Domini, etiāsi esset filius Abrahæ, vt est in Genesi: ita etiam quis si baptizari renuat, nec illi prodest Christianorum parentū esse filium. Vnde & Hieremias, & Ioannes in vtero sanctificati, circūcisi fuerūt, & Cornelius licet accepisset Spiritum sanctū, iubente Apostolorū principe Petro baptizatus est. Quartò, Baptismatis Sacramentum non esset necessariū, sed merè voluntariū, & falsum esset quod in symbolo canit Ecclesia: *Confiteor vnum baptisma in remissionem peccatorum*, si illorum expiatio aliunde haberi posset, & frustrà Apostoli de Baptizādis infantibus constituissent: quod tamen Clemens illos fecisse docet in libris Apostolicarum constitutionum, & Dionysius libro de cœlesti hierarchia, Origines in epistolā ad Romanos, Cyprianus in epistolis suis, Augustinus in libris de Genesi ad literam, & libr. de baptismo contra Donatistas. Adde præterea in hanc hæresim grauissimas Augustini sententias, epist. 90. ex

Recentiorum hæreticorum de infantum actu fidei ipsis ingenito, dogma peruersum. — *Bullingerus.* — *Beza.* — *Caluinus.* — *Zuinglius.* — *Bucerus.* — *Aug. lib. 3. c. 9. tom. 7.* In eos, qui paruulos in vteris maternis exemplo Ioannis Baptistæ aiunt sanctificari. — II. Argum. — *August. epist. 57. tom. 2.* — *Cyril. Hierosolymit.* — III. Argum. — *Ioan. 3.* — *Gen. 17.* — *Hiere. 1.* — *Luc. 1.* — *Ibidem.* — *Actor. 10.* — IV. Argum. — *Clemēs lib. 6 const. Apost. cap. 11.* — *Dionys. cap. vlt. de cæl. hierarch.* — *Orig. in cap. 6. epist. ad Rom. tom. 2.* — *Cypr. lib. 3. epist. 8.* — *Aug. lib. 10. de Gen. ad lit. c. 23. tom. 11. & lib. 4. de bapt. contr. Donat. tom. 3.*

Concl-

Idem.
V. Argum.
Idem tom. 7. Ioan. 10.
Idem epist. 25 ad Hieron. tom. 2.
Idem lib. 4. de baptis. contra Donatist. cap. 24. Gen. 21. Rom. 4.

Concilio Carthaginensi illos anathematizauerit, quicunque paruulos per Baptismum Christi à perditione liberari, & salutē percipere sempiternam inficiantur. Et lib. de peccat. merit. & remiss. *De omnibus Christi,* inquit, *quibus dat vitam aeternam, esse nō incipiunt paruuli: profectò si hoc non accipiunt, peribunt. Vitam enim aeternam quam suis dat omnibus, non habebunt.* Idem Epist. ad Hieronymum inquit: *Quisquis dixerit quòd in Christo viuificabuntur paruuli, qui sine Sacramenti perceptione de vita exeunt, hic profectò, & contra Apostolicam praedicationem venit, & totā condemnat Ecclesiam.* Idem libro de baptismo cōtra Donatistas: *Sicut in Isaac, qui octauo suae natiuitatis die circuncisus est, praecessit signaculum iustitiae fidei (id est, Sacramentum circuncisionis) & quoniam patris fidē imitatus est, secuta est in crescente ipsa iustitia, cuius signaculum in infante praecesserat; ita & in baptizatis infantibus praecedit regenerationis Sacramentum, etsi Christianam tenuerit pietatem, sequitur etiam in corde conuersio, cuius mysterium praecessit in corpore.* Sic magnus ille.

Filij fidelium iuxta Apostolum, quomodo sancti. 1. Cor. 7. Ephes. 2. Tertullian. Hieronymus Episcop. 1.

Nec obstat illud Pauli, qui in priori ad Corinthios, filios fideliū sanctos appellat. Non enim sibi contradicit, qui alibi ait: *Eramus natura filij irae.* Scilicet quamdiu non eramus abluti, & sanctificati. Tertullianus, sanctos intelligit, sanctitati destinatos; & Hieronymus ad Paulinū, Christianae fidei cādidatos, nullisque idolorū sordibus pollutos. Sancta etiam in Scripturis dicuntur illa quę nondū sentiunt, vt templum & vasa ministerij, & Hierusalem dicitur ciuitas sancta à B. Matthaeo. Et quicquid sit illa sanctificatio, vt Augustinus scribit lib. de peccat. mer. & remiss. nō valet ad Christianos faciendos, vel ad dimittēda peccata, nisi Christiana & Ecclesiastica institutione fiant fideles.

Matth. 4. & 24. Aug. lib. 3. de pec. mer. & remiss. tom. 6.

Infantes recens baptizatos actu fidem non habere, contra VVitembergens. Synod. VVitembergens.

¶ Alterū ex praedicta Ioannis exultatione errorē colligunt Haeretici. In actis siquidem Synodi Wittembergae celebratae Anno 1536. inter caetera definitum est. Etsi nos non intelligamus qualis sit Dei actio in infantibus; certū est in ijs nouos & sanctos motus effici (scilicet ad credendum, & diligendum) sicut & in Ioanne in vtero noui motus fiebāt. Et Kemnitius in examine Canonum Concilij Tridentini, paruulis dum baptizantur, assignat Spiritum sanctum, nō solùm regenerantem, & sanctificantem, sed operantem modo suo nobis inexplicabili intrinsecùs: & hanc spiritualem, & occultam actionem, fidem appellare pronunciat, & per illam paruulos credere. Brentius in Apologia Confess. Wittemberg. de Baptismo, Deum docet intueri, & agnoscere fidem infantium, qua eos pro sua clementia, & suo modo singulari ornat. Hi isti docent, ne videlicet infantes fide carentes salutem consequantur; & verum fiat receptum Theologorum dogma, in Baptismo conferri gratiam ex opere operato; & ne magistri sui Lutheri doctrinā inficientur, homines videlicet non Sacramentis, sed fide iustificari. Lutherus siquidem in Catechismo, & visitatione Saxonica contra Anabaptistas docet: *Praestat prorsus Baptismum omittere in paruulis, quàm baptizare sine fide, quia Sacramenta neq; possunt sine fide accipi.* Ex cuius verbis Balthasar Pacimontanus accepit Anabaptismum. Vnde Lutheri discipuli, vt Philippus in locis communib. & Brentius in praedicto libro, & Cythreus libro de Sacramento Baptismi, apertè fatētur, Baptismum non esse fundandum in accipientium fide, sed in Dei verbo & mādato, quo seuerissimè praecepit baptizari omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Ita illi. Quamquam Wolfgangus Musculus lib. de locis communibus de pędobaptismo loquens, refragetur, dicens: *Sunt nostra aetate, qui de fide infantium disputantes, & illos credere posse contendunt. Quam sententiam probare nō possumus, quemadmodum & supra loco de fidei arte, &c. meminimus.* Et infra: *Admodum inconsultè nostra quidem aetate scripserunt, si constaret infantes nō habere fidem in Christum, consulere se, vt ab illorum Baptismo prorsus, & quàm citissimè abstineamus. Quod genus scripti, multis crediderim erroris Anabaptistici occasionem obiecisse: quamuis qui haec scripserunt, ab anabaptismo fuerint alieni.* Sic ille, perstringens Lutherum, qui libro in Ioannem Cochleum scripsit, paruulos, cùm sint sine fide, per baptismum iustificari fortiter negamus: Quia asserimus paruulos prorsus non esse baptizandos, si verum est, eos in baptismo non credere. Quamuis Lutherus in ea sententia nō permanserit; qui lib. aduersus Catabaptistas docet; pueros etsi non credant, tamē baptizandos esse: praecipuam enim rem in baptismo fidem non esse, sed verbum, & mandatum Dei.

Kemnitius haereticus.
Brentius haereticus.
Balthassar Pacimontanus anabaptismū vnde acceperit.
Cythreus Lutheri discipulus.
Matth. 28.
VVolfgangus Musculus hereticus.
Lutherus de baptismo paruulorum, quid quondam senserit.
Idem.

Vera & orthodoxa doctrina de infantium baptizatorum fide, quae sit.

Porrò Catholica, & Orthodoxa doctrina tradit, habere quidem infantes habitum Fidei, qui infunditur coelitùs à Deo; non autem actum, qui ex auditu verbi pr¸edicati concipitur. Habent igitur habitū Fidei, qui in infantibus absque actu satis est ad salutē: habent denique & actum, non proprium, sed Ecclesiae pro eo credētis, vt docent Patres: inter quos Iustinus in responsione ad quaestionem ad Orthodoxos: *Hoc est,* inquit, *discrimen inter baptizatos, & non baptizatos, quòd illi bona per baptismum obuenientia consequuntur, hi verò non consequuntur. Dignis*

Iustin. qu. 56. tom. 3.

autem sunt baptismi commodu, fide eorum, qui illos ad baptismum offerunt. Hęc ille, cuius sententiam immeritò carpunt Centuriatores.

Cent.5.cap.4.

Ambr. in cap. 10. Epist. ad Hebr. tom.5.

Ambrosius in Epistolam ad Hebræos: *Baptisma, corporis mundatio non est, sed animi, si fides adest baptizatio. siue parentum (nempè si est paruulus) siue sui ipsius, si ad ætatem rationabilem peruenerit.*

Aug. libr 3. de liber. arbitr. cap.23. tom.1.

Augustinus præterea lib. de Libero arbitrio: *Piè, rectéq;*, ait, *creditur, prodesse paruulo eorum fidem, à quibus consecrandus offertur: & hoc Ecclesia commendat autoritas.*

Idem lib. 4. contr. Donat. c.24. tom. 7.

Bern. serm. 66 super Cantica.

Idem docet in libro contra Donatistas. Bernard serm. super Cantica: *Nemo mihi dicat, quia nō habet fidem, cui mater impertit suam inuoluens illi in Sacramento, quousq; idoneus fiat proprio non tantùm sensu, sed assensu euolutam, puramq; percipere. Nunquid breue pallium, vt non possit lumbos cooperire? Magna est Ecclesiæ fides. Nunquid minor fide Chananææ mulieris, quā constat & filiæ sufficere potuisse, & sibi? Ideò audiuit: O mulier, magna est fides tua; fiat tibi sicut petisti.*

Matth. 15.

Sic ille. Quòd verò paruuli actū Fidei proprium nō habeant, sicut nec vsum rationis, & ipsa docet experientia, & ratio.

Quod paruuli actum fidei proprium nō habeant.

Quia si crederent actu, possent posteà meminisse, & traditio Ecclesiæ oppositū semper docuit.

Greg. Nazian.

Gregorius Nazianzenus oratione in sanctū Lauacrum, eos neque quid sit gratia, quidúe pœna cognoscere, & nondum rationis compotes sanctificari, idque sine sensu sanctitatis affirmat.

B. Chrysost. homil. 1. in Epist. ad Heb. tom. 4.

Aug. epist. 57. qu. 2. tom. 2.

Rom. 10.

Chrysost. in Epistolam ad Hebræos, infantulū regium vsquequò in vtero materno est, nihil sentire, vel intelligere ostendit. August. ad Dardanū suprà productus, testatur eos credendi sensu nondū esse præditos, & corde proprio ad iustitiam nō posse credere, qui flendo & vagiendo ipsis mysticis verbis, & actionibus, quibus sanctificantur, reluctentur.

Prosper. lib. 1. de vocatione gentium, c.16 apud B. Ambr. tom. 2. initio.

Prosper lib. de vocatione gētium, eosdem asserit paruulos ante vllū intelligentiæ vsum, & ante liberum voluntatis arbitrium ad æternā beatitudinem regenerari.

Bern. epist. 77

Infantes per quam saluentur fidem tantummodò.

Hebr. 2.

Fidem à quibus Deus baptizandis exigeret.

Bernardus quoque Epistola ad Hugonem de S. Victore: *Sanè*, inquit, *infantes, quia hāc, prohibente ætate nō possunt habere fidem, hoc est, cordis ad Deum conuersionem, consequenter nec salutem, si absq; baptismi perceptione moriuntur. Non quod vel ipsi quando baptizantur, fide omninò careant, sine qua impossibile est vel ipsos placere Deo; sed saluantur & ipsi per fidem, non tamen suam, sed alienam. Dignum nempè est, & ad Dei spectat benignitatem, vt quibus fidem ætas denegat propriam, gratia prodesse concedat alienam.* Hæc ille sanctissimus Pater. Quod verò in Scripturis petat Deus fidem à baptizandis, vt apud Marcum, & in Actis: hoc est, quia agebant Apostoli cum viris adultis, non cum infantibus, à quibus id nō exigeret Deus, qui nouerat omninò ab eis pręstari nō posse.

Marc. vlt.

Actor. 2.

¶ Iam verò tēpus est, vt verba discutiamus. Dicitur Elisabetha repleta spiritu sancto ad salutationem Mariæ, siue Christi per matrem, quia Verbū portat secum spiritū loquētis, vt auarus, aut lasciuus, aut superbus, si loquitur, in verbis suis spiritum auaritiæ, vel luxuriæ, vel superbiæ profert: ita verbū Christi matris ore pronunciatum, Spiritum suum (qui Spiritus est sanctus) protulit, atque eo Elisabetham repleuit. Atque in ista matris repletione subintelligenda est, quæ per Angelū facta fuerat, promissio adimpleta, nempè: *Et Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ:* nam nisi ipse repletus Spiritu sancto, qua ratione matrem illo replere potuisset? Secundò, dicitur exclamasse voce magna: quia mater erat eius, qui de se ipso dicturus erat: *Ego vox clamantis in deserto.* Spiritus etiā sanctus efficit nō vocem exiguam, vel tenuem, sed magnam, nō tā mole corporis, quàm affectus, & deuotionis magnitudine. Nam, vt ait Dauid: *Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem*; cùm tamen infantes, si ad viros comparentur, magnam vocem edere minimè queant. Dona etiam, & prærogatiuæ B. Virginis magna voce indigent, vt explicari valeant: *Vnde loquente Iesu ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi: Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti.* Solent quoque attoniti & suspensi ad rem nouam, ac insolitā, præ admiratione exclamare: ad hunc modū Elisabetha de mysteriorum magnitudine attonita, vocem magnā edidit, dicens: *Benedicta tu inter mulieres.* A verbis Euangelicis auspicatur gratulationē suam Elisabeth, quasi Angelum audiuisset cum Virgine loquentem. Et ita cōfirmantur verba Angeli, vt in ore duorum, vel trium stet omne verbum. Verba quę Angelus illi dixerat in persona Ecclesiæ triumphantis, Elisabetha in persona militātis Ecclesiæ repetit; vt ita beatā illam dicant omnes generationes. Et dicitur singulariter benedicta: quia maledictionem legis in steriles, & datā Euæ, & in ea omnibus fœcundis maledictionē, nempè: *In dolore paries filios*, prorsus euasit: perfectionē etiam vtriusque Testamenti, id est, fœcunditatem Veteris, & virginitatem Noui, singulari priuilegio possedit. Sed illud maximum est, & omnia vincit, vt meritò dicatur benedicta, quòd illum eundē in filium habeat, quem Pater ab æterno progenuit, & per quē in omnes benedictio diffundenda erat.

Elisabeth cur repleta Spiritu sancto.

Spiritus Christi quis.

Cur dicatur exclamasse voce magna Elisabeth.

Ioan. 1.

Psalm. 8. & Matth. 21.

Luc. 11.

Deut. 19. & Matth. 18. & alibi.

Exod. 23. & Deut. 7.

Genes. 2.

B. Virgo cur dicatur benedicta.

Et quoniam benedictio fœcunditatem, & multiplicationē includit, cùm B. Virgo vnicum tantùm filium habuerit; quomo-

do be

Cùm B. Virgo vnum tantùm filium genuerit, quomodo benedicta inter mulieres dicitur, à quibus numero prolis exceditur.

do benedicta inter mulieres prædicatur, cùm aliæ numero prolis eam superent? Dicendum est; quòd etsi vnum filium naturalem genuerit, ille tamen talis ac tantus est, vt præstet omnibus hominibus, cùm Mesias sit Deus, & homo. Per illum etiam facta est mater omnium credentium. Si enim Abraham pater multarum gentium est constitutus, nõ per naturalem generationẽ (si enim id esset, vnius tantùm populi fuisset pater) sed quia fuit illi repromissum semen, in quo essent benedicendæ gentes: multò iustiùs B. Virgo, per quã semen repromissum esset, mater omnium fidelium dicenda erit, quæ ob id peperisse filium suum primogenitum dicitur, vt agnoscas illam plures alios filios habere, vt sit Christus primogenitus in multis fratribus. Vnde Alb. Magnus lib. de laudibus B. Virginis scribit: *Virgo mater est vnius hominis per generationem; omnium hominum mater per regenerationem; virginum verò per imitationem.* Hæc ille. Vnde autem istam benedictionem habuerit, subdit: *Et benedictus fructus ventris tui.* Vbi, &, causam reddit, vt notat Theophylactus. Et est sensus: Benedicta tu, quia benedictus fructus. Ita Angelus priùs vocauerat Virginem benedictam: & subiunxit causam: *Ecce concipies in vtero.* Et rectè, postquam vocauit illam benedictam, subdit: *Et benedictus fructus ventris tui:* quia nimirùm olim multæ piæ, sanctæq; fœminæ filios impios habuerunt, quemadmodũ Rebecca Esau. Rectè etiã ait: *Fructus ventris tui:* solius scilicet, non patris, nam illo caret. Quo verbo etiam iugulatur Eutychetis peruersus error, qui negabat Christum eiusdem esse naturæ cum Virgine, vel nobiscum. Sed conuincitur ex eo, quòd omnis fructus eiusdem est naturæ cum arbore cuius est fructus. Atque ille solus fructus ventris suo iure benedictus est, cæteri verò omnes maledicti, quia filij iræ, donec regenerentur. De hoc fructu ventris benedicto loquuntur Prophetæ; ait enim Psalmista: *Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eum; De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Et, *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Et ad Abraham dictũ est: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* Vt autẽ conuenienter ederetur hic fructus benedictus, quia terra nostra maledicta, spinas & tribulos germinabat, id est, peccatores; propterea in alio loco idem Propheta dixit: *Benedixisti Domine terram tuam, auertisti captiuitatem Iacob:* vt congruè ex benedicta benedictus prodiret ad benedicendum omnibus. Angelus autem cùm salutauit beatam Virginem, & dixit illi: *Benedicta inter mulieres,* nõ addidit: *Et benedictus fructus*

Rom. 4. & Gen. 17. & infra 22.

Maria Virgo ut sit mater omnium credentium.

Luc. 1.

Rom. 8.

Albert. Magn.

Quare benedictus fructus virginei ventris.

Theophyl. in Luca cap. 1.

Genes. 25.

Error Eutychetis eiusdẽ naturæ cum Virgine, vel nobiscum, Christum esse negantis, conuincitur.

Ephes. 2.

Psalm. 131.

Psalm. 117.

Gen. 22.

Suprà 3.

Psalm. 84.

ventris tui, quia nondum beata Virgo conceperat. Secus est tempore, quo hæc dixit Elisabetha: tunc enim conceptus erat hic fructus, nempè Christus benedictus. Sequitur: *Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* Nõ quasi ignara dicit hæc verba, quę maximè Spiritu sancto plena erat, quasi nesciat iuxta Dei voluntatẽ, matrem Domini venisse ad eum; verùm isto sensu loquitur: Quid boni feci? quæ opera, siue merita mea tãta sunt, vt mater Domini mei ad me veniat? quo iure, vel qua dignitate id factũ est mea? Meritum certè tuum est, vt ego ministratura tibi occurrerem, & tu venis ad me? Ego hominis mater sum, tu Dei: ego serui, tu Domini mei: ego Prophetam, tu Prophetarum Dominũ in vtero habes.

Hæc verba: Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me, quo animo fuerint prolata.

Cognouit autem Elisabetha, concepisse Mariam de Spiritu sancto, non ex intumescente vtero, cùm ante paucos dies concepisset, sed per Spiritum sanctũ eam cócepisse cognouit, & matrem Domini sui effectam. Neque dixit: Vt veniat filia Dauid, vel sponsa Ioseph ad me: nã prægnãtes mulieres à progenitorib' suis, vel à maritis solent commendari, nunquam à fœtu, quem nesciunt qualis futurus sit. Secùs Maria Mesiæ mater, quæ filium mundi conditorem, atque eius restauratorẽ editura erat in lucem. Et cum articulo dixit: ἡ μήτηρ τοῦ Κυρίου μου, id est, mater illius summi Domini, qui natura Deus, & homo est. Credibile enim est Elisabetham dixisse, Mater Iehouah, vel loco eius, Adonai, quod soli Deo in Scripturis tribuitur: Demari voce vtitur Syriacum Euangelium, id est, Domini mei. Ac proinde retunditur Nestorij, aliorumque Hæreticorum insania, confitentium illã matrem Christi, sed non matrem Dei.

Vnde Mariam cognouerit Elisabeth de Spiritu sancto concepisse.

Solius Christi matris priuilegium fuit scire quem paritura esset.

Deo, Iehouah, & Adonai Scripturæ nomen tantùm accõmodant. Mariam esse non tantum Christotocon, sed etiã Theotocon, contra Nestorianos.

Annotauit hîc Erasmus, non dixisse Elisabetham matrem Dei, sed, matrem Domini, quasi Christum Deum esse nõ cognosceret. Sed certè impium & cœcum hoc est: nam vel solùm hoc Euangelium, & hic stupor sanctæ fœminæ, qui fuit in Spiritu sancto, atque hæc mysteria à voce salutari profecta, os loquentium impia obstruere possunt. Alioqui si mater Dei nõ erat, non esset vnde miraretur de puella cognata visitante: & Christus Matth. 22. probat Mesiam, Deum, ex eo, quòd à Propheta dicatur Dominus, iuxta illud: *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.* Et matrem Domini vocat, quæ corã oculis hominũ mater adhuc nõ erat: nondum enim est mater nobis, quæ nondum peperit, propter metum abortiendi, vt ait Theophylactus. At Elisabeth nõ humanis oculis, verùm spiritualibus, atque propheticis intuebatur, in quorũ con-

Elisabetham Christum, & Dominum, & Deum cognouisse, contra Erasmum.

Vnde Christus Messiam Deum comprobauerit.

Psalm. 62.

Matth. 22.

Psalm. 109.

Mariam Elisabetha cur vocet Domini matrem, cum nondum peperisset.

Theophyl.

Iisdem fere verbis Elisabeth Domini matrē & Præcursor Christū honorifice cōpellarunt.

Matth. 3.

Cùm Elisabethæ, tum verò Mariæ virginis humilitas singularis nobis ad imitādum proposita.

Prouerb. 27.

conspectu vera erat Dei mater, quia perfectus erat cōceptus, & verus homo in vtero. Similem propè honorem Christo ad baptismum venienti exhibuit Ioannes iam vir maturus, cùm dixit: *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* Et in spiritu nunc per os matris dixit: *Ego ad te debeo venire, & tu venis ad me?* Et illa q̃ Maria (propriæ dignitatis, & Elisabethæ indignitatis oblita) vt verè humilis non cogitauerat, Elisabetha propriæ dignitatis, & tenuitatis memor, Mariæ matris Messiæ dissimulare non potuit dignitatē. Sic enim oportet à viris verè humilibus fieri, ait namque Sapiens: *Laudet te alienus, & non os tuum, extraneus, & non labia tua.* Hoc ergo verbum: *Et vnde hoc mihi, vt veniat, &c.* Nos in Eucharistia suscipienda vsurpare debemus, dicendo in spiritu ad Christum: & vnde hoc mihi vt veniat Dominus meus ad me? Subdit: *Et beata quæ credidisti: quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Domino.* Consultò omittimus verba intermedia, scilicet: *Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, &c.* Quia illa superiùs ponderata sunt.

Quanta beatæ Virginis verborum efficacia.

Ea lectio quorundam: Beata quæ credidit, improbatur.

Tantùm considera, ac perpende, quantæ virtutis sit beatæ Virginis sermo, & oratio, qui ceu instrumentum quoddam diuinitatis replet Spiritu sancto matrem cum fœtu suo. Confer Prophetiæ actum simul, & gaudium.

Caietanus.

Quantum ad literam verò, in his verbis, Caietanus, & alij mutant secundam personam in tertiam, dicendo: *Beata quæ credidit:* ex quo colligit, alias personas fuisse præsentes huic colloquio. Sed non intellexit Græcè non esse vllū verbum, sed tantùm πιστεύσασα, participium, nempè ἡ πιστεύσασα, quod ad vtramque personā secundam & tertiam referri potest, nempè quæ credidisti, vel quæ credidit, & propterea indignus erat noster interpres vlla reprehensione. Certè OEcolampadius nostram secutus est lectionē vt meliorem in Theophylacto. Et si verum amamus, præstantior interpretatio est, quæ habet, *credidisti,* in secunda persona: nam cætera præcedentia ad illā in secunda persona diriguntur, quemadmodū & sequentia: *Quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Domino.* Quare intermedia non nisi duriusculè in tertia proferuntur. Etsi non ignorem, B. Bernardum serm. de verbis Apocalypsis in tertia persona legisse, cùm ait: *Beatam esse dicit, quæ credidisset, &c.*

OEcolampad.

Illa lectio: Beata quæ credidisti, quare præstantior.

B. Bernard. procul à medio sermon.

Eadem verba nostri sæculi hæretici quā ineptè ad solā fidē referant.

Sarcer. in Luc. cap. 1.

Brent. hom. 7. in Lucam.

Circa sensum verò in primis considera, Hæreticos insulsè, & hæreticè hæc interpretari. Sarcerius enim in Lucam ait: *Cōmendat in Maria fidem, & excludit meritum.* Et Brentius: *Cōtingit Mariæ beatitudo per eandem rem, per quam & Abrahæ contigit, videlicet quia credidit: & per fidem beata est, & non per vlla opera. Quis ergo deneget Fidei deberi omnia?* Sed isti falsi interpretes ignorant, vel dissimulant Scripturæ morem, quæ, dum vnum dicit, aliud non excludit: fidem laudat, sed ita, vt pœnitentiæ, charitati, Sacramentis, & alijs pietatis operibus vim suam, ac laudem relinquat. Quare vim sacris literis inferunt qui illud solùm vrgent: *Iustus ex fide viuit;* cùm scriptum sit: *Iustus in iustitia sua quam operatus est, viuet; Qui facit iustitiam, iustus est, sicut & ille iustus est.* Et: *Beatus in facto suo* (id est, per factum suum) *erit.* Item: *Fides sine operibus mortua est.* Dicitur autē beatus, credens: quia fides inchoat iustitiam, & radix est & basis beatitudinis nostræ. Et Abraham non tantùm fide, sed etiam operibus magis iustificatus est, vt docet Iacobus Apostolus. Fuit autē Mariæ fides præstantior illa Zachariæ sacerdotis, qui ambigebat: vnde hoc sciam? vincit illā Moysis, & Aaron sacerdotis, & Gedeonis fortissimi principis, qui de diuinis promissis dubitarunt: at huius Virginis Deiparæ de maximis diuinis beneficijs accipiendis nō hæsitauit. Superat denique illam Abrahæ laudatā fidem. Credidit enim ille, sterilem anū parituram, hæc verò Virginē salua integritate fore matrem. Ille sibi fœtum ex se iam viro sene, hæc sibi futurum filium ex se nasciturum sine viro. Promisit illi purum hominem, hæc Deum & hominem in lucem edendum constituit. Ille visitato naturæ modo; hæc præter omnem naturæ vsum procreationem futuram non hæsitauit. Ille denique vt promissio sibi facta impleretur, credidit Deum etiam mortuum posse suscitare: hæc verò Deum nasci, & mori posse, vt oēs in eo promissiones legis perficerētur. Quare Maria nec miraculum quæsiuit, nec exemplum, nec vllā rationem, ideò: *Beata quæ credidisti.* In quæ verba Ambrosius: *Vides nō dubitasse Mariam, sed dubitasse; & ideò fructum fidei consecutam.* Falsò ergo dixit Erasmus: *Nunquam legimus in Scripturis Christum à Maria vel Ioseph adoratum in infantia, nec matri fuit perfectè reuelatum an esset Christus Deus, necne.* Sed quomodo hoc stare poterit, cùm audierit ab Angelo: *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei?* Et ab Elisabetha: *Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* Cùm autem hoc ab ipsa Virgine acceperit Elisabetha, quæ illi hunc credendi spiritum intermedia salutatione tradiderat: constat illam meliùs nouisse, & perfectiùs credidisse Deum esse verum quem conceperat. Et rursus: *Beata quæ credidisti:* quomodo igitur cum tanta laude stare poterat ignorantia tanta filij, quem

Confutatur illorū sententia scripturæ more loquendi.

Habac. 2.

Rom. 1. & alibi.

Ezech. 18.

1. Ioan. 3.

Iacob. 1.

Quid illud Iacobi: Credens beatus in facto suo erit.

Infrà 2.

Credens quare beatus.

Ibidem.

Mariæ fides cur illa Zachariæ Gedeonis fide præstantior.

Luc. 1.

Iudic. 6

Abrahæ [illegible] Mariæ V[illegible] nis fide quot partibus inferior.

Gen. 15.

Rom. 4.

Iacob. 2.

Gen. 17.

B. Amb. lib. 2. in Luc. cap. 8. circa med.

10. 5. in [illegible]

In dictū Erasmi Mariam & Ioseph nusquā legi Christum adorasse.

Luc. 1.

Ibidem.

Luc. 2.

nouerat adoratū ab Angelis? Poterat etiam Erasmus hoc legere in traditione Ecclesiæ, quæ habet: *Filium quem genuit, adorauit.* Et si Magi adorarunt eum prostrati, & de eo Anna, & Simeon tale ac tantum testimonium tulerunt, quid dubitaret eius mater? Quòd ergo alijs adorare datum est ex fide, id denegandum esset Virgini? Ambrosius lib. de Ioseph Patriarcha tradit, Christum adoratum à Maria & Ioseph, quoniam ambo verum Deum esse in illo corpusculo confitebantur. Et Augustinus sermone de Assumptione: *Non potuit nisi diuinitatis Christi esse credula, quæ se nouerat hunc nō virili semine, secundùm ordinem naturæ, sed diuino spiramine nunciante Archangelo cōcepisse, videns famulantium Angelorum et semper adesse frequentiam.* Hæc illi sanctiss. Patres.

Ecclesiæ traditio. Matth. 2. Luc. 2. B. Ambr. c. 2. propè fin. tom. 4. sub initiū. Aug. tom. 9 procul à med. serm. seu lib. 1. de Assumpt. post med.

Deinde considera, quòd B. Gregorius super Ezechielem annotauit, Prophetiam nō tantùm habere respectum ad futura, sed etiam ad præsentia, & præterita, si tamen illa ratione naturali nequeant inuestigari: atque ita Elisabetham spiritu Prophetico tactam, simul quæ præterierant, quæ præsentia erant, & quę futura cognouisse. Nam B. Mariam promissionib⁹ Angeli credidisse, de prędterito cognouerat: & matrem eam appellans, quę Redemptorem in vtero portaret, de præsenti intellexit: & cùm omnia ab Angelo prædicta perficienda fore prænunciaret, de futuro prophetauit.

B. Greg. hom. super Ezech. tom. 2. Prophetia tria tempora complectitur. In Elisabethæ vaticinio hanc triplicem Prophetiæ rationem cōnecti.

Tertiò, B. Virgo sola est, cuius fidei tribuitur beatitudo; vt eam cunctorū matrem viuentium, & velut alteram, & secundam Euam recognoscas. Fide enim viuimus; vt sic in Virgine omnis credens beatus intelligatur; quemadmodū in fide Abrahæ iustificatus. In Petro autem Christum confitente, omnis cōfitens Christum, beatus nominatur: *Beatus,* inquit, *es Simon Bar iona, quia caro, & sanguis, &c.* Petri siquidem, & omnium successorū cathedram eius moderantium, non tantùm est credere, sed ea etiam quæ fidei sunt, exteriùs pro omnibus confiteri; & quæ credere etiam fideles oporteat, illis explicatè tradere. Hæc fides est Virginis, qua duce, & magistra, & etiam adiutrice, omnis aliorum infirma fides perficitur, atque suppletur, vt admirandum sit Erasmum dubitasse, an mater Dei effecta, crediderit eum Deum fuisse, quę tamen mater Domini vocatur à cognata.

Mariam Virginem ob fidē cur beatā dicat Elisabetha. Gen. 3. Rom. 1. Habac. 2. Rom. 4. Matth. 16. Omnes Christum cōfitentes beati nominantur. Petri, & successorum eius fides quid requirat. Mira Erasmi stupiditas.

Fuit igitur, vt tradit Ioannes Gerson, hæc fides Virginis, & generalior circa plura obiecta fide accipienda, quę Prophetis sparsim communicata sunt. Fuit deinde clarior, & euidentior, quàm quæ fuerat Patriarchis, Prophetis, & Apostolis, imò etiam Angelis ipsis manifesta, & patefacta: quemadmodū quidam tradunt. Nam etsi natura B. Virg. Angelis inferior sit, gratia tamen, & gloria dignitate superior est. Tertiò fuit in fide constantior, ac firmior, quę nullo vnquam momēto nutauit, vel hęsitauit: & in Christi morte in qua omnes discipuli defecerunt, sola in fide Resurrectionis constantissima permansit. Postremò, ad impetranda Dei dona lōgè efficacior fuit illa fides Virginis: nā vt testatur Magnus Albert. ad verba illa, quæ magna fide protulit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum:* summus montium tulit se, & misit in mare amatum, id est, in Mariam per incarnationem, & per illam fidem insignem promeruit, vt omnia dona quę vellet, impetrare posset, ad applicandū fructū incarnationis filij Dei: quem admodum & ipsam incarnationē sua singulari fide & humilitate promeruerat. ¶ Dicitur autē beata in credendo, sicut alibi dixit Saluator: *Beati qui nō viderunt, & crediderunt:* propterea quod cognitio fidei inchoatio est quædā beatæ cognitionis futuræ in Patria. Ipsum quoque credere ex charitate meretur præmium beatitudinis cōsummatæ, & ad illū se habet non secus ac meritū ad ipsum pręmium. Est pręterea & alia ratione beata, quia mater Christi facta est electione voluntaria: quæ enim viro nupsit mulier, atque ex eo concepit, nō quem vult, id est, masculum aut fœminam, sanctū aut peccatorem, electū aut reprobum parit, sed quē Deus vult, B. autē Virgo, antequā pareret, aut cōciperet, nouit quam, aut qualem paritura esset, scilicet Messiam Deum & hominem, cuius non nisi per Angelum voluntariè expresso cōsensu, mater effecta est, quod nulli alteri fœminæ contigit. Quemadmodum Messias voluntariè matrem, ex qua nasceretur, elegit; quod nulli etiam alteri hominū contigit; verùm quisque sortitur matrem, quā Deus dedit. Qua in re B. Virginē imitari possumus, quia nō nisi electione voluntatéque matres Christi fieri possumus: nā scriptum est: *Quicunq; fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse meus frater, soror, & mater est.* Etsi enim secundum carnem vna sit mater Christi, B. Ambrosio teste; secundùm fidē tamē omnium fructus est Christus. Sed hanc nostram voluntatem præuenit ille, qui prior dilexit nos, & elegit in matres spirituales, dans nobis gratiam, vt illum fide concipiamus, charitate gestemus, operibus bonis pariamus, oratione lactemus, & prudentia ab Herode custodiamus. Atque ex his verbis accepit Augustinus, Virginem matrem feliciorem fuisse per fidem in mente, quàm eum secun-

Ioan. Gerson. B. Virginis fidei pręstantia, & excellentia pendet ex quatuor. B. Virgo qua ratione sit Angelis inferior. Matth. 26. Albert. Magn. super missus est, quæst. 38. Luc. 1. Maria in eo quod Angelo credidit, quātum apud Deum promeruerit secundum Albertū. Maria quia credidit, cur beata. Ioan. 20. Eius altera beatitudo. Maria Virgo sola per electionem mater effecta est. Luc. 1. Huius prærogatiuæ Virginis Matris, vt valeamus esse participes. Matth. 12. Ambr. lib. 2. in Lucam, cap. 7. tom. 5. 1. Ioan. 4. Matth. 2. August. lib. de Virgin. c. 4. tom. 6.

secundum carnem in mente concipiendo.

Quænã perficienda fuerint in B. Virgine promissa diuina.
Luc. 1.

Et subdit: *Perficientur.* Promissa scilicet à Deo per Angelum: nam vltra conceptum supererant alia, vt partus, & nominis IESV impositio, Magorum adoratio, regnũ eius in domo Iacob, &c. Sed & in nobis quoque perficientur promissa de prole bonorum operum, de salute nostra, & regno spirituali, si in fide constantes perstiterimus.

Hæretici recentiores festũ Visitationis Euangelio contentum abrogarunt infeliciter.

Lugendum porrò est, festum Visitationis in Euangelica historia contentum, ab Hæreticis fuisse abrogatum, etiamsi à suis errorũ magistris olim fuerit obseruatum, & homelijs honestatũ. Sed illis nihil, quod ad matris Dei venerationem, & inuocationem attinet, benè sapere potest, donec repudiata omni hæresi, gustum Dei verum recipiant.

Visitationes quæ malæ, ac perniciosæ à quibus cauendũ est nobis.

Sed vt finem tractationi imponamus, fugiendæ nobis sunt visitationes eæ, quibus sæpè peccato inuoluimur, vel otio; vt cum inopia negotij domestici tempus otiosè, & infructuosè transigimus; vel curiositate res nouas, præsertim leues, ac nullius momenti, nedum perniciosas indagandi, seu interdum communicandi disquirimus; vel denique quas facimus ostẽtatione scientiæ, aut pulchritudinis, aut vestium, atque diuitiarum, vel deniq; ob alium carnalem, seu minus honestum finem.

Christũ quomodo visitemus.

Visitemus autem Christum, & quidem sæpè (ne dicam semper) & diligenter, ac domi suæ, hoc est, in templo, in quo præsentem se exhibet in sacrificio Messiæ spectandum, vbi patulas aures præstat nostris precationibus, vel nobis per ministros proponit verbum Dei. Visitemus sanctos, memores eorum, quæ propter Christum gesserunt, vel sustinuerunt, vt eorum præclara exempla imitari possimus. Cœlestem visitemus patriam, ad eam præ desiderio suspirando, & operibus laborando, & præ amoris magnitudine pro ea assequenda decertando, vt illis succurramus, & consolationem tùm verbis, tùm factis præbeamus: & purgatorium, quod est expiandarum animarum quasi alterum hospitium, oratione & commiseratione, & sacrificio visitare nõ pigeat. Pupillos & viduas, atque in carcere positos non deseramus. Vt enim Iacobus dixit Apostolus: *Religio munda, & immaculata apud Deum, & Patrem, hæc est, visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum.* Cauendumque ne Christus nobis dicat: *Infirmus eram, & in carcere, & non visitastis me. Non te pigeat*, inquit Sapiens, *visitare infirmum: ex his enim in dilectione firmaberis.* Amicos verò viuentes frequenter oratione, & spiritu visitemus; quandoque verò, si opus fuerit, etiam corpore. Quamquam in hoc sæpè peccetur, à quibusdam quidem, qui felicitatem suam in eo sitam esse existimant, si sæpè à magnis visitentur, & ipsi nullos visitent; cùm tamen Maria maior dignitate, minorem Elisabetham visitauerit: Ab alijs verò, dum vitæ suæ magnam partem visitationibus nequaquã necessarijs, sed superfluis, curiosis, & interdum etiam perniciosis impendunt. Atque hac ratione fructuosè visitare, aut visitari nondum didicimus.

Quomodo sanctos.
Quo etiam modo patriam nostram cœlestem videre debeamus.
Purgatorium visitandum.
Viduæ & pupilli etiam à nobis inuisendi.
Iacob. 1.
Matth. 25.
Eccles. 7.
Amicos spiritu & corpore debemus inuisere.
In visitando, duo vitia declinanda, & fugienda sunt.

Episcopi gregem suum quomodo visitare debeant.

In primis autem Pastor, seu Episcopus discat visitare Elisabetham, hoc est, Ecclesiam suam, cuius filios verbo, exemplo, oratione, sacrificio, & pręsentia debet sanctificare. Nam ob id communibus Ecclesiæ stipendijs aluntur Episcopi, vt visitent gregem suum; ne Dominus iratus visitet pastores, & dicat: *Ecce ego ipse super pastores, requiram gregem meum de manu eorum*: Neque contenti sint habere vicarios per quos pascant: quia Maria mater Dei per se ipsam ibat ad visitandum: & residentia onus est personale vt plurimum: quemadmodum per se ipsum pastor edit, & bibit, & non per mediam aliam personam. Neque lentè & tardè ad visitãdum gregem accedat, quia Maria ibat cum festinatione. Neque causetur moras propter anni tempus, scilicet aut cœlum minus salubre, & noxium; quia Virginem matrem non impediuit vel grauitas ventris (si qua fuit) vel asperitas viæ, vel pudor virgineus. Neque rursùm gregem visitet, vel propter oues tondendas, seu deglubendas: sed propter animas à peccato sanctificandas, atque ab infernali lupo deuoratore liberandas: vt ita re, & nomine verum ac legitimum ouium suarũ præstet pastorem; præstante Domino nostro Iesu Christo; cui cum Patre, & Spiritu sancto ab omni creatura exhibeatur honos, gloria, & imperium in sæcula sæculorum, Amen.

Ezech. 34.
Quæ visitatio Episcopo cauenda, ac fugienda.

TRACTATVS XI.

In quo explicantur illa verba: *Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum. Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.*

Luc. 1.

CVM per alios diuino Spiritu afflatos, mysteria in se peracta, Virgo beata iam primùm detegi animaduerteret, quæ ipsa virginali pudore & modestia tegebat, & occultabat, quantum poterat; cumque sentiret se præ cunctis mulieribus benedictam, & benedictũ fructum ventris sui, & matrem Domini appellatam, prętereà virtutem salutationis suæ prædicatã, simul &

Beatissima Virgo quare cecinit: Magnificat anima mea Dominum.

fidem

fidem ipsius beatam eſſe dixeram: vlterius ferre ſe ipſam nō potuit, ne tam excellentibus Dei donis minus grata inueniretur, hymno gratulabundo ad diuinas laudes concinendas ſtatim prorupit, dicendo: *Magnificat anima mea Dominum.* Quaſi diceret (vt exponit Bernardus) *Tu magnificas matrem Domini: ſed magnificat anima mea Dominum. In voce mea perhibes filium exultaſſe in gaudio: ſed exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo: & ipſe quoq; tanquam amicus ſponſi gaudet ad vocem ſponſi. Beatam eſſe dicis quæ credidiſſet: ſed credulitas, & beatitudinis cauſa reſpectus eſt ſupernæ pietatis, vt ex hoc magis beatam me dicant omnes generationes, quia ancillam humilem, & exiguam reſpexit Deus. Ineffabili ſcilicet artificio Spiritus ſuperueniens, tantæ humilitati magnanimitas tanta in ſecretario virginei cordis acceſſit: vt quemadmodum de fœcunditate, & integritate prædiximus, hæ quoq; nihilominus ſunt ſtellæ ex reſpectu mutuo clariores; quòd videlicet nec humilitas tanta minuit magnanimitatem, nec magnanimitas tanta humilitatem. Sed cùm in ſua æſtimatione tam humilis eſſet, nihilominus & in promiſſionis credulitate magnanimis. Agit hoc nimirum in cordibus electorū gratia prærogatiua diuinæ, vt eos nec humilitas puſillanimes faciat, nec magnanimitas arrogantes. Magis autem cooperentur ſibi, vt non ſolum nulla ex magnanimitate ſubintret elatio: ſed hinc maximè promoueatur humilitas, vt inueniantur eò ampliùs timorati, & largitori munerum non ingrati: ac viciſſim ex occaſione humilitatis puſillanimitas nulla ſubrepat: ſed quò minus de ſua quiſq; vel in minimis præſumere conſueuit, eò amplius etiam in magnis quibuſq; de Diuina virtute confidat.* Hæc ille. Quæ ſi quis altius meditetur, inueniet profectò doctrinam ſolidam, & fructuoſam, atque omnibus ſeruis Dei neceſſariam.

Bern. in ſerm. ſignū magnū apparuit in cælo.

Ioan. 3.

Quid agat in cordibus electorum (vt Bernardus dixit) gratiæ prærogatiua Diuinæ.

Ex eo autem, quod Maria laudata, & commendata ab Eliſabetha in diuinas laudes erupit, egregiè inſtruimur, quid nos ab alijs laudati facere debeamus. In largitorē enim omnium bonorum Deum refundendū eſt, quicquid eſt in nobis laude, & commendatione dignum. Nam ſi in nobis ſiſtamus, bonaque virtutū officia nobis adſcribamus, ac veluti feramus accepta, de ipſiſque ſuperbè efferamur, fures ſumus & latrones, vſurpantes omninò quod Dei eſt. Formidandumque eſt nobis exemplum Agrippæ Regis, qui cum pro tribunali ad populum conciunaretur, illeque acclamaret, Dei voces, & non hominis: *confeſtim percuſſit eum Angelus Domini, eò quod non dediſſet honorem Deo & conſumptus à vermibus, exſpirauit.* Vt ergo per ingrati animi vitium dona Dei amittuntur; ita ex eo quod grato animo in Deum donatorem referuntur, conſeruantur, & perficiuntur: nam ad locum, vnde exeunt flumina, illuc & reuertuntur, vt iterum fluant.

Quid hoc Virginis Canticum nos doceat.

Actor. 12.

Diuina [illegible] beneficia [illegible] buentibus, quid eueniat.

Eccleſ. 1.

Ad huius Cantici explicationem, dicemus inprimis quid ſit Canticum, & quam ob cauſam introductum. Deinde cur hoc Canticum nouum, & decachordum appelletur. Poſtremò duos primos verſus explanabimus. Sit hoc primo loco conſtitutum, quod Canticum muſica quædam eſt, id eſt, cōſonantia diuerſarū vocum in vnam melodiam, ſiue harmoniam nullo inſtrumenti ſono, vel pulſu conſpirantium. Etſi enim ſingulæ per ſe voces gratum ſonum auribus reddant, mixtæ tamen, graues, acutæ, & mediæ, gratiores exiſtunt, ceu in coloribus cōtingit; mixti enim colores gratiùs ſpectātur: odores verò & ſapores admixti ſuauius percipiuntur. Erat autem in Scripturis conſuetum, vt illuſtres quædam mulieres poſt impetrata cœlitus aliqua beneficia, quædā ederent Cantica, & in ſpiritu canerent, in gratiarum actionem. Hinc Maria ſoror Moyſi prima pro liberatione populi, & per mare Rubrum miranda traductione Canticum cecinit. Delbora etiam poſt interfectū Siſaram pro parta de inimicis victoria, Cāticum edidit. Sic Anna Samuelis mater, quæ olim ſterilis, vbi exaudita à Deo fuit, & quē poſtulauerat Samuelem, obtinuit, & pulchro Cantico gratum animum ſuum erga Deum declarauit: quemadmodum & Iudith pro liberatione ciuitatis ab obſidione, & truncato capite Holofernis idē feciſſe legitur. Neque tantùm mulieres vſæ fuiſſe Canticis perhibentur, verùm etiā viri, vt Moyſes, Dauid nō ſemel, Salomon, Ezechias, Habacuc; & in Nouo Teſtamēto Zacharias Ioannis Baptiſtæ pater, vbi primùm illi vox reſtituta fuit: & Simeon ille ſenex grādeuus: Decuit ergo B. Mariam his à Deo tot tātiſque muneribus honeſtatam, quæ Angelorū etiam ſuperant dignitatem, non minorem grati animi præbere ſignificationem, præſertim hac oblata Eliſabethæ cognatæ opportunitate: nam ſermo opportunus eſt optimus, ait Salomon. Et quidem Veteris Teſtamenti Cantica pro beneficio aliquo temporali accepto canebantur: at in Nouo Teſtamento pro beneficijs ſpiritualibus canenda ſunt. Sed Cantica illa antiqua ita pro temporalibus beneficijs canebantur, vt in illis præfigurarentur ſpiritualia per Meſsiam conferenda dona. Atque ea ratione nobis in Eccleſia modò quandoque decantantur: nam vt Apoſtolus ait: Vmbram habebat lex futurorū bonorum, nō ipſam imaginem rerum. Canticum Vir-

Canticum quid ſit.

Quæ mulierum Cantica in Scripturis habeamus.

Exod. 15. & ſeq.

Iudic. 5. & ſeq.

1. Reg. 2. & ſeq.

Iudith vlt. & ſeq.

Sancti etiam viri qui ediderint Cantica.

Luc. 1.

Infra 2.

Canticum Mariæ Virginis, quam dignum ac debitum Deo.

Prouerb. 15.

Alia in Veteris alia in Noui Teſtamenti Canticis beneficia recoluntur.

Hebr. 10.

Quæ Cantica in Nouo Testamento, & cur illa perpetuo decantantur.

ginis verò, Zachariæ, & Simeonis, quod de Christo ad mundi salutem exhibito, deque remissione peccatorum, gratia, atque vita æterna, quę propter illum nobis conferuntur, sermonem faciunt, meritò quotidie in Ecclesia frequenti lectione, cantuque recoluntur, concelebranturque: Idcircò scilicet, vt nos de tantis, tamque singularibus beneficijs acceptis commonefaciant, & gratum animum nostrum erga Deum omnium bonorum auctorem testemur. Recitatum est hoc Canticum à beata Virgine stante: vnde & nos stantes illud recitamus. Sunt in singulis verbis sua pondera, & emphasis: dictio etiam sublimior, quæ phrasim superet quotidianam, & quæ abundat tropis suis, & figuris, & locutionibus. Hæc de primo.

Cãticum Virginis cur stantes dicamus.

Idem cur nouum sit.

Iam de secundo: Nonnullis placet, hoc Virginis Cãticum à Dauide fuisse prænunciatum his verbis: *Cantate Domino Canticum nouum: Cãtate Domino omnis terra*; & iterum, *Deus canticum nouum cantabo tibi: in psalterio decem chordarum psallam tibi*; item aliàs: *Confitemini Domino in cithara, in psalterio decem chordarum psallite illi*. Quia enim Dauid futura in Nouo Testamento in spiritu præuidebat, & Canticis nouis Deum honorandũ minimè ignorabat; propterea populum Christi adhortatur ad canendũ Canticum nouum, & ad psallendum in psalterio decachordo. Est enim Virginis Canticum inter omnia altißimum, ac supremum, quod illa prima in Nouo Instrumento cecinit, quemadmodũ Maria soror Moysi prima in Veteri Instrumento cecinerat, atque ob eam causam nouum dici potest. Deinde nouum dicitur ob autorem: insolens enim est & inauditum, ac planè nouum, fœminã virum circundantem, imò Deum, quẽ cœli capere non possunt, suo gremio continentem, edere Canticum. Ad hæc meritò nouum dici potest, & appellari, quia quæ in illo continentur mysteria, omninò noua, ineffabilia, & incomprehẽsibilia sunt. Deum namque fieri hominem, Verbum carnem factũ esse, omnium nouorũ, teste Damasceno, maximè nouum est. Est prætereà Christus mundi renouator, & naturæ humanæ restaurator, & vindex, quam à vetustate peccati ad nouitatem spiritus reduxit: ita vt dicat: *Ecce noua facio omnia*. Postremò rectè nouum dicitur, propter renouationem mentis, & dulcedinem spiritus, quam assequuntur ij, qui hoc Canticum deuotè celebrant, atque in templis cantant: quam quidem illis à Deo impetrare B. Virginem verisimile est: cuius beneficio fit vt incarnationis mysterium & nouum semper intellectui appareat, & nouo affectu degustetur.

Psalm. 95. *Psalm. 145.* *Psalm. 32.*

Virginei huius Cantici excellentia.

Exod. 15. & seq.

II. Ratio, cur nouum Virginis Canticum appelletur.

Hierem. 31. *3. Reg. 8.*

III Ratio.

Ioan. 1.

IV. Ratio.

B. Ioan. Damascen. lib. 3. de orthodox. fide, c. 1. sub finem.

Apoc. 21. & alibi paßim.

V. & vltima.

Rectè autem ad Vesperas frequentatur Virginis Canticum, nimirùm ad literam, quòd cùm B. Virgo sub vesperam perueniSSet ad Elisabetham, in salutatione, & primo quasi congressu Canticum protulit. A vesperis etiam incipit diuinum officium, iuxta illud: *A vespere vsq; ad vesperam celebrabitis Sabbatha vestra*. Et tribus mensibus ante cõditum est hoc Canticum, quàm alterum Zachariæ: *Benedictus Deus Israel*, quod meritò in laudibus canitur: quia tunc ortus Lucifer, id est, Ioannes præcursor solis iustitiæ Christi. Tertium verò canticum Simeonis ad Completorium, quoniam vltimo loco conditum: tum quia ibi pro dissolutione ac morte precatio continetur: deinde etiam mysterium incarnationis in nouißimis diebus & nouißimo tempore peractum fuit.

Mariæ Virginis Canticum vespertino tempore decantetur.

Leuit. 23.

Luc. 1.

Zachariæ Canticum in Laudibus, Simeonis verò ad Cõpletorium recitantur.

Secundo loco dicitur Decachordum. Primùm quidẽ ob decem versus quibus constat. Hic autẽ numerus vndique perfectus est, & congruit perfectißimo Mediatori, qui in eo canitur, & perfectißimæ Virgini, quæ illud, vt Verbi diuini organum, cecinit: & perfecto populo Noui Testamenti, à quo erat magna religione, cerimonia, cultuque frequentandum. Rursus decachordum, à decem Veteris Testamenti Canticis; quæ vt Noui istius figura præcesserunt, nomen accepit. Nam vt omnia sacrificia Testamenti Veteris illã vnicam, & singularem Christi victimam in Cruce, atque in Eucharistia repræsentabant: sic vetera omnia Cantica, & quæcunque in illis beneficia temporalia celebrabantur, hocce nouum virginis Canticum, & mysterium quod in eo est cõprehensum, delineabant, & adumbrabant. Sunt autem illa decem, primum Mariæ sororis Moysi, Exod. 15. secundum Moysi, Deuteron. 32. tertium Delboræ, Iudic. 5. quartum Annæ 1. Regum 2. quintum Dauidis 2. Regum 22. sextum Salomonis: cuius præcipuum Canticum illud est, quod Canticum canticorum appellari voluit sub metaphora Sponsi & Spõsæ, pastoris, & gregis: septimũ Iudith c. 16. octauum Ezechiæ Isai. 38. nonum Habacuc cap. 3. decimum trium puerorum Dan. 3.

Mariæ Canticum quare decachordum sit atque nominetur.

II. Ratio.

X. Cantica Veteris Testamenti.

Præterea appellatur Decachordum, ob decem præcipua Meßiæ mysteria, quæ sunt: * Incarnatio, Natiuitas, Adoratio Magorum, Præsentatio in templo, Baptismus, Ingressus in Hierusalem in die Palmarum, Mors, Resurrectio, Ascensio, Missio Spiritus sancti.

III. Ratio. Decem Meßiæ mysteria quænam sint.

Ioan. 1. *Luc. 2.* *Matth. 2.* *Luc. 2.* *Matth. 3. 21. 27. & 28.* *Actor. 1. & 2.*

¶ Denique decachordum iure appellatum est, eo quòd, qui seruat præcepta decalogi, maximè aptus, & idoneus ad hoc cantandum

V. Ratio.

tandum

tandem inuenitur: operibusque ipsis satis cantat, tametsi alioqui mutus sit, & elinguis: talisque magis Deo placet, quàm vocalissimus quisque in templo illud quotidie decantans, si tamê hic à voce instructus, diuinæ sit legis transgressor. Nouem quoque ordinibus Angelorum, qui nobis de bono nostro gratulantur, & naturæ humanæ, quę decimum ordinem complet, & decimam drachmam efficit, cõuenit huiuscemodi Canticum, ad Christi, & sanctißimæ Matris eius gloriam, & laudem dicere. Potest etiam hoc Canticum vocari virginale; quia à Virgine conditum; Encomiasticum, Epithalamium; & triumphale, vt illud Mariæ sororis Moysi post nouam victoriam de Pharaone, & eius exercitu partam. Hæc de secundo.

Quomodo hoc nouem Angelorum choris conuenire Canticum possit. Luc. 15.

Quale etiam hoc Canticum Mariæ merito videatur. Exod. 15. & seq.

Vt tertium absoluamus, considerandum est, B. Virginem rarò, & parce fuisse locutam, quantum ex Scripturis intelligere & cõiectare licet. Ad Angelum enim salutantem non nisi bis, & quidem breuiter respondit: Semel quidem, cùm dixit; *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* iterum, cum assensum præstitit, dicens: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbũ tuum.* Tertium autê Virginis verbum in Euangelijs contentum, & expressum (nam quibus verbis salutauerit Elisabetham, nõ constat) est hoc Canticum in laudem sanctißimæ Trinitatis fusiori sermone editum. Qua in re fœminas omnes, & maximè virgines de silentio seruando instruxit: quod si necessitas postulet atque vrgeat, parcè ac sobriè illis esse cum viris loquendum. Cæterùm quòd ad precationes, diuinasq; laudes pronunciandas attinet, licet ipsis vberiori & prolixiori sermone vti, quemadmodum ipsa fecit. Ait ergo: *Magnificat anima mea Dominum.* Obstrepunt hic Hæretici, dum Bullingerus in Lucam tradit, B. Virginem verum iustificandi modum exposuisse, nempè quod qui de viribus suis, & operibus desperant, & ad solius Dei misericordiam confugiunt, fideque Christo inseruntur, illi iustificantur. Proinde, addit Zuinglius, Monachos, Sacerdotes, & omnes iustitiarios, præsenti Mariæ Cantico damnari, ac reijci. Hi enim sunt diuites, & superbi mente cordis sui, qui vacui, & inanes dimittuntur. Caluinus verò in harmonia Euangelica Papistas, asserit peccare, qui magnificos titulos Mariæ adscribunt: quod sit Regina cœli, Stella maris, Salutis portus, vitæ por ta, vita, dulcedo, & spes nostra: hæc enim omnia B. Virgo vno verbo repudiat, dum totã suam gloriam in Dei beneficijs statuit, qui magnificè cum ipsa egerit. Sed profectò nihil tale excogitauit Deipara tractare hoc loco de iustificatione: nec locus, nec tempus erat de sola fide iustificante agere, quia potentes & diuites voce de præterito perstringit. Et vt Pelagianos confutari dicamus (præterito pro futuro accepto) non possunt tamê dogma de sola fide iustificante ex hoc loco constabilire; quia eiusmodi vanæ fidei iactatores confutat B. Virgo, dũ misericordiam promittit timentibus eum: non ait, credentibus, etsi Sarcerius bellus Scripturæ interpres exponat, timentibus eum, id est credentibus. Sed hoc quid est aliud, quàm deprauare voces, & erudire velle Spiritum sanctum, qui tamen scientiam habet vocis?

Maria Virgo taciturnitatis amica. Luc. 1.

Quoties fuerit locuta.

Cur hoc Canticum cecinerit.

Mulieribus, præsertim virginibus, quatenus loquendum sit Virginis exemplo.

Illud: Magnificat anima mea Dominũ, hæretici nouè qua violenter ad solã fidê trahunt. Bullingerus.

Zuinglius.

Caluinus hoc loco quid Catholicis imponat.

Erasmi Sarcerij inepta interpretatio. Sap. 1.

Falsum etiam est, quod de receptis titulis B. Virginis scribit Caluinus, quandoquidem B. Virgo Deo accepta fert omnia, & totam gloriam nõ in se ipsa, sed in Dei munere statuit: sicut etiam Christus, qui plenus erat gratiæ, & veritatis, omnem tamen gloriam, & honorem Patri suo adscripsit. Stultum etiam est dicere, Mariæ benefacta, & ingentia merita nõ tãti facienda, vt commemorentur, vel commendatione publica honorêtur; cùm tot locis Scriptura præclaras Sanctorum virtutes, & heroica facta ad eorum gloriam proponat. Quare vanæ, & falsæ sunt omnes istæ Hæreticorum commentationes. Sed nos explanationem Catholicam adferamus. Tria igitur sunt hic verba expendêda. Primum est, *Anima mea.* Est autem anima spiritus rationalis, & immortalis, à Deo creatus, & corpori humano infusus: cuius potißima sunt officia duo. Alterum est, corpus animare, hoc est, vegetandi, ac sentiendi vim illi tribuere; & eatenus dicitur anima: alterũ officium est intelligere, siue ratiocinari, & spiritualia, ac diuina apprehendere; & eatenus appellatur Spiritus. Sunt ergo in homine re ipsa duo tantùm, scilicet anima, & corpus. Sed anima duas in partes diuiditur, nempè in vim animandi, & intelligendi: atque ita tria sunt in homine, iuxta verbum Apostoli ad Thessalon. *Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia; vt integer spiritus vester, & anima, & corpus sine querela, in aduentu Domini nostri Iesu Christi seruetur.* Daniel quoque Propheta ait: *Benedicite spiritus & animæ iustorum Domino:* quibus verbis apertè docet, diuersa illa animæ rationalis munera: quemadmodum etiam Apostolus ad Hebr. 4. docet: *Viuus est*, inquit, *sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti; & pertingens vsque ad diuisionem animæ, ac spiritus.* Vbi vides, animum hominis diuidi in animam, & spiritum. Ita vt in homine tria numerentur,

Maria Virgo verè humilis vt Christus in Deum omnia referebat. Ioan. 2. Infra 7. & infrà sæpius.

Virginis merita, & sanctorũ cur perpetuo nobis recolenda, & honoranda.

Anima quid sit. Duo præstat.

Cur anima, & & vnde Spiritus dicatur.

1. Thessal. vlt.

Daniel. 3.

Hebr. 4.

Homines spirituales Paulo dicuntur.

1. Cor. 2.

Qui homines animales eid.

1. Cor. 2.
Qui verò carnales.

Infrà 3.

Homines carnales animalibus deteriores.

Quid sit Virgini dicere: Magnificat anima mea Dominum.

Virginis quã Deo debitæ gratiarum actiones.

Scriptura Deum laudantes, aut illi gratias agentes quales ferè semper inducat.
Psalm. 145.
Psalm. 102.

Isai. 29 & Matth. 5.
Animam cur suam vocet B. Virgo.

empè Corpus, Anima, & Spiritus. Ob eam causam reperies nó raró apud Paulum, hominum alios appellari spirituales, animales, alios, & alios carnales: *Vt spiritualis sit, qui omnia diiudicat, & ipse à nemine iudicatur*: cuius mens diuinis illustrata fulgoribus, omnibus sit superior. Animalis, qui ductum rationis sequatur, sed illis cœlestibus illustrationibus careat: quales ferè Philosophi, qui etsi multa acutè excogitauerint; nó tamen virtutem Spiritus assecuti sunt. Hinc illa Pauli vox: *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei.* Carnalis vero est, qui spreta ratione, affectus carnis sequitur: de huiusmodi Apostolus: *Cùm sit*, inquit, *inter vos zelus, & contentio, nonne carnales estis, & secundùm hominem ambulatis?* Sunt ergo carnales, inferiores quàm animales: nã illi ratione ducuntur, isti verò nihil aliud quàm terram, & carnem sapiunt. Quia ergo in corpore sanctißimæ genitricis, opus mirabile Incarnationis per Spiritum sanctum perfectum erat, & benedictum fructum protulerat; propterea meritò dixit: *Magnificat anima mea Dominum. Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.* Quasi diceret: Anima mea non erit sterilis erga Dominum, neque spiritus meus erit infœcundus, sed fructu suum spiritualem magnificandi Dominum, & exultandi in Deo salutari proferent: & tota Deo gratias ago, voce corporis canto, anima magnifico, spiritu in Deo salutari exulto. Nec tantùm pro me ipsa gratias agam, aut magnificabo Dominum, tametsi præcipuè in gloriam meam, & vtilitatem hoc beneficium cedat, sed & pro vniuersis hominibus & præsentibus, & absentibus, in quorum salutem hoc in me, & per me agitur. Deinde, si fructum huius operis aliquis participaturus est, profectò ad grati animi significationem debet sacrificium gratiarũ actionis Deo offerre: quantò magis ego debeo omnium prima eum laudibus efferre, ac extollere, qui tanta in me supra naturam operari dignatur?

Solet autem plerunque Scriptura eos qui Deum laudant, aut illi gratias agunt, inducere quasi inuitantes animam suam, & interiora sua ad diuinas laudas celebrandas, vt est illud: *Lauda anima mea Dominum: Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto eius:* vt veras laudes esse demonstret, quæ ex intimis cordis, animæque penetralibus proficiscuntur, ne de his dici contingat: *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorũ longè est à me.* Propterea prudéter à B. Virgine est dictum: *Magnificat anima mea Dominum.* Ait autem, *Anima mea*, id est, mihi à Deo cum omnibus donis quibus illustrata est dono data. Etsi enim tùm animæ, tùm dona ipsa Dei sint, quod ad gloriam attinet: si ad vsum tamen, & vtilitaté aspicias, nostra sunt. Mea etiam: ne putes vel summum gaudium, atque excellentia Dei dona, vel rursus aduersa & contraria, Virginem animæ suæ possessione spoliasse, sicut in nobis vsu venit: nam & prosperis rebus extollimur, & aduersis succumbimus: atque ita animam nostram verè non possidemus. Sed quemadmodũ B. Virgo aduersa sustinens, in patientia sua possedit animã suam: ita summis & excellentissimis Dei muneribus honestata, animam suam in gratiarum actione, Dominique exaltatione possedit. Mea tertiò anima, ne quisquam existimet satis esse ad salutem, si aliorum animæ iugibus Dei laudibus, & gratiarum actionibus incumbat. Est enim mdebitum cuiusque proprium, & personale, pro vniuersis Dei donis ac beneficijs, Deo ipsi agere gratias (si fieri posset) immortales, illumque omnium nostrorum auctorem bonorum perpetuò agnoscere. Et quemadmodum census pro domo, quam quis inhabitat, pendi solet, domus cuius est legitimo Domino: sic pro omnibus Dei Opt. Max. beneficijs, ad consum diuinæ laudis, & gratiarum actionis pendendum quiuis nostrum iure diuino & naturali tenetur.

II. Ratio.

Luc. 21.

III Ratio.

Quale debitũ agendi gratias Deo pro acceptis beneficijs.

Secundum verbum est, *Magnificat.* Aliter autem magnificat Deus hominem, aliter homo Deum, vt docet Augustinus sermone de Assumptione: Deus enim dum magnificat hominem, iuxta illud: *Quid est homo, quia magnificas eum?* hominé magnum facit: seu dum iustificat, vel sanctificat, vel glorificat hominé iustum, vel sanctum, vel gloriosum reddit: nã homo cùm peccator sit, & immundus, & inglorius; potest iustificationem siue iustitiam, sanctitatem, & gloriam, vel eorum incrementum suscipere. Deus verò cùm magnus, sanctus, iustus & gloriosus in se, & per se sit, neque in illis augeri vllo modo poßit, cùm bonorum nostrorum non egeat, ab hominibus aliter magnificari, & sanctificari dicitur: nempè Deum in se ipso magnum, ac infinitè sanctum & gloriosum corde cognoscendo, & credendo, deque eius tanta magnitudine, sanctitate, & gloria illi gratulando: talemque ore, atque factis prædicando alijs, atque celebrando: magnumque in operibus suis internis, nempe generationis, & spirationis productionisue, quæ immanentes actiones in sacra Theologia dicuntur: & in operibus item suis externis (quæ actiones transeuntes vocantur) quæ magna sunt, & infinitam redolent, atque arguunt.

Vt magnificet homine Deus.
Aug. serm. 2 de Assumpt. circa med. tom. 10.
Iob. 7.

Deus qua ratione magnificetur ab hominibus.
Psalm. 15.

Internæ quænam & externæ sint Dei actiones.

arguunt, potentiam, sapientiam, misericordiam, & iustitiam cæteris patefaciendo: vnde Propheta dixit: *Quàm magnificata sunt opera tua Domine, nimis profunda factæ sunt cogitationes tuæ.* Censentur enim opera Dei, mundi productio, eiusdem cōseruatio, gubernatioque, incarnatio, redemptio, resurrectio, & rationalis creaturæ ad gloriam euectio. Est autē Deum magnificare proprium opus diuinarū personarum, quæ sibi inuicem infinitum honorem impendunt: proprium etiam Angelorum, & beatorum, qui ad misericordias Dei in æternū decantandas electi sunt. Est & opus proprium iustorum, atque sanctorum virorum: *Non enim est speciosa laus in ore peccatoris: sed iustos, & rectos*, vt alio loco idem Psalmista ait, *decet collaudatio.* Nec enim rectè quisquam posset Deo benedicere, nisi prius esset à Deo benedictus: neque sanctificare, nisi prius sit sanctificatus: neque magnificare priusquā ab ipso fuerit magnificatus. Quare inter puras creaturas supremum locum magnificandi Deum obtinuit Mater Messiæ, cuius anima, excelsa atque magnifica Dei munera accepit: & ita magna facta est, & magnificare Deum iure potest. Namque excellentis sanctificationis genere præseruata ab omni fuit sorde peccati, quæ iam vsque à conceptione sua, per acceleratum liberi arbitrij vsum, Deum perfectissimè cognouit, ardenter amare, & gratias pro vniuersis beneficijs acceptis agere cœpit, ad quam posteà reuerenter salutandam missus est Angelus: in quam etiam Spiritus sanctus cum omni donorum suorum plenitudine descendit: tota denique Virginis vita ad magnificandum Deum semper spectauit; ita vt cum Dauidè dicere posset: *Laudabo nomen Dei cum cantico, & magnificabo eum in laude:* & iterum: *Magnificate Dominum mecum; & exaltemus nomen eius in id ipsum.* Et cum filio eius Salomone: *Exaltate eum quantum potestis; maior enim est omni laude.* Et cum Moyse: *Date magnificentiam Deo nostro, Dei perfecta sunt opera, &c.* Quod nulli hominum quadrat, cuius opera aliquid imperfectum admixtum habent. Ex quo Apelles pictor excellentissimus, humanæ imperfectionis cōscius, nihil afferebat à se esse perfectum, sed in omnibus operibus suis inscribebat: *Apelles faciebat.*

Psalm. 103. — Quorum proprium opus sit Deum magnificare. — *Psalm. 88.* — *Ecclesi. 15.* — *Psalm. 32.* — Maria Virgo quàm magnificè atque excellēter Deum magnificauerit. — *Psalm. 68.* — *Psalm. 33.* — *Eccl. 43.* — *Exod. 32.* — Quorsum illud Apelles faciebat.

¶ Tertium verbum est, *Dominum*: Non inquit, me, quę nihil sum ex me ipsa, nisi vilis ancilla, ac inutilis, sed, Dominum. Verisimile est Hebraicè dixisse Iehouah, vel Adonai, videlicet Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, vnum absolutè Dominum, & omni iure Dominum, nempè creatione, restauratione, emptione, bello, lite, atque donatione: & propterea Dominus est absolutè, qui etsi omnibus iuribus in omnibus dominetur; iustius tamen homini, cuius causa omnia cōdidit, conditaque sustentat, dominatur. Est autē hic Dominus magnus in se ipso: quia, *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis.* Magnus in sapientia, de qua exclamat Apostolus: *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei.* Magnus in potentia, *vno verbo creans cælum, & terram, & omnia quæ in eis sunt*, de qua dixit Moyses: *Dextera tua Domine, magnificata est in fortitudine: dextera manus tua Domine percussit inimicum.* Magnus in iustitia: *Quis nouit*, inquit, *potestatem iræ tuæ* (hoc est, iustitiæ vindicis) *& præ timore tuo iram tuam dinumerare?* Magnus in misericordia, de qua Propheta: *Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio.* Magnus denique in gloria, quia *Lucem habitat inaccessibilem; quem nullus hominum vidit, sed neq; videre potest.*

Quem Dominum velit magnificari virgo. — Deus quàm magnus Dominus. — *Psalm. 144.* — *Rom. 11.* — *Gen. 1.* — *Exod. 15.* — *Psalm. 89.* — *Psalm. 129.* — *1. Tim. 6. &* — *Ioan. 1.*

Magnificentia virtus est à Philosophis cognita; à sæculi huius Principibus pro illustri titulo habita. Tamē nulla est magnificentia maior, quàm Dominum sanctificare, diligere summè amabilem, timere verè terribilem, honorare omni sanctificatione & adoratione dignum, magna æstimando, vel parua, quæ ille magni, vel parui facit, præferendo animam corpori, virtutem diuitijs, naturæ gratiam, futura præsentibus: magnos rursus ducendo, quos ille magnos & pretiosos in oculis suis habet; tametsi mundus totus illos nihili ducat, vt Ioannē Baptistam, Apostolos, & Prophetas, qui erant spectaculum facti mundo, & Angelis, & hominibus; Martyres, & alios synceros, ac legitimos Christi cultores, quos mundus & contemptibiles aspernatus est; cùm tamen coram Deo magni essent, & vt Prouerbium habet, Sileni Alcibiadis; rursus impios & magnos viros, quos mundus admiratur, ac suspicit, parui pendēdo, quemadmodum & Deus parui pendit. Quod enim hominib' altum est, abominabile est ante Deum; & Prōpheta ait: *Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus: Timentes autem Dominū glorificat.* Rursus: *Vidi impium superexaltatum, & eleuatum sicut cedros Libani: & transiui, & ecce non erat.* Postquam ergo innatum est omnibus & ingenitum à natura incensum desiderium quoddam, & appetitus magnitudinis vel in potentia, vel diuitijs, vel nobilitate, pulchritudine, gratia, ingenio atque literis, vel ob id à nobis tantummodò esset magnitudo appetenda, quò nimirùm melius Deum, & Mes-

Magnificentia sapientibus quid, quæ summa omnium & maxima magnificentia. — In oculis Dei qui magni, alioqui in oculis omnium parui. — *1. Cor. 4.* — *Luc. 16.* — *Psalm. 14.* — *Psalm. 36.* — Magnitudo quæ nobis appetenda magnoperè.

ſiam magnificare nõ tantùm linguis & vocibus, ſed vita etiam, atque factis, tormentis, laboribus, & morte ipſa declarare poſſimus, vt verè dicamus cum Apoſtolo: *In omni fiducia ſicut ſemper, & nunc magnificabitur Chriſtus in corpore meo ſiue per vitam, ſiue per mortem.*

Philip. 1.

Origenes homilia 8. in Lucam ſic interpretatur: *Si conſiderem Dominum Saluatorem imaginem eſſe inuiſibilis Dei, & videam animam meam factam ad imaginem conditoris, vt imago eſſet imaginis, &c. Vnuſquiſq; noſtrum ad imaginem Chriſti formans animam ſuam, aut maiorem ei, aut minorem ponit imaginem, vel obſoletam, vel ſordidam, aut claram atq; lucentem & ſplendentem: ad effigiem imaginis, id eſt, animam meam, & magnificauero eam opere, cogitatione, ſermone: tunc imago Dei grandis efficitur, & ipſe Dominus, cuius imago eſt, in noſtra anima magnificatur. creſcit Dominus in noſtra imagine: ſic ſi peccatores fuerimus, minuitur atq; decreſcit. Sed nos pro imagine Saluatoris alias nobis imagines induimus. Pro imagine Verbi ſapientiæ, iuſtitiæ, cæterarumq; virtutum, diaboli formam aſſumimus, vt dicatur de nobis: Serpentes, generatio viperarum. Et leonis perſonam induimus & draconis, & vulpium, quando venenati, crudeles, callidi ſumus: necnon & hirci, vel porci, quando ad libidinem promptiores.* Hæc ille ſatis eleganter.

Orig. tom. 2. Coloſſ. 1.

Quomodo Deus in nobis fiat magnus, idem & paruus, ſecundum Origenem.

Matth. 23.

Sequitur ſecundus verſus: *Et exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.* Superiori verſiculo expoſuimus differentiam inter animam, & ſpiritum. Nam animam fouet corpus, vitamque illi tribuit, ſpiritus vacat nobiliſsimæ actioni intelligendi vniuerſalia, ſpiritualia, & æterna. Et vt aliquo exemplo hæc illuſtrentur, accipe tibi montem, cuius vertex illuſtratus ſole ſerenus ſit, & ſine nubibus: talis eſt Spiritus: pes verò mõtis obſcurus, nubiloſus, & ventis agitatus: talis eſt anima vacans corpori. Accipe etiam ab igne ſimilitudinem. Nam ignis cùm materiæ admouetur quæ concipere ignem poſsit, primùm ad eam ſe porrigit, vt illam incendat, deinde curat, vt ab ea materia ſe paratus, ad ſphęram ſuam moueatur: quare vnit ſe in pyramidem magnæ potentiæ. Ad eum modum anima dum corpus animat, communicat ſecum illo vitam cõferendo, atque ea parte multùm corporeæ naturæ eſſe videtur vnita, adeò, vt frequens ſit in ſcripturis hic modus loquendi, *Ponere animam*, pro eo quod eſt, vitã ſentiendi perdere, & mortẽ oppetere. Verùm dũ anima, ſe ſeparat, ac defœcat, tunc in ſpiritũ fortiſsimum, qui ad ſuperiora feratur, ſe reſoluit: atq; hic ſpiritus acumen eſt ipſum rationis, & intellectus, & dicitur mens quaſi eminẽs, vel quaſi mons, apex mentis intelligentia, & ſynterelis. Denique cùm coniungitur Deo per fidem, & charitatem, vnus ſpiritus fit cum eo: ſic enim percipimus Deum, & ea, quæ humanam ſuperant intelligentiam.

Spiritus & animæ diſcrimina.

Mens vnde dicta.

1. Cor. 6.

Præcedit magnificatio exultationem ſpiritus, quia vt illud ad intelligẽdi vim, ita hoc ad voluntatem, & affectum ſpectat, & iſtud ex illo naſcitur. Exultare verò nihil eſt aliud, quàm extra præ lætitia, ſiue gaudio ſaltare. Eſt autem in genere gaudium, quies appetitus in bono conuenienti amato, & præſenti, ſeu comparato: quod quidẽ gaudium, ſi intenſum ſit, lætitia dicitur, quaſi lętitia, quia dilatat cor. Exultatio, extra pedibus ſaltatio: plauſus, à percuſsione manuum: hilaritas, à lætitia in facie, oculis etiã oſtenſa: iocunditas, à lętitia in iocum, & riſum prorumpente. Eſt verò gaudium triplex, primum eſt ſenſus, cõmune cum brutis: diciturque voluptas, vel delectatio. Vt enim oculus colorum, & guſtus ſaporum delectatione afficitur; ſic reliqui ſenſus ſuis proprijs & accommodatis delectantur obiectis. Alterum gaudium eſt humanũ, quo homo intelligentia, & ſpeculatione rationalium, & conuenientium humanæ virtuti, ac honeſto delectatur: verùm iſtud ſanè perpaucis hominibus contingit, quod magna pars guſtum & ſenſum carnis ſequatur. Tertium verò gaudium eſt ſpiritus, quod de Deo, & diuinis, atque ſpiritualibus rebus à noſtro ſpiritu percipitur; & cuius eſt cauſa Spiritus ſanctus; qui proptereà à Chriſto Domino dictus eſt Paracletus, hoc eſt, Conſolator, quòd veras, & ſolidas conſolationes ſpiritui noſtro præbere ſolitus ſit. Vnde Apoſtolus: *Fructus autem Spiritus eſt, charitas, gaudium, pax, &c.* De quo gaudio idem Apoſtolus ait: *Gaudete in Domino ſemper; iterum dico, gaudete*; nimirùm in proſperis, & in aduerſis. Taleque eſt hoc gaudium, vt nemo illud à nobis tollere poſsit, vt Dominus dixit, præter peccatum, quod merè voluntarium eſt. De hoc gaudio teſtatur Propheta: *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Ieſu meo.* Et mater Samuelis ab hac exultatione inchoauit Canticum ſuum, cùm dixit: *Exultauit cor meum in Domino: & exaltatum eſt cornu meum in Deo meo.*

Exultatio, gaudium, lætitia, plauſus, hilaritas, & iocunditas, quid ſint.

Gaudium triplex.

Quale ſit gaudium ſpiritus. Rom. 14.

Gal. 5.

Philipp. 4.

Ioan. 16.

Illud gaudium quid tollat tantummodò.

Habac. 3.

1. Reg. 2.

Sed redeamus ad textum. Cùm ſuperbi laudantur, exultant, efferunturque in ſemetipſis, & gloriantur, quaſi non accepęrint; imò etiam de peccatis, quæ non acceperunt, ſed à ſe ipſis tãtùm habuerunt, gloriantur, & exultant audacius, iuxta illud: *Gloriantur cùm malefecerint, & exultant in rebus peſſimis.* Imò eò prorupit cœcitas, ac impudentia hominũ, vt de malefactis ab alijs celebren-

Quid proprium ſuperborum.

1. Cor. 4.

Prouerb. 2.

Psalm. 10.
Quid propriū humilium.

celebrentur teste Propheta; *Quoniā*, inquit, *laudatur peccator in desiderijs animæ suæ, & iniquus benedicitur, &c.* Non sic humiles, non sic, qui & peccatum abominantur, & de bonis in Domino gloriantur, nihil sibi tribuentes, verùm prostrati abijciunt coronas suas contra sedentem in throno, vt dicitur in Apocalypsi: quia de omnibus hostibus victorias, partas propter quas coronati sūt, agnoscunt prouenisse ab eo, qui sedet in throno, népè à Deo, & filio eius Iesu Christo.

2 Cor. 10.
Apoc. 4.

Talis fuit beata Virgo, cuius spiritus exultauit in Deo salutari suo; prçteritum pro præsenti tempore accipiens. Et si dici possit quod exultauit de præterito, & exultabat de præsenti, sicut etiam de præsenti magnificabat.

Caussæ gaudij & exultationis quænam esse soleant.

Solet autem gaudium, & exultatio multis ex caussis prouenire: tum ab re diu, multumque desiderata, & tandem prçter spem obtenta: tum ex inuentione thesauri, cuius præ gaudio vadit inuētor, & vendit vniuersa, quæ habet, vt emat agrum, in quo est: tū de filio nato in mūdum gaudium concipitur: tum de victoria parta in bello iuxta illud: *Sicut exultant victores capta præda, quando diuidunt spolia, &c.* Tū de præsentia Spōsi, & dignitate per matrimoniū aucta.

Matth. 13.
Ioan. 16.
Isa. 9.
Mariæ Virginis cur exultauerit Spiritus in Deo salutari suo.

Tale fuit gaudium, & exultatio Virginis. Nam imprimis incarnationem, quam iusti, & sancti, & reges, & prophetæ desiderarunt; & propter quam Abraham exultauit, vt videret diem eius, Maria prima excellenti sua fide obtinuit; cùm tamen nihil minus fortasse, quàm de se cogitaret.

Matth. 13. & Luc. 10.
Ioan. 8.
Luc. 1.
II. Ratio
Coloss. 2.
Luc. 1.

Deinde quia ipsa prima inuenit eum, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ* recōditi: nec pro se tantū, sed pro omnibus inuenit hominib9. Nā illi dictum ab Angelo est; *Inuenisti gratiam apud Deum.* Quam gratiam illa libenter in omnes effundit, vt Mater pientissima. Neque ob aliam caussam Christum in manibus gestare depingitur, quàm vt illā nobis ad donandū filium suum perfacilem, & promptam intelligamus.

Maria Virgo Christigera cur semper depingitur.
III. Ratio

Tertiò, si magna aliqua de ortu filij, quem qualis futurus sit, ignoramus, lçtitia concipitur: quæ fuit virginalis lætitia, & exultatio, quæ Dei Filium in se incarnandum nouit, nec nisi expresso suo consensu, & voluntate, & de se sola sine opera viri? Profectò latissimus gaudiorum campus sese profert, in quo B. Virgo exultando spatiari potuit.

IV. Ratio.

Quartò, lætata est de gloriosa contra serpentem antiquū p humiliationem Filij Dei parta victoria: siquidem Maria Filio Dei arma expugnandi dæmonem, nempè carnem, & sanguinem, contulit. Deinde & ipsa mulier contriuit caput eius, hoc est, peccatū originale:

Gen. 3.
Quòd contriuerit caput serpentis Deipara.

quod fons cæterorum personalium criminum, & origo est; vel omninò quamlibet suggestionem Maligni, quam ipsa Virgo corpore, & Spiritu sancto, aduersus cacodęmonem carnalia, vel superba suggerentē facilè superauit.

1. Cor. 7.
V. Ratio, & vltima.

Postremò gauisa est B. Virgo de præsentia Filij Dei, quæ salua virginitate sua, eius mater est benedicta, sponsaq; primaria, concipiens in Spiritu omnes electos, eorum salutē iuuādo, illamq; precib9 assiduis à Filio impetrando. *Exultauit* ergo, id est, extra se saltauit, quia per singulare incarnationis munus, atq; admirandum illud Diuinæ hypostasis cū humana natura connubium, exaltata est in Matrem Dei, & Matrem mundi, & Reginam Angelorum, & aduocatam peccatorum: atque Dominam vniuersi; vt in eius nomine, post Christum (qui hanc matri conferre voluit dignitatem) omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum: & omnis lingua cōfiteatur, quia beata Virgo Maria in gloria est Dei Patris cum Filio amantissimo.

Philip. 2.
Qualis Spiritus Mariæ exultauerit in Deo salutari suo.

Ait ergo: *Spiritus meus.* Qui solus capax est donorum Dei, & solus illa agnoscit: & quo læto, omnia læta, & fausta sunt, etiamsi carni, vel sensui crux nō desit: ex quo vel sancti in tormentis, atque cruciatibus corporis in spiritu exultabant, tametsi caro affligeretur. Contra, videas carnales homines in summis corporis delicijs sæpè tristes esse, & mœstos: ratio huius rei est, quoniam spiritus respectu carnis est, quasi cœlum respectu terræ. Hic, inquam *spiritus exultauit in Deo salutari*: in Deo quidem, vt materia gaudij, & gaudio infinito in se, & suis, & autore, & fonte omnis puri, atque perpetui gaudij, iuxta illud: *Delectationes in dextera tua vsque in finem, &c.* & vt fine omnis nostri veri gaudij.

Psalm. 15.

Vt enim propter eum tantum est viuendum; ita & propter ipsum tantum gaudendum. Deinde, *Salutari*, videtur legisse interpres σωτηρίῳ, nunc verò σωτῆρα, hoc est saluatore, siue seruatore legitur, & vtraque est bona lectio, & in sensu nulla est differentia, cùm vtrumq; sit substantiuum. Est autem Christus ~~salutare~~, siue Saluator, quia autor Salutis animæ, corporis, & spiritus, ab ira Dei; peccato, diabolo, morte, carnisque concupiscentia inuenitur.

Christus quare salutaris, atq; Saluator.

Est etiā salutare vniuersale mūdi; iuxta illud: *Quia viderunt oculi mei salutare tuū: Quod parasti ante faciem omnium populorum*, non tantum prçsentium, & futurorum, verùm etiam præteritorum. Est quoque salutare excellentissimum, & subleuans à peccatis commissis, tum etiam à multis in futurum alioqui committendis, prçseruans.

Luc. 2.

Quàm excellens Christus salutaris virginis extitit.

Et subdit, *In Deo salutari meo.* Quia Deus hic singulariter est meus filius, ex me carnem assumens: & salutaris eminenti modo, me præseruans ab instanti conceptionis ab originali delicto, deinde etiam à mortifero, & veniali, ac primis motibus concupiscentiæ, extinguendo in me omnem fomitis rationem; præseruans quoq; ab effectibus peccati, vt à viri dominio, à corruptione, & pudore, à conceptu & semine viri, à labore gestandi vterum, & deinde præseruabit à dolore partus, & à quouis languore puerperij: denique ab incineratione & putrefactione corporis. Quare singulari ratione est meus seruator, & ideò singulariter exulto. S. Ioannes exultauit in vtero, & Angeli lætati sunt, & mundus totus auditis hisce nuntijs, præ gaudio, & lætitia gestiet; gaudebitque gaudio magno, quod superabit omnem sensum: cur ergo nos soli erimus alieni ab hoc gaudio? Nos caussa sumus, vt tanto gaudio spoliemur, qui carnis, & mundi huius voluptatibus ac illecebris delectari volumus; ac proinde gaudia nostra puerilia sunt, vana, & carnalia, interdū etiam perniciosa. Vt ergo verè gaudere, lætari, atque exultare possimus, demus operam, vt prius dolorē de peccatis admissis afflicti concipiamus, atq; ita Maria simus, hoc est, contristati ad pœnitentiam; plus enim valet vnū gaudium, ex fletu peccatorum profectum, quàm omnia gaudia mundi. Maneamus in domo Zachariæ, id est, eius, qui recordatur beneficiorum Dei, qua ex grata recordatione cantus oritur, & exultatio spiritus. Postremò simus grauidi Christo per fidem, vt eum vocare Saluatorem nostrum valeamus, qui nos ab omnibus peccatis nostris, ac infirmitatibus seruet, & ad summa, & æterna bona nos prouehat; eodem ipso præstante: cui cum Patre, & Spiritu sancto tribuitur ab omni creatura, omnis honor, gloria, & imperiū in secula seculorum, Amen.

Luc. 1.

Qualia sint gaudia nostra.

Spiritus noster vt exultet in Deo salutari nostro, tria obseruare debemus.

TRACTATVS XII.

Luc. 1.

IN Quo exponuntur illa verba: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen eius.*

Virginei argumentum Cantici.

SAnctissima Virgo Deipara in hoc Cantico in primis amplissima commemorat gratiarum munera, & dona singularia, quæ accepit, de quibus exultabunda gratias agit: deinde generalia Dei beneficia in totum genus humanum collata recenset, in misericordiæ suæ ostensione, humilium exaltatione, ac esurientium impletione: postremò, incarnationis Dominicæ gratiam cōmendat, quam vt antiquis patribus promisit, ita nunc fideliter exhibuit. Cùm ergo hactenus proposuerit, *Magnificat anima mea Dominum: & exultauit, &c.* nunc rationem reddit tantæ exultationis spiritus, & tantæ animi magnificationis Domini, cùm dicit: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* In quo quidem versu interpretādo, in primis quid sit humilitas, & nomine, & re declarabimus: deinde quid significet iste respectus Domini: tertiò, qua ratione beatam dicant Mariam omnes generationes.

Quam humilitatem Mariæ virginis respexerit Deus.

Sit igitur hoc primum: Noui quidam interpretes vocem Græcam ταπείνωσιν vertērunt, paruitatem; alij, vilitatem, vt Erasmus; alij verò retinentes vocem humilitatis, vt Caietanus, ad exiguitatem, & paruitatem, vilitatemue retulerunt. Ita vt & si hæc verba sint animę virtutem humilitatis assecutę; non tamen humilitatem, quæ virtus est, sed obscuritatem generis, ac vilitatem hoc loco appellauerit: videlicet quòd virtutem iactare, non sit virtutis, & præsertim humilitatis. Atque ita Deus in Maria respexit vilitatem conditionis, fortunæ tenuitatem atque exiguitatem: nam, vt Paulus ait, *Solet Deus quæ stulta sunt mundi eligere, vt confundat sapientes: & infirma mundi, vt cōfundat fortia: & ignobilia mundi, & contemptibilia, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destruat; vt non glorietur omnis caro in conspectu eius.* Hāc eius interpretationem, secutus est Lutherus, & Caluinus cum omnibus discipulis, & sectatoribus suis.

1. Sensus Erasmi, & Caietani.

1. Cor. 1.

Lutherani. Caluinistæ.

Hic autem sensus & si verus aliquo modo esse possit; non videtur tamen tam germanus, atque huic loco accommodatus. Et quæ de voce illa Græca dicūtur, falsa sunt, & infirmis rationibus innixa. Nam in primis nomen Græcum quod verbale est, nō propriè paruitatem, cui opponitur magnitūdo, sed infirmitatem, vt sic dicā, cui opponitur altitudo, significat. Quemadmodum etiam apud Latinos vox ipsa humilitatis accipitur: vnde Cicero, *Sidera*, inquit, *inter se altitudine, & humilitate distantia.* Nec tam propriè ipsam infirmitatem, quæ humum attingit, quæ Græcè dicitur ταπεινότης, sed in sua propria, & germana significatione demissionem, humiliationem, ac depressionem includit. Nec propterea errauit interpres vertendo, humilitatem: nam sæpè eodem nomine actus, & habitus, siue

Cur non omnino probetur hic sensus. 1. Ratio.

Quid propriè ταπείνωσις.

Cic. Tuscul. 5.

ταπεινὸς quid.

Intellectus & voluntas, sicut etiam fides, spes, & charitas, duo dicũt.
II. Ratio.

actus & potentia significantur. Quemadmodum apud Philosophos, voluntas & intellectus; in Scripturis verò, fides, spes, charitas, non tantùm pro facultatibus, vel pro habitus, sed etiam pro actibus vsurpantur. Deinde vox, humilis, etsi apud Latinos authores ignobilitatem, & obscuritatem generis interdum significet: hinc Cicero libro de Officijs ait: *Quorum prima ætas propter humilitatem, & obscuritatem, in ignoratione hominum versatur, &c.* in Scripturis tamen pro virtutem humilitatis habente accipi solet; & superbo opponitur, non autem obscuro genere nato. Vnde Petrus dixit: *Dominus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Rursus: *Humiliamini sub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore visitationis.* Solent enim serui Dei se sua sponte, & in oculis suis humiliare: ita Maria ancillam se vocat, vt Paulus seruus IESV Christi: Dauid apud Saulem se canem mortuum, & pulicem vnum; & in Psalmo: *Vt iumentum factus sum apud te.* Et iterum: *Ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ.* Abraham se cinerem, & puluerem profitetur: Chananæa se coram Christo catellam nominauit: denique vas electionis: *Ego sum minimus Apostolorum.* Et: *Mihi omnium Sanctorum minimo, data est gratia hæc, &c.* Idem & summum, & primum se agnoscit peccatorum; vt tot exemplis excitati discamus humiliari verè coram Deo, & humilitatis fructus producere. Ait etiam regius Propheta: *Quoniam tu populum humilem saluum facies, & oculos superborum humiliabis*; & Christus se humilem corde, ac mitem imitandum proponit, & Spiritus Sanctus per Isaiam ait: *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, &c.* Si ergo humilis corde absolutè, habẽtem virtutẽ humilitatis significat: humilitas ergo virtutem ipsam significabit. Etsi propriè apud Græcos virtus humilitatis distincta voce nominatur, nempè ταπεινοφροσύνη sed interdum, maximè hoc loco pro actu ipsius virtutis accipitur.

Cic. lib. 1. de Offic.
Humilitas propriè in Scripturis quid significet.
1. Pet. 5.
Ibidem.
Quorum propria.
Rom. 1. & sæpè alias.
1. Reg. 24.
Psal. 72.
Psal. 115.
Gen. 18.
Matth. 15.
Actor. 9.
1. Cor. 15.
Ephes. 3.
1. Tim. 1.
Psal. 17.
Matth. 11.
Isa. 66.
ταπεινοφροσύνη Græcis, quid.

III. Ratio.

Tertiò, falsum est, Deum respexisse ad exiguitatem, vel paruitatem status Mariæ. Deo enim, excelsa, & magna apud homines parua sunt. Ait enim Isaias: *Gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt* coram Deo. Et comparatione Virginis, siue gratiam, siue eius naturam spectes, omnia minora inuenirentur: quare illi prælatæ fuissent propè innumerabiles creaturæ, quæ ipsa magis paruæ, & obscuræ erant genere, diuitijs, vel dotibus corporis, vel animi.

Isa. 40.
Nihil post Christum cum Maria potest conferri.

IV. Ratio

Quartò, Deus propriè non respicit status, vel conditiones hominũ, vt propterea aliquem extollat, vel deprimat. Non est enim acceptio personarum apud Deum: sed Deus actus animorum nostrorum ex virtute prodeuntes, & præmio condigno illos remunerat; maximè autem humiliationem & submissionem sui ipsius, de qua dicit Christus, qui se humiliauit, teste Apostolo, vsque ad mortem: *Omnis qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur*: qui nihil se esse existimat in oculis suis: & cum perfecerit omnia quæ præcepta sunt, ibi dicit; seruus Inutilis sum.

2. Paral. 19. & sæpè alibi
Quid maximè respiciat Deus in hominibus iustis.
Philip. 2.
Luc. 14. & alibi.
Humiliet se quis apud Deum vere.
Luc. 17.

Ideò apud Ionam dicitur respexisse ad opera eorum (scilicet Niniuitarum) quia conuersi sunt de via sua mala. Etsi enim Deus interdum respiciat nos, & nostra oculo gratiæ, & misericordiæ: vt respexit Petrum negantem; & Propheta inquit: *Respice in me, & miserere mei*: interdum tamen ille respectus iustitiæ est admixtus. Et quia omne nostrum meritum ex diuina oritur gratia: non minus, imò magis respicit Sanctos, & electos: Quoniam *oculi Domini super iustos*: & de iustis tanquam aurum in fornace probatis dicitur in libro Sapientiæ: *Et in tempore erit respectus illorum*, Sicut: *Respexit ad Abel, & ad munera eius.* Dauid quoque: *Excelsus Dominus, & humilia respicit, & alta à longè cognoscit.*

Ionæ 3.
Duplex Dei respectus: misericordiæ, & iustitiæ.
Matt. 26.
Psal. 85.
Sancti & electi cur magis respiciantur a Deo.
Psalm. 33.
Sap. 3.
Gen. 4.
Psal. 13.
Humilitatis varij significatus proferuntur ex diuinis litteris.

Quare hæc vox dubia est, & ambigua in sacris literis, & multos, & varios habet significatus. Et beatus Ambrosius quodam loco asserit, humilitatem nõ semper significare virtutem, sed etiam afflictionem: nec semper significare voluntariam, quæ semper Deo grata est, sed aliquando ex necessitate susceptam. Hanc significationem agnoscunt Hæretici, illã verò virtutis negant. Quod enim dixit Lia, postquàm genuit Ruben: *Vidit Dominus humilitatem meã*, vbi 70. habent, τὴν ταπείνωσίν μου: alium sensum habet. Nam ibi humilitatem accipit pro afflictione, & labore: nam præcedit: *Videns autem Dominus quòd despiceret Liam, aperuit vuluam eius, sorore sterili permanente. Quæ conceptum genuit filium, vocauit: nomen eius Ruben, dicens: Vidit Dominus humilitatem meam*: quoniam probabile est ipsam æquo, & patienti animo, adde etiam virtutem humilitatis induto plorasse, vt digna esset, quã Dominus respiceret, & liberaret. Atque in hoc sensu frequenter accipitur humilitas. Ait enim Dauid: *Vide humilitatem meam & laborem meum.* Et iterum: *Vide humilitatem meam, & eripe me: In humilitate nostra memor fuit nostri. Tũ forte perijssem in humilitate mea.* Sed præter hanc significationem, etiam obscuritatem, & paruitatem significa-

Ambr. lib. 10. epist. vlt. 10. 3. sub finem.
Gen. 29.
Quomodo accipiendum illud: Vidit Dominus humilitatem meã.
Humilitas pro afflictione sæpe vsurpatur in sacris litteris.
Psal. 24.
Psal. 115.
Psal. 135.
Psal. 118.
Humilitas pro obscuritate & paruitate.
Philip. 3.

Humilitas pro modeſtia.

humilitas, vt p[illegible] u-
xta illud: *Reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ*: vbi claritati opponit humilitatem. Deniq; accipitur pro virtute illa modeſtiæ, & mediocritatis, vt dixit Origenes.

Orig. hom. 8 ſuper Lucam, tom. 2.
V. Ratio.
Ambroſ.
Hieronymus.
Auguſtinus.
Orig. eod. loco.

Quintò, Patres Eccleſiæ Latinæ, vt Ambroſius, Hieronymus, & Auguſtinus Græcè periti de virtute humilitatis hunc locū interpretantur, imò etiam ipſi Græci autores. Origenes enim ſuper Lucam in hunc modum ſcribit: *Quod dicit, reſpexit in humilitatem ancillæ ſuæ, tale eſt, quaſi dixerit. Reſpexit in iuſtitiam ancillæ ſuæ, reſpexit in temperantiam, reſpexit in fortitudinem atque ſapientiam. Dignum quippe eſt, vt virtutes reſpiciat. Reſpondeat aliquis, & dicat: Intelligo quomodo Deus iuſtitiam ancillæ ſuæ, ſapientiamq; reſpiciat: quomodo autem intendat humilitatem, non ſatis liquet. Conſideret qui quærit talia, quoniam propriè in Scripturis vna de virtutibus prædicatur humilitas. Ait quippe Saluator: Diſcite à me, quia manſuetus ſum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris. Quod ſi vis nomen huius audire virtutis, quomodo etiam à Philoſophis appelletur, auſculta eandem eſſe humilitatem quam reſpiciat Deus, quæ ab illis* ἀτυφία, ſiue μετριότης *dicitur: ſed & nos quodam eam poſſumus appellare circuitu: cùm aliquis non eſt inflatus, ſed ipſe ſe deijcit. Reſpexit ſuper humilitatem ancillæ ſuæ. Humilem me, inquit, & manſuetudinis ſectantem, deiectionisq; virtutem reſpexit Deus.* Hactenus ille, qui doctè confutat horum nouatorum dogmata, & virtutem humilitatis ex Philoſophorum penetralibus depromit.

Humilitas vna de virtutibus omnibus prædicatur in ſacris litteris.
Matt. 11.
Philoſophis humilitas quomodo dicta ſecundum Originem.
Humilitatem quibus verbis deſcribat Origenes.
Quam humilis Maria: quid inde promeruerit.

Confirmat hunc ſenſum B. Bernardus ſermone de verbis Apocalypſis: *Maria quantò maior erat, humiliabat ſe non modò de omnibus, ſed & præ omnibus. Meritò facta eſt nouiſſima prima, quæ cum prima eſſet omnium, ſeſe nouiſſimam faciebat. Meritò facta eſt omnium domina, quæ ſe omnium exhibeat ancillam.* Idem homil. 1. ſuper Miſſus eſt: *Maria, inquit, Virginem ſe oblita gloriatur de humilitate.* Et paulo antè: *Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ Deus, potius quàm virginitatem. Et ſi placuit ex virginitate, tamen ex humilitate concepit. Vnde conſtat, quia etiam vt placeret virginitas, humilitas proculdubio fecit.* Beda etiam in hæc verba: *Cuius humilitas reſpicitur, rectè beata ab omnibus cognominanda gratulatur: ſicut è contrario, cuius ſuperbia deſpectu condemnatur Eua, id eſt, væ, ſiue ea amitatis nomine mulctata tabeſcit.* Hæc illi.

B. Bernard. poſt dimid. ſermon.
Matth. 19.
Idem à medio
Idem ibidem.
Grata cur Deo Mariæ virginitas.
Beda c. 3. lib. 1. in Luc. 10 5
Gen. 3.

Vanum eſt autem quod obijciunt, non eſſe humilis, humilitatis iactare virtutem: ſane, ſi ad ſuperbiam, & elationem fiat: ſecùs eſt ſi in ſpiritu, & ex charitate in gloriã,

Quod dicitur: Non eſſe humilis humilitatis iactare virtutem, quomodo verum ſit.

& laudem Dei cum gratiarum actione, ac ſui cognitione, bonitatiſque diuinæ, præſertim, ad aliorum excitationem, & ædificationem fiat, vt fecit beatiſſima Virgo. Sic enim Chriſtus Dominus in eodem ſpiritu dixit: *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Et alibi: *Ego quæ placita ſunt ei, facio ſemper*; & Dauid clamat: *Memento Domine Dauid, & omnis manſuetudinis eius.* Alibi etiã: *Iudica me Domine ſecundum iuſtitiam meam, & ſecundum innocentiam ſuper me.* Et Ezechias Rex: *Obſecro Domine, memento quæſo quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum eſt in oculis tuis fecerim.* Lege etiam trigeſimum primum caput Iob, in quo penè in immenſum non ſolum humilitatem, ſed cæteras heroicas virtutes ſuas prædicare videtur: quemadmodum Paulus cùm ait: *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.* Rurſus: *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui. In reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ.* Paſſim autem prædicationes huiuſmodi ſanctorum virorum de ſeipſis reperias in Scripturis, ſi animaduertas. Et hactenus quidem de voce: nunc rem ipſam indagemus.

Matt. 11.
Ioan. 8.
Pſal. 131.
Pſal. 7.
Pſal. 7.
Iſa. 38.
1. Cor. 11.
2. Tim. 4.

Humilitas, quæ ab humo, id eſt, terra, & infimo elemento denominatur, virtus eſt qua homo verè ſeipſum agnoſcit terrã, hoc eſt, vilem peccatorem, tardum ad bonum, promptum ad malum, dignumq́ue, qui in vltimo conuiuij loco per ſubmiſſionem animi ſedere debeat: quod certè corde potius, quàm corpore fieri poteſt, exiſtimando ſe omnium peccatorum maximum, omniumq; ſanctorum, & ſeruorum Dei minimum, vt Paulus de ſe ſcripſit: quique in alio homine peccatum vllum non videat, in quod ſe prolabi poſſe non intelligat, niſi adiuuetur à Deo. Atque hac ratione homo contemnit ſeipſum, agnoſcendo quid à ſe ipſo ſit: & magnificat Deum, à quo omne bonum ſuum oriri non ignorat, ſiue ſint bona naturæ, ſiue gratiæ; ſiue bona corporis, ſiue animi, ſiue fortunæ: & ante oculos habet ſententiam Apoſtoli: *Quid habes quod accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* Deinde & illud conſiderat, ne gratuita Dei dona quaſi naturalia agnoſcat: quia eſſet argentum pro auro accipere, quemadmodum Pelagiani dona Dei, quæ ſupra naturam erãt, & Chriſti ſanguine empta, naturæ ignoranter, ac pernicioſè adſcribebant. De hac virtute, quæ propria eſt Chriſtianorum, & cuius ethnici ne nomen quidem nouerunt; Hæretici verò alta ſapientes, candem ſemper excutiunt, ita loquitur vetuſtus

Humilitas vnde dicatur
Luc. 14.
Quomodo quis [illegible] in vltimo conuiuij loco.
1. Cor. 15.
Eccl. 3.
1. Tim. 1.
1. Cor. 4.
Verè humilis [illegible] dona [illegible]
Pelagiani [illegible]
Humilitas [illegible] ſola [illegible] Chriſtianorum [illegible] Tertulliano.

Tertul. sub finem vallatum.

autor Tertullianus libro de velandis virginibus: *Nihil est illis charius humilitate, nihil acceptius modestia; nihil perosius gloria & studio hominibus placendi.*

Sine humilitate reliquas omnes virtutes non posse subsistere.

Quòd si hæc virtus humilitatis in corde hominis velut fundamentum positum nõ sit, cæteræ virtutes non aliter ac puluis vẽto expositus corruent. Hæc enim omnes virtutes cõparat, & vacuitate sua ad se trahit, illasque non secùs ac cinis ignem conseruat, atque eas perfectas reddit. Homo autem sine humilitate, turrim, non supputatis expensis, ædificat, quodque Dei est, sibi, ac suæ virtuti tribuens furatur.

Luc. 14.

Respicere propriè quid.

Secũdum verbum est, *respicere*: quod etsi simplicem visionem interdum significet, vt ibi: *Respice: fides tua te saluum fecit*: *Et respicite, & leuate capita vestra*: Rursus: *Respexit super omnes, qui habitant terram*: tamen, cum Deo tribuitur, plerunque in sacris literis non simplicem respectum, sed coniunctũ cum approbatione, & amore significat. Atque ita respicere Dei est approbare, seu cõplacere sibi in eo, quod videt (nam aliàs *omnia sunt nuda, & aperta oculis eius*; &, *In omni loco oculi Domini contemplantur bonos, & malos*) atque in hunc sensum dicitur: *Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum*; Et: *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius*; & Dauid: *Respexit in orationem humilium*: & item Salomon: *Habebit fructum in respectione animarum sanctarum*; & iterum: *In tempore erit respectus illorum.*

Luc 18. Infrà 21. Quid ferè in Scripturis significet. Hebr. 4. Prou. 15. Psalm. 33. Gen. 4. Psal. 101. Sap. 3. Ibidem.

Habac 1.

Quid sit, Deũ respicere ad iniquitatem non posse.

Sic etiam dicitur de Deo, quòd non possit respicere ad peccata, ait etiam Propheta: *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum, & respicere ad iniquitatem non poteris*; id est, oculi tui approbare peccatum non queunt. In hunc ergo sensum dicitur: *Respexit humilitatem ancillæ suæ*, hoc est; probauit illam, & in ea sibi complacuit, vt per illam perficeretur opus incarnationis. Huius diuini respectus contrarium est aduersari, & non respicere: sicut dicitur de Cain, quòd nec ad eum, nec ad eius munera Dominus respexerit.

Quomodo respexerit Deus Mariæ humilitatem.

Gen. 4.

Respiciendi verbum partim cum præpositione ad, partim sine illa vsurpatur more Scripturæ.

Illud etiam circa literam notandum est, Græcè legi ἐπὶ τὴν ταπείνωσιν, hoc est ad humilitatem: sic enim illud verbum plerunque construitur, vt ostendunt loci citati: *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius*: *Respexit in orationem humilium*: *Respicere ad iniquitatem non poteris*: *Respice in me, & miserere mei.* Sæpè tamen interpres noster illam phrasim Græcam non seruauit. Idemque est sensus, respicere humilitatem, ac respicere ad humilitatem. Deus ergo volẽs magnificare Virginem, cœpit à fundamento humilitatis, largiendo illi veram, & profundam sui notitiam, atque deiectionem per quam quò plus se humiliauit, & minus de se cogitauit, tantò fuit matris Filij Dei dignitati assequẽdæ vicinior, atque aptior. Et quoniã reuera sedit in vltimo loco cõuiuij, dictum est illi: *Ascende superius*, & primum locum à Deo accepit.

Ibidem.

Luc. 14.

Quo loco Maria sedeat apud Deum.

Primus autem locus creaturæ puræ super omnes homines, & Angelorum choros, est matris Filij Dei dignitas, seu prærogatiua. Respexit ergo humilitatem, vt donum suum, & tanquam vacuum quoddam, vt Spiritu sancto cum omni donorum plenitudine impleret, simulque naturam humanam omni bono vacuam, atque desertam filij sui diuinitate repleret. Non dicitur respexisse ad virginitatem, vt ponderat Bernardus sermone primo super Missus est: quoniam vt placeret virginitas, humilitas proculdubio fecit. Respexit tamen ad orationem, quam in humilitate protulit, cùm dixit: *Ecce ancilla Domini*: respexit ad singularẽ eius fidem, quæ promissa Dei per Angelum accepit, & quæ humilitatem progenuit. Nec enim quisquam vel Dei magnitudinem, & potentiam, vel sui exiguitatem & vilitatem agnoscere potest, nisi per fidem fuerit illustratus. Et quemadmodũ respexit ad Abel, & ad munera eius, mittẽdo de cœlo ignem, qui holocaustum inflãmaret: Ita Deus primò respexit ad Mariam, deinde ad acceptissimum suæ humilitatis holocaustum, mittẽdo ignem Spiritus sancti, obumbrantem eam, illuminantem, & protegentem. Quòd si Deus ad humilitatem Mariæ tam gratum aspectum habuit; respice tu quoque ad illam, & exemplo illius disce humilitatem: *Quia Deus humilia respicit, & alta à longe cognoscit.* Et Salomon: *Quantò magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam: quoniam magna potentia Dei solius, & ab humilibus honoratur.* Nã humiles si virgines sunt; non inflantur: si diuites, bona non dissipant: si nobiles, non efferuntur: si sapientes, non spernunt alios: si iusti & mandata Dei omnia perficiant, dicunt: *Serui inutiles sumus*: si orant, apti sunt, vt exaudiantur: si desiderio sapientiæ teneantur, quæ abscondita sunt à sapientibus, & prudentibus, reuelantur paruulis. Subdit: *Ancillæ suæ.* Rursus ancillæ nomen sibi retinet, quando abiectissima, & contemptissima sors est ancillarum: neque pro se tantùm, sed præ omnibus etiam nobis Christo gratissimum impendit obsequium: fuitque eius seruitus cum sua charitate coniuncta. De hac Virginis humilitate sic scribit Augustinus: *O verè beata humilitas, quæ Deum hominibus peperit, vitam*

B. Bernardus.

Luc. 1.

Humilis sui ipsius cognitio ex fide proficiscitur.

Gen. 4.

Quid primò Deus respexerit in Maria.

Luc. 1

Mariæ humilitatem imitari nos conuenit, vt Deus quoque nos respiciat.

Psal. 33.

Eccl. 3.

Humilitatis virtutes.

Luc. 17.

Matth. 18.

August. serm. 2. de Assump.

mortalibus edidit, cælos innouauit, mundum purificauit, paradisum aperuit, & hominum animas ab inferis liberauit. O inquā verè gloriosa Mariæ humilitas, quæ porta paradisi efficitur, scala cæli constituitur. Facta est certè humilitas Mariæ scala cælestis, per quam descendit Deus ad terras. Quia respexit, inquit, humilitatem ancillæ suæ, &c. Et quid est dicere, respexit, nisi comprobauit, placuit ei humilitas mea? Vnde per Prophetam Dominus dixit: Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, & humilem, & trementem sermones meos? Multi siquidem videntur in conspectu hominum humiles esse, vt ab eis laudentur, sed eorum humilitas à Domino non respicitur, quia falsò, & non verè de humilitate gloriantur. Si enim veraciter humiles essent, Dominum ab omnibus, & non se vellent laudari. Hæc ille. Subditur: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent, &c.* Ecce rem magnam, nouam, & admiratione dignam designat: quale est, creaturam in lucē edere creatorem, famulam Dominum generare, Virginem Deum parere.

Maria à medio, seu ser 35. de sanctis, tom 10. Mariæ humilitatem commendat Augustinus.

Isa. 66.

Quorum non respiciat Deus humilitatem.

Particula, ecce, in Scriptura quid denotet.

Quod dicitur, *Ex hoc*, Græcè significantius exprimitur, ἀπὸ τοῦ νῦν, id est, ex hoc nunc, siue, ex hoc temporis momento, siue posthac, vel propter hoc, quòd sim humilis, & humilitatem respexit Deus, efficiendo me matrem Messiæ. *Beatam me dicent omnes generationes.* De futuro pronuntiat, *dicent*, cū de præterito multi, tum Prophetæ, tum Sibyllæ, tum Angeli eam nomine expressò beatam prædicarint. Cæterùm post completum Incarnationis mysterium, atque toti mundo per Apostolos patefactum, ac promulgatum, ter beatam illam, & felicem omnes gentes erant prædicaturæ. Ex omni enim natione, populo, sexu, conditione electi colliguntur; qui Christo agnito eius matrem magnis laudibus prosecuturi erant. Vnde in typum huius rei prædicante Christo ad populum, mulier quædam extollens vocem, dixit: *Beatus venter qui te portauit & vbera quæ suxisti.* Ecclesia etiam hoc debitum Virginis Mariæ prędicandæ agnoscens; vt omittam multos Psalmos, Hymnos, Antiphonas, & quas vocant prosas, siue sequentias, ter in die pulsari campanas instituit ad honorandam beatā Virginem atque inuocandam, nempe in aurora, sub meridiem, & sub vesperum. Neque de Virgine simpliciter loqui consueuimus, nisi præcedente titulo Beatæ: nam dicimus Beatam Virginem, Beatam matrem, Beatam Mariam, gloriosam dominam, fœlicem cæli portam, ac similia. Nec tantum hominum generationes, sed Angelorum etiam, & beatorum perpetuò illam laudant, & gloriosam prædicant. Ob id enim Angelus Gabriel tam honorificis verbis

Quid illud, ex hoc beatam me dicent, &c.

De futuro dictum expenditur. Beatam me dicent.

Luc. 11.

Quibus ferè prenominibus Mariam appellemus.

Supra. 1. Machometi illius vel impurissimi omnium mortalium, de puritate & sanctitate Virginis matris testimonia.

eam salutauit plenam gratia, & benedictā inter mulieres, &c. Neque homines tantùm Christiani & Angeli, sed etiam increduli, & Mahometani illam purissimā omnium mulierum prędicant: Virginem eam, deque Spiritu sancto concepisse confitentes, vt habetur in Alchorano capite Elbachera: cuius hæc sunt verba: *Dedimus Iesum filium Mariæ, vt faceret prodigia, & miracula manifesta, & fecimus eum per Spiritum sanctū, & insufflauimus in Mariam de Spiritu nostro: & conceptus est Christus ex virtute Dei de matre virgine sanctissima, & purissima super omnes mulieres.* Et in capite Elmeybe: *Limitauimus,* inquit, *vestigia omnium hominum, per IESVM filium Mariæ veracissimum patienter, & dedimus ei Euangelium, in quo est vera directio, & lux, & veritas manifesta.* Et iterum in capite Elnesſa: *Non dicatis de Deo nisi veritatem, quia Iesus filius Mariæ est nuntius Dei, & verbum Dei, quod ipse posuit in ea per Spiritum sanctum.* Denique in capite Amaran: *O Maria, Deus prætulit te super omnes mulieres.* Super quæ verba Alfaquinus quidam dictus Auen Rodan scribit, Angelos dixisse illa verba consolatoria, tripudiantes in partu Virginis Mariæ. Et addit, quod cùm Herodes Rex quæreret puerum in Bethleem ad perdendum eum cū cæteris innocentibus, Maria transibat cum puero in vlnis, & sic illæsa euasit vsque in Aegyptum. Sed videtur hoc postremum esse falsum. Nec enim beata Virgo ex Bethleem fugit in Aegyptum, sed ex Nazareth, vt ex beato Luca colligitur.

Adhæc, sepulchro Virginis in valle Iosaphat sito Saraceni maiorem impendunt honorem, quàm ipsius Christi sepulchro, & frequenter, adorationis gratia eò conueniunt. Nec apud eos impunè licet maledicto vllo, aut blasphemia beatam Virginem afficere; quod tamen passim, & publicè, cum maximo scandalo, inter Christianos plerunque fieri videmus. Neque tantùm infideles, verùm etiam dæmones, vel inuiti ad nomen Mariæ Virginis contremiscunt, & de corporibus exire compelluntur. Atque ita non tantùm Ecclesia militans, & triumphans, ex hominibus, & Angelis constituta, verùm etiam ipsi cacodæmones, & inferni incolæ & habitatores, Matrem Dei celebrant, atque prædicant. Quòd si inueniantur, qui non credunt in hoc sæculo, videbunt in futuro, & beatam dicent. Non ergo tu sola Elisabeth beatam me dices, sed omnes quoque generationes.

Sed nunquid Domina nostra gloriatur de præconio generationum? an non lati-

superque

Mahometi testimonia.

Matth.

De Euangelio idem Mahometus loquitur.

Luc. 1.

Alfaquinus Auen. Roda.

Matt. 2.

D. Virginis sepulchrum quàm Saraceni religiose colant & obseruent.

Nomen Mariæ ipsi quoque dæmones graue, atque contremiscendum.

Cur Maria beatam se laudari præ-

dicet ab omnibus generationibus.

superque est, quòd chara est Deo? Respondeo: Non hoc dicit, sed vult cognatæ ostendere, quàm magnum sit beneficium, quod accepit, vt illud sit conspiciendum non modò ab ipsa Elisabeth Spiritu sancto instructa, sed ab omnibus generationibus etiam reproborum. Vel omnes generationes appellat Sanctorum, quod scilicet hic spiritus, qui illuminauit Elisabetham, sit illuminaturus cæteros Sanctos ad eam beatam agnoscendam, & dicendam: vt prophetet hoc futurum, ex iussu Dei; sicut iussu Pharaonis honoratus est Ioseph, Genes. 41. & iussu Assueri Mardochæus, vt habetur in Esther cap. 6. nimirum vt omnes nationes ipsam beatam agnoscant, eam implorent, & per vestigia ipsius laudent atque magnificent Deum, qui in vrgentissima fame hominibus frumentum dedit, vt olim per Ioseph: & salutem populo suo, & necem hostibus suis Diabolis, vt per Mardochæum.

Beatam Virginem dicturæ sint quæ omnes etiam generationes.

Gen. 41. & seq.

Esther 6. & seq.

Certa autem fuit beatissima Virgo de hoc præconio generationum, tum rationis discursu: quia si Christum laudabunt omnes gentes, commédabunt & matrem, quæ illum peperit, aluitque: Tum testimonio salutantis Angeli, & Elisabeth laudantis, in typum hominum simul & Angelorum, qui perpetuas laudes eius erant decantaturi. Tum denique in Verbo, quod in vtero gestabat, hoc vidit futurum. Erat enim Dei Verbum ad agendum ac illuminãdum dispositum, velut splendidissimus Sol. Erat etiam beata Maria, vt stella quædam præparata ad suscipiendos radios sine vllo impedimento: Ita vt hoc, aliaque multa improbabile non sit, Verbum illi suggessisse mysterio. Atque hactenus de primo versu.

Vnde nouerit beatissima Virgo hoc præconium generationum.

Qualis Sol, Christus, & stella Virgo Maria.

¶ Sequitur secundus: *Quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius.* Solent, qui gratias agunt, parua etiam dona extollere, & verbis amplificare: donãtem etiam ipsum laudib. celebrare & prædicare: Deus verò ingẽtia nobis & pretiosa munera contulit, de quibus princeps Apostolorum: *Per quem maxima*, inquit, *& pretiosa promissa nobis donauit, vt per illa efficiamini diuinæ consortes naturæ.* Et maxima etiam charitate ac benignitate illa nobis conferri voluit. Est etiam ipse potentissimus, & suapte natura natura propensissimus ad donandum: ideò verendum non est beatam Virginem hyperbole, aut aliquo verborum excessu, in agendis gratijs fuisse vsam: imò verò quæcunque nos aut mente, aut oratione complecti possumus, à magnitudine gratiarũ actionis, quam debemus Deo pro tot tantisque beneficijs in nos effusis deficiunt, atque ad figuram Tapinosis referenda sunt, qua minus dicimus, & plus intelligimus. Verbum, *Magna*, Græcè est, μεγαλεῖα, hoc est magnalia, siue magnifica & excelsa, ac veluti aceruum quendam donorum. Deum autem describit verbo, *qui potens est.* Vbi Græcè cum articulo significantius dicitur, ὁ δυνατὸς, id est, ille, qui summè potens est, & potentia omnia superat. Deus enim potens est magna facere, & etiam facere vt beata à cunctis dicar.

Deus Opt. Max omni gratiarum actione dignissimus

2. Pet. 1.

II. Ratio

Deus quàm potens.

Non ergò fecit mihi magna, qui tantùm iustus est, id est, qui iustitiæ meritis hoc tribuere voluerit; sed qui potens, & qui ostendere potestatem voluerit suam in donando: cuique nullius humilitas obstaculo est, quo minus ex humilibus, & in humilibus efficiat maxima. Neque verò hoc præstat, quasi vlla gloria indigeat Deus; sed quia homines opus habẽt, vt quãdo Deũ ita potentem experiuntur, ad eum accedere audeant, nulla humilitate prohibente, aut absterrente.

Deus cur benè faciat nobis.

At dices, Cur non dixit: Quia fecit mihi ter maxima, cùm nihil hominibus dari maius potuerit quàm Filius Dei, & Messias? & fœminæ, quàm dignitas matris eius? Respondeo: vel quia loquebatur ad eam, quæ magnitudinem rei nouerat, apud quam nõ erat necesse rem verbis extollere: vel quia nõ agit hic de rei magnitudine cõferendo cum alijs, sed tantùm quòd hæc, quantacũque fuerint, sibi fecerit: vel denique non video, quid differat inter magnalia, & ter maxima, cum hæc verba eandẽ propemodum videantur habere significationem.

B. Virgo quare non dixerit: Quia fecit mihi ter maxima.

Dicitur autem, tanquàm titulus Dei: *Potens* absolutè, quia immensa & interminata in omnes partes eius magnitudo & potentia absoluta est. Siquidem omnes creaturæ habent aliquam virtutem, sed limitatam, & ab ipso emendicatam & coniunctã (vt sic dicam) cum infinito non posse. Necessaria autem fuit tanta potentia ad talia opera mulieris fortis, vt concipere & parere posset fortem per Gabrielem forte annunciatum.

Dei potẽtia ab illa creaturarũ quantũ differt.

Phrasis Theologorum.

Hæc verò magnalia, prærogatiuas, & excellentia dona Virginis cõtinent. Est namque B. Virgo quarta persona in dignitate post tres illas supremas, & Diuinas Personas. Tertia est persona in officio, & charitate pro nobis aduocandi post Christum, & Spiritum sanctum, quorum vterq; Paracletus est, & caussam nostram apud Deum Patrem agit, etiam si diuersa ratione. Nam Christus quidẽ per se ipsum, quatenus homo est, accedit ad Patrem: at Spiritus sanctus non nisi per nos ipsos, nam postulat pro

Gabriel quid sonet.

Quæ sint illa magnalia, quæ facta sibi à potente Deo prędicat Virgo.

1. Ioan. 2.

Rom. 8.

Aliter Spiritus sanctus, aliter

Christus & Maria pro nobis aduocant apud Patrem: pro nobis gemitibus inenarrabilibus.

Secunda est in patientia: nam primum locum obtinet vir dolorum,& sciens infirmitatem Christus Dominus: secundum B. Deipara, quæ plusquã martyr fuit. Prima etiam persona est in possidẽda fide, quam super omnes creaturas eminẽtissimam habuit, vt meritò eius nomen Maria, illuminatam, vel illuminãtem propter eximiam eius fidem, interpretetur.

Ibidem. *Isai.53.* *Hieron. serm. de Assumptio. B.Mariæ, sub fin tom.4.* Maria illuminatam, vel illuminantem cur sonet. Virginis prærogatiuæ singulares.

Deinde meritò dicit: Fecit mihi magnalia: alias enim fœminas in filiorũ procreatione, virtute etiam plusquàm naturali addita, magnas effecit, alias rursus in Virginitate admirabiles atq; commendabiles reddidit: at Virgini vtramque dignitatem magna mundi cum vtilitate, & admiratione contulit. Adhæc quasdam quidẽ actionis, quasdam verò contẽplationis munere honestauit fœminas: Mariam verò in vtroq; dono fecit illustrem. Vitam.n.infantiæ & pueritiæ vsq; ad coniugium, in contemplatione traduxit, actioni verò ac ministerio, viuente Christo vacauit: Verùm assumpto in cœlum Christo, vtriusque vitæ egregiũ specimen edidit. Christus præterea primus est, & caput prædestinatorum omnium, in quo, & propter quem omnes electi prædestinãtur. Sed in prædestinatione, post Christum, primum sortitur locum beata Virgo Maria, vtpote illi coniunctior, & ad maiorem gloriæ coronam super Angelos electa ac prælecta. Alij enim prædestinantur, vt sancti sint post peccatum contractũ, & post egressum ex vtero: alij verò, vt ante egressum ex vtero sanctificentur: at B.Virgo Maria vt sancta conciperetur, & nasceretur, antequàm originalis delicti macula, quam suapte natura euasura non erat, inficeretur, atque ita debuit sublimiori sanctificationis genere, vt Chrysost. ait, mundari. Hoc autem sublimius genus aliud nullum potest esse, quàm præseruatio: nam Deus hoc efficere poterat, hoc etiam facere illũ decebat, fecisse ergò ne dubitemus. Si enim potuit Adam suos lædere, antequã essent in rerum natura, quid ni multò magis præseruare eam Deus possit, quæ nondum erat in se, erat tamẽ in prædestinatione & oculis Dei? Ait etiam: *Fecit mihi magnalia qui potens est:* at quid magni fecit, si nõ præseruauit? nã sanctificatio à delicto contracto etiam in vtero cõmunis esset Virgini cum alijs quibusdam, vt cum Ioãne Baptista & Hieremia, & alijs quibusdam: vt de Iacobo fratre Domini testatur Hieronymus ex Ægesippo, at maiora priuilegia matri Dei, quàm seruis eius concedenda erãt. Si homo etiam, seruo suapte natura futuro, qui è seruis parentibus nasceretur, donare libertatem potest, ita vt conceptus, natusq; liber, non seruus existat. Quidni hoc valeat multò magis supremum illud, ac diuinum numen? Quod verò Dei bonitatem decuerit hoc facere, obscurum non est. Nam absurdum videtur, æternum Dei Verbum sinere matrẽ suam labe criminis infici, & seruituti dæmonis subijci, irascimurq; si quis Virginitatem tollat corpori B.Mariæ, cur nõ etiam illi, qui tollit animi Virginitatem? Erubescimus audire, corpus eius sanctissimum ac integerrimum, corruptioni fuisse obnoxium, ac deuoratum à vermibus: quo modo nõ magis erubescẽdum confiteri, animam eius sanctissimam vel ad momentum fuisse à dæmone deuoratam? Decebat hoc etiam Sanctũ Sanctorum, qui ad sanctificandũ venerat mundũ, vt eximio illã sanctificandi modo illustraret, ex qua corpus assumpturus erat. *Nam in maleuolam animam nõ introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Decebat & eam, quæ Regina futura erat Angelorũ, vt ea puritate niteret, quæ maior sub Deo nequit intelligi, vt testatur Anselmus. Non vinceret autem Angelos pietate, sed potiùs ab eis vinceretur, si peccatum incurrisset, à quo illi excellenti Dei gratia præseruati sunt, ne in illud caderent, vt alij qui ceciderunt, licèt necessitatem cadendi nullam haberent, sicut nos. Quod si hoc Deus potuit efficere, congruebat etiam multis de caussis vt faceret: illud fecisse mihi quidem dubium non est, cum illa, quæ Spiritu sancto regitur, sub expresso nomine cõceptionis festum diem anniuersarium celebret. Atque hoc admisso priuilegio, Scripturæ sacræ, quæ de Virgine loquuntur, excellẽtiorem & plenior ẽ sensum habere dignoscuntur. Nam hic locus (vt de cæteris interim taceam) *Quia fecit mihi magnalia qui potens est*, satis manifestè prodit magnifica, eximia, & singularia dona, quæ à Deo accepit, super omnes alios homines, & sanctos. Nam vt illi singulariter datum est, vt sola, salua sua Virginitate, mater esset Messiæ: ita soli priuilegium sanctæ conceptionis, & à peccato præseruatæ concessum esse, asserendum est, atq; cum ea coniunctum fuisse aliud beneficium, nẽpe acceleratum liberi arbitrij vsum, quo ab initio benefactum, & munerum largitorem Deum agnouit, eiq; de tantis beneficijs gratias agere cœpit, vt ea ratione à primo instanti conceptionis ad dignitatem matris Dei conuenienter disponeretur, ac præpararetur.

Ephes.1. & aliàs. Gradus sanctitatis quatuor. Mariæ Virginis sanctitas qualis. *Chrysost. in Matth. homil.* Immaculatæ Virginis conceptionis veritas cõprobatur. *Hierem.1. Luc.1. Hieron. lib. de scriptorib. Eccles. tom.1.* Simile.

Quòd decuerit diuinam bonitatem, Virginẽ matrem ab omni labe criminis præseruare. *B. Aug. lib. de Assumpt. B. Mariæ, 10.9.* II. Ratio conuenientiæ præseruationis Mariæ ab originali macula. *Sap.1.* [*Cap.9.*] III. Ratio. *B. Anselm. lib. de concepiu Virginal. c. 11. & 14.* Quod si illa piæseruata minime fuisset. Vnum de magnis ab omnipotenti Deo matri suæ factis præseruatione esse, confirmatur. Quod aliud magnũ Virgo cum præseruatione simul fuerit beneficium consecuta.

Post hunc donorum Dei cumulum in Maria iustè collocatum, ex eo quod mater

Dignitatem matris Dei

Dei

quæ & quanta alia beneficia & dona comitentur.
Luc. 1. Infrà 11. Suprà 2. Ibidem. Matth. 2. Ioan. 2. Infrà 19. Act. 1.

Dei est effecta, plura alia & magnifica munera, quę matrem Dei consequuntur, accepisse intellige. Nam peperit suo tempore, sine vllo dolore, imò cum magna iucunditate filium suum primogenitum vbere suo lactauit, circumcidit octauo die, præsentauit in templo, fu iens in Aegyptum custodiu t ab Herode: ad eius vocem primū miraculum edidit Dominus in Cana Galilææ: astitit spectaculo Crucis: prima filium à morte resurgentem videre digna fuit: orabat cum Apostolis pro aduentu Spiritus sancti, vt perficeret eorum preces: mansit per multos annos in hoc mundo, vt esset præsidium, solatium, & ornamentum Ecclesiæ, multaque merita pro filijs Ecclesiæ ditandis apud Deum compararet: postremò, animo & corpore simul in cœlum assumpta fuit, & exaltata super omnes choros Angelorum, vbi fidelem se nobis aduocatam perpetuò præstat. Ad hęc autem, multa etiam consecuta sunt. Namque Ecclesia tot festis anniuersarijs atque celebritatibus illam honestandam, atq; illustrandam præcepit tot hymnis, Canticis, precationibus, & antiphonis eius patrocinium peculiariter inuocat & implorat. Hæc sunt ista magnalia, quæ hic cantat nostra tympanistria: quorum partem iam acceperat, reliqua verò vt certissimè cōsecutura, pro acceptis more prophetico habens, canit: *Quia fecit mihi magna qui potens est.*

Quanto honore sit & veneratione virgo benedicta.

Eius præsentationem in templo antiqui Patres tradunt & celebrant.
Ioan. Damasc. lib. 4. de orthod. fide, c. 15 circa med.

Quare miratus non sum, sed vehementer & gauisus, quod festum Præsentationis B. Virginis fuerit in Kalendario Græcæ Ecclesiæ obseruatum, cùm & plures, & veteres, & probati autores ac patres existant, qui eius honorificam faciant mentionem. Nam S. Ioānes Damascenus ita de illa præsentatione loquitur: *Editur partu* (scilicet Maria) *In domo Ouilis Ioachim, & adducitur in templum. Deinde in domo Domini plantata; & impinguata spiritu, velut oliua fructifera, omnis virtutis habitaculum facta est, ab omni seculari vita, & carnali concupiscentia procul mentem sequestrans, & sic Virginem animam cum corpore conseruans, vt decebat eam, quæ in sinu Deū suscepturа esset. Sanctus enim existens, in sanctis requiescit. Sic igitur sanctificationem omnem exercet, & templum sanctum & admirabile altissimi Dei d ;nè demōstratur.* Sic ille, & ante Gregorius Nyssen. serm. de sancta Christi Natiuitate ita habet: *Audiui igitur arcanam, & occultam quandam historiam, tales de ea re memoria prodentem narrationes. Insignis quidam in illa exacta secundùm legem viuendi ratione, & nobilis propter summam virtutem pater Virginis erat, sed expers sobolis consenescebat, propterea quòd coniux eius ad liberorum procreationem apta non esset. Habebatur autem* [illegible] *bus ab lege quidem honor, cuius honoris steriles participes non erant. Imitatur igitur hæc quoque ea, quæ de matre Samuelis narrantur: & Sanctū Sanctorum ingressa supplicat Deo, ne legum beneficio priuetur, quæ nihil in legem peccasset, sed vt mater fieret, ac Deo, quòd gigneretur, consecraret. Confirmata autem nutu diuino, donum quod petijt, accepit. Quum autem nata esset puella, nomen quidem imposuit ei Mariam, vt etiam per nomen impositum, diuinitus datum munus significaretur. Quum autem puella iam ita grandis euasisset, vt mamma admoueri eam amplius opus non esset, haud cunctata est eam ad templū adducere, ac Deo reddere, atq; promissum præstare. Sacerdotes autem exemplo Samuelis, in sacris interim puellam educare*, & quæ sequuntur.

In quib. Deus sanctus inhabitet.

Greg. Nyss. Diua Virgo ex quibus parentib.

Exod. 23. Deut. 2. 1. Reg. 1.

Nomen Marię Virgini impositum non fortuito, verum diuina prouidentia.

Hanc eandem historiam producit Simeon Metaphrastes, & Lippomanus Episcopus in suo illo laudabili opere, quo vitas sanctorum in nonnullos tomos redegit.

Simeon Metaphrast. Lippoman. Epis. tom. 1. historiæ sanctorum.

Nec valet quod quidam obijciunt, Gregorium istum hanc historiam Græcè vocasse apocrypham & mysticam, quod nos habemus, occultam & arcanam, ac proinde illo verbo nixi voluerūt eius autoritatem eleuare & infringere. Sed sanè si pijs oculis & attentis animis rem inspiciamus, aliò videtur Gregorius spectasse, vocando apocrypham, siue occultam historiam, nimirum quod sine scripto Canonico per nudā traditionem ad nos peruenisset. Tradere enim sine scripto, silentium quoddam & occultatio est: vt docet B. Basilius. Sic enim idem Basilius in serm. de humana Christi generatione, historiam de Zacharia interfecto à Iudæis, qui Mariam post partum in loco assignato virginibus in templo collocasset, historiam & sermonem ex traditione vocauit. Quod sanè tria confirmare videntur. Primum est, quod Gregorius verbo illi apocrypham adiunxit arcanam, quę Græcè dicitur μύστικον, vt ostendat non accipi in malam partem, quod dixit, occultā, siue ἀπόκρυφον, id est, pro incerta re & ignota, sed tantùm pro sermone, qui celatur, & non est omnibus expositus & obuius. Quia etsi Gentiles sua quoque mysteria, sed falsa habebant, apud nos tamen nihil est mysticum, nec esse potest, quin idem sit sanctum ac religiosum, ac proindę verum. Secundò idem probatur: Quia B. Gregorius ad honorem & gloriam tum matris sanctissimę, tum Christi filij eius historiam incertam & falsam nequaquā produxisset; certè nemo sanus apocrypha quę ignorat & detestatur Ecclesia, protulisset, & ea verbo aliquo vel ratione nō infirmasset ac reprobasset: cùm ergò hic pater illam historiam producat, nec

Quo sensu Gregor. Nyssenus D. Virginis in templo præsentationis historiam apocrypham, & occultam nominauerit.

Mag. Basil. lib. de Spiritu sancto, c. 27. initio, tom. 1. Idem hom. 25 paulò post med.

Ratio prima eius appellationis.

Ἀπόκρυφον Græcè & μύστικον quid.

II. Ratio

nec illam reijciat: videtur illam tanquàm veram enarrasse, quemadmodum & simpliciter Damascenus illum tradit, & probat. Tertiò, illa vera esse demóstrant, quæ subiungit: nam tractans illa verba: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Hæc*, inquit, *Maria vox demonstrat esse vera, quæ per occultam illam historiam traduntur. Nam si nuptiarum causa assumpta erat à Ioseph, quomodo Angelum de partu prædicentem, quasi re noua atque insolita obstupefacta auersata esset? cùm prius sperasset se quoq; ipsam aliquando iuxta legem naturæ matrem esse futuram?* Sed ante hos omnes est Euodius, vir Apostolicus, post Petrum Antiochenæ Ecclesiæ præsul, qui in epistola, quam lumen inscripsit (vt proditur à Nicephoro) sic habet: *Cæterùm tempus omne à Natiuitate Christi, vsq; ad Deigenitricis migrationem, annos dicit fuisse quadraginta quatuor. Totius autem vitæ eius annos quinquaginta nouem. Siquidem trimula cùm esset, in templum est præsentata, & ibi in Sancta Sanctorum traduxit annos vndecim. Deinde verò sacerdotum manibus Iosepho ad custodiam est tradita apud quem cùm menses peregisset quatuor, ab Angelo Gabriele latum illum accepit nū tium. Peperit autem mundi ipsius lucem, annum agens quindecimum 25. die mensis Decembr. Deinceps annos peregit triginta tres, quos etiam æternum, & ante seculare Verbum, & filius eius in terris exegit. Post crucis autem supplicium illud, in domo Ioannis annos impleuit vndecim: vt ætatis eius anni simul collecti sint quinquaginta & nouem. In ea ipsa Ioannis domo primum Pascha mysticum conuiuium Dominus cum discipulis instituit.* Sic ille. Præter hos duos Patres sunt, & alij, qui non solùm illam Virginis ad templum Dei Præsentationem nouerūt, sed etiam homilias in eius solennitatis celebrationē & laudationem composuerunt. Tales sunt ante 600. annos Germanus Constantinopolitanus, & Georgius Nicomediensis, & Gregorius Thessalonicen. quorum de hac re extant homiliæ apud Simeonem Metaphrastem, & collegit eas Lippomanus: ad hæc extat alia homilia Leonis Imperatoris cognomento Sapientis, in huius festi, quod Græci vocāt, solénitate. Verba Georgij Nicomedien. in hom. de oblatione virginis in templo, hęc sunt: *Maria cùm tertium ætatis annum ageret, à parentibus in templū adducta fuit, & ideò simul oblata in templi penetralibus, ad secundam ætatem vsq; perseuerauit, diuino consilio puellam mirabiliter gubernante, vt illa non temerè ad opus Dei maximum inde ab initio destinari, ac singulari studio præter ætatis illius consuetudinem præparari videretur.* Et Dionys. Carthus. lib. 1. de præconio & dignitate Mariæ: *Decentissimum fuit, vt prælecta concipere Dominum templi, in ipso templo consecraretur obsequeretur q; Domino, & suam infantiam in exercitijs expenderet sacris, atq; ibidem instrueretur literis sanctis.* Photius præterea ante 700. annos in quæstionib. ad Amphilochium Cyri Episcopum Metropolitam, quærentem cur non adiuit Angelus, vt illā cogitationem Iosephi de dimittēda B. Virgine ante tēpus parētis respōdet, & testatur inter alia, illam Virginis in tenera ætate dedicationem, & educationē in templo. His etiā subscribit Nicephorus eadem fere de Præsentatione Virginis recensens, quæ Greg. Nyssenus. Adde Epiphanium quendam monachum presbyterum Constantinopolitanum, qui Græce vitā B. Virginis ex vitis sanctorum Patrum collectam conscripsit: vbi notat Iacobum quendam Hebræum Aphrodisianum Persam, & Ioanem Thessalonicensem, & alterum Ioannem cognomento Theologum, qui mendosè multa in vita Virginis conscribenda inseruerūt: audat vero Andreā Hierosolymita. vt Virginis potius laudatorem, quàm historię vitæ D. Virginis contextorem. Hic ergo Epiphanius tradit, Virginem triennem præsentatam templo à parētibus suis cū donis, & susceptā à Sacerdote Iodai, qui & Barachias dicitur pater Zachariæ: & narrat paulo post dictam Præsentationē mortuos fuisse eius parentes, Ioachimū annorū octoginta, Annā annorum nonaginta nouem.

Historiam ergò, & festū Præsentationis testantur Græci Historici, vt Nicephorus, Simeō Metaphrastes, Georgius Cedrenus in compendio histor. annium, & Epiphanius presbyter Constant nop. Testantur & veteres Patres, qui homilias egregias de ea solennitate ediderunt, etiamsi Cēturiatores eam historiam, & Iacobi Proteuangelion, in quo illa traditur, irrideāt. Quid enim ad nos de libro illo apocrypho? alios multos produximus omni acceptione dignos. Rident etiam Cēturiatores, quod dicamus factum Samuelis apte quadrare, & conuenire Mariæ Virgini præsentatæ à parentibus in tēplo: quod tamen apertè asserunt Damascenus & Greg. Nyss. in loco superius pductō. Vtriusq; mater Annæ nomen habuit, vtraq; sterilis fuit, vtraq; precibus & orationibus postulauit prolem à Deo, vtraque voto se obstrinxerat, prolem natam Deo, ac eius sacro ministerio oblaturam: vtraq; prolem educandam in templo reliquit, vt voto suo faceret satis. Ecclesia etiā Romana etsi hoc Præsentationis festum nō celebret, aliquando tamen celebrātes tum priuatim, tum publice nō damnauit, nec vituperauit: imo ipsamet aliquando celebrauit, donec

Margin notes (left): Damascen. loco iam d. 3o. — III. Ratio. — Luc. 1. — Matth. 1. — Euodius Episcopus. — Nicephor. lib. 2. c. 3 histor. Eccles. — B. Virginis ætas qua: quādo in templo præsentata: ibide quamdiu manserit, nupserit, quando & ab Angelo con salutata: quot annisque peperit. Quandiu vixerit à partu Christi. — Luc. 7. — Infrà 12. & seq. — Germanus Constantinop. — Gregor. Nicomed. — Grego Thessalonicen. — Leo Imper cognomento Sapien. — Dei in Virginē adhuc triennē singularis prouidentia. — Dionys. Carthus. art. 12.

Margin notes (right): Christus templi Dominus. Matth. 12. — Photius quando vixerit. — Matth. 1. — Niceph. lib. 1. c. 7. — Gregor. Nyss. orat. de Natiuitate. — Epiphan. Monachus. — Andreas Hierosolym. — Virginem in templo præsentatam primum sacerdos suscepit testatur. — Hanc veritatem Virginis præsentationis ... — Damascen. — Greg. Nyss. — Qualis illa cōparatio. — Romana Ecclesia festum Præsentationis quatenus improbauerit.

donec Pius eius nominis V. festiuos dies ad contractiorem numerum redegit.

Dux Saxoniæ Gulielmus festum Præsentationis B. Virginis à Sede Apostolica cõfirmari petit & obtinuit.

Prætereà fauet huic historiæ, quod Gulielmus Dux Saxoniæ pro religione sua, & pietate ad hoc Virginis festum, quod in Saxonia magna pietate celebrabatur, literas misit ad Pium II. Pontificem Max. quibus vt hoc festum autoritate Apostolica confirmaret, postulabat. Sed illo immaturè mortuo, successit Paulus II. qui ferè antè centum annos postulatis Gulielmi Ducis de benignitate assensus est Apostolica, concedens vt non secus atq; Assumptio Virginis eiusmodi solẽnitas in Ecclesia celebraretur. Cuius rei extant grauissimi testes, nempe ipsæmet literæ Apostolicæ in registro gestorũ Pauli II. & testãtur duo Martyrologia, alterum Vsuardi, alterum Molani Theologi. Non est autem verisimile, hoc diploma à Sede Apostol: prodijsse, & non prius diligenter fuisse examinatum, atq; discussum, quib. & quã firmis testimonijs hæc Præsentationis historia niteretur.

Huius historiæ grauia testimonia proferuntur.

Cur serò hoc festum fuerit institutum Solennitates aliquot in Ecclesia tardiùs institutæ narrantur.

Neque valet, tardè fuisse hoc festum institutum. Non negamus: id enim singulari Dei prouidentia factũ colligimus, vt quælibet ætas suis gaudeat reuelationibus. Ita enim & festum Natiuitatis B. Mariæ, tempore Augustini non erat, vt ipse asserit, & solùm duos natales dies Christi, & Ioannis Baptistæ cognouit: sed per synodum Lugdunensem institutum fuit Virginis natale, & Gregorius IV. In cap. finali de ferijs, cõprobauit. Sed si non miramur, tam serò institutum festum Corporis Christi, quod in scripturis habetur; per Vrbanum IV. cõstitutum tempore B. Thomæ: quid mirum si tardius coli cœpit in Ecclesia Romana Præsentationis festum, cuius nullum est in scripturis testimonium?

Natiuitas B. Virginis.
B. August. ser. in Natali B. Ioannis Bapt. tom. 10.
Festum Corporis Christi.
Matth. 26.

Visitatio B. Virginis Mariæ.
Concil Basil. sess. 43. ad fin. tom. Concilio. 2. circa finem.
Luc. 1.
Eiusdem Virginis immaculata conceptio à quo primum initiata.

Adde quod festum Visitationis eiusdem sanctissimæ Deiparæ, non nisi in Concilio Basiliensi institutum est; cùm tamen eius extẽt apertissima testimonia in Euangelio Lucæ. Sixtus quoque IV. festiuum diem Conceptionis immaculatæ Virginis celebrandum cum fauore indulgentiarum instituit: quod postea confirmauit Conciliũ Tridentinum, nõ obstantibus quibuscunque in contrariũ disputationibus, & Theologorum concertationibus. Et tamen si rationem subducas diligentius, posterius est hoc festum introductũ in Ecclesia Romana, quàm Præsentationis. Præcessit enim aliquot annis Paulus II. Sixtum IV. Nec obstat, Gregorium Nazianzenum, aut B. Basilium huius historiæ non meminisse: quia est argumentum à negatiua sumptum. Et si ea ratio alicuius ponderis esset, euinceret neq; festum Cõceptionis esse recipiendũ, quod illis ignotum Patribus extiterit. Et satis est, hoc festũ ante mille prope annos notũ fuisse Damasceno, & B. Basilij fratri Gregorio Nysseno, & tot alijs patribus, qui suis homilijs hoc festum exornarunt.

Concil. Trid. sess. 5.
Argumenta contra festum Præsentationis proponuntur, atq; soluuntur.
I. Argum.

Gregorium Nazianzenum hanc historiã vnde constet agnouisse.

Quod verò non omninò ignotum extiterit Gregor. Nazianzeno Præsentationis Deiparæ mysterium, probatur ex eius tragœdia de Christo patiente, vbi inducit D. Virginem in hunc modum loquentem:

Simul atque nata sum patris tui, vt arbitror,
Ex mente summa me meus nutrit pater
Non inter illos, quos colunt homines lares,
Sed me sacratæ mater ædi destinat.

II. Argum.

Sic ille loquitur. Quod si quis obijciat eiusmodi patres non nisi apocrypha cõscripsisse, dicemus, in illos reijciendum onus probandi eiusmodi esse apocrypha, aut libros tales illa cõtinentes esse apocryphos: nobis satis est, morem Ecclesiæ Græcanicæ esse illum diem religiosè colẽtis. Quod verò Annam, etsi parens Genitricis Christi sit, ad vetus spectare testamentum contendant: & ideò non sine ratione esse de Kalendario abiectam Romano: Respondebimus, pari posse ratione abijci festum B. Iosephi spõsi Virginis, qui præmortuus fuit Cruci Christi: reijciendum festum septem Machabæorum. Certè multa templa per orbem constructa sunt sanctis veteris Testamenti; vt Venetijs B. Zachariæ, & Hieremiæ, ac Danieli: Neapoli B. Ioachimo, & multa per vniuersas ciuitates templa B. Annæ sanctissimæ Deiparæ parenti optimæ & præstantissimę, ad cuius cultum & venerationem singulari pietate & religione corda Christi fidelium accensa sunt; vt propterea fides Christianorum illud festum, olim in Romana Ecclesia obseruari solitum sibi restitui promereatur, vt certa fiducia speramus aliquãdo restituendum, simul cum sanctæ præsentationis Deiparæ festiuitate, quemadmodum iam restituta Dei beneficio cernimus, & gaudemus. Et ne quisquam nobis valeat ex Hæreticis iure illud obijcere, Ecclesiæ sermonem Romanæ, atque doctrinam in illo: *Est*. &, *Non* consistere, & in illo, *Est*, intelligat, quòd in his nullum sit fidei aut religionis nostræ periculum. Constat enim Ecclesiam Romanam illos dies festiuos non recisse ob aliud, nisi vt contractiores feriæ fierent.

III. Argum.

Veteris Testamenti sancti qui, quibus in locis pie & colantur, & innocentur.

2. Cor. 1.
Quæ ratio fuerit Romanæ Ecclesiæ hanc præsentationis, & B. Annæ aliasque nonnullas festiuitates abrogandi.

Quod obijciunt, in more non fuisse in veteri Testamento, vt puellæ virgines templo applicarentur, ac dedicarentur, cũ virginitas tunc in pretio nõ esset, & cõiugium tum

IV. Argum. cõtra præsentationem.

iure honorificum haberetur, ac celebre, & benedictionis Dei habens promissionem: Respondemus, cùm legamus apud Lucam de sancta Anna vidua, quòd non discederet de templo ieiunijs & obsecrationibus, seruiens nocte ac die, verisimile sit, locum aliquem in templi vicinis & contiguis ædificijs, & à sacerdotibus peculiariter separatum, atque distinctum fuisse, in quod mulieres cuiuscunque ætatis & status sese ad templi seruitium dedicare, & cõsecrari volentes recipi possent, aut in perpetuum, aut ad tempus. Nam & in Ethnicorum tẽplis Virgines Vestales erant: & aliquod debebat extare monimentum in statu illo templi Mosaici, quòd typum & figuram gereret earum mulierum vel Virginum, vel cœlibum, vel viduarũ, quæ Deo se hodiè per peculiaria vota cõsecrant, ac Deo offerũt. Quòd si non esset, aliquid eorum, quod in re ipsa delineata inuenitur, deesset in primis lineis & figuris. Et saltem hoc concedendum esset: vel propter templum, cuius quædam opera magis ad mulieres, quàm ad viros spectabant, quę vel suenda, vel texenda erant, vel propter honorem B. Virginis, quæ in templi adytis educanda erat, vt omnes prædicti patres testantur. Potest etiam de scripturis hæc sententia corroborari. Legimus enim Exo. 38. *Fecit & labrum æneum cum basi de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi*. 70. interpretes verterunt: *De speculis ieiunantium*: Chaldęus verò: *De speculis mulierum, quæ veniebant vt orarent in ostio tabernaculi*. Tales enim mulieres siue viduæ, siue virgines, veniebant ad templum, vt ibi affligerentur & applicarentur, quæ reiecta vanitate solùm Diuino cultui inseruiebant, quæ pro religione specula portabant, & Domino offerebant (vt nunc præcisos capillos & pretiosos offerunt, quę seculo & vitæ voluptuosæ renunciant) tales verò per singulos dies pios cœtus habebant, vt se mutuò ad sacras preces & ieiunia, & seruandam pudicitiam inuitarent. Dicuntur porrò orationi & ieiunio intentè excubare, tanquam milites strenui: qui pro toto exercitu seruando inuigilant. Harum nonnullis filios Heli vim intulisse, & eas vitiasse testatur primi Regum libri historia: Dormiebant cum mulieribus quæ obseruabant (vel congregabantur) ad ostiũ tabernaculi: vt etiam Iosephus libr. 5. antiquitatum, cap. 11. docet. Secundò, confirmatur hæc veritas ex 2. Machab. cap. 3. vbi habetur: *Accinctæq́; mulieres cilicijs pectus, per plateas confluebant, sed & Virgines quæ conclusæ erant, procurrebãt ad Oniam*. Vides hic virgines inclusas in loco vicino ipsi templo, & quæ seruabantur, donec nuptui traderentur, confugisse ad summum Sacerdotem. Tertiò, Cyrillus Alexand. lib. aduers. Antropomorphitas cap. 27. docet inter templum & altare spacium quoddam intermedium virginibus dicatum: quem locum Zacharias sacerdos non denegauit B. Mariæ Christum enixæ, vt hic ait Orig. tract. 26. in Matthæum, & Theophyl. in Matth. 23. capitis verba: Quem occidistis, inquit, inter templum & altare. Item Georgius Cedrenus in Compendio historiarum. Et B. Ambros. lib. de Virginib. ait. Nam etiam Virgines templo Hierosolymorum fuisse legimus deputatas. Adde Baptistam Mantuanum insignem nostri seculi poetam, qui lib. 1. partheniæ ita scripsit:

Mos erat antiquus longum seruatus in æuum,
Aede puellares annos includere sacra,
AEtatemq́; Deo teneram, primumq́; dicare
Virgineum florem vitæ, & generare pudoris
Ingenui curam, sanctosq́; inducere mores.
Mox vbi vestitum prima lanugine tempus
Venerat; in thalamos ibant, Hymeneaq́; tecta,
Coniunctaq́; viris proli indulgere solebant.

Et Gotfridus Viterbiensis eo antiquior.

Mos erat in templo teneras seruire puellas,
Quas ibi lege sua cum religione reseruant.

Ex horum igitur Patrum sententia penitùs colligitur, talem locum non defuisse, in quo honestæ & sanctæ eiusmodi fœminæ habitare & versari possent. Et profectò cùm tot, ac tam illustres Patres illam in tẽplo fuisse educatam contestentur, necessum est concedere aliquem peculiarem & selectum locum fuisse, vbi cum omni sanctitatis & honestatis specie Virgines, siue aliæ mulieres templi ministerio dedicatæ, & consecratæ manerent.

Nec verum est, virginitatem eo tempore nullo in pretio habitam: quia iam digamia, qua plures simul habẽtur vxores, sublata erat, & castitas non ab vno priuato aliquo culta & recepta, sed etiam à publicis cœtibus Essenorum: vt testatur Iosephus lib. de bel. Iudaico: quos & admirati sunt externi, & laudibus celebrarunt, vt apud Plinium cernere potest diligens lector.

Sed redeamus ad textum. Subdit igitur Euãgelista: *Et sanctum nomen eius*. Quod dupliciter intelligi potest: vel quòd prorumpat in benedictionem, & gratiarum actionem ex acceptorum narratione donorum, quasi dicat: Sit benedictum, sanctumque nomen eius: vel dicit, sanctum nomen eius sibi

Margin notes (left): *Luc. 2.* — Ex quo manifestum sit, Iudæis olim mulieres templi se ministerio mancipantes, se à viris à viris in templo habuisse mansionem. — I. Locus. Virgines Vestales. — Própria fœminarum officia. — II. Locus. *Exod. 38.* — Mulieres illæ excubantes ad ostium tabernaculi Exo. 38. cur ferrent specula. — Earundem sacratarum mulierum studia & exercitia. — *1. Reg. 2.* — *Iosephus.* — *2. Mach. 3.*

Margin notes (right): *Cyrill. Alex.* III. Locus. — *Orig. tom. 2.* *Theophyl. Matth. 23.* *Georg. Cedre. Græcus autor.* *Ambr. tom. 2.* — *Baptista Mantuano illu poeta.* — *Gotfrid. Viterbien.* — Cœlibatus apud Iudæos & apud gentes in pretio habitus. — Digamia quid. — *Ioseph. lib. 2. de bell. Iud. c. 7.* *Plin. lib. 5. cap. 17.* — Illud: & sanctũ nomen eius, bifariam intelligitur.

sibi magna fecisse, vt scilicet sanctum esset nomē eius, quod nimirum nullam rem humanam secutum in virgine videri poterat. In scripturis verò id sanctū dicitur, quod Deo consecratum est, quodque profanare nemini licet. Et videtur D. Virgo hoc loci nomen pro gloria Dei sumpsisse; sicut vsus sermonis obtinet, vt de viro laudabili dicamus: vir est magni nominis. Vt sit sensus Qui tam magnifica mecum egit, verè potēs est, vt nihil ipsi sit impossibile, & nomē eius sanctum, hoc est, nemo de hoc magnifico, & planè diuino opere gloriari vel debet, vel meritò potest, verum omnis laus & gloria huius sancti vni Deo debetur, vt sic ab opere suo solus laudetur artifex. Quanquam non desint qui interpretentur: nomen eius, id est, Deus ipse nominatus, qui sanctus est per essentiā, & quicquid de illo verè affirmari potest, sanctū est, fōs omnis sanctitatis ad nos deriuatæ. Et vt ille sanctus, iustus, gloriosus, bonus, & amabilis dicitur: ita omnia illa nomini eius meritò tribuuntur, quia Deum ipsum repræsentant. Sed hic sensus non multùm distat à præcedenti. Sunt qui etiam satis aptè exponunt: & sanctum nomen eius, accipiēdo hoc tropo Hebræo causaliter, vt sit sensus: quia sāctum nomen eius: Est autem nomen Dei, Verbum, quia Patrē, cuius est imago, manifestat: & quia ad eum manifestandum, caro factum est. Est autē sanctum, quia quò quid est magis mundū, & alienum à materia, & potētia faciendi, eò fortius est: vt in cœlo & igne cernere licet. Est etiam sanctum secundum humanitatem, quia vnitum ipsi sanctitati, & maximè gratiam Spiritus sancti participans, ex qua omnes sanctificantur, & B. Virgo magnificas & eximias istas gratias prima accepit. Hactenus de secundo versu.

Sanctū quid in scripturis.

Quid nomen hoc loco significet.

Alter sensus priori similis Deus quomodo sanctus.

IV. sensus.

Quod sit nomen Dei.

Coloss. 1. & Hebr. 1

Ioan. 1.

Nomen Dei cur sanctum.

Maria Virgo & omnes sancti per Spiritus sancti gratiam fuere sanctificati.

Tu interim disce prędicare, & laudibus celebrare magnalia Dei, quæ in te est operatus. Sic ergo tuis meritis nihil, sed omnia diuinę benignitati, ac munificentię adscribes. Quæ in B. Virgine operari dignatus est, nempe vt gestaret Filium Dei in vtero atq; vberibus suis illum lactaret, magnifica quidē sunt: veruntamē maiora esse dixit Christus, Filium Dei corde per fidem concipere, Verbum Dei audiendo, & faciendo. Cū enim laudatus esset à sancta quadam muliere, dicēte: *Beatus venter, qui te portauit, & vbera quæ suxisti*. respondit: *Quinimò, beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud*. Et iterū dicenti sibi: *Ecce mater tua, & fratres tui foris stant, quærentes te alloqui*, dixit: *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? Et extendes manum in discipulos suos, dixit: Ecce mater mea, & fratres mei. Quicunque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, soror, & mater est*. Quare si quis tantæ huius virginis felicitati inuidet quòd fuerit mater Dei audiat ab ipso Filio Dei posse se hāc consequi beatitudinem. Et nisi in B. Virginis animo prius fuisset Filius Dei conceptus, nunquā illū carne concepisset. Ideò nostrū quisque iure potest dicere: Quia fecit mihi magnalia qui potens est, & sanctum nomē eius. Audis Dominum potentem, disce in illum sperare, & te per illum omnia posse, & nihil Satanam, aut infernum in te posse. Audis nomen eius sanctum: tu caue, ne per malitiam tuam polluatur, sicut de quibusdā conqueritur, dicēs: *Nomē Dei per vos blasphematur inter gentes*: Sed omni cura, opera, & industria sanctus effici stude, vt nomē Dei sanctifices, & illustres, iuxta verbum Domini: *Sancti estote, quia ego sanctus sum Dominus Deus vester*. Qui enim sanctitatem pręcipit, illam nos posse consequi, atq; ipsum eam nobis donare velle, non obscure declarauit, pręstante Domino nostro Iesu Christo, cui cum Patre, & Spiritu sancto ab omni creatura impendatur omnis honos, gloria, & imperium, in secula seculorum, Amen.

Bonus se diligens Lector quam ex præsenti Euangelio spirituale vtilitatem capere possit.

Luc. 11.

Matth. 13.

Quomodo quis participare valeat hanc tantam D. Virginis Filium Dei concipiēdi, & pariendi prærogatiuam Beatissima Virgo Christū prius mente concepit, quā corpore.

Philip. 4.

Nomen Dei per nos quomodo sanctificandum.

Rom. 2.

Isai. 52.

Ezech. 36.

Leuit. 19. & alibi.

TRACTATVS XIII.

In illa verba: *Et misericordia eius à progenie in progenies, timentibus eū. Fecit potentiā in brachio suo: dispersit superbos mente cordis sui.*

Luc. 1.

SANCTISSIMA Deipara, quia mater futura erat sapientiæ, & summè ei coniuncta, sapientissima esse debuit, vt grata Deo esset de his quæ acceperat. Hinc dixit: *Quia fecit mihi magna, qui potens est*. Debebat etiam eius sapientia deceptæ insipientiam Euæ curare in antidotum: proptereà Maria Angelum doctorem, & instructorem simul Spiritum sanctum, imò ipsum Verbum Dei habuit. Quod si Susannam à parentibus iuxta legem Moysi eruditam fuisse literæ diuinæ testantur, quantò magis de matre Dei beatissima id est credendū? Nouerat Prophetas, quæ dictura erat aliquando: *Sicut locutus est ad Patres nostros, Abraham, & semini eius in secula*. Quod si Apostolorum magistra mundo relinquenda erat post Christum in cœlos assumptum, opus erat singulari eam rerum diuinarum cognitione præditam fuisse: Non ignorabat Trinitatis mysterium

Cur decuerit beatissimam virginem singulari, & eximio diuinæ sapientiæ munere prædi tam esse.

I. Ratio.

II. Ratio.

Gen. 1.

III. Ratio.

Dan. 13.

Luc. 1.

IV. Ratio.

à Prophetis cognitum, & insinuatum: nam aliàs haud Angelum intelligeret dicẽtem: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, & Filius Altissimi vocabitur.* Nouerat perfectè mortis Christi mysterium, si per os omnium Prophetarum prædixerat pati Christum suum, vt dicitur Actorum tertio. Contemplabatur Dei substantiam, cum dixit: *Magnificat anima mea Dominũ:* eius in se peculiaria dona, cum dixit: *Quia fecit mihi magna qui potens est:* eius quoque in mundum generalia beneficia: *Et misericordia eius à progenie in progenies, timentibus eum:* eius incomprehensa iudicia, quę propterea dixit: *Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles:* eius promissa in scripturis, vt cum ait: *Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham, & semini eius in secula:* eius incarnatione: *Suscepit Israel puerum suũ, recordatus misericordiæ suæ.* Quod vero instrueretur à verbo sanctissima Mater, cõstat tum ex eo, quod capacissima diuinorũ erat & auidissima. Et si alij sapientiam postulant à Deo, quantò magis mater eius benedicta? Quod si amicorum est pandere secreta; quid non matri suę charissimæ reuelauit, cum conseruaret omnia verba aliorũ conferens in corde suo: quid ni verba filij sui, quem quo plus Deum nouerat, & magis diligebat, eò dignior erat maioribus ac amplioribus reuelationibus? Quod si Angelos Deus, & primos parentes, à quibus nihil accepit, illustrauit, sapientiaq; decorauit, quanto plenius matrem, à qua carnem erat accepturus, quamq; in mundi redemptione vt adiutricem atq; cooperatricem pro sua incomparabili bonitate nequaquã egens accipere dignatus est? Peracta ergo laude & gratiarum actione ob priuata beneficia in se collata, nũc animum refert ad contemplandam Dei misericordiam erga omnes, qui eam volunt. Atq; in hoc B. virgo verè se Dauidis filiam esse ostendit. Ille enim eodem spiritu repletus, eundẽ ordinem seruauit in Psal. 102. in quo decreuerat diuina erga se prędicare beneficia. Nã primò quæ in se fuerant collata, meminit, dum ait: *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto eius. Benedic anima mea Domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius:* & quęnam illa sint, subdit: *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu vitam tuam,* & quę sequuntur: quibus peractis, porrigit considerationem ad ea cõmemoranda, quę passim omnibus, & pręcipuè Israeli populo facta sunt: *Faciẽs,* inquit, *misericordias Dominus, & iudicium omnibus iniuriam patientibus. Notas fecit vias suas Moysi: filijs Israel voluntates suas. Miserator, & misericors Dominus: longanimis, & multum misericors,* cũ reliquis. Quo in loco admonemur, vt quemadmodũ à precationibus nostris, quibus dona Dei postulamus, neminem excludere, ac reijcere debemus, verùm pro omnibus, & singulis, quę necessaria sunt ad salutem, petere: ad hunc modum in gratiarum actione agendum est. Nec enim illa ad accepta à nobis dona Dei tantum restringenda est, verùm etiam ad omnia omnium beneficia amplianda. In scripturis sacris non semel Christus, misericordia Dei appellatur. Hinc Propheta ait: *Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis.* Est enim misericordia saluans à perditione, quã nobis ostendi per carnem visibilem petimus, ac proinde nobis donari: Meritò autẽ, & absolutè dicitur misericordia, quia quatenus Deus est, fons est infinitus misericordiæ sublenans à miseria creaturam. Nam ex misericordia pura illã ex nihilo ad esse perduxit: & illam ex se deficientem, ne in suũ nihilũ reuertatur, conseruat: & deniq; peccato perditã, atq; dæmonis miseræ seruituti subiectam pro sua misericordia redimere decreuit, iuxta illud: *Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eũ redemptio,* Quatenus verò homo est, rectè misericordia nuncupatur: nam ex mera misericordia Dei, promissus est Adæ peccatori, promissus est Achaz Regi impio Iudę, ne putaremus vllum fuisse meritùm nostrũ, quod omninò nullũ fuit ad incarnati verbi aduentũ promerendum. Deinde, tanquã generalis quædam misericordia, vt mundo labanti, & propè iam perdito succurreret, iter fecit, vidensq; hominẽ spoliatum à latronibus & plagis impositis, semiuiuum relictum, misericordia motus est, & appropians alligauit vulnera eius, infundẽns oleũ, & vinũ. Atq; ita sustulit indignationẽ Dei, placatũq; nobis Patrẽ reddidit. Deinde seruitutẽ peccati & dęmonis sustulit, vt nos seruos iustitiæ efficeret: dedit gratiã, & in illa ius ad gloriã: sustulit ignorantiã per lumẽ fidei, atq; ita misericordia in eo longè superauit iustitiã. Atq; vt melius facere posset misericordiã, voluit similis nobis fieri, & peccatorũ pœnas sustinere, vt dolorũ nostrorum socius, & laborũ particeps esset. Hinc illa vox Apostoli: *Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris: sed tentatũ per omnia pro similitudine absque peccato.* Atque ita factum est, vt copiosa sit Dei erga nos misericordia quãm per sacramẽta communicari nobiscũ voluit, vt de illa certiores redderemur. Ex misericordia ergo, nos ad pœnitẽtiã expe-

Supra. 1. Ibidem. Virginis sapientissimæ contemplationes. *Act. 3.*

Eandem verbo æterno non caruisse duce ac præceptore. *Iacob 1.*

Proprium amicitiæ. *Luc. 2.*

Eadem, quibus dignior dono sapientiæ.

D. Virgo in quo se Dauidis filiam prodiderit.

Psal. 102. & seq.

Ibidem.

Vt orandum pro omnibus sic & gratiæ sunt agendæ pro omnibus exemplo Mariæ.

Psal. 84. Christus cur Dei misericordia nominetur.

Psal. 129. Christus etiã vt homo cur dicitur misericordia. *Gen 3.*

Isai. 7.

Luc. 10.

Quã nos seruitute liberauit. *Roman. 6.*

Hebr. 4.

Quã copiosa Dei erga nos misericordia.

ctat: ex misericordia flagellat: ex misericordia illuminat, vt Deum flagellantē, & nos ipsos agnoscamus: ex misericordia preuenit, & remittit peccata: ex misericordia adiuuat, vt perseueremus: ex misericordia remunerat supra meritū: ex misericordia denique non tantum nostræ, sed etiā aliorum saluti facit incumbere.

Explicatur: Et misericordia eius a progenie in progenies timentibus eum.

Possetque hîc esse sensus: Iesus Christus, qui misericordia Dei est à progenie, quæ præcessit ab initio mundi in progeniem futuram ad finem vsque mundi, protenditur super omnes qui eum timent, id est, qui eum fide, & charitate colunt, & sancto timore ad eius leges obseruandas afficiuntur: vt enim Apostolus ait: Iesus Christus heri, hodie, ipse in secula, per omnes omnium hominum ætates, & generationes salutem in his, qui dispositi sunt, operatur.

Hebr. vlt.

Alter sensus non ineptus.

Quanquam etiam simpliciter hæc verba intelligi possint de generali Dei misericordia, quam sua communi prouidentia ad omnes homines ostendit, non solùm bona fortunæ & corporis ex misericordia largè effuseque proferens; verùm etiam omnibus, qui suæ salutis tenentur desiderio, cognitionem veri numinis & singularis inspirans, præsidiaque ad tanti viri consecutionem accommodata præparans. Nec enim de diuina bonitate cogitandum est, minus illam saluti animarum nostrarum velle consulere, quam externis & corporis bonis. Est autem hęc misericordia à progenie in progenies: quia quemadmodum voluit Deus Optimus Max. parentes thesaurizare filijs suis; ita & spiritalia bona per eos, & eorum merita voluit in posteros transfundi, vt ita Patriarcharum fides descenderit ad Prophetas: à Prophetis ad Iudęos: à Iudęis in Apostolos: ab Apostolis in progenies gentium, quę Apostolos in fide sectantur atque imitantur: & rursus à gentibus in fine mundi redibit fides in Iudęos.

1. Cor. 12.

Et in hoc sensu sequitur B. Virgo Dauidem, qui in prędicto Psalmo ait: *Misericordia autem Domini ab æterno, & vsque in æternum super timentes eum*, quod perinde est, ac si dixerit: à progenie in progenies, vel in pręsenti seculo, & futuro. Quanquam B. Bernard. ab æterno interpretetur, propter prędestinationem: in æternum, propter beatificationem. Subdit: *Timentibus eum.* Ideò misericordia nihil prodest dæmonibus, neque obstinatis Iudæis, vel gentibus, quia non timent Deum, nec humiliantur. Humilitas enim dispositio est ad oēs virtutes, timor verò Dei sanctus initium est sapientiæ, & ratio illius retinendæ: *Nam qui timet Deum, faciet bona*: optimum ad propulsanda peccata præsidium est, nā timor

Psal. 102.

B. Bern. epist. 107.

Quibus inutilis Dei misericordia, & quare.

Humilitas & timor Dei, quid conferat.

Psal. 110.

Domini expellit peccatum. Vnde Dauid dicebat: *Confige timore carnes meas, à iudicijs enim tuis timui.* Atq; hęc quidem dispositio sancti timoris summa fuit in B. Virgine, ideò summa dona per illā impetrauit. Nos ergo Virginis exemplo discamus diuinam Dei misericordiam celebrare.

& Eccl. 1. Infra 15. Supra 1. Psal. 118.

Deus tametsi æque iustus, & misericors sit, est tamen ad miserendū propensior.

Est enim Deus ipse absq; læsione suæ iustitiæ, quæ æqualis omninò est cum misericordia (nā vtraq; infinita est) magis pronus ad miserendum pœnitentibus, quā ad eos æterno supplicio puniendum. Diligit namq; in primis rationalem animam, quam ad imaginē suā condidit, nec vult illam peccato permanere inquinatam. Rursus abominatur peccatū; vt semper paratus sit illud destruere per gratiam suam, & pœnitentiam nostram. *Ad hæc ipse cognouit figmentum nostrum. Recordatus est quoniam puluis sumus*, ac propterea facile ad misericordiā flectitur.

Gen. 1. & sæpe aliàs.

Psal. 102.

Quæ nam rationes diuinæ huius ad misericordiam propensionis exstant.

Præterea memori magnanimitatis suæ, facilè est illatas sibi iniurias contemnere, atque despicere: nam hoc proprium magnanimi est, vt docet Philosophus. Memor etiā liberalitatis, & magnificentiæ suę promptus est pro paupere indigente soluere. Memor paternæ beneuolentiæ, indulgentiæq; filijs ignoscere facilè nouit: Nam pro maximo delicto, ait comicus ille, paululū supplicij satis est patri.

Arist. libr. 4. ethic. ca. 3. sub fin. tom 2.

Terent.

Pręterea ratione promissionis, quam per legem, & Prophetas nobis indicauit ad faciendam, atq; præstandā veniam natiua bonitate impellitur. Nam pollicitus est per Prophetā, dicens: *Conuertimini ad me, & conuertar ad vos*: Magna ego ratione omnes ad Dei misericordiam prædicandam & laudibus extollendam tenemur. Peculiariter verò dixit: *timentibus*, nō sperantibus in eum, aut diligentibus eum: quia priori versiculo de Dei potentia, & sanctitate cecinerat: Illis autem ex nostra parte respōdere debet timor & reuerentia.

Zachar. 1.

Cur dictum à B. Virgine: Et misericordia eius, &c. timentibus eū non sperantibus in eum, aut diligentibus eum.

Secundus versus est: *Fecit potentiam in brachio suo: Dispersit superbos mente cordis sui.* Nemo hîc imaginetur Deo Patri cęlesti esse manus, vel brachia, vel pedes, quemadmodum Antropomorphitæ olim somniarunt: sed cogitet Scripturam per metaphoram loqui ad homines, vt quid de Deo, deique operibus sentiendum sit, intelligant. Quemadmodum ergo in alio Euangelij loco per digitum Dei, Spiritus Dei intelligitur, id quod concordia Euangelistarū docet; ita hoc loco brachiū Dei Filius Dei Iesus Christus intelligitur. Hinc Propheta: *Domine, quis credidit auditui nostro? aut brachium Domini cui reuelatū est?* & iterū: *Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachiū eius dominabitur.* rursus: *Parauit Dominus brachiū sanctū suū*

In eos qui partes Deo humanas secundū suam naturā accomodāt.

Scripturæ hoc idem de Deo impropriè, & metaphoricè cur afferant.

Luc. 11. Isai 53. Supra 40. Isai 52.

in

in oculis omnium gentium. & David: *Saluauit sibi dextera eius, & brachium sanctum eius.* Vt enim dicitur brachium seculare, & brachium Ecclesiasticum, scilicet potestas secularis, vel Ecclesiastica: sic Christus brachiū Domini dicitur, quia per illud operatur. Dicitur brachium virtutis, quia fortitudinem confert. Sanctum dicitur, quia sanctificat animam. Dicitur brachium dextrum in Ecclesiastico: *Glorifica*, inquit, *manum, & brachium dextrum*: quia dextera atq; felicia omnia nobis, vt cadant, efficit. Dicitur brachium extentum, eò quod ad omnes protendatur vel flagellandos, si peccatores, vel fouendos, ac sustentandos, si iusti sint.

Psal. 97. Christus brachium Domini & brachium virtutis eius cur dicatur. Psal. 88. Psal. 97. Eccles 36. Idem cur brachium dextrū & brachium extentum vocetur.

Pulchrè autem ait: *In brachio suo*, quo vtens, nullius auxilio indiget, cum antea per Angelos, vel per Prophetas operans, ope atque adminiculo alterius indigere quodammodò videri posset. Appellatur autem brachium, ratione humanæ naturæ, quę est velut organum coniunctum in persona Filij Dei, sicut brachium organum est coniunctum homini, ad differentiam organi disiuncti ac separati, cuiusmodi est instrumentū artis quodcunq;. Significatur enim metaphoricè Christus, manus, & dexteræ nomine, ad designandam vim, & virtutem operandi: idemque propemodum vtraque metaphora significatur. Sed hîc de brachio tantùm agendum. Est autem symbolum hoc ad significandam Dei potentiam, & Dei sapientiam, quæ Christus est, maximè accommodatum. Vt enim in primis brachium à corpore procedit, & à brachio digitus, quæ tamen cum ipso corpore eiusdem naturæ & essentiæ sunt: sic à Patre Filius procedit, & Spiritus sanctus à Patre per Filium, atque eiusdem naturæ & essentię tres inueniuntur esse personæ. Deinde brachio operamur artis opera: & Filius Dei vniuersa, quæ in mundo continētur tam magna, tam pulchra, atque ordinata brachio suo, hoc est, potentia condidit. Ad hæc brachio sustentamus infirmos, ac pueros: ita Deus verbo suo omnia condita sustentat, quæ alias in nihilum recciderent, nisi ipse supponeret manum & brachium suum ad conseruandum ea. Itē brachio amplectimur in signum amoris: quēadmodum etiam osculamur, ad eūdem affectum indicandum; porrò Christus osculum est Patris, de quo sponsa: *Osculetur me osculo oris sui.* Brachium etiam est, quod Pater in omnes peccatores extendit ad eos benignè excipiendos, charitateque sua amplexandos. Ex quo in redeundis filij prodigi collum brachiā sua pater extendisse dicitur, cum Lucas ait: *Cecidit super collum eius.*

Deut 4. & sæpe alias. Cur fecisse Deus dicatur potentiam in brachio suo. Quatenus Christus sit brachium Patris. Christum brachij nomine: B. Virgo cur significauerit. I. Ratio. II. Ratio. III. Ratio. Cant. I. Deus hominē quādo sit exosculatus amplexatusque.

generaliter cum hoc censetur fecisse, quando humanam naturam per vnionem hypostaticam est amplexatus, atq; deosculatus. Insuper, brachium membrum est musculis, neruis, atq; lacertis plenum, ac proinde ad pugnandū, plenum robore ac fortitudine: ita Dei verbum homini per fraudē victo succurrere volens, vestitum est humanitate, vnctumq; oleo Spiritus sancti ad congressum & luctū cum dæmone, nudumq; in cruce eum superauit, & tanquam fortior ingressus domū fortis armati, vniuersa eius arma sustulit, & spolia distribuit. Quare singularia sunt, atq; admirabilia signa, & miracula, quę hoc brachium edidit, vt nos ad se alliceret, atque pertraheret: ita vt dixerit: *Si non venissem, & opera non fecissē in eis, quæ nemo alius fecit, peccatū non haberent.* Adde, quod cum corpus humanum graui aliqua infirmitate est affectū, ad eius sanitatem recuperandā, peritorum iudicio medicorum aperitur brachij vena, vt sanguis putridus effluat: ita Christus communem omniū nostrum caussā agens, ac sustinens, lancea latus sibi aperiri voluit, vnde purificationis aqua effluxit, & sanguis redemptionis, vt ita corpus suum mysticum salutē spiritualem consequeretur. Postremò, hoc tam forte brachium à B. Virgine celebratur, quia per ipsum excellenter est ipsa ab omni peccato prę̨seruata, & quasi brachio Domini ne in illud caderet, retenta. Facta est mulier fortis, quæ conciperet sine pudore, gestaret sine labore, pareret sine dolore, conciperet, & pareret non violata fide in matrimonio viro suo tradita: vix sine vllo vel leuissimo peccato: sustinuit mortē, & crucē filij, cui interesse voluit. Facta est columna, & firmamentū Ecclesiæ, dū in terris post Christi ascensum vixit: postremò anima, & corpore à corruptione seruato, in cœlum assumpta est, clamantibus prę lętitia Angelis: *Quæ est ista quæ descendit de deserto, delicijs affluens, innixa super dilectū, &c.* Vt enim delicatæ, & magnæ Reginæ, nisi Regis, aut magi alicuius principis brachio nitantur, ferè non solent incedere: sic B. Virgo describitur brachio Dei, scilicet Christo innixa cœlum conscendisse. De hoc ergo brachio cantat B. Virgo, quod fecerit Deus potentiam, id est, nobis ostenderit atque manifestauerit. Et licet in incarnatione illam ex parte monstrarit, erat tamen progressu temporis illā manifestaturus magis per signa, per mortem, atque resurrectionem: & ita quod futurum erat, quasi iàm factum esset, decantat. In hoc etiam brachio extēto, ac forti olim populus eductus ex Ægypto fuit, in quo adumbrata est nostra

IV. Ratio. Isai. 61. Luc. 4. Luc. 15. Ioan. 15. V. Ratio. Infra 19. VI. ac postrema. Prouer. vlt. Math. 1. Ioan. 19. B. Virgo cur dicatur innixa super dilectū suum. In eductione populi Israelitici in brachio extento.

quid delineatum fuerit.

Exod. 15. & ſeq.

3 Pet. 1.

Oſeæ 11.

Pſal. 88.

Pſal. 103.

Pſal. 54. &

1. Petr. 5.

Iſai. 40.

Quos agnos Chriſtus in brachio ſuo congregauerit, & fœtas portauerit, iuxta Propbetam.

Gal. 4.

noſtra redemptio à tenebris peccatorum, & dęmonum: nam iuſtificatio potentiſſima actio reſuſcitati Chriſti eſt, per quã efficimur diuinæ conſortes naturæ, idoneiq; reddimur ad fructum bonorum operum: ſuſtẽtamurque hoc brachio non ſolùm in natura, ſed etiam in gratia, atque gloria: *Ego*, inquit Propheta, *quaſi nutritius Ephraim, portabam eos in brachijs meis*. Docemurque hoc eodem brachio, quomodo nobis cum dæmone, mundo, carne, ſuperbia, auaritia, ac libidine pugnãdum ſit: *In brachio*, ait Dauid, *virtutis tuæ, diſperſiſti inimicos tuos*. Hoc brachio niti debemus, confidenter in eius bonitate ſperantes, atque, ne in hoc mari magno & ſpatioſo tentationum ſubmergamur, ſuper hoc brachio nobis fortiter, ac ſtrenuè natandum eſt: *Iacta*, inquit vates, *ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet*. Et, *Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocebit ei. Manu enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum*. Bonus paſtor in hoc brachio oues congregat in ouile ſuum, ſcilicet in Eccleſiam, iuxta illud Iſaiæ vaticinium: *In brachio ſuo congregabit agnos, & ſinu ſuo leuabit, fœtas ipſe portabit*. Agni ſiquidem, in quo paruuli, & incipientes apte deſignãtur, congregatione, vt foueantur, magnopere indigent: per fœtas verò, ſiue prægnantes oues, perfecti & maiores intelliguntur, quorum eſt dicere: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis*. Hæ autem brachijs ſummi paſtoris Chriſti geſtantur propter admirabiles conſolationes, & gratię fortitudinẽ quã Chriſtus ſuggerit, vt poſſint ferre regiminis pondus, alioqui grauiſſimum, medicain intolerabile. *Fecit autem potentiam in hoc brachio*, tum fortitudinis memoriæ, tum potentiæ in opere, & ſermone, tum præcipuè in vniuerſali dominio, omne tempus tam iuſtitiæ efficiendo, quam gratiæ.

Quam fecerit Deus potentiã in brachio ſuo

Diſperſit ſuperbos mente cordis ſui: Oſtendit opus robuſti brachij Dei, ad corporei ſimilitudinem brachij diſpergentis, ac diſſipantis eos, qui conantur ipſum ſuperare. Cum enim cętera vitia omnia conſpectum Dei fugiant, ſola ſuperbia ſe Deo opponit. Ideò Chriſti in vniuerſum genus hominũ perſeuerantium in iniquitate actio deſcribitur à capitibus eorum, quos iuſtè diſpergit, traditque in æternos cruciatus.

Superbia quã tum vitium eius pœna.

Quod ergo ait, *diſperſit*, de præterito, vel ad ſuperbos, & elatos dęmones virtute brachij huius è cœlo exturbatos referendum eſt, vt interpretatur Euthymius; atque ita hæc verba hiſtorica eſſent; quemadmodũ etiã diſperſi ſunt Babylonij illi fabricatores, qui dicebant: *Venite, faciamus nobis ciuitatẽ, & turrim, cuius culmen pertingat ad cœlũ, & celebremus nomen noſtrum, &c*. Verum falſi ſunt, & periẽ e ſuis ipſorum conſilijs, ait enim Dominus: *Venite, deſcendamus, & confundamus ibi linguam eorum, vt non audiat vnuſquiſque vocem proximi ſui*. Sic etiam Pharao, Sennacherib, alijque impij, atque crudeles tyranni fruſtrati ſunt conſilijs ſuis, diſperſiq; à ſummo honoris & glorię, quod cogitauit, atque affectauit ſuperbum cor eorum, faſtigio. Sed hic ſenſus hiſtoricus eſt, vt dixi.

Huius verſiculi: Diſperſit ſuperbos. I. ſenſus.

Gen 11.

Ibidem.

Exod. 14. & ſeq.

4. Reg. 19.

Theophylactus verò prophetice interpretatur de malignis ſpiritibus, qui Chriſti virtute, & imperio de corporibus pellendi erant; quò teſtaretur ſe illum ipſum eſſe, qui animas liberaret à poteſtate Satanæ: atque ita certitudinis gratia, futura vt præterita narrantur. Aptè etiam de Iudęis incredulis, & ſuperbis, quales Scribæ erant, & Phariſæi, intelligi poteſt. Nam cum illi collegiſſent concilium aduerſus Dominum, dicentes: *Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit? Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eũ; & venient Romani, & tollent locum noſtrũ, & gentẽ*. Audiſtis conſilium: Crucifixus eſt Chriſtus iuxta mentem illorum: & tamen contra illorum conſilium omnes crediderunt in Chriſtum, & venerunt Romani, & deuaſtarunt locum eorum, & gentem, & à cogitationibus ſuis fruſtrati, & deiecti, atq; per vniuerſum orbem diſperſi ſunt, iuxta illud Propheticum: *Deus oſtendit mihi ſuper inimicos meos ne occidas eos, ne quando obliuiſcantur populi mei. Diſperge illos in virtute tua*. Qui enim extincto Chriſto ſe beatos putabant fore, & pacificè in Hieruſalẽ regnaturos, aduenientibus ducib. Romanis profligati ſunt, perq; orbem vniuerſum diſperſi.

II. ſenſus Theophylacti.

III. ſenſus.

Ioan. 11.

Scribarum & Phariſæorum conſilia quomodo fuerint diſſipata.

Pſal. 58.

Quod autem dicitur, *mente cordis ſui*, bifariã intelligi poteſt: vel quod à bona Dei cogitatione, ac memoria, & corde beneuolentiæ pleno, quò illis fauere ſtudebat, diſſipati ſunt, & abiecti, vt eorum nolit recordari amplius, cogaturque indignationem, atq; cor iracundiæ plenum aduerſum eos concipere, propter ingentia eorum, quæ perpetrarunt facinora, & horrenda maleficia. Vel ſecũdò, *Superbos mente*, & cogitatione, quod magis inſinuat vox Gręca. Et mens capi poteſt pro actu ipſius mentis, vt moris eſt, actũ & habitũ eadẽ voce efferri. *Cordis ſui*, vel ipſorum, vt Græca apertius habent, διανοίᾳ καρδίας αὐτῶν, vt intelligãtur à ſuis conſilijs & cogitationib. quibus gloriã aut diuitias, aut in piũalium aliquem finem expetebant, defraudati atque depulſi. *Ego Dominus*, vt per Iſaiã ait: *cõuertens ſapientes*

Deus diſperſit ſuperbos mẽte cordis ſui duplicites.

Alter ſenſus.

Cogitationes cordium ſuperborũ, quales, vnde illa deiecta.

Iſai. 44. &

tes retrorsum, & sapientiam eorum stultam faciens. Sunt enim cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ. Rursus idem Salomon: *Multæ cogitationes in corde viri; consilium autem Domini in æternum permanebit.* Vel, *Dispersit superbos*, per cogitationem vel cõsilia eorum, iuxta illud quod dixit Iob: *Apprehendit sapientes in astutia eorum, & consilia prauorum dissipat.* quanquam hic à priori sensu non multum distet.

1.Cor.1. Sapient.9. 1.Corint.3. Iob 5. 1.Cor.3. Nabuchodonosor Regis superbia & arrogantia eiusdem deiectio & humiliatio.

Dispersit autem, id est, dissipauit. Nam quid vanius, aut quid arrogantius illis verbis? *In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis, Ascendam super altitudinem nubium, ero similis Altissimo.* At quid dixerat Propheta? *Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadauer tuum, subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* Cernis vt cogitationes Regis superbissimi fuerint dissipatæ? Audi quid de alio stulto Scriptura recenseat: *Anima, habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare.* Sed quid illi accidit? *Stulte*, ait illi Deus, *stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem parasti, cuius erũt?* Quemadmodum ergò illis non pepercit, quia superbas & inflatas cogitationes habuerunt: ita profectò nec nobis parcet, nisi spontè & tempestiuè humiliemur sub potẽti manu Dei, deijciemusque nos ipsos coram oculis eius & nostris, vt digni simus qui ab eo exaltemur in tempore visitationis, præstante Domino nostro, cui cum Patre, & Spiritu sancto deferatur omnis laus, honor, & gloria, & imperium in secula seculorum, Amen.

Isai.14. Luc.12. 1.Petr.5.

TRACTATVS XIV.

In quo explicantur illa verba: *Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes.*

Luc.1.

GLORIARI, ac inflari solent homines plerunque de tribus. Aut enim se iactant de sua sapientia, aut de sua potentia, aut de suis diuitijs. Iam quemadmodum nulla est sapientia, qua Dei consilium possit euerti, ita nulla est virtus, nullaque potẽtia, quæ Dei possit resistere: nullæ rursus diuitiæ tam insanæ & ingentes, quas nõ possit Deus euertere. Pulcherrimo ergò tria hæc ordine Virgo beata prosequitur. Dixerat namque priori articulo de sapientia: his duobus sequentibus de reliquis agit id quod olim à Hieremia factum fuerat: *Non glorietur*, inquit, *sapiens, in sapientia sua,*

Humana gloria atq; iactantia, ex tribus potissimum pendet. Quid illis versiculis doceat benedicta Virgo. Hierem.9

& non glorietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur diues in diuitijs suis: sed in hoc glorietur, qui gloriatur; scire & nosse me. Idem etiam dixerat Anna Samuelis mater in Cantico suo, cum hoc quod Diua Virgo in verbus propositis canit, quamuis non verbis eisdẽ: *Arcus fortium*, inquit, *superatus est, & infirmi accincti sunt robore. Repleti prius, pro panibus se locauerunt, & famelici saturati sunt.*

Dicet hic fortasse quispiam: Cum similitudo amicitiam cõciliare soleat, Deus autem potentissimus sit, cur tam vehementer in Scripturis potentes insectari, humiles protegere deprehendatur? Respondemus, morem esse Scripturæ, voces in ea significatione vsurpare, quę in hominũ sint consuetudine, atq; à communi sensu non abhorrent. Nam oẽs ferè eos appellant diuites, qui pecunias, agros, ædesque magnificas, atq; pretiosam habent supellectilem: Pauperes verò, qui hisce bonis sint destituti. Potentes vocãt, qui damnis afficere plurimos queant, vel etiam magnis beneficijs, imbecilles, qui ista non possint. Verum cũ ad exteriorem hominem hęc honestandũ, ornandumq; sint accommodata, vera autem hominis ratio sita sit in animo, & rerum Deus veritatem amet, atq; veritas ipsa sit; haud habet pro diuitibus, vel potentibus eos, qui à vulgo tales existimantur, ac dicuntur, quod reuera non habeant rem cum nominibus consentientem. At solę illæ, veræque diuitiæ sunt, & sola illa potentia, quæ hominem interiorem facit, atque perficit. Meritò ergo potentes eiusmodi deposuit, siue detraxit de sedibus (nã Græcè in numero multitudinis dicitur ἀπὸ θρόνων, id est, sedibus:) vt qui hoc nomen iniustè occupant: & ad eas sedes euexit humiles.

Cum Deus potens sit, cur odit homines potentes? Diuites, qui potentes habeantur in hoc seculo. Verè qui diuites, & potẽtes. Quare illos Deus deposuit de sede.

Possunt autem hæc, vt historicè dicta accipi. Nam dęmones naturali fortitudine potentes, & sibi ipsis confidentes, atq; pro prima sede contendentes (quorũ princeps dicebat; *In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum sedebo in monte testamẽti, &c.*) quæ Christo debebatur, cum ignominia deiecti de cœlo sunt, & in illorum locum humiles homines subrogati, & ad illorum item sedes implendas euecti. Simili ratione propemodum in sedem Saulis Regis propter eius superbiam & contumaciã subrogatus est humilis Dauid. Nabuchodonosor Rex oĩm mortaliũ superbissimus, qui statuã suã aureã adorandam proposuit, deiectus est de sede, exutaque humanitate in bestiam degenerauit, & fœnum vt bos comedit; donec humiliatus, peccatum superbiæ suæ agnouit, & opera Danielis Prophetæ, in sedem suam restitutus est. Aman

Cacodæmones idem quomodo deposuit de sede. Isai 14. 2.Pet.2. Psal.109. Quos alios Dominus potentes deposuit de sede, & exaltauit humiles. 1. Regum 15. Dan.3. Infra 4.

quoque

quoque elatus ille, ac Iudæorū oppreſſor, non ſolum ſede fuit deiectus, verùm etiam cruci affixus meritas pœnas dedit. At humilis & contemptus Mardochæus in illius honoris locum, ac dignitatis faſtigium eſt ſubſtitutus. Pleraque ſimilia exempla ex diuinis libris produci poſſent, in quibus legimus ſanè multos vitio ſuperbiæ depulſos gradu, & alios humilitatis & modeſtiæ virtute in eorum dignitate conſtitutos.

Eſther 3. Infra 6. & ſeq.

Verum hic ſenſus etſi verus ſit, fortaſſe tamen non tam ad rem eſt, quam ſi dicamus; Virginem prophetice locutam fuiſſe, & de futuris per Chriſtū mutationibus, tanquam de præterito propter Prophetiæ euidentiam ceciniſſe. Ad literam enim ſignificare videtur, quòd Chriſtus deiecit eos qui poteſtate publica funguntur, à ſedibus ſuis. Id enim propriè Græca vox ſignificat δυνάστας, vnde Dynaſtes apud Ægyptios (qua voce vtitur Cicero Philipp. 2. & Se- in Thyeſte) erant iſti Regibus & Tetrarchi inferiores, & ſimiles illis quos Perſæ vocabant Satrapas. Et talis dicitur vir Æthiops Eunuchus, potens, ſeu dynaſtes Candacis Reginæ Æthiopum, & ab Apoſtolo Deus beatus, & ſolus potens, ſiue dynaſtes: Dæmon etiam ea voce exprimitur in Pſalmo 71. *Quoniam*, inquit, *liberauit pauperem a potente* (ἐκ δυνάστου) nam magiſtratus Iudæorum, hoc eſt, Pontifices, Phariſæi, & Scribæ, quia cædem Chriſti machinati ſunt, deiecti ſunt: neque ſolùm diſperſi à meditatis atque affectatis ſummis honorum faſtigijs, altitudinibusque, ſed etiam à ſedibus, quas poſſidebant, detracti ſunt miſeri. Namque omnibus bonis Romanorum aduentu, qui locum ſuſtulerunt, & gentem ſpoliati ſunt, cecideruntque à gloria filiorum Dei, à cathedra Moyſi, à Sacerdotio, & Prophetia, & Regno, à conſilio ſeniorum, ab Scripturarum intelligentia, à templo, & denique ab omnibus ornamentis ſuis. In eorum autem locum exaltati ſunt humiles, & pauperes Chriſti diſcipuli, vniuerſo orbi euāgelizantes: humiles quoque gentiles, qui fide apprehendentes Meſſiam, exaltati ſunt, atque hæreditatem omnium promiſſionum filijs Iſrael factarum, tanquam filij legitimi Abarhæ, & veri filij Dei acceperūt. Quemadmodum enim Iacob ætate iunior, primam genituram, paternamq; benedictionem maiori fratri ſuo Eſau ſuſtulit: ita ad Gentes Euangelio fidem præſtantes omnium bonorum, & ornamentorum, ac dignitatum hæreditas deuoluta eſt. Et pulchrè exaltatos vocat credentes Gentiles, qui in altitudinem filiorum Dei, & conſortium diuinæ naturæ, & ius ad æternam gloriam eleuati ſunt. Vt interim omittam propè innumerabiles extitiſſe, qui ex gētibus ad ſedes Epiſcopales, & cathedras magiſterij ad regendosq;, inſtruēdos populos fideles aſſumpti ſunt, & indies aſſumuntur. Sic enim cecinerat Dauid: *Suſcitans*, inquit, *à terra inopem, & de ſtercore erigens pauperē. Vt collocet eum cum principibus, cum principibus populi ſui.* Et Anna mater Samuelis: *Suſcitat de puluere egenum, & de ſtercore eleuat pauperem. Vt ſedeat cum principibus, & ſolium gloriæ teneat.* Dæmones etiam qui per peccata in mundo regnabāt, & corda hominum vt proprias ſedes poſſidebant, illuceſcente Meſſiæ fide, Spiritu ſancto in corda hominum effuſo, tanquā digito Dei, de ſedibus expulſi ſunt ſuis, iuxta Domini vocem: *Nunc iudicium eſt mundi, nunc princeps mundi huius eijcietur foras.* Atq; ita non tam alludit ad eiectionem illā de cœlo factam propter ſuperbiam; quam ad futuram hanc de cordibus hominū expulſionē, propter quam peculiariter miſſus eſt Meſſias redemptor.

Alter ſenſus congruentior literæ verborum.

Dynaſta quid.

Act. 8.

1. Tim. vlt. Pſal. 71.

Iudæorum qui magiſtratus quaque ſint ſede deiecti.

Ioan. 11.

Quos pro eis humiles exaltauit Deus. Roman. 9.

Eſau & Iacob quos præfigurauerint. Gen. 15. Infra 27.

Credentes ex gentibus quomodo exaltati.

Pſal. 112.

1. Reg. 2.

Luc. 11.

Ioan. 12.

Obſeruandum eſt autem, Diuam Virginem dixiſſe; Depoſuit potentes de ſedibus: non autem, Depoſuit ſedes potentum: Magiſtratus namque, quoniam à Deo Opt. Max. inſtitutus eſt, vituperari haud quaquā poteſt: at qui poteſtate abutuntur; hi culpandi ſunt, & de ſedibus eijciendi. Quare Spiritus ſanctus dicebat ad Epiſcopum quendam: *Ecce venio citò, tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.* Et ad alterum, qui charitatem primam reliquerat, ſcribi fecit: *Memor eſto itaque vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac. Sin autem veniam tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco ſuo, niſi pœnitentiam egeris.*

Expenditur à Virgine non dictum: Depoſuit ſedes potentum; ſed, potentes de ſedibus.

Apoc. 3.

Ibid. cap. 2.

Neque verò exiſtimet quiſpiam, quæ hīc canuntur à B. Virgine, ſemper ad effectum adduci: cum videamus multos potētes ſua poteſtate pernicioſiſſime abuti, nec tamen deijci. Sed cogitandum eſt, Deum quidem laneos pedes, ac plumbeos habere, ita vt tarditatem ſupplicij, grauitate pœnæ cōpenſare valeat. Diu ſuſtinuit Pharaonis contumaciā: neq; ſtatim oppreſſit Manaſſis tyrannidem: impietatem Regis Achaz patienter tulit: at quis neſciat, illos ac eorū ſimiles tādem pœnas dediſſe grauiſſimas? quis etiam ignoret ad peccata populi punienda impios Reges, & tyrannos ab eo quandoque permitti? iuxta illud Iobi: *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.* Vanum autem illud eſt, humiles potentibus opponi: ita vt quemadmodum potentes, magni & nobiles eſſe ſolent; ita humiles parui, & obſcuro loco nati, & opi-

An ſemper Deus deponat potentes de ſedibus, & exaltet humiles.

Exod. 7. & ſeq. vſque ad 15. 4. Reg. 21. & Infra. Iſai. 7.

Iob 34.

Caietanus. Quo ſenſu non abijciat potentes, & exaltet humi-

les dominus Deus.

bus tenues intelligantur: atque hac ratione humilitaté loco superiori pro generis obscuritate & tenuitate esse accipiendam. Sed profectò mirificè falluntur qui sic cogitát: nec enim Deus potentes, eò quòd potétes sint, de sedibus eijcit: aut humiles, & obscurè natos, propterea quod tales sint, euehit, & exaltat; quia id esset vitium acceptionis personarum, cuius vitij præsertim vbique in Scripturis apertè sanè probatur Deus expers, ab eoque abhorrere vehementer: & præstaret humili, quàm illustri loco nasci: cum tamen scriptum sit; *Deus potentes nō abijcit, cum & ipse sit potens*. Rursus & Salomon dicat: *Non enim subtrahet personam cuiusquam Deus, qui est omnium dominator: nec verebitur magnitudinem cuiusquam, quoniam pusillum, & magnum ipse fecit, & æqualiter est ei cura de omnibus*. Potentes ergo hîc, illi sunt, qui ex superbia, & impietate, sua potestate abutūtur, vt propterea detrahi de suis sedibus promereantur. Contra verò humiles dicūtur, quicunq;, siue nobiles, siue ignobiles, siue parui, siue magni sint, Deo se humiles exhibent, nihilque sublime, aut magnificum de se ipsis sentiunt: verùm in vno Deo omnes suas cogitationes, & spes habent defixas. Estque hæc sententia illi, quam Christus protulit, proxima: *Omnis*, inquit, *qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur*. Vbi non humilibus genere aut bonis fortunæ promittitur exaltatio; sed omnibus se ipsos humiliantibus, seu modestè, & sobriè de seipsis sentientibus, atque opinantibus.

Iob 36.

Sapient. 6.

Quos tantum deponat potentes de sede & exultet humiles Deus.

Luc. 14. & Infra 18.

Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Quæ in hoc cantico de sapientia, potentia, & diuitijs dicuntur, sic intelligenda sunt, vt non ipsa dona Dei (sunt enim illa tria certè Dei dona) sed donorum ipse abusus damnari noscatur. Nec enim idcircò disperguntur sapientes, quia sapientes sunt verùm quia aduersus diuinum honoré ac decus, sua abutuntur sapientia. Sic de potétibus, atq; diuitibus cogitandum. Eadem ratione, quod de humilibus dicitur, vel de his, qui paupertate premuntur, non ita intelligendum, quasi infimum esse, vel pauperem certus sit quidam ad beatitudinem gradus; neq; enim oēs infimi exaltantur, nec omnes pauperes implentur bonis. Sed sic totum hoc negotium reputandum est: qui sortem sanctorum fert æquo animo, & humili in loco positus maiores non ambit honores: hic talis meretur à Deo exaltari; si non in præsenti, certè in futuro seculo. Qui verò nunquam sua sorte contentus existit, sed altiora semper cogitat, atque alienis inuidet honoribus: hic tantum abest, vt exaltetur; vt etiam vsque ad infero deprimatur, ac demergatur. Idem prorsus sentiendum de diuitijs. Multi enim sunt pauperes & esurientes, qui indigni sunt, vt vel communi aura vtantur otium nimirum sectantes, latrocinia & aleam; atque hi indigni sunt, qui ad Christum spectent, quorum iudicium non tardat. Sunt alij rursus, qui propter iustitiam, paupertate vel esurie, vel etiam infirmitate premuntur, & patiēter omnia ferūt, suaq; sorte contenti sunt: hi sunt, quos beata Virgo subleuandos à Deo canit, cum dicit: *Esurientes impleuit bonis*. Esurientes hîc vocat, non tam corporis cibum, quàm iustitiam & panem cœlestem auide appetentes, ac sitientes, de quibus: *Beati, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam*. Tales fuerunt Gentiles, qui, vt habetur apud Ioannem: *desiderabant Iesum videre*, in typum eius famis, & sitis, quam toto terrarum orbe Gentiles populi, tempore Apostolorum, habuerunt: quos Deus impleuit bonis: quia si vacuum natura abhorret, multò magis sitientissimus ille nostræ salutis Deus cordium nostrorum ferre vacuum nequit. Nam Euangelio, cœlestiq; gratia, & prædicatione Regni cœlorum, hominum mentes adimplere solus potest. Ac vt flori fructus respondet in arbore: ita sanctis salutis nostræ desiderijs respōdet gratia Dei qui non tantum ipsam gratiam, sed eius quoque desiderium infundit, teste Paulo, qui ait: *Deus enim est, qui operatur in vobis & velle, & perficere pro bona voluntate*. Atque illi quidem sunt pauperes ac esuriétes, de quibus Christus: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum*. Et in alio loco: *Pauperes euangelizantur*.

Sapientium, potentium, ac diuitum humiliatio, humilium contra exaltatio, quemadmodum accipienda.

Quos Deus [illegible] furientes [illegible] repleat bonis, sed potius malis.

Esurientes quos repleat Deus bonis.

Matth. 5.

Ioan. 12.

Quo modo eos repleat.

Philip. 2.

Matth. 5.

Infra 11.

Sequitur: *Et diuites dimisit inanes*. Diuites vocat, mente animoque suo locupletes, qui se non agnoscunt diuina gratia, aut Euangelica egere doctrina: existimantes se abundare diuitijs ingenij, sapientiæ, prudentiæ, & sagacitatis cognitione, & consecutione felicitatis absque Christo: siue gétiles sint, vt fuêre multi Philosophi: siue Iudæi, quos maximè hac sententia percellit B. Virgo. Tales enim dimisit inanes, hoc est eiecit à se vacuos veris bonis: quia & fide Messiæ, & intelligentia Scripturarum, & dignitate filiorum Dei spoliati sunt. Nāque circuncisio, Sabbathum, sacrificia, cærimoniæ infirma sunt, & egena elementa: neque tantum salutis negotium non promouent (quod mortua sint) verùm etiam maximè impediunt: & post prædicationem Apostolorum mortifera reddita. Vt enim ait Apostolus: *Si circuncidamini, Christus vobis nihil proderit*. Sic ergo iuxta hanc interpre-

Diuites quos Deus dimisit inanes.

Galat. 4. Infirma & egena elementa.

Galat. 5.

Luc.16. & seq.

tatorem, committimus diuitem purpuratum cum mendico Lazaro: quemadmodum in priori versu, Pharisæum cum Publicano contendimus,

Infra 18.

Quanquam & hic versus satis aptè exponi possit de ijs, qui ardenti studio, ac pene immenso opibus congerendis inhiant, quorum sitis in congregando nunquam extinguitur, neque repletur. Atque hi dimittuntur a Deo inanes, quia nihil omninò aliud ex illa opum ac pecuniarum inexplebili cupiditate referunt, quam vacuitatem, ac vanissimam quandam vanitatem, de qua pulchra est Salomonis illa sententia: *Considerans*, ille inquit, *reperi aliam vanitatem sub Sole: Vnus est & secundum non habet, non filium, non fratrem, & tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi eius diuitijs, nec recogitat, dicens: Cui laboro, & fraudo animam meam bonis? Et in hoc quoque vanitas est, & afflictio pessima.* Horum vanitatem admiratus Dauid, aiebat: *Veruntamen in imagine pertransit homo, sed & frustra conturbatur.* Et cur hoc dicat, subiungit: *Thesaurizat*, inquit, *& ignorat, cui congregabit ea.* Tu verò Dauid quid desideras? Audi. *& nunc quæ est exspectatio mea? Nonne Dominus? Et substantia mea apud te est.* Vides sapientem virum non confidere in incerto diuitiarum, sed spem suam, & suas facultates penes Deum habere reconditas? Hic ex ijs est, de quibus dicitur: *Esurientes impleuit bonis*: atque hæc est Euangelica illa esuries, de qua Dominus: *Beati, qui nunc esuritis: quia saturabimini.* Nam esuriunt quidem diuites at nunquam implentur, neque saturantur, ac veluti hydropici, quo plus bibūt, eò plus sitiunt, nullisque quantumuis immanibus contenti esse opibus possunt. At esurientes Euangelici implentur bonis, vt hic audis. Non dixit, opibus, sed bonis. Bona quippè sunt ea, quæ possessoribus suis, ac dominis prosunt semper, obsunt nunquam. At corporeæ diuitiæ, honores, magistratus, regna, hoc nunquam præstare possunt: sed potius curis ac molestijs implent possessores suos. Bona autem, quibus esurientes isti implētur, censentur: pax illa, quam Paulus dixit superare omnem mentem; animi tranquillitas; spes certa bonorum fine carentium, quæ post huius exiguæ vitæ curriculum se assecuturos esse certo sperant. His bonis vbi impletus animus est, minimum, id est, quod de externis rebus ei sit necessarium, atq; illud quidem exiguo negotio comparatum. Nam vt rectè ait diuinus vates: *Melius est modicum iusto, super diuitias peccatorum multas.* Nos ergo operam demus, ne vllis diuitijs, aut vlla dignitate nostra, honoribusque fastigio confidamus, vt ille qui dicebat: *Diues sum, & locupletatus & nullius egeo & nesciebat, quia ipse esset miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* Hac enim ratione, si diuites facti fuerimus, prorsus dimittemur inanes. Quin potius omni opera, & diligentia pretiosissimam istam esuriem Deo Opt. Max. nobis donari efflagitemus, vt illam Deus tanquam suam agnoscēs, bonis spiritalibus remuneret. Illa enim bona temporalia, quantum sat est, consequentur, atque adijcientur à Domino, *vt habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus*, præstāte Domino nostro Iesu Christo; cui cum Patre, & Spiritu sancto tribuatur omnis laus, honor, gloria, & imperium in secula seculorum, Amen.

Quos etiam diuites Deus dimittat inanes.

Eccles.4.

Isai. 38.

Spes & expe… atque sapien… [illegible]

1 Tim.6.

Luc.6.

Esurientes quibus impleantur bonis.

Philip. vlt.

Psal.36.

Apocal.3.

Quam esuriē impletā à Deo petere debeamus.

Matth.6.

1. Tim.6.

TRACTATVS XV.

In illa verba: *Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ. Sicut locutus est ad Patres nostros, Abraham, & semini eius in secula, &c.*

Luc.c.1.

POSTQVAM pro temporis ratione aliquantum expatiata fuit B. Virgo in summi Dei rebus gestis prædicandis; nunc eò redit, cuius caussa hoc Canticum fuerat exorsa; vt hi postremi versus videri possint pro epilogo. Neque mirandum est, si dicendi ars non defuit illi, quæ cum magistrum ac doctorem habeat, qui solus docet hominem scientiam; & linguas infantium facit disertas. Dixerat ergo superius: *Quia fecit mihi magnalia, qui potens est*: ea ita magna ad hoc iam pertinent, quod sequitur: *Suscepit Israel puerum suum, &c.* vbi primò aduerte, verbum, *Suscepit*, ad Deum esse referendum, vt ipse sit, qui susceperit Israelem puerum suum, non autem quod Israel in nominandi casu, susceperit puerum suum, scilicet Messiam. Alioqui non cohęreret cum sequentibus, nēpè, *Recordatus misericordiæ suæ*: Deus enim est qui suscepit, & recordatus est. Græca enim litera habet: Ἀντελάβετο τοῦ Ἰσραὴλ παιδὸς αὐτοῦ: vnde constat Israelem, & puerum Græcè esse gignēdi casum, qualē illud verbū requirit. Verum est tamen, quod cum Deus susceperit Israelem puerum suum per incarnationem, efficitur vt Israel susceperit Messiam suum. Quod attinet ad verbi Græci significationem ἀντιλαμβάνεσθαι, propriè est succurrentis prostrato, & manum illi porrigentis: quemadmodum Actor. 20. dicitur: ὅτι οὕτως δεῖ ἀντιλαμβάνεσθαι τῶν ἀσθενούντων: id est, *Quoniam ita oportet suscipere infirmos.* Atque eo modo suscipere, est liberare, succurrere, &

Propositorum argumentum versuum.

Psal.93.

Sapient.10.

Quia susceperit Israel puerum suum.

Quid sit Deū suscepisse Israel pueru suum.

Act.20.

re, & tueri. Hinc Dauid vim verbi explicans, ait: *Suscipiens mansuetos Dominus; humilians autem peccatores vsque ad terram.* Vbi primum declarandum est, cur opus incarnationis susceptio dicatur. Deinde, quis sit Israel iste susceptus. Tertio, qua ratione dicatur Deus recordari misericordiæ suæ.

Psal. 146.

Opus incarnationis nomine susceptionis, vel porrectionis manus cur veniat.

Hoc igitur sit primo loco constitutum, opus incarnationis per susceptionem, siue per porrectionem manus significari, quia natura humana assumpta fuit ad Verbum, cui esse diuinum, & personale est communicatum: quod nulli creaturæ, ne Angelo quidem concessum est. Hinc est illud Pauli: *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* Assumpta est autem humana natura ex purissimis carnibus, ac sanguinibus Virginis Deiparæ, vt Damascenus est autor; atque ita ipsa quoque suscepta est, & euecta ad dignitatem matris Filij Dei, quæ dignitas est propemodum infinita. Christus autem incarnatus frequenter in sacris literis symbolo manus, vel dexteræ repræsentari solet, iuxta illud: *Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis.* Et iterum: *Cum ceciderit iustus non collidetur; quia Dominus supponit manum suam:* id est Christi gratiam, quemadmodum Petrum iam penè submersum manum extendens non seruauit. Dicitur etiam dextera Dei, secundum illud: *Saluauit sibi dextera eius, & brachium sanctum eius.* Hac ergo diuina manu suscepti fideles, siue Iudæi, siue Gentiles, à peccato liberantur, iustificantur, sanctificantur, & in cœlestem gloriam prouehuntur. Ex quo Apostolus: *Suscepit inuicem,* inquit, *sicut & Christus suscepit vos in honorem Dei.* Sit hoc secundum. Vt Theophylactus affirmat, assumpsit Deus carnem ex carnali Israele; nam vt Paulus ait: *Semen Abrahæ apprehendit.* & *Factus est ei ex semine Dauid secundum carnem.* B. igitur Virgo filia Abrahæ, & Dauidis fuit, in qua hoc sanctissimū opus peractum fuit: atque ex illo populo Apostolos multaque Iudæorum millia credentiū ad se suscepit. Nam & inter illos Christus verbum Dei seminauit, signa propè innumera edidit, atque cum eis conuersatus est. Potest etiam hic locus de Israele spirituali accipi: siquidem hæc nomina, Abraham, Israel, haud sunt nomina carnis, vel naturæ; verum gratiæ, atque fidei. In circumcisione enim Abrahæ mutatum est nomen, & qui dictus est *Abram,* posteà vocatus est *Abraham.* Similiter qui principio vocatus est Iacob, posteà propter fidem, & quia præualuit aduersus Angelum, dictus est Israel, quia fortis cum Deo inuentus fuit. Quotquot verò susceperunt Christum fide, verum semen Abrahæ sunt, & veri filij Israel, teste Apostolo, qui ait: *Non omnes qui ex circumcisione sunt Israel, ij sunt Israelitæ. Neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filij.* Omnes ergo qui credunt, & fortiter luctantur cum Deo, ad semen Israel spectant: hos autem Deus suscipere dicitur, quia ipsi suscipiunt Christum. Et ita susceptio ad omnes, siue Iudæos, siue Gentiles, modò in Christum credant, pertinere videtur. *Puerum suum:* Vocat autem hunc, puerum suum; id est seruum ambulantem in simplicitate, ac innocentia. Est enim pueritia grata, & laudabilis propter innocentiam; apta ad credendum; doli & fraudis nescia; ad obediendum propensa; & quæ facilè regi se per alios sinat. In his ergo qui ad Christum conuertuntur, vt eius gratiam participare promereantur, seque promptos ad regnum Dei recipiendum præstent, conditiones hæ necessariò requiruntur; quemadmodum Christus admonuit: *Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Loquitur autem hic beata Virgo tectis verbis de hoc, quod iam ipsa habebat in vtero, scilicet verum Messiam; vt nusquam non referat piam humilitatem. Potuisset enim dicere; Ecce ego mater sum Filij Dei, ego electa sum, vt Messiam orbi vniuerso parerem: sed ne inanis gloriæ notam incurreret, vel alijs gloriandi exemplum præbuisse videri posset, maluit tectis verbis & gloriam Dei, & veritatem indicare.

Hebr. 2.

Damasc. lib. 3 de Fide orthod. cap. 2. circa med. & sæpe alibi.

Esse Matrem Filij Dei, dignitatem arguit propemodum infinitam.

Psal. 143.
Psal. 36.
Matth. 14.
Psal. 97.

Roma 15.

Quis sit Israel ille susceptus.

Theophy. ad Hebr. 2.
Roma. 1.
Luc. 6.

Israel etiam quis susceptus.

Abraham, & Israel qualia sunt nomina.

Gen. 17.
Infra 32.

Verum semen Abrahæ qui.
Rom 9.

Quinam sint veri Israelitæ.

Quales [illegible] esse [illegible] credentes in Christum.

Matth. 18.

Virginis modestia qualis.

Explicemus tertio loco propositum: Dicitur *Recordatus misericordiæ suæ.* In Deo propriè non inuenitur memoria, sicut nec præscientia, vt testatur Augustinus ad Simplicianum: quia nihil illi præterit, nihil præsenti intuitu cuncta cernenti futurum est: Sed metaphoricè obliuisci dicitur, & recordari: obliuisci quidem, quando per effectum puniendi, vel remunerandi, vel iuuandi, non ostēdit prouidentiam suam, vel quando promissæ rei differt impletionem. Hinc illud est: *Vsquequo Domine obliuisceris mei in finem?* rursus: *Quia oblita es legis Dei tui, obliuiscar filiorum tuorum & ego.* Contra verò recordari dicitur, cum re ipsa misericordiam exhibendam Abrahæ, quasi recordatus esset, ostendit. Ideo apud Hieremiæ 2. ait Dominus: *Recordatus sum tui, miserans adolescentiam tuam, & charitatem desponsationis tuæ, quando secuta es me in deserto, in terra quæ non seminatur.* Et pulchre ait: *recordatus misericordiæ suæ;* ne quis forte putaret, nostra dignitate, nostrisve meritis cœlestem Patrem permotum, vt Filium suum vnigenitum in mūdum mitteret. Vt enim

Qua ratione dicatur Deus [illegible] se [illegible] & [illegible]
Aug. lib. 2 q. ad Simplic. [illegible] & alibi, tom. 4

Psal. 12.
Oseæ 4.

Hierem. 2.

Deus misericordiæ [illegible] datus.

Apo-

Roman. 5.

Apostolus ait: *Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filij eius.* Græcè habetur μνησθῆναι, hoc est, memorari. Propterea enim suscepit Israelē; vt recordaretur misericordiæ suæ promissæ, nimirum vt opere testaretur, se promissionis factæ fuisse memorem. Sed profectò ꝑ sensu nihil differt, siue dicamus: *Suscepit Israel, &c. recordatus misericordiæ suæ*; siue, suscepit Israel, vt recordaretur misericordiæ suæ, siue ad recordandum, quemadmodum Zacharias in suo Cantico dixit: *Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, & memorari testamēti sui sancti*: nam vtrobiq; idem infinitiuū Græcum ponitur. Atq; in huius recordationis signum ac monimentum, more eorum, qui aliquid sibi de memoria excidere nolunt, annulum digito insueto applicant, vel illum filo alligant: ita Verbum per vnionem hypostatis sibi nostrā naturā coniunxit ad perpetuam misericordię suę memoriam. Deinde voluit sibi hoc per alios in memoriam reduci, quòd quidem pręstat Christus assistens vultui Dei, & pro nobis aduocans, & corpus, & vulnera ostēdens Patri; & Mater eius sanctissima ostendens Filio pectus, & vbera. Postremò reliquit nobis sensibile signum Eucharistiæ quotidie celebrandæ, vt nos tantę eius misericordię memores simus, &, in memoriā Deo reuocemus, iuxta illud: *Hoc facite in meā commemorationem.* Atq; in hoc versiculo, sicut & in multis alijs, vt superius annotauimus, B. Virgo Dauidem est imitata: cū enim de hoc mysterio loquēs, dixisset: *Saluauit sibi dextera eius, & brachiū sanctum eius*: statim subdit: *recordatus est misericordiæ, & veritatis suæ domui Israel.* Cū ergo B. Virgo dixisset: *recordatus misericordiæ suæ*, adiecit: *Sicut locutus est ad Patres nostros, &c.* vt declararet verbum Dauidis: *Et veritatis suæ domui Israel.* Est enim incarnationis opus, nō tantum misericordię opus, sed etiam iustitiæ, seu veritatis. Nam cum omne promissum debitum sit, & Deus dignatus sit incarnationem Filij sui polliceri, rectè opus iustitiæ, fidelitatis, vel veritatis esse ostenditur: sed talis quidem iustitię, quę gratię Dei vel misericordiæ non repugnet, cum ex misericordia, & gratia hoc debitum oriatur.

Luc. 1.
Quæ tria fecerit Deus, vt memor esse posset misericordiæ suæ.
Hebr. 7.
1. Ioan. 2.
& 1. Tim. 2.
Luc. 22 & 1. Cor. 1.
Psal. 97.
Incarnatio Filij Dei non tantum misericordiæ, sed etiam iustitiæ seu veritatis est opus.

Sequitur: *Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham, & semini eius in secula.* Explicat his verbis sanctissima Deipara veracem, ac fidelē Deū in promissis suis, tandē præstando quod promiserat, fidem suam liberasse.

Quam Deus verax & fidelis.
Psal. 144.
Incarnationis Filij Dei cur tam serò fuerit impleta promissio.

Mirum autem alicui videri posset, quā ob caussam Deus tam serò adimpleat quæ pollicitus est: Nam ferè à mundo condito, vel ab Abraham, aliquot annorum millia ad Christum vsque exhibitum interfluxerunt: videtur ergo in promissis suis pręstādis Deus tardior. Verum qui sic cogitant, Deum intellectu suo metiri volunt, atque eius sapientię leges pręscribere. Cum enim tempori subiecti sint, & seculis nostris mēsurentur, haud capiunt immensam illā Dei æternitatem, apud quam, vt testatur vates, *Mille anni ante oculos eius, tanquam dies hesterna quæ præterijt*: atq; ita nihil est illi tardū, quod nobis tardum videtur. Deinde sapientię diuinę erat tantū mysterium eo tempore efficere, quo mūdo erat fructuosius, & magis salutare futurum: antequam autē mundus tanti boni capax existeret, opus fuit mundum ipsum cœcitatem suā, & diuinorum ignorationem mysteriorum agnosceret. Ex quo in lege Naturæ, colendo Idola, animalia bruta, mortalesque homines, & corruptibiles in densissimis ignorātię tenebris versabantur. Accessit subinde lex Moysi: instituit præcepta sanctissima, cæremonias, & iudicia, vt sic ab Idolorum cultu, atque à peccato quocunque reuocaret aliò. Sed cum lex illa, litera mortua esset, nec Spiritum præstaret, haud poterant homines legi facere satis, cogebanturque diuinæ gratiæ opem implorare, promissumque Medicum, id est Messiam efflagitare. Vbi ergo mundus suam cœcitatem, & impotentiam agnouit, diuinamque opem implorauit, tempestiuè, ac fructuosè missus est Christus. Diuinæ sapientiæ etiam, consilijque fuit, promissiones mittendi Messiæ multis retrò seculis facere: vt omnibus non modo præsentibus, & futuris, sed etiam præteritis, qui illum fide concepissent, salutaris esset eius aduentus. Itaque Christus haud tardè, sed tempore suo ac maturè venit: quemadmodum suo etiam promissus. Hanc doctrinam confirmat Leo Papa in sermone de Natiuit. Domini, his verbis: *Cessent igitur illorum querelæ, qui impio murmure diuinis dispensationibus obloquētes, de Dominicæ natiuitatis tarditate caussantur, tanquā præteritis temporibus non sit impensum, quod in vltima mundi ætate est gestum. Verbi incarnatio hæc contulit facienda, quæ facta, & Sacramētum salutis humanæ in nulla vnquam antiquitate cessauit. Quod prædicauerunt Apostoli, hoc annūciauerunt Prophetæ, nec serò est impletum, quod semper est creditum. Sapientia, & benignitas Dei, ac salutiferi operis mora, capaciores nos suæ vocationis effecit, vt quod multis signis, multis vocibus, multisq; mysterijs per tot fuerat secula prænunciatum, in his diebus Euangelij non fuit ambiguum. Et natiuitas, quæ omnia miracula, omnemq; intelligentiæ erat excessura mensurā, tā-*

Deus æternitate, homines tempore mensurantur.
Psal. 89.
II. Ratio.
Lex Moysi cur tradita, eius impotentia.
Rom. 5.
2. Cor. 3.
Incarnationis mysterium cur multò ante fuerit prænunciandum.
Leo serm. 3. à medio.
Contra Iulianum apostatā, Porphyrium, ac similes, tardiorem Dominicam calumniantes aduentum.

Abraham dictus est pater Christi, vt habetur Matth.1.& Heb.2.ait Apostolus: *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit*: ad beneficium etiam & salutem seminis Abrahæ spiritualis, id est, eorum, qui credũt, & Abrahæ filij dicuntur, Rom. 9. *Non omnes*, inquit, *qui ex circumcisione sunt Israel, ij sunt Israelitæ.* Illamque misericordiam, in secula, hoc est æternam, & perpetuò præstandã exhibuit. Omnia enim verba tam Græcis, quàm Hebræis & Latinis, pręter certum consuetum casum, quem regere solent, recipiunt etiam datiuum ad significandam gloriam vel vtilitatem. Ita enim ait Dauid: *Saluauit sibi dextera eius*, id est, populum ad gloriam suam. Sic etiam dicitur: *Virtus altißimi obumbrabit tibi*, cùm esset dicẽdum, per accusandi casum obumbrabit te, sicut alibi: *Et nubes dilucida obumbrauit eos.* Nisi voluisset Lucas significare mysterium incarnationis designatũ in obumbratione illa peculiariter esse in gloriã & beneficium sanctiss. Virginis exhibitum.

Psal. 97. *Luc.* 1. *Matth.* 17.

Quid semen Abrahæ.

Per semen autem Abrahæ non solùm intelligitur Isaac, & Iacob, Moyses, & alij, qui sunt posteri secundùm carnem, sed omnes etiã posteri secũdùm spiritum, quotquot crediderunt in Christum, siue pręcesserint, siue cõsecuti sint Christi aduentum. Omnes item Gentiles quicunq; per fidem, & sacramentum regenerati, & filij Dei facti, ad semen Abrahæ verè spectant.

Vnde perspicuũ sit, pariente Elisabetha B. Virginem adstitisse, eiq; ministrasse.

Sequitur in textu: *Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus, & reuersa est in domũ suam.* Sex menses integri elapsi iam fuerant cùm B. Virgo ad visitandam accessit Elisabetham: quibus si tres mansionis adiungas menses, euincitur tẽpus fuisse completum ad maturum Pręcursoris partum, nam per menses nouem gestare mulieres aluum solent. Ex quo nonnulli colligunt B. Virginem natiuitati Ioãnis adfuisse. Nam in primis intempestiu' fuisset Virginis discessus eo tempore, quo eius præsentia salutaris magis erat nęcessaria. Siquidẽ in partu mulieres periclitantur; & tum maximè aliorũ solatio egent atque oratione, fideles q; mulieres, si quas habeant, Sanctorum reliquias tum maximè adhiberi sibi volunt, quò felicem & optatum sortiantur partum: Quomodo ergò prudens Virgo, si hæc nonignorabat, discedere potuisset? aut quomodo Elisabetha, quæ Spiritu sancto repleta erat, instante iam partu Matrẽ Dei, & benedictam inter mulieres, talem, ac tam pretiosam reliquiam (sic enim dicam) in vtero gestantem abire permisisset? Adhęc honor ipsius Ioannis Baptistæ in lucẽ edendi, hoc suo iure poscebat quodãmodò, vt propter eum maioribus gratiarum donis cumulandum B. Virgo partui assisteret. Hoc etiam tradunt Doctores nonnulli Latini, nempè Ambrosius, Beda, & Bernard. serm. de priuilegijs S. Ioãnis Baptistæ, Origenes hom. 10. in Lucam. Idem in scholastica refertur historia, nimirum quòd infantem à terra leuarit B. Virgo, vt legitur in libro Iustorum, hoc est, in Euangelio Nazaræorum, vt quidam exponunt: q etiam in illo prædicto sermone testatur Bernardus. Verba venerabilis Bedæ sunt: *Tamdiu mansit Maria donec Elisabeth partus tempore cõpleto Præcursoris Domini sui, propter quem maximè venerat, natiuitatem videret.*

I. Ratio. II. Ratio.

Ambros. Beda tom. 5. *Bernard. Origen. to.* 2. *Hist. scholast. Bernard.*

Non sum autem nescius ex Græcis nonnullos aliter sentire, vt sunt Theophy. Euthym. & Leontius: ex Latinis Rupert. lib. 1. in Cantica Cant. & Caietanus. Tum quia dicitur mansisse apud illam quasi mẽsibus tribus: & illud, quasi, videtur imminuere de numero mẽsium. At certè eiusmodi aduerbia, quasi, ferè, circiter, paulò plus, & paulò minus significãt, quàm in designato numero. Deinde argumẽtantur: quia post discessum Mariæ enarratum, subdit Euangelista: *Elisabeth impletum est tempus pariendi, & peperit filium*: atque ita partui interfuisse minimè videtur. Sed profectò in Scripturis frequens vsus est anticipationum: hinc Euangelista per anticipationis figuram posuit Mariæ discessum, hoc loco, vt qui esset historiæ Euangelicæ contexendę accõmodatior, vt historiã nati Ioãnis rectius posset cõtexere. Ad hæc obijciunt: indecẽs videri tantam puritatem Virginis, & sanctitatem parienti astitisse. Nam Theophy. & Leontius scribunt moris Hebræis fœminis fuisse, abire Virgines, cùm parituræ erant prędgnantes. Sed certè puritatẽ Mariæ iam coniugatæ, viroq; traditæ, & matris Messię effectæ nequaquam impediebat vt partui assisteret. Vt enim sol ex eo quod sordida tangit, non polluitur: ita nec purissima Virgo, atq; sanctissima, quæ ad Ioannis sanctificationem cooperta erat, atq; eius matrẽ Spiritu S. repleuerat, contaminari à matre sancta poterat. Quartò obijciũt, sanctissimam Dei Genitricẽ tumultũ eorũ, quos gratulãdi causa sciebat aduẽturos, declinasse, vt pote humilẽ & curiositatis inimicã. Verùm sanè hęc ratio, postquàm mater Dei effecta est, nihil euincit: quippè in medijs illa hominum turbis sola esse didicerat. Quod si quicquam euinceret, poneret illam tanto tempore cum Elisabetha permansisse post partũ, vt omnib. iam partus esset vulgatus, quò possent ad illam gratulationis ergo se conferre. Sed hoc falsum est: quia liberum

Oppositæ opinionis argumenta proponuntur, atque soluuntur. *Theophyl. Euthym. Leontius. Ruper. Tuitien. Caietanus.*

II. Argum.

III. Argum: ab Hebræarũ virginum more. *Theophyl. Leontius.*

Qualis puritas & sanctitas Virginis matris.

IV. Argum.

Maria Virgo si quando in multitudine hominum versaretur, ipsa tamen vt erat prudentissima, animi & mentis suæ solitudinem conseruabat.

fuit post vnum vel alterum diē à nato, vel circunciso Ioanne discedere, antequàm fama partus ad aures hominum peruenisset.

Atque hæc quidem sunt, quæ probabiliora mihi, pietatique simul ac rationi consona magis videntur: etsi Caietanus atque alij recentiores parū firmis rationibus nixi, aliter definierint.

Sacra & solennis Visitationis B. Virginis dies tanto temporis spatio tardius quam accideritcur fuerit institutus. *Concil. Basilien. tom. vlt. Concil.*

Porrò in 43. sessione Concilij Basilien. festiua huius Visitationis solennitas recenter est instituta in secundā mensis Iulij die, etiamsi paulò antè tres menses contigisset, nimirum post annūciationem Virgini factam: eo quòd in intermedio tempore Ecclesia in solennibus Dominicę resurrectionis, Pentecostes, gloriosæ Trinitatis, sacri corporis Christi, & B. Ioannis Baptistę, & sanctorum Apostolorum Petri & Pauli celebrandis sit occupata: aut, quod potiùs est verisimile, ex autoritate Ecclesiæ celebrātis festū Visitationis B. Virginis post octauam Natiuitatis Ioannis, colligitur ac indicari videtur, eo die finitos fuisse mēses tres quibus in domo Zachariæ permansit: quorum mensium cùm principium nosse non posset, saltem finem illorum indicauit.

Ambros. Orig. hom. 9. in Lucam, in initio, tom. 9. Valdè pietati, & rationi consonum videri, Ioannem Baptistā ex Deiparæ Virginis cum matre sua Elisabetha trium e iri cōmoratione, mirabiliter profecisse secundū Origenem. *Luc. 1.*

Deinde & illud notandum, quod Ambrosius & Origenes hoc loco sapienter cōsiderarunt. *Si enim* (ait Origenes) *eo quod tātùm venit Maria ad Elisabeth, & salutauit eam, exultauit infans in gaudio, & Spiritu sancto plena Elisabeth prophetauit ea quæ in Euāgelio scripta sunt, & in vna hora tantos profectus habuit; nostræ coniecturæ relinquitur, quid in tribus mensibus Ioannes profecit assistente Maria Elisabeth. Valdè quippe indignum est, in puncto horæ atque momento exultare infantem, & quodammodò gaudio lasciuisse, repletamq́; esse Spiritu sancto Elisabeth; per tres verò menses nec Ioannem, nec Elisabeth ex vicina matris Domini, & ipsius Saluatoris præsentia profecisse. Exercebatur ergò & quodammodò in athletico sancta matre, per tres menses vngebatur Ioannes, & præparabatur in matris vtero, vt mirabiliter natus, mirabilius nutriretur. Quod enim extra consuetudinem nutritus est, non refertur scriptum quomodo matris fuerit lactatus vberibus, quomodo in sinu gerulæ constitutus, sed statim sequitur: & erat in desertis, vsq; ad diem ostensionis suæ ad Israel.* *Luc. 1.* Hactenus Origenis verba produximus: quę profectò cum ratione dicta videntur. Si enim Deus benedixit domui Obededon Gethæi propter arcam illam Veteris Testamenti vmbratilem ad aliquot menses in domo eius asseruatam: quanto iustius, rationique cōuenientius est, Deum benedixisse, & singularibus gratijs exornasse, atque ditasse Zachariæ domum ob veram arcam sanctificationis, quæ Filij Dei plena erat diuinitate? Sed certè nobis est ingemiscendū atq; dolendum, quod cùm Ecclesiæ Sacramenta, in quibus Deus merita pretiosissima Filij sui recondi voluit, quotidie contrectemus, tam exilem ac modicum fructū propter nostram oscitantiam, desidiamq́; percipiamus. Ergò curemus, si sapimus, Christum in corde gestare per fidem, atque sanctissimam eius Genitricem ante oculos nostros per imitationem, & peculiarem pietatis affectum propositam habere, vt hac ratione profectus magnos in via Dei efficiamus, & de benedictionibus eorum vberes fructus metamus; præstante Domino nostro Iesu Christo, cui cum Patre, & Spiritu sancto omnis honor, laus, gloria & imperium detur in secula seculorum. Amen.

2. Reg. 6. Pia illa Origenis sanctaque meditatio quā nam Veteris Testamenti figura satis cōfirmari videatur. *Psal. 131.*

Infrequens vsus Sacramentorū notatur.

Christum, atque eius Genitricē vitæ imitandū ratio.

TRACTATVS XVI.

In illa verba: *Elisabeth autem impletum est tempus pariendi, & peperit filium. Et audierunt vicini & cognati eius, &c.* *Luc. 1.*

Quid propriū imbecillitatis humanæ, teste Paulo.

DIcendum in pręsenti tractatu de Pręcursoris natiuitate, quæ tanto olim gaudio celebrata fuit, atque hodiè tanta per vniuersam Ecclesiam solennitate commemoratur. Quia verò procliue est infirmæ naturæ nostræ, vt cum Spiritu tractare diuina cœperimus, carne consummemur, *Gal. 3.* Sanctorumque festiuitates spiritali lætitia atque imitatione commemorandas nō nisi carnalibus & mundanis gaudijs celebrare consueuerimus: magna ratione sancta Dei Ecclesia, sanctique Spiritus magisterio instructa, in festo natali die Præcursoris spiritualium gratiam gaudiorum à Deo Opt. Max. percipere cōtendit. In quo fideles superstitionib. vacare, spectaculis secularib. atq; conuiuijs superfluis incumbere solēt.

In natali die sancti Præcursoris curat Ecclesia à Domino Deo percipere spiritualium gratiam gaudiorum.

Dicitur ergò in textu: *Elisabeth autem impletum est tempus pariendi, & peperit filium.* Intellige, intra illos tres mēses, quibus Maria fuit cū illa diuersata: nam hoc summa quædam est, ac breuis repetitio, quam sæpè seruant Chronographi, quod nequeūt, multa quæ cōcurrunt eodem tēpore, simul enarrari. Et pondera, non dixisse Lucā: Posthęc autem, aut quid simile, sed dixisse: *Elisabeth autem:* quæ particula demōstrat, hoc, quod sequitur, illo intermedio tēpore gestū fuisse. In his porrò verbis egregiè philosophatur Origenes; ait enim: *Multi putant superfluè dici: Elisabeth autem cōpletum est tempus vt pareret, & peperit filiū. Quæ enim mulier potest parere, nisi tēpus pariendi ante cōpleuerit? Sed qui*

Elisabeth quādo impletū tempus pariendi Ioannem Baptistā præcursorem Domini.

Orig. hom. 9. in Lucam, in initium. to. 1.

Peccatores in Scriptura dies suos nunquam implere, sed tantum iusti leguntur secundum Origenem.

Scripturas diligentissimè contemplatur, & audit populum loquentem, attendat lectioni, obseruans tam in Veteri quàm in Nouo Testamento, sicubi scriptum in ortu peccatoris inueniat, completum est tempus vt pareret; nunquam omnino reperiet. Sed vbicunq; iustus nascitur, ibi complentur dies, illic in mundū completur aduentus sui. Ortus iusti plenitudinem habet: peccatoris natiuitas, vt ita dicamus, vacuitatem atq; inanitatem. Hęc ille. Idem annotarunt Ambros. atq; Theophy. Origenis, vt mihi quidem videtur, doctrinam & verba secuti. Nam abortiendi quidem tempus anticipari solet. Iusti etiam vt plurimum dies suos implere in Scripturis perhibētur, quemadmodum de Abraham dicitur: *Et deficiens mortuus est in senectute bona, prouectaeq; aetatu, & plenus dierum:* perinde ac si dictum fuisset: completa sua periodo naturali mortuus est. Idem dicitur de Iob: *Viri autem sanguinum, & dolosi non dimidiabūt dies suos.* ¶ Quod si vrgeas, iustorum vitam abrumpi interdum, ac in medio iuuentutis flore de medio tolli, vt legim' de Ezechia, cui dictum erat: *Dispone domui tuae, quia morieris tu, & non viues:* qui dixit, *Praecisa est velut à texente vita mea: dum adhuc ordirer succidit me.* Respondemus, illos quoq; dies suos impleuisse, propterea quod breui tempore magna virtutū merita sibi apud Deum cōpararunt. Nam vt Salomō ait: *Iustus si morte praeoccupatus fuerit, in refrigerio erit, &c.* Et infra: *Consummatus in breui, expleuit tēpora multa. Placita enim erat Deo anima illius.* Simili ratione permultos in adolescētia per sanguinis, virginisque profusionem Ecclesia peperit, & in lucem gloriae aeternae transmisit.

Amb. lib. 2. in Lucam, c. 10. tom. 5 initio. Theoph. ibid.

Gen. 25. Iob vlt. Psal. 54.

4. Reg. 20. & 2. Par. 32. & Isai. 38.

Si iusti implere dies suos in Scripturis leguntur, quomodo eorum fit inquit Ezechias, vel ut a texente vita praeciditur. Sap. 5.

Seuerius quae venerabilis. Quid est dicere, Elisabeth impletum esse tempus pariendi.

Impletum est ergò *tempus pariendi*, id est, impletus est mensis nonus, quo fere humanus foetus edi solet; licèt quandoque cōtingat, vt anteuertatur in septimo, vel porrigatur in decimum, vel vndecimum, duodecimum ve, vel etiā decimumtertium, vt Physici tradunt. *Et peperit filium:* primogenitum scil. ac vnigenitum, iam vtq; ab vtero sanctificatum, item Spiritu S. repletum, & Pręcursorem Domini atque Prophetam institutum. Enixa est autem illum minimo ferè cum dolore, vt tradunt quidā, & quidem verisimile videtur: quī .n. dolorē matri inferret is, qui prae gaudio exultauit in vtero eius; & tantā praetereà lętitiam mundo sua natiuitate salutis autorem praenuntiādo attulit? Nam & B. Virgo magna cum suauitate, iocunditateq; Messiā edidit. Par autem erat, vt quę tales filios ad cōmunem mundi laetitiam, & salutem edituri erant, sine vllo dolore parerent. Atque in his verbis impleta cernimus promissa ab Angelo Zachariae: dixerat enim: *Vxor tua* (quae hactenus in iuuenta non peperit, in senecta) *pariet tibi filium.* Dixerat etiam: *Multi in natiuitate eius gaudebunt:* id ipsum quoq; ostendit impletum, dum ait: *Et audierūt vicini, & cognati eius, quia magnificauit Dominus misericordiam suam cum illa, & congratulabantur ei,* siue vt Graeca vox habet, *congaudebant ei,* vt Angelus promiserat. Mirum est cur vicini sic celebrarint hūc partum, quasi in hac re Dominus Elisabethae maximè se ostēderit clementem ac benignum, aut quasi minus propitium Dominum senserit, quādo fieri mater nō potuit. At certè probrosa sterilitas erat in lege, & foecūditas illo in populo fauorem Dei testabatur, queādmodum habes Exod. 23. & Deut. 7. Hinc Deus vxores domus Abimelech propter raptū Sarae, & Michol irridentem Dauidem, propterea quòd corā arca saltaret, sterilitate mulctauit: quanquā minimè certum sit argumentum irae Dei sterilitas. Nam & apud Isaiam c. 56. laudem habēt Eunuchi, eisq; promittitur in domo Dei, & muris eius locus, & nomen melius à filijs & filiabus. Ex quo Augusti. lib. qq. Nou. & Vete. Testamenti (qui tamen ei falsò inscribitur.) *Quid est, inquit, vt maledictos dicat lex, qui semen non reliquerint in Israel, per Isaiam autem nihil obesse dicatur spadonibus, quia generare non possunt? Quoniam aliter quàm dictum erat, intelligi coeperat: idcircò Isaias Propheta ostendit posteà quo sensu dictum esset. Cùm enim hoc ex caussa offensi Dei sententiae loco positum esset, quia deserentes Deum in eo percutiebantur, ne ducentes vxores semen relinquerent; sic hoc arripuit error humanus, vt putarent reos esse apud Deum, si qui aut vxores nollent, aut accipientes, vt assolet generare non possent, quasi nihil aliud quam semen quaereret Deus, sicut arguuntur per Malachiam Prophetam. Isaias ergò vt consolaretur eos, quos mala intelligentia cōtristauerat, docuit nihil obesse si quis nō posset habere filios, aut nollet, dummodò legem Dei seruaret. Maledictum enim illis competebat, qui cùm possent, ac vellent, diuino obstante iudicio, steriles erant, ne fructum haberent creationis Dei, quem spernebant. Vnde cùm viderent aut generare se nō posse, aut genitos minimè possidere, cognoscerent indignantis Dei iram esse, & cōuersi satisfacerent. Nam & sancti viri cùm cupidi essent filiorum, & nō id obtinerent, aestimabant peccata obstare, & dolebant, ignorātes Dei esse prouidentiam, cui seruabatur.* B. Chrysost. in Genes. hunc in modum scribit: *De Abraham, Isaac, & Iacob, qui omnes steriles habuerunt vxores, nō possum carpere eorum vitam, & dicere quòd sterilitatem illam peccata fuerint operata. omnes iusti, omnes virtute praediti, omnes à Deo testimonium habentes. Nam de ipsis dicitur: Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac,* Deus

Luc. 1. Ibidem.

Quàm felix partus Elisabeth.

Ibidem.

Ioan. 1. & seq.

Luc. 1. Ibidem.

Quàm fidelis Dominus in omnibus verbis suis.

Ibidem.

Vicini & cognati Elisabeth de ortu Praecursoris cur tātopere congratularentur ei.

Gen. 20. 2. Reg. 6.

Quòd minimè sit certum irae Dei argumentum sterilitas.

Isai. 56.

August. lib. qq. Vet. & Nou. Testam. q. 17. initio tom. 4. circa med.

Eunuchis apud Isaiam quare promittitur nomen melius à filijs & filiabus.

Malach. 2.

Steriles quae maledicto subiacerent.

B. Chrysost. hom. 49. super Genesin, paulò ante med. to. 2.

Exod. 3. &

Deus Iacob. Hactenus ille ad sensum. Vicini ergò, & cognati fœcunditatem Elisabethæ misericordiæ Dei adscribebant, vt sic potuerit veterum Patriarcharum assimilari vxoribus, quæ & ipsæ tandem in senectute effectæ fuerunt graues.

Matth 22.

Quod Elisabethæ vicini & cognati eius congratulabantur, quid significet.

Quòd autem vicini & cognati congratulabantur: ostendit illorum irreprehensam vitam, & sanctos mores, qui sic potuerunt à se omnem eorum, quibuscum verba ferebantur, offensionẽ, maleuolentiamque propellere: multi enim sic viuunt, vt à vicinis suis contemnantur: qui quidem vix sese alloqui, vel etiam mutuò se dignantur aspicere. Cognati verò sterilium bona, & consanguineorum hæreditario iure accipere expectãtes, de partu illorum inexpectato capere solent dolorem ac molestiam quod iure illo spoliari se arbitrẽtur: at contrà, vicini boni lætantur, voluntatem Dei esse agnoscentes, vt filios habeant; ac proinde omnem inuidiã exuentes, alienæ felicitati ex charitate congratulantur. In lege dedecus erat habere filios; dedecus illis carere. At in Nouo Testamẽto gratia Dei est liberos gignere: gratia item non gignere: maior etiã vxorem nõ habere, & cœlibem agere vitã: quibus tamen licet filios habere adoptiuos, in quos nomẽ familię, si velint, atq; hæreditaria bona transferant. Sed non minor gratia Dei est, si quis facultates habeat, & liberis careat, nutrire pauperes & religiosos, orphanos ac puellas alere, vt hac ratione Christus Dominus hæres sit facultatis nostræ. Quod si quis temporarijs sit destitutus bonis: debet tamen operam dare, vt prolem spiritalem bonorũ operũ habeat, exemploq; præluceat alijs benè viuendi, vt ita filios spirituales procreare valear, id est, suarum virtutũ imitatores: qui dum alios verbo, vitæve documento ad Christum adducunt, fit vt bono exemplo suo videant filios filiorum suorum. Ac vt Elisabetha non nisi à Virgine prius visitata Ioannem pepererit: ita & tu quoq; precare Deũ gratia, vt te sua visitare dignetur, quo impleatur tempus tuum pariendi, edasque fructus bonorũ operum tuorũ. Nam sunt qui perueniunt ad partum, & virtutem tamen pariendi non habent: vt de quibusdã dicitur ab Isaia: *Venerunt filij ad partũ, & virtus nõ est pariendi.* Et magna dicitur Dei misericordia facta Elisabethæ, quia à sterilitatis opprobrio liberata est in senectute, & prolem masculam, non fœminam habuit. Sequitur: *Et factum est: in die octauo venerunt circuncidere puerum.* Pręceptum erat circuncisionis octauo die conferendæ, iuxta illud: *Masculus cuius preputij caro circumcisa nõ fuerit, delebitur anima illa de populo suo &c.* Et ibidem: *Infans octo dierum circuncidetur in vobis.* Quod dicitur: *Venerunt,* intellige vicinos & cognatos, qui in ædes Zachariæ conuenerant. Nec enim ad circuncidendos pueros necessarium erat templum Dei, vel Sacerdos templo ministrans, cum longissimè ab Hierusalem multi Iudæorum distarent, quos impossibile erat templum accedere & aduentare. Subditur: *Et vocabant eum nomine patris sui, Zachariam.* Hoc est, cœperunt vocare. In circuncisione, de more imponebatur nomen, quemadmodum apud nos in baptismo, qui in circuncisionis locum subrogatus est: & præcedebat circuncisio nomen, quod prius sit diuinum signaculum, quod populo Dei inseritur, & nouum esse ubi comparat, quàm humanum nomen. Impositio autem proprie spectabat ad parentes. Quamobrem etsi cognati vellent (quod plausibile esse solet) nomine patris vocari, cùm primogenitus esset, & vnigenitus, cõueniretque vt puer memoriam Dei subiceret pro tantis beneficijs (hic enim interpretatur nomen Zachariæ) parentum tamen vterque obstitit, mandatumque Angeli de Ioanne appellando est executus: nec enim mater potuit à Zacharia rescire: quia alioqui non opus fuisset ad re illos Zachariam, sed dixisset sic velle maritum suum vocandum esse Ioannem, cum needum amissam vocem recuperasset. Ideo numine diuino afflata Elisabethæ mens est, & admonita vt hoc diceret ad maioris incremẽtum miraculi, vt Ambrosius & Theophylactus docent; vel Virgo Maria in amplexu Elisabethæ hoc ipsum illi suggesserat, vt superius est dictum. Quod verò innuerunt patri, quem vellet vocari eum: manifestum signum est, cum non tantùm mutum, verum etiam surdum fuisse: quod vno eodemque neruo, teste Euthymio, colligata sint audiendi vires atq; loquendi. Ideo muti sunt surdi. Cum etiam dicitur: *Solutum est vinculum linguæ eius*: intellige, & auditus. Item quod dicitur: *Et postulans pugillarem, scripsit, dicens, Ioannes est nomen eius.* Intellige nutibus & signis postulasse, vt alij nutibus etiã innuebant filij nomen.

Noui Testamenti propria.

Qua ratione gignere quis possit prolem spiritualem.

Psal. 172.

Isai. 37.

Gen. 17. & Leuit. 12.

A quibus Infans ... circumcidus, & ...

Nomen quando imponebatur. Nomen cui imponebatur.

Zachariæ quid sonet.

Ambrosius. Theophy.

Cur innuerint Zachariæ ... nati eius de nomine ... ut capere ...

Euthym.

Pugillarem, intellige tabellam ceream, quæ Græcè πινακίδιον dicitur, in qua stylo ferreo scribi mos erat, teste Origine; vt mutis literis significaret, quod viua voce eloqui non poterat. Et verba illa, *Scripsit, dicens*, haud sunt Accusandi casus, vt sit sens: scripsit rem, vel Scripturã dicentem, cùm mutus ipse fari non posset, vt putauit Caietanus: quasi verò Scriptura loquatur, & non potius per scripturam qui scribit: nec vidit

In quo pugillari Zacharias ... Ioannis ... Orig. hom. ... in Lucam, ... homil. 2.

Caietan. in Lucam.

quod ἄῤῥεν Græcè, recti sit casus, & masculini generis. Scriptura igitur habebat: *Ioannes est nomen eius.* Id est, neque mater, neque ego pater puero huic nomen imponimus, sed à Deo per Angelum est allatū: atq; hoc est, eritq; nomen eius, nimirum quadrás ipsi rei: exponitur enim gratia, siue misericordia Dei. Quippe ex gratia donatus fuit parentibus in senectute & sterilitate, tanquàm filius potius promissionis, quàm carnis: admirabilem gratiā sanctificationis in vtero ille obtinuit, repletusq; est Spiritu sancto, atque per os matris suæ prophetauit: institutus prætereà est præcursor, ac Domini præco, dirigés viā Domini, vt gratiā per Dominum elargiendā, scil. Messiam participarent: finisq; legis fuit, atq; principium euangelicæ gratiæ. Vt verè de se possit dicere id, quod Apost. de seipse dixit: *Gratia Dei sum id quod sum.* Sed de hoc nomine fusius alio in loco philosophati sumus.

Ioannes quid sonet.

Ioannis prærogatiuæ.

Luc. 1.

Ibidem.

Ioan. 1.

Isai. 40.

1. Cor. 15.

Lib. 2.

Subiicitur: *Et mirati sunt vniuersi.* Quod cùm neutri parentum omnino de alterius voluntate constaret, idem tamen nomen pronuntiauerint: quare non nisi miraculo, atque diuinitùs factum esse non ambigo. Deinde mirati sunt, quòd scribédo os eius apertum fuerit, & loqui cœperit. Miraculum autem illis visum est mutum loqui: alias mirum non erat quòd mutus scriberet.

De nomine Ioannis imposito cur mirati sunt vniuersi.

Circa hoc nomen planè augustum IOANNES aduertendum est Mahometú turpiter aberrasse, qui asseruerit alteri nulli ante illum in Scripturis id esse concessum. Verùm qui libros Regum, Ezrę, Paralipomenon, atque Machabæorum legerit, deprehendet omninò multos eo nomine fuisse nuncupatos. Deinde & illud attende, circa impositionem nominum multum à Christianis peccari, dum filijs suis parentes nomina Ethnicorum & Paganorum imponunt, vt Paganismum reuocare velle videantur. Multi enim appellantur Hercules, Alexandri, Hectores, Achilles, Vlysses, Diomedes, Æneæ, Ascanij, Romuli, Cæsares, Pompeij, Sertorij, Annibales, Camilli, Fabij, Mutij, Scipiones, Aristoteles, Platones, Horatij, Tullij, Virgilij, & alijs generis eiusdem nominibus. Nomina etiā quæ induuntur fœminis, haud sunt minus absurda. Pleraque enim audias (proh dolor) nuncupari Dianas, Pentisileas, Cassandras, Lucretias, Siluias, Camillas, Liuias, Tullias seu Tulliolas, Hyppolitas, Sibyllas, & similes: vt ita videantur deorum, dearumq; falsarum propè portétosa nomina iam extincta, sepultaque ab inferis excitare. Non quod habere hæc nomina sit vllum peccatum, sed quod Fide lumine illustrati parentes, intuentes in Paganorum potiùs impia facinora atque flagitia, quàm in Apostolorum & Martyrum fortissima atque sanctissima gesta, illorum potiùs commemoratione, quàm nostrorum gaudent & gloriantur: quod profectò reliquias antiqui illius Peganismi, & idolorū cultus talium hominum insidere animis, manifestum est indicium. Dixit olim Propheta Zacharias: *Et erit in die illa, dicit Dominus exercituum, Disperdam nomina idolorum de terra, & non memorabuntur vltra:* at isti hanc sententiam euertere, Deumq; & vatem eius facere conantur mendaces. Neque etiam dissimulabo nostri seculi hęreticos, ac maximè Anabaptistas, omissis Sanctorum Noui Instrumenti nominibus, Patrum Veteris Testamenti nomina liberis suis imponere: vt itē audias, non paucos vocari Adamos, Abrahamos, Moses, Aarones, Samsones, Dauides, & similes: vt Iudaismum instaurare iterum velle videantur. Verùm hoc ferri potest, cum & Catholicis quibusdam in vsu sit, vt Chrysost. indicauit hom. 12. in priorem ad Corinth. epistolam. Sed illud minimè ferendum, & portento simile, quòd etiam nomina impiorum vsurpent: & quosdam appellāt Pharaones, Cainos, Ismaeles, Esauitas, Saules, Sennacheribos, Amanitas, Holofernes: vt isti iam non tam videantur veterem legem velle statuere quàm ipsum orcum, seu infernum. Hæc mihi penè exciderunt zelo domus Dei, propter abusus intolerabiles, quibus nō modò Hæretici, sed Catholici etiam inuoluuntur indies.

Contra Mahometum, nomen Ioannis alteri nulli ante illum in Scripturis concessum fuisse somniantem.

Christianorū parentū Ethnicorū nomina filijs suis imponentium abusus damnatur.

Gentilitia hæc & superstitiosa nominum impositio vndē viciosa.

Zachar. 3.

Hæretici, ac maxime Anabaptistæ dum omissis Sanctorum Noui Instrumenti nominibus, Patrum Veteris Testamenti nomina filijs suis imponūt, quid facere velle videātur.

In eos quoque qui nomina impiorum vsurpant.

Sequitur. *Apertum est autem illico os eius, & lingua eius, & loquebatur benedicens Deū.* Prædictum fuit ab Angelo Zachariam tātisper voce priuandum, donec, quod prænunciarat de filio nato, ad exitum perduceretur. Sed in natiuitate necdū Angeli verba perfecta erant: dixerat namque filium nasciturū, eius natiuitate plures gauisuros, quodq; puer esset Ioannes vocandus. In circumcisione ergò, in qua nomen ei est inditum, omnia verba Angeli erāt completa; ac proinde tempus erat, vt vinculum linguæ solueretur. Atque ita miraculum hoc clarius erat in die circuncisionis, quàm in die natalis, præstabatq; populum hoc scire, vt de Ioāne sentiret magnificentius, maioremq; sibi apud homines autoritatem conciliaret & beneuolentiam. Scriptura enim ipsa, quā verbis Angeli præstiterat, protulit. Vnde Ambrosius: *Linguam,* inquit, *quam vinxerat infidelitas, fides soluit.* Subdit deinde: *Loquebatur benedicens Deum.* Loquelam suā inchoauit à laude diuina, nam linguæ munus ob hunc potissimum finē à Deo tributum est, vt con-

Quousque Zacharias mutus esse debuerit.

Luc. 1.

Ibidem.

Ibidem.

Ambr. lib. 2. cap. 11.

Zacharias ore solutus, cur loquebatur benedicens Deū.

vt cõditorem ac redemptorem suum perpetuis & continuis laudibus celebret, atq; pro acceptis beneficijs gratias immortales agat. Sequitur: *Et factus est timor magnus super omnes vicinos eorum: & super omnia montana Iudaeae diuulgabantur omnia verba haec.* Videbant patrem senem, matrem sterilem, conceptum simul, & ortum miraculis honestatum, cognátes inauditatalem puerum pariturum; atque ita timorem Dei concipiebant in animo suo, cognita potestate diuina, atq; opere visibili expresso: verbaq; Hebraeo more vsurpant pro rebus ipsis. Subijcitur: *Et posuerunt omnes qui audierant, in corde suo.* Phrasis est Graecis & Latinis admodum familiaris. Siquidem Homerus ait:

Σὺ δ' ἐνὶ φρεσὶ βάλλεο σῇσι.

Et Poeta noster:

Sensibus haec imis (res est non parua) reponas.

Item: *Manet alta mente repostum:*

Propheta etiam: *In corde meo abscõdi eloquia tua, vt non peccem tibi.* Et Christus: *Ponite vos in cordibus vestris sermones hos:* de beata quoque Maria dicitur: Cõseruabat omnia verba haec, conferens in corde suo. *Dicentes: Quis putas, puer iste erit?* Nemo Prophetarum adeo prodigiosè natus est, argumento igitur est, mirabilia, & planè singularia opera Deum velle per hunc infantem operari, atque istam infantis considerationem efficiebat Deus in mẽtibus eorum, vt suo tempore mirabilia operantem illum agnoscerent, & recordari valerẽt. Ne vero haec historia, quae simplex videtur, mysterijs carere existimetur; considera in primis, per octauam diem, in qua circumcidẽdus erat puer, significari tempus, quando superflua legis, & carnis caeremoniae gladio Spiritus sancti per sacrosancta Apostolorũ concilia atq; decreta amputatae sunt: atq; ille est octauus dies, cùm agnita est noua perfectaq; doctrina Euangelij sufficiens ad aeternam felicitatem, quae octo beatitudinũ promissionibus significatur apud Matthęũ. Quòd verò cognati vocarent eum nomine patris sui, Zachariam: designantur ij, qui nolebãt liberari à sacrificijs & ritib' legis, pro illisque retinendis pugnabãt. Sed mater ipsius pueri, nempè lex ipsa, & veri legis perscrutatores atq; interpretes repleti Spiritu sancto, qui sentiebant se ab iugo legis impatibili per gratiam Christi liberatos, figurati in Elisabetha, dicebant, *Nequaquam, sed vocabitur Ioannes.* Ita enim ab Angelo praedictum erat, & ipsi quasi Dei Prophetae, hoc tandem vaticinati sunt, quod postmodum, vt Principes Sacerdotij edixerũt, vt in totũ legitima illa, infructuosa, atq; Mosaica resecarentur. Conuenitq; mirificè rei gestae: nam etsi diuino Spiritu afflati, antè sensissent apud Deum legem sublatam esse à sanctificatione Synagogae per gratiã Spiritus S. & ita ab eo die, quo Elisabetha impleta est Spiritu sancto, amisisse vim suam: interim tamen, donec perfectè eniteretur, & pareret, ipsae legis caeremoniae seruabãtur, & simul cũ Euangelij gratia concurrebant, tacente, quasiq; mussitante Elisabetha, id est, noua Ecclesia Apostolorum. At verò iã enixa, octauo die adueniente, qui quidẽ est dies gratiae circumcisionis, vidit non esse expectandum diutius, atque ita acutiori petra, & gladio verbi Dei est vsa, quo circumcideretur hic puer: propter quod & multi occisi sunt, & ceciderunt à gratia, nolentes acquiescere veritati, vt impleretur dictum Prophetae: *Verbum abbreuiatũ faciet Dominus super terram.* Iudaei ergo pro lege Mosis zelantes, contradixerunt, dicentes: *Nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine:* & argumentantur non à verbo ipsius legis, verùm à cõsuetudine, & factis ab antiquis Patribus. Hinc Petrus necdũ benè instructus, cùm inuitaretur ad comedendum immunda secundũ legem, inquit: *Absit Domine, quia nunquam manducaui omne commune & immundum.* Alij verò: *Nisi circumcidamini secundùm morem Moysi, nõ potestis saluari.* In generatione ergò carnis illa vsq; ad Christũ, vis gratiae eius nondum apparuerat, nam gratia & veritas per Iesum Christũ illustrius elucere coepit, quae olim lege velata erat: nondũ enim puer habebat sensum discernẽdi, aut robur ad solidum cibum, sed lacte alendus erat: & nolebat ablactari, quia durum videbatur, recedere ab assuetis: vnde quaestio haec à Zacharia summi Sacerdotis vicẽ gerente, terminanda erat. Sed quomodo mutus & incredulus loqueretur? quo modo audiet surdus? at innuebãt tamen illi. Translatio certè facienda erat sacerdotij, aut ipse Sacerdos sancto Spiritus implendus, rectè vt loqui ac iudicare posset. Hic est Petrus, caeteriq; Apostoli, quib. innuebatur ab Angelis per legẽ, & quasi signis ac nutib' ostẽdit gratiae veritatẽ. Quo fit, vt aperiẽtes os suũ, dicant: *Ioannes est nomen eius,* videlicet, haec est noua gratia, quę secum non patitur mores antiquos: oportet Zachariã antiquari: hoc est, vetus Sacerdotium, ad fructum impotens ex se ferendũ de medio tolli. Nõ ergò oportet filium ad patrẽ inclinari, sed patrem ad filium, qui parenti muto restituit sermonem. Postulãs ergò pugillarem, scripsit, dicens: *Ioannes est nomen eius.* Ecce Scriptura Noui Testamenti: his factis & Apostolica praedicatio praenuntiatur: praedicabant enim, Dei gratiam liberem venisse,

quod

Marginalia:

Vicini omnes cur timuerit in ortu Praecursoris.

Quid ponere in corde suo, more Scripturae.

Homer.

Virg. Eclog. 3. circa med.

Idem lib. 1. Aeneid. sub initium.

Psal. 118.

Luc. 21.

Suprà 1.

Magnitudinẽ nati Praecursoris vnde prae sagirẽt omnes.

Historiae nati Praecursoris mysterium.

Matth. 5.

Cognati Elisabeth vocarent Ioannem nomine Patris sui Zachariam qui mysticè.

Act. 15.

Luc. 2.

Lex Moysi quousque viguerit.

Gal. 5.

Isa. 10. iuxta Septuaginta, & Rom. 9.

Quid sit mysterij in eo: Nemo est in cognatione tua qui vocetur hoc nomine.

Act. 10.

Act. 15.

Ioan. 1.

Euangelij proprium.

Heb. 5.

In illud: Innuebant autem patri eius, quem vellet vocari eum: & vocatum est nomen eius Ioannes, allegoria.

Illud: Postulans pugillarem scripsit, dicens: Ioannes est nomen eius, quid.

Exod. 16.

Infrà 25. & alibi.

1.Cor.10.

quod antiqua & sacra volumina in manna, in arca Testamenti, cæterisque sacrificijs innuebant, quoniam Omnia in figura contingebant illis. Ecce quomodo translatum est Sacerdotium Leuiticum in Euangelicum, & his, qui nesciebant loqui, quia infantes & pueri, aperta sunt ora, vt Zachariæ: nam surdis & mutis auditus, & lingua vsus donatus est.

Qualis hæc phrasis: Etenim manus Domini erat cum illo.

Subdit: *Etenim manus Domini erat cum illo.* Metaphorica est locutio Scripturis sacris haud ignota, qua singularem fauorem, auxilium, & gratiã Dei alicui impartiri significatur, iuxta illud: *Posuisti super me manum tuam.* Et iterum: *Manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Et Isaias: *Sub vmbra manus suæ protexit me.* Et: *Iustus si ceciderit, non collidetur: quia Dominus supponet manum suam.*

Psalm. 138.
Ibidem.
Isa. 49.
Psalm. 36.

His enim locutionibus significatur protectio, diuinaq; custodia: & fortasse hoc loci alludit ad infantiam Ioannis, siquidem infantes manibus interdum gestantur, ac ducuntur. Cùm autem manus organum sit operandi: & Ioãnem infantem propè singularia, & admiranda opera facientem cernerent: eiusmodi opera non tam Ioanni ipsi, quàm diuinæ virtuti per illum operanti, tribuebant. Qui etiam futura diuinitus præcinebant Prophetæ, manum in se Domini habere dicebantur: hinc dicitur per Ezechielem: *Facta est super eum manus Domini.* Et alibi: *Manus enim Domini erat mecum.* Cùm ergo facta Ioannis magnum aliquid protéderent, ac denuntiarent futurum, rectè de eo dicitur: *Etenim manus Domini erat cum illo.* Græcè autem dicitur: *Et manus Domini erat cum eo.* sed rectè interpres noster vertit cõiunctionem illam per caussalem, vt sæpe solet in Scripturis accipi. Nos ergo cùm infantes simus atque imbecillitati obnoxij, virium nostrarum agnoscentes debilitatẽ, precemur Dominum cum Propheta dicẽtes: *Operi manuum tuarum porrige dexteram*; id est, impende fauorem, & gratiam tuam, qua præstare valeam, quæ tu per legem tuam fieri nobis præcepisti, atque mandasti. Ne autem præstemus, insidiantur nobis, & quantum possunt, obstant maligni spiritus: contra quos orandum est item cum Propheta: *A resistentibus dexteræ tuæ, custodi me, vt pupillam oculi.* Cumq; in magnis periculis, & multis versamur, clamemus ad Dominũ liberatorem, & præseruatorem. *Emitte manum tuam de alto, eripe me; & libera me de aquis multis.* Nam si manus tua, Deus, nobis dignabitur adesse, hostibus tuis audacter & nostris insultabimus, dicentes: *Si consistant aduersum nos castra, non timebit cor nostrum: quoniam tu nobiscum es.* Quod vt obtineamus

Manus in se Domini qui dicebantur habere.

Ezech. 21.
Infra 3.

Quid nobis Ioannis exemplo præstandum.

Iob. 14.

Psal. 16.

Periclitantes quid Deum orare debeãt.

Psal. 143.

Psal. 26.
Psal. 128.

per petuò sunt oculi nostri ad cœlum eleuandi, vt inde veniat auxilium nobis; præstante Domino nostro, cui cum Patre, & Spiritu sancto tribuatur omnis laus, honor, gloria; & imperium in secula seculorum. Amen.

TRACTATVS XVII.

In illa verba: *Et Zacharias pater eius, repletus est Spiritu sancto: & prophetauit, dicens: Benedictus Dominus Deus Israel: quia visitauit.*

Luc. 1.

Dicendum, quis author sit huius Cantici: deinde, quo spiritu actus illud cecinerit: postremò, quid egerit, nempè prophetauit. Sed in primis argumentum Cantici expediendum est. Intendit enim, more Hebræo, coram incarnato Verbo, sanctaque Deipara, vt quidam tradunt, & coram præcursore Ioanne, eiusque genitrice, atque alijs multis, qui aderant circuncisioni, laudare Deum, aperiendo mysterium aduentus eius, & fructum, vsque ad illum versiculum: *Et tu puer, Propheta Altissimi vocaberis.* Ab eo autem loco, officium & partes præcursoris præparantis filios Israel ad eius aduentum, explicat. Præmittit autem Lucas ante Canticum, illa verba: *Et Zacharias pater eius repletus est Spiritu sancto: & prophetauit:* quibus verbis tum autor Cantici, tum Spiritus, quo editum est, tum denique eius actio prophetica explicantur. Fuit enim Cantici conditor Zacharias senex, sacerdos, & iustus ante Deum: quia iuxta nominis sui ethymon, memor erat Domini, & ambulabat coram Domino, vt esset perfectus. Nimirum ex Dei memoria omnia bona nobis proueniunt, quemadmodum & ex obliuione Dei omnia mala: inde enim ignoratio perniciosa diuinarũ rerum, & neglectus iustitiæ, & contemptus diuinæ legis. Hinc Propheta dixit: *Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua; & iustitia tua in terra obliuionis?* Erat Zacharias etiã pater Ioannis; ideò magnus erat à Deo factus, quippe talem filium progeniturus. Nam, vt in ædificijs, à paruis progredimur ad maiora; ita à sanctis patribus sanctiores filij generantur. Etsi quandoque non progressus, sed regressus & descensus quidam fit, qui quidem interdum paulatim fit; sicut ab Abraham, Isaac, & Iacob in alios posteros, qui minori sanctitate, quàm Abraham claruerunt: tamen aliquando repentinus fit vel ascensus, vel descensus: quemadmodum Ezechias filius fuit Achaz impij, & genitor

Huius argumentum Cantici.

Quis eius autor.

Vnde bonũ omne nobis, contra õmne malum.

Psal. 87.

4. Reg. 16.

Infra 20. Ibidem. & seq. Ibidem.

Manasses Regis, insignis peccatoris, qui Prophetarum sanguine Hierusalē vsq; ad os impleuisse, in Scripturis dicitur, *Repletus est Spiritu sancto.* Tertia persona Trinitatis, cùm per modum voluntatis, (quæ extra se tendit ad obiectum) procedit, quidam ventus, & sanctus impetus vocatur: cumque ex vtraque persona Patre, Filioque procedat; nomen quod personæ commune est vtrique, vt docet Alcuinus lib. de Trinitate, sibi proprium facit.

Tertia in diuinis persona nomine Spiritus sancti cur veniat.

Alcuin.

Zacharias quomodo dicatur repletus Spiritu sancto.

Non est autem sensus, Zachariam nuda essentia Spiritus sancti tūc fuisse repletum, cùm tota Trinitas quauis in creatura existat, ac per omnia immeneat, & à nemine penetretur, nihilq; meare per eā possit: vt Ioannes Damasc. lib. 1. suæ Theologiæ tradit, sed ob id dicitur replet⁹ Spiritu sancto, quod sua eximia dona cum illo communicauerit.

Ioan. Damasc. cap. 16. 4. Orthod. fide, & alias.

Dona Dei sancti Spiritus cur dona dicantur.

Hæc autem dona tametsi à tota Trinitate efficiantur pariter, atque infundantur: quia tamen ex gratia & benignitate diuina donantur, Spiritui sancto, qui amor est increatus, meritò tribuuntur, quo pacto quæ sunt potentiæ, Patri; quæ verò sapientię, attribuuntur Filio.

Spiritus sancti charismata, spiritus in scripturis appellantur teste Damasceno. *Ioan. Damasc.*

Dona autem Spiritus sancti, spiritus dicuntur, vt testatur Damascenus, iuxta illud: *Requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilij, &c.* Hic autem impetus sanctus est, ad differentiam eorum, q. in ventre aguntur spiritu pythonico, cor quidem minimè penetrante; sed organa capitis, & vocis mouente. Spiritus autem sanctus semper eos replet, quos inhabitat, non aliter quàm incorporalibus cibus stomachum, & aer vesicam.

Quàm potens sit in nobis & efficax gratia Dei.

Quamobrem vel minima Dei gratia præditus, & munitus quis, omnes Sathanæ tentationes, & impulsus ad crimen perpetrandum sollicitantes vincere, atque omnia Dei mandata implere potest. Quanquàm non omnes repleti Spiritu sancto æqualem habeant gratiam, sicut nec omnes stomachi æqualem cibum, vel vnus & idem stomachus diuersis temporib⁹ parem, & æqualem cibum capit.

Spiritus sancti plenitudinem non omnes iusti habent parem, & æqualem.

Zacharias ergo repletus est magna, & singulari prophetandi gratia, sicut prophetia sacerdotis talis ac tanti, & olim muti, nūc verò loquentis poscebat, qui coram talibus nouo tēpori, taliq; ac tanto incarnati Verbi, & Præcursoris argumento se accōmodabat. Quāobrem maximè adimpletus est Spiritu sancto, actu, nō habitu: quemadmodum Salomon sapientię donum accepit.

3. Reg. 3. 1. Paral. 2.

Prophetæ, & Apostoli prophetandi donum, & signa faciendi actu tantùm habuere, non habitu.

Prophetia namq;, & vis operandi miracula, nō communicantur Prophetis, vel Apostolis per modum habitus, & fontis, verùm iuxta rationem actus, & cisternæ, hoc est, ad tēpus, & tātisper, dum Deus vult. Sequitur: *Et prophetauit.*

Cap. 7.

Sancti spiritus ad diuersa munera distributio.

Cū de Spiritu sancto testetur Ecclesia omnium est enim artifex, omnē habens virtutem, omnia prospiciens: hinc fit, vt ad varia, & diuersa donetur munera. Nā vel ad infimas artes, & mechanicas interdum datur, queādmodum de Beseleel, & Ooliab, quos impletos Dei spiritu ad opera tabernaculi construēdi, Exod. 31. scribitur. *Exod. 31.*

Datur, & ad scientias addiscēdas, quæ naturali lumine comprehendi nequeunt; vt de sapientia constat tributa Salomoni, qui *disputauit super lignis à cedro quæ est in Libano, vsque ad hyssopum quæ egreditur de pariete: & disseruit de iumentis, & volucribus, & reptilibus, & piscibus*: vt habes lib. Regum 3. cap. 4. in fine. *3. Reg. 4.*

Datur etiam ad bellicam fortitudinē, & vires ex pacto nazareatus promissi: vt in Samsone. Vnde testatur de eo liber Iudicum: *Irruit*, inquit, *spiritus Domini in Samson, & dilacerauit leonem quasi hædum in frusta decerperet, nihil omninò habens in manu: & hoc patri, & matri noluit indicare.* De illo autem dicitur infrà in eodem capite: *Irruit itaq; in eam spiritus Domini, descenditq; Ascalonem, & percussit ibi triginta viros.* Et cùm ait: *In maxilla asini, & in mandibula pulli asinarum deleui eos, & percussi mille Philisthæos.* *Iudic. 14. Infra 15.*

De Saule quoque Rege dicitur in libris Regū: *Et insiluit spiritus Domini in Saul, cùm audisset hæc verba, & iratus est furor eius nimis. Et assumens vtrumq; bouem, concidit in frusta; misitq; in omnes terminos Israel per manum nunciorum dicens: Quicunq; non exierit, & secutus fuerit Saul, & Samuel, sic fiet bobus eius. Inuasit ergo timor Domini populum, & egressi sunt quasi vir vnus.* *1. Reg. 11.*

Adhæc Spiritus sanctus ad linguas, & signa, ad discretionem spirituum, interpretationem sermonum, ad fidem, sapiētiam, & sciētiam, vt Apostolus tradit, donari solet; ac inter ea dona, ad prophetandum maximè communicatur, quomodo Zachariæ communicatus est. *1. Cor. 12. & seq. & Ephes. 4.*

Prophetare in sacris literis quam multa significet.

Prophetare autem in sacris literis, multa significat. Est enim interdum canere diuinas laudes, quemadmodum filij Prophetarum psallendo, canendoq; prophetabāt: ad quos cùm venisset Saul vt comprehenderet Dauidem, cœpit prophetare, & ipse à mane vsque ad vesperam. Cantores à Dauide etiā instituti sunt, qui prophetarent coram Domino: maximè si nossent componere Psalmos de historijs antiquis, vt Idithū & Dauid. *1. Reg. 10. 1. Paral. 25.*

Atque hic modus prophetandi pro acceptis beneficijs erat in vsu; vt pro exitu de Aegypto, & transitu maris rubri; pro victoria Delboræ, & Iudithæ; pro partu Annæ obtento; pro liberatione trium puerorum à fornace ignis. *Exod. 15. & seq. Iudic. 5. Iudith. 13. & seq. 1. Reg. 2. & seq. Dan. 3.*

Quibus de rebus componantur cantica.

Fiebant item cantica pro rebus flebilibus, & luctuosis: quale est Canticum

Deut.32. & seq. ticum Moysi, cuius principium est: *Audite cali qua loquor, &c.* Et Dauidis in obitu Ionathæ canticum. 2.Reg.1. & seq. Ezechias, Habacuc, atque Hieremias in lamentationibus similia cantica videntur edidisse. Habac.3. & seq. Atq; in fine veteris, initioque noui Testamenti B. Virgo atque Zacharias canticis celebrarunt diuinas laudes. Act.2. Infra 4. Post illos Apostoli in die Pentecostes, quando loquebantur varijs linguis magnalia Dei. Hinc in Actis dicitur de primitiuis illis discipulis audientibus, quæ Apostolis à concilio Iudæorum liberatis, euenerant: *Qui cùm audissent*, inquit, *vnanimiter leuauerunt vocem ad Deum, & dixerunt: Domine, tu es qui fecisti cælum, & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt, &c.* Deo Opt. Max. pro beneficio in Apostolos collato gratias agentes. Ephes. 5. De huiusmodi testatur Apostolus: *Loquentes vobimetipsis in Psalmis, Hymnis, & Canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino: gratias agetes semper pro omnibus, &c.* 1.Cor.14. Et ad Corinthios: *Quum conuenitis, vnusquisque vestrum Psalmum habet, doctrinam habet, apocalypsin habet, linguam habet, interpretationem habet: omnia ad ædificationem fiant.* Simili ratione Ambrosius, Gregorius, & Paulinus; quique Hymnos Ecclesiæ ediderunt, Iuuencus, Sedulius, & Prudétius; prophetasse quodammodò dici possunt, id est, diuinas laudes carmine cecinisse, ac celebrasse. Est ergo prophetare, per exuberantiam Spiritus Deum laudare, & magnificare, Actor.19. vt illi baptizati à Paulo in nomine Domini Iesu; de quibus subdit: *Et cùm imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos, & loquebantur linguis, & prophetabant.* In hanc sententiam dixit Ioel: Ioel.2. & Act.2. *Prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ*, & reliqua. Infrà 21. Quæ verba à Petro in Actis allegantur, vt significant fideles, siue mares, siue fœminas, magnifica Dei facta prædicasse. Ibidem leguntur fuisse quatuor filiæ Philippi diaconi prophetantes. 1. Cor. 11. Rursus Paulus in priori ad Corinth. *Omnis mulier orans, aut prophetans non velato capite, deturpat caput suũ.* Vbi prophetare, non est prędicare verbum Dei ad populum, quia hoc à Paulo interdictum est illi sexui: 1.Tim. 2. *Docere autem*, inquit, *mulieri non permitto:* ergo mulier prophetans illa est, quæ laudibus Deum magnificat.

II. significatus verbi prophetandi.

Deinde prophetare, est sacram Scripturã interpretari, eius locos obscuros, ac difficiles diuino Spiritus afflatu explicare, & reuelatione ad pietatẽ homines instituere. Ephes.4. 1.Cor.12. & 14. de quibus Apostolus ad Ephesios, & Corinthios, vbi habet: *Qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationẽ, & exhortationem, & consolationẽ.* Ibidem. Et paullò ante: *Aemulamini spiritualia; magis autem vt Prophetetis.* Et Salomon: Prou.29. *Cùm Prophetia defecerit* (hoc est, vera & legitima Scripturæ interpretatio) *dissipabitur populus:* quemadmodum nostra ætate experimur plus satis. Atque in hunc sensum dixit Dominus Moysi: *Aaron frater tuus erit Propheta tuus*, hoc est, interpres verborũ tuorum: declaransque quomodo sit Propheta: subdit: *Tu loqueris ei omnia quæ mando tibi: & ille loquetur ad Pharaonem.*

Aaron Propheta Moysi qualis. Exod. 7.

Nam vt Propheta non loquitur nisi quæ Deus cõmunicat, ita nec interpres nisi quæ suggerit is, cuius verba interpretatur. Petrus etiam dixit: 2.Pet.1. *Omnis Prophetia interpretatione non fit, &c. Sed Spiritu sancto, inspirati, loquuti sunt sancti Dei homines.* Id est, vera interpretatio Scripturæ proprio sensu, & spiritu fieri nõ debet; verùm cùm Scripturæ Spiritum sanctum habuerint autorem, eundem etiã habere interpretem debent, & expositorem. Qui autem falsò Scripturas interpretãtur, & eiusmodi falsas, & corruptas interpretationes porrigũt populo, pseudoprophetæ, siue falsi Prophetæ vocantur in diuinis literis, qualis sunt omnes Hæresiarchæ: à quibus Dominus cauendum esse monuit, cùm dixit: *Attendite vobis à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Matth.7.

Pseudoprophetæ in Scripturis qui dicantur.

Differunt autem Doctores à Prophetis (nã hoc distinguit Apostolus ad Ephesios, & in priori ad Corinthios, dans secundum locum Prophetis, tertium verò Doctoribus) quod Doctores tradebant, quæ per scientiam consecuti erant: quæ & ipsa donum Dei est; Prophetæ verò, quæ per reuelationem. Ephes.4. 1.Cor.12. Vnde Paulus: *Nunc autem fratres si venero ad vos linguis loquens; quid vobis prodero, nisi vobis loquar aut in reuelatione, aut in scientia, aut in Prophetia, aut in doctrina?* Infrà 14. Vbi reuelatio coniungenda est cum Prophetia, & scientia cum doctrina: scientia enim communicatur per doctrinam, sicut reuelatio, quod per Prophetiã alijs est datum. Non ergo Paulo dicuntur Prophetæ, quicunque Scripturam explanant, sed qui id agũt solo Dei afflatu. Vnde ipse hoc declarans, subdit: Prophetæ autem duo, aut tres dicãt, & cęteri dijudicent. Quod si alij reuelatum fuerit sedẽti, prior taceat: potestis enim omnes per singulos prophetare: vt omnes discant, & omnes exhortentur, & reliqua.

Doctores à Prophetis quid differant.

Paulus interdum quos vocet Prophetas.

Tertiò, prophetare est, videre ea, quæ procul à sensu communi, & intelligentia sunt, quæq; spiritu Dei tantum possunt apprehẽdi: siue sint præterita, quo pacto Moses de creatione mũdi prophetauit: siue sint præsentia, vt cùm corda, & secreta aliorum cernuntur. Ita Samuel prædixit Sauli

III. significatus verbi prophetandi.

inuentas a patre Cis afinas: & Elisæus suo Giezi: quid à Nahaman Syro accepisset, & Christus Nathanaeli, vbi fuisset, cùm à Philippo vocaretur, prędixit quòd esset sub ficu: & mulier Samaritana vocat Christum Prophetam, quod secreta cordis ipus reuelasset. Petrus item partem huius Prophetiæ exhibuit, cùm dolum detexit Ananiæ, & Sapphiræ. In quam sententiam Paulus ad Corinthios scribit: *Si autem omnes prophetēt, intret autem quis infidelis vel idiota: conuincitur ab omnibus dijudicatur ab omnibus: occulta enim cordis eius manifesta fiunt: & ita cadens in faciē adorabit Deum, pronuntians quod verè Deus in vobis sit.* (Quanquam sancta mulier quædam in numerum virginum relata, interpretatur, prophetare hoc loco, pro eo quod est concionari, siue de moribus secundum spiritum loqui ad populum: ita vt auditor putet ad se sermonem dirigi, & cor suum per verba prædicantis tangi) siue sint futura, à quorum cognitione, & prædictione præcipuè denominatur Propheta.

1. Reg. 9. 4. Reg. 5. Ioan. 1. Infra 4. Act. 5. 1. Cor. 14.

Quartò, prophetare, est signa facere, iuxta illud Ecclesiastici de Helisæo: nec superauit illum verbum aliquod, & mortuum prophetauit corp' eius. Vt enim dicitur in 4. Regum volumine, cum in Helisæi sepulchro cōditus esset quidam, ad contactū ossium corporis Elisæi est reuocatus ad vitam. Et rursus de ossibus Ioseph Patriarchę Salomon idem testatur, quod *ossa ipsius visitata sunt, & post mortem prophetarunt.* Id est, edito fortassis aliquo signo, Prophetā Dei ipsum Iosephum ostēderunt: quemadmodum nunc ad basilicas, vel sepulchra mortuorum interdum miracula fiunt. Quanquàm & alius sensus esse possit, eatenus scilicet ossa Elisæi, & Iosephi prophetasse, quatenus à mortuis suscitādo aliquos vniuersalem resurrectionem propter Christi merita futura cōcionabantur: quemadmodum Ezechiel de ossibus vaticinatus est.

Vnde potissimū denominatur Propheta. IV. significat. Prophetiæ. Eccl. 48. 4. Reg. 13. Eccl. 49. Gen. 41. Elisæi ossa & Iosephi Patriarchæ quatenus prophetasse dici possint. Ezech. 37.

Rursus prophetare dicitur is, qui res supra sensum suum loquitur, etiā si illas minimè intelligat: atq; hoc modo dicitur prophetasse Caiphas vomēs ore, iuxta nominis sui interpretationem, quod mēte non intelligebat. Hinc 1. Regum dicitur: *Inuasit spiritus Dei malus Saul, & prophetabat in medio domus suæ:* quia desipiebant, vt Chaldæus interpres vertit, & more desipiētium aliena, & absurda loquebatur, & quę supra sensum & rationem esse videntur: & fortè afflatu magni spiritus insolentius loquebatur. Vnde Paulus Epimenidem, Prophetam vocat, & apud Ethnicos poetæ omnes, vates, & Prophetæ dicuntur, eò quòd credantur Appollinis Musarum furore, & spiritu agi.

V. significatio Prophetiæ. Ioan 11. Caiphas, quid sonet. 1. Reg. 18. Tit. 1.

Ad prophetandum autem quocunque modo ex dictis significatis, opus est Spiritu sancto: nam ad laudes Dei concinendas, ita ferè solemus ante precari: *Domine labia mea aperies: & os meum annuntiabit laudem tuam.* *Nemo enim potest dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto.* Deinde ad Scripturas interpretandas inuocandus est Spiritus sanctus, ne aliter exponendo Euangelium, quā exponi debeat, ex diuino, hominis, vel quod peius est, Satanæ faciamus Euangelium. Ad futura itē vaticināda opus est Spiritu Dei. ait namq; Isaias: *Annuntiate quæ ventura sunt in futurū, & sciemus quia dij estis vos.* Ad edēda autem signa, vel suscitandos mortuos, quis nesciat viuificante Spiritu opus esse? nā teste Paulo: *Qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum eius in vobis.* Porrò Zacharias prophetauit, non modò canendo diuina præconia, & dicta Prophetarum quasi de rebus completis interpretando; sed etiam prædicendo ea, quæ complēda erant in die Palmarum, & de morte, & filij præcursione, quæ omnia erant euentura; vt rectè primis tribus modis prophetasse dicatur.

Psalm. 50. 1. Cor. 12. Isa. 41. Rom. 8. Zacharias trifariam Prophetia.

Sequitur: *Benedictus Dominus Deus Israel.* Hic primus versus tres partes cōplectitur; primam de benedictione Dei: secundam de visitatione Domini: tertiam de redēptione plebis suæ facta: quę diligenter omnes sunt expendendæ, atque ad mores vtiliter accommodandæ. Quod attinet ad priorē partē, explicandum quis sit is, cui benedicitur: quare Dominus Deus Israel appelletur: qua & qualis sit benedictio, qua à nobis ille benedicitur. In primis ergo is, quem Zacharias benedicit, vel Filius est Dei, qui olim Patribus multifariam, multisque modis apparebat, illorumque ob assumendam ab eis humanam naturam, Deus dicebatur, quique per se visitauit, atque redemit populum suum: vel sanè Pater est, qui in Filio, in quo locutus est nobis, hæc omnia operatus est. Sic enim Pater misericordiarū dilexit mundum, vt per Orientem ex alto nos visitaret, de quo est illud testimonium turbæ: *Quia Propheta magnus surrexit in nobis: & quia Deus visitauit plebem suam.* In Patre autem, & Filio benedici intelligitur Spiritus sanctus, per quem Filius Patri sese obtulit, per quem etiam Pater Filium nobis donauit: qui se ab Spiritu sancto vnctum dicebat, ac missum. Deus igitur Pater, & Filius, ac Spiritus sanctus, ob eius sublimitatem, à nobis minimè cognoscitur nisi per signa, vt supra dictum est: quare non est nomen eius vnum, vt erit in cœlesti gloria, sed

Eius Cantici diuisio. Quis ille, cui Zacharias benedicitur. Heb. 1. Ibidem. 2. Cor. 1. Ioan. 3. Luc. 1. Infra 7. Spiritus sancti beneficia. Hebr. 9. Luc. 4. Is. 61. & Psalm. 44. Qua ratione à nobis Deus cognoscatur.

varium

Damasc. lib. 1. de Orth. fid. cap. 4. in fine.

Triplex genus nominum Dei.

varium, ac multiplex. Vt autem tradit Damascenus, eiusmodi nomina vel significăt quod Deus non est, vt immortalis, infinitus, incomprehensus, & his similia; vel aliquid circa ipsum denotant, vt quòd bonus, sapiens, potens, iustus, &c. hęc enim in creaturis essentiam minimè significant, licet in Deo cum essentia conuertantur: vel denique ordinem, ac respectum Dei ad creaturas designant, vt Dominus, Creator, Redemptor, Glorificator, quęque his ferè cōiuncta sunt. Hæc autem extra Dei essentiā sunt: nam vel ens ipsum significat quidem quòd sit, sed nō quid sit. Dicitur ergo Dominus, & Deus, vel vt in Hebræa lingua

Deus cur Dominus dicatur.

Zacharię vernacula, *Iehouahbelohim:* de quibus Hebræis vocibus non est modò disserendum. Dominus ergo, respectum ad res creatas includit. Et singulariter Deus dicitur Dominus, quod eius est vnicum dominium, nempè vniuersale, omnia sub sua ditione complectens, de quo ait Dauid: *Ordinatione tua perseuerat dies, quoniā omnia seruiunt tibi.* Et Abraham: *Leuo manum meam ad Dominum Deū excelsum, possessorem cæli, & terræ.* Rursus: *Domine Domine Rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta sunt posita; & non est qui possit tuæ resistere voluntati.* Et meritò sanè: quia cūcta condidit, cōdita gubernat, cōseruata ad suos fines perducit. Quare nec dona alienantur ab eius dominio, neque libero arbitrio prædita, eo quòd talia esse voluit ipse, libera nempè, & si vellet, posset ea determinare: tum quia permittēs homines peccata incurrere, incidunt illi in iustitiam eius vindicantem; vel si volunt, in misericordiam liberante. Præterea, Dei dominiū eiusmodi est, vt minimè ab alio pēdeat, sed à se ipso, & in se ipso illud habet. *Quis enim prior dedit illi, & retribuetur ei? Aut quis tibi imputabit* (ait Sapiēs) *si perierint nationes, quas tu fecisti?* Ex quo nec leges, quibus illud administrat, aliunde accipit, neque rationem administrationis cuiquam reddere debet. Postremò huiusmodi dominium liberum est, ab omnique seruitute prorsus alienum: nulla siquidem eget creatura, qui bonorū nostrorū non eget, & subditos liberos cōstitui, illisque, si volunt, consueuit benefacere.

Psalm. 118.

Gen. 14.

Hester. 13.

Sap. 8.

Qualis sit dominium Dei.

II. conditio.

Rom. 11.

Sap. 12.

III. & vltima conditio.

Psalm. 16.

Terrena omnia regna, atq; imperia in tribus deficiunt.

His autem tribus conditionibus omnia mundi dominia, atque imperia destituuntur. In primis namq; omnia Regna limitatam habent ditionem, vltra quam nō protenduntur, ac certis quibusdam temporum metis quasi căcellis circūscribuntur, tametsi inter illa Monarchias, Romanorūque Imperia etiam annumerare velis. At verò Dei imperium neque loco vllo clauditur, neq;

Primus defectus.

tempore, vt disertis verbis docuit Dauid cùm dixit: *Regnum tuum, regnum omnium seculorum; & dominatio tua in omni generatione & generatione.* Adhæc cuncti Reges, Monarchæ, ac Imperatores in regnando à Deo pendent, certaque regnandi ratione legibus tum diuinis, tum naturalibus arctătur; ita vt si magistratus suos, & potestates suas perperam administrauerint, grauiter omninò delinquant. Deniq; de bene, vel malè administrato Imperio Deo Optimo Maximo, & vero hominum Domino reddere rationem in die iudicij vel inuiti cogentur. Item hominum etiam dominium cum seruitute coniunctum est. Nam si ciuitatem, aut seruos, aut agros, aut iumēta possideas, vt fructum optatum percipias, debes vicissim & tu illis inseruire: nam ciuitati ius administrare illam quoque ab hostibus, & latronibus tueri, atque defendere, tanquam propriam tuam possessionem compelleris: agros colere, iumenta curare, seruos alere etiam debes. Et quò maius est dominium, atq; amplius, eo etiam maiori seruituti obnoxium est. Vnde Rex seruus honoratus: at summus Pōtifex seruus seruorū Dei meritò appellatur. Dei autem dominiū ab illis omnibus seruiendi rationibus ac modis omninò est solutum, ac liberum. Atque hactenus, de voce, Dominus. Dicitur quoque *Deus:* quæ vox latius, quā Dominus, patet. Nam in omnes mundi nationes sese effudit; & prior est quā nomen Domini; sicut Elohim, prius est quam Iehouah. Hinc Gen. 1. dicitur: *In principio creauit Elohim cælos & terram:* eaque per totum primum caput vtitur voce Propheta. In secundo verò capite incipit vti voce *Iehouah*, cùm ait, *Istæ sunt generationes cæli, & terræ, quando creata sunt, in die quo fecit Dominus cælum, & terram.* Vbi primum mentio fit vocis *Iehouah*. quā 70. perpetuò verterunt Κύριος, id est, Dominus, quemadmodū Elohim, Θεὸς, id est, Deus.

Psal. 144. & Dan. 7.

Alter defectus.

III. defectus.

Rex cur seruus honoratus, Pontifex verò seruus seruorū Dei nominetur.

Nomen Dei generalius esse, quam Domini.

Elohim, & Iehouah quid significent.

Triplex Dei denominatio, ab ignis proprietate desumpta.

Dicitur autem Deus Græcè à videndo, & currēdo, & ab vrendo, vt docet Damascenus: *Etenim Deus noster ignis consumens est:* tresque has ignis præcipuas proprietates complectitur. Ignis est enim vtilis ad vidēdum, propter lucem illi coniunctam: currit, atque expeditas, ac promptas actiones habet: ardet, & sibi proxima calore suo incendit. In hunc modum Deus cuncta suo intuitu cernit ad omnia, vt succurrat illis, festinat, omnia ad fines suos deducēdo, perficit, & quodammodò in se cōuertit. Quare Deo nos, ac nostra opera intuenti, fidem habeamus: in eo, qui omnibus auxiliatur, & succurrit, spem nostrā collocemus: eumq; nos suo amore excitantem, perfectoq; et

Damasc. lib. 1. de Orth. fid. c. 12.

Deut. 4.

Deo fidem, spem & amorem, cur debeamus.

Deut. 6.
Matth. 22.

ficere contendêtem, ex toto corde, ex tota anima, atq; ex omnibus viribus diligamus. Sed de Dei voce fusius primo tractatu huius libri dictum est.

Cur Deus, & Dominus Deus Israel appelletur.

Dicitur autem Deus Israel, id est, plebis, seu posteritatis ab eo descendêtis. Sic enim vocamus Reges Aegypti, Reges Chanaan, Reges Cham; id est, populorum, qui ab illis traxerunt originem. Rursus nominatur Dominus Deus Israel, neque confunditur vocari eorum Deus: non tam secundũ carnem, qui olim pacto legis. cæremoniarum, & terræ promissę, Dominum in Deum verum, summeque à se dilectum assumpserat, & elegerat: quomodo ab reliquis gentibus eligebantur alij in deos suos, vt ita in morbum peccati, & transgressionem Adæ primi parentis pactum Dei violantis agnoscerent: includebatq; pactum ex eorum progenie venturi Messiæ: sed erat etiam Deus secundum spiritum Israelis, id est, eorum, qui fidem, & obedientiam, sanctaq; Abrahæ, & Israelis consectantur opera, tametsi ex illis secundùm carnem non sint oriundi: Quos Apostolus Israelitas Dei, & in abscondito Iudęos appellat. Sic enim dixit in epistola ad Galat. *Et quicunque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, & misericordia, & super Israel Dei.* Rectè hoc loco scribit Euthymius: *Verũ*, inquit, *Quomodo dicitur Deus solius Israel, cùm non tantùm Israelitarum Deus sit, sed & omnium hominum, vtpote omniũ creator? Quia cæterorum quidem omnium hominum Deus erat, ipsis etiam nolentibus: solorum autem Israelitarum, vltroneorum, & per cognitionem.* Hæc ille.

Heb. 11.
Exod. 3. & alias sæpissimè.
Gen. 3.
Rom. 2.
Gal. vlt.
Euthym.
Quomodo vocetur Israelitarum Deus, cùm sit omniũ hominum Deus, secundũ Euthymium.
Rom. 3.

Dei benedicere quale sit, atque maledicere.

De hoc ergo Patre, vel Filio, Deoue trino & vno, dictoque Domino Deo Israelis ait: quod sit benedictus. Benedicit homini aliter Deus, quàm homo benedicat Deo: illud enim Dei benedicerę, benefacere est, vti dicere eius est facere, eiusq; maledicere malefacere: siue per se ipsum, siue per ministros suos benedicat, vel maledicat. Assistit Deus enim ministris suo nomine benedicentibus. Nam per se maledixit ficui, quę statim exaruit: per Helisæum maledixit pueris illi insultantibus: *Ascende calue*: qui laniati sunt ab vrsis. Per sacerdotes nobis benedicit: & vt Paulus ait: *Benedixit nos in omni benedictione Spirituali, in cælestibus.* Hinc gratia Dei, & donum quodcunque benedictio vocatur. Nostrum autem benedicere, vel maledicere, nisi diuina autoritate sit fultum, nullam vim habet, & efficaciam, nihilque immutat in ipsa re, sed tantùm est laudare, & desideria nostra in bonum, vel malum alterius aperire. Est ergo hominis benedicere Deo, nihil aliud, quam benè i- precari, in eiusque veris bonis sibi per amorem complacere, eius laudem, & gloriam prædicare. Ita enim creatura rationis particeps Deo potest benedicere, illum colere, qui boni vllius noui, aut aduêtitij haud potest esse capax. Atque ita frequenter vsurpatur in sacris literis: vt cum dicitur: *Benedicite omnia opera Domini, Domino: Benedicam Dominum in omni tempore: semper laus eius in ore meo: Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, virtus, Deo nostro, &c.*

Matth. 12.
4. Reg. 2.
Ephes. 1.
Quale hominis benedicere, & maledicere.
Homines Deo quando benedicant, more scripturæ.
Dan. 3.
Psalm. 33.
Apoc. 7.

Hoc loco, benedictus quid significet.
Quanam participia apud Hebręos pro nominibus verbalibus soleant accipi.

Considerandum est autem Grecè non dici per participium εὐλογημένος, quod actũ tantùm significet præteritũ: at nomen substantiuum εὐλογητός, quasi dicat laudabilis. Et ita participiũ Hebræum baruch vsurpatur, & vertitur ab interprete. Sic enim Hebraicæ linguæ periti docent, eiusmodi participia vim nominum habere verbalium.

Triplici ore vult Deus à nobis benedici.

Porrò nostrum hoc Deo benedicere (vt sæpius ita loquamur) triplici ore fieri debet. Primùm quidem ore cordis ille benedicit, qui diuinam sapientiam fide, spe potentiam, amore bonitatem cõplectitur. De hoc ore ait Paulus: *Os nostrum patet ad vos ô Corinthij, os* (scilicet cordis) *nostrũ dilatatum est.* & David: *Os meum aperui, & attraxi spiritum.* Os enim spirituale cordis ardens desideriũ est. Dominus etiam de hoc loquitur, cùm ait: *Non quod intrat in os coinquinat hominẽ: sed quod procedit ex ore, &c.* Id est, de ore cordis, nã inde exeunt cogitationes malæ, &c. superbia, & stultitia. Deinde ore vocis benedicendus est Dominus, vt nos ipsos ad diuina excitemus, alios in virtute ædificemus, naturamque nostram, & talentum in opere difficili, & glorioso exerceamus: quãquam in voce insit hypocrisis, & fictè, ac simulatè fieri possit. Postremo magnificandus est Deus, atque benedicendus ore bonorum operum, quæ Deum perfectius confitẽtur, quàm voces, minusq; fingi queunt. Nam multi sunt, qui voce confitentur Deum, factis autem negant.

2. Cor. 6.
Psalm. 118.
Os cordis quodnam sit.
Matth. 15.
Ibidem.
Deum quando perfectè benedicimus.
Tit. 1.

Deum cognoscere vnde tantum possumus.

Sequitur: *Quia visitauit.* Tametsi Deus infinitè bonus in se, atque perfectus, laudandus, atq; benedicendus sit: tamen quia, quid sit nos planè ignoramus, neque capere valemus, ex operibus ipsius cum magis cognoscimus, magisq; apti sumus benedicere. Opera autem diuina duplicis generis sunt: alia quidẽ intima, & immanentia, vt vocãt Theologi, vbi & agens, & opus, & modus infinita sunt: alia verò sunt externa, ad creaturasque terminantur, in quibus agẽs, agẽdiq; ratio habet infinitatem; at opus ipsum finitum est, & limitatum. Summa autẽ benedictio Dei ex opere vtramque rem cõplectente consurgit, nempè ex filio, &

Dei opera sunt in duplici differentia.
Dei perfectissima benedictio quænam sit.

Christi

Christi humanitate, plebeq; per visitationem,& factam redemptionem, vt ita dicã, deificata. Visitare nihil est aliud, quàm frequenter visere, seu sæpiùs ad videndum aliquid ire. Cùm autem Deus secundùm suã naturam ire nequeat, cùm vbique præsens sit, & semper omnia videat, visitare dicitur metaphoricè, secundùm quosdam effectus declarantes eius de re visitata memoriam, quæ res dum non viseretur, in obliuione Dei versari quodammodò videbatur. Hi verò effectus vel iustitiæ Dei sunt peccata vindicantis, iuxta illud: *Visitabo super viros defixos in fecibus suis.* & iterum, *Visitabo peccata vituli.* & item: *Visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me*, vel misericordiæ effectus sunt, vnde Israelem in Aegypto, & in Babylone existentem visitare dignatus est liberatione eius à seruitute durissima, atq; captiuitate. Sic etiam dicitur: *Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Misericordiam autem meam non dispergam ab eo, neq; nocebo in veritate mea.*

Visitare quid sit. Deus quomodo visitet. Visitat dupliciter. Sophon.1. Exod.32. Suprà 10. Psal.88. Heb.1.

Et quanquam Deus varijs modis apparuerit, & locutus fuerit patribus visitando mundum, summè id tamen factum est in Christo Deo & homine. Olim namq; visus Adæ, Noe, Abrahæ, Ioseph, Mosi, Prophetis, & Patriarchis, per eosque visitare mundum dignatus est, neque tantùm per viros bonos & sanctos, verùm etiam interdum per malos visitationem fecit: *Misi, inquit, ad vos omnes seruos meos, consurgens diluculo, &c.* Summa visitatio tamen per Christum exhibita est: tum quia visitans maior erat, nempe Deus & homo: tum quia fructus visitationis amplior & vberior, nempe redemptio à vilissima seruitute peccati, atque ab intolerabili dæmonis iugo, fuitq; visitatio summa cum misericordia iustitiaque coniuncta. Nam in opere incarnationis & redemptionis: *Misericordia & veritas obuiauerunt sibi: iustitia & pax osculatæ sunt.* Vtque hoc loco exponit Theophylactus, *Excitatum est cornu salutis, Christus. Videbatur enim dormire, contemnens multorum peccata, longanimitatem in simulachrorum insano cultu præ se ferens: sed in nouissimis temporibus incarnatus excitatus est, & contriuit omnes, qui oderunt nos, dæmones.* Hæc ille.

Deus mũdum quando perfectè visitauerit. Per bonos & malos visitat Deus. Hierem.35. & sæpè aliàs. Filij Dei incarnatio, qualis fuerit Dei visitatio. Psal.84. Theophyl. Erexerit cornu salutis nobis quomodo Deus, teste Theophylacto.

Fuit prætereà summæ recordationis plebis Dei, qua de ait Psalmista: *Si oblitus fuero tui Hierusalem, obliuioni detur dextera mea.* Erat insuper visitatio scientis etiam scientia humana, mundo opitulari, pleni etiam charitate, atque nostram salutem sitientis, & de malis nostris dolorem & mœrorem concipientis. Ait namque Apostolus: *Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris; tentatum autem per omnia pro similitudine absq; peccato.* In eo enim, in quo passus est ipse & tentatus, potens est & eis qui tentantur, auxiliari. Venit etiam visibilis, vt ab ipso visitato, qui non valebat eum tanquam solem ecclipsatum, & nubibus obtectum videre, cerni posset.

Diuinæ visitationis per incarnationem virtutes. Psal.136. Heb.4. Suprà 2. Quare Christus per se ipsũ in carne mundum visitauerit.

Cœpit autem visitatio hæc (quod ad Deũ & ad aliquos priuatos attinet) in ipsa incarnatione, in qua primus omnium, quos Verbum visitauit, est Christus homo, assumendo eum ad dignitatem suæ hypostasis. Secundo loco visitata fuit B. Maria, in qua tantum visitationis mysterium peractum fuit. Tertio loco visitatus fuit Ioannes Baptista, qui matris suæ in vtero repletus Spiritu sancto, cognouit Verbum incarnatũ, atque eius sanctissimam genitricem: cuiq; vt ad se visitandum venienti honorẽ, quomodocunq; posset, deferret, saltum exultationis edidit. Quartò, visitauit Elisabetham vnà cũ viro eius Zacharia, atq; adeò cum tota domo sua: qui propterea canticũ exultationis ob visitandi officium verbi, domui suæ amplissimè exhibitum emisit. ita enim intelligendum est: *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ.* Et paulò post: *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto.* Nos, inquit, scilicet domum nostram. Quintò, in natali die visitauit pastores per Angelum, & vt ad se visitandum accederẽt, euocauit: In epiphania verò per stellam visitauit Magos, eosque ad se visitandum excitauit, atque impulit. Deinde baptismo & prædicatione Verbi Dei omnes Iudæos frequẽs visebat, sed maximè in die quo honorificè exceptus est à turbis cum ramis Palmarum, & Regem spiritualem à Deo promissum se esse ostendit. Hierusalem quoque, ac templum ingressus, fletu & lachrymis ciuitatem illam prosecutus est, eò quod non cognouerit tempus visitationis suæ. Hæc autem visitatio facta erat tanquã in semine in incarnatione, de qua Propheta: *Quid est homo, quòd memor es eius? aut filius hominis, quoniam visitas eum?* quem quidem Psalmum, Dominus noster, Paulusq; haud semel de Messia interpretantur.

Prima Dei visitatio quæ fuerit, quæ secunda, ac tertia. Luc.1. IV. Visitatio. Quinta. Luc.2. Matth.2. Infra 21. Hierem.23. & Zachar.9. & sæpè alibi. Luc.19. Psal.8. Matth.21. Heb.2.

Etsi verò visitatio plebis nondum esse perfecta in incarnatione; describitur tamẽ à Zacharia sub præterito, quòd certum ac deliberatum erat in prouidentia Dei, qua anteit omne futurum tempus, vt certo suo tempore Iudæi visitarentur, iuxta illud *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Item secundũ id: *Visita nos in salutari tuo.* rursum expressius *Respice de cælo*

Messias adhuc matris vtero inclusus, nec natus, plebem suam quomodo visitauit. Baruch 3. Psal.105. Psal.79.

Quid triplex vnctio Dauidis in Regem præsignauerit. Luc. 4. & Isai. 61. & Psalm. 44. & Hebr. 1. * 1. Reg. 16. Luc. 1. 2. Reg. 2. Luc. 4. Infrà 19. 2. Reg. 5. Matth. 15.

& vide, & visita vineam istam. Sicut autē Dauid ter vnctus fuit ad regnum, ita etiam Christus; qui vt maximè vnctus fuit, sic maximè visitatus. * Semel enim domi vnctus est Dauid: ita Christus secretò incarnatus. Fuit secundò Dauid vnctus super Hebron à tribu Iuda: similiter Christus à baptismo, vel à die Palmarum, ad conuersionem Iudæorū est constitutus in Regem. Postremò, vt Dauid super decem tribus. pari ratione Christus super omnes gentes regnauit, & licèt per seipsum Christus externè visitauerit Israelem, apud illos sedens, & ministrans Verbum Dei, iuxta illud: *Nō sum missus, nisi ad oues quæ perierunt domus Israël:* reliquas tamen quæ illū fide sunt complexæ, per semetipsum internè, & externè per Apostolos, & ministros doctrinæ & Sacramentorū visitare nunquā destitit, quotidieque etiamnū visitat. Synodi enim generalis celebratio, cuius decretis hæreses funditùs sunt extirpatæ, & Ecclesiasticorū hominū cōdemnati abusus, legesque sanctæ viuendi omnibus omniū hominū gradibus præscriptæ; quid aliud sunt, quàm Christi Ecclesiam suam ardenter amātis visitatio? Romani Pontificis singulari pietate, & sanctitate prediti, ad summū dignitatis apicem in tot, tantisq; Ecclesiæ difficultatibus, perturbationibusque assumptionem, quid aliud esse censeas, quā diuinā visitationem? Episcoporum reformatio, atq; in Ecclesijs suis assidua residentia, nouæque congregationes hominum, qui vitæ exemplo, atque doctrina populo Christiano prelucent, eximia certè sunt Dei nos ex misericordia, & veritate sedulò visitantis argumenta.

Diuinæ bonitatis ac prouidentiæ clara ac perspicua Ecclesiam suam visitantis argumēta, & symbola.

Qua ratione Deū fructuosè visitemus.

Quia verò ratio ipsa dictat, honestorumque ac officiosorum hominū vsus obtinuit, vt qui inuisuntur, visitantes reuisant, & par pari referant: hæc si nos erga Christū, ac Deum Patrem obseruauerimus, præterquā quod beneficia eius in ingratos homines nō fuisse collocata declarabimus, auctiora certe & cumulatiora gratiarū munera, quæ Dei bonitas est, efficiemus. Id quod vt magis ac magis præstemus, precib' perpetuò incumbamus: frequenter ad subsidia nostræ salutis, quæ vocamus Sacramenta, accedamus: Lectioni, atque meditationi vitæ, ac doctrinæ Christi sedulā operā nauemus, præstante ipso Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre, & Spiritu sancto viuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

TRACTATVS XVIII.

Luc. 1.

In illa verba: *Et fecit redemptionem plebis suæ.*

CVM Dominum Deum laudibus ac benedictione prosequendum Zacharias proposuisset, rationemque huius laudationis visitationem esse dixit, rectè subiunxit: *Et fecit redemptionem plebis suæ:* quo verbo visitatio diuina quē in finem sit instituta atque suscepta, perstrinxit. Varia est enim visitatio, & alia quidem est ad spoliandos, ac expilandos visitatos. Cùm autem Deus bonorum nostrorū nō egeat, haud sic visitat: eiusmodi enim simulatæ fictæque visitationes tam speciosum titulum visitandi præ se gerētes à tyrannis, & insatiabilibus principibus, siue profanis, siue Ecclesiasticis, magno cum populorum suæ fidei commissorum detrimento plerunque fiunt. Alia verò est ad cōgratulandum de amici rebus secundis ac prosperis: atque hanc quidem Christo non negabimus: quoniam deliciæ eius, esse cum filijs hominum, atque adeò cum oue perdita, quæ diligentia, studioque pastoris recuperata est. Alia rursus ad visendum ægrotantem amicum, & necessarium instituitur: neque hanc Christo subtrahere debemus: nā ipse ceu infirmus ad nos infirmos venit, de quibus Propheta dixerat: *A planta pedis vsq; ad verticem, non est in eo sanitas:* & vt Christus de se professus est ipse: *Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus.* Postrema alia visitatio ad liberandum hominē à captiuitate suscipitur: qua ratione Moyses à Deo in Ægyptum missus est in symbolum Christi à Patre missi, vt mundum à captiuitate peccati, atque diaboli veri Pharaonis redimeret, iuxta illud: *Benedixisti Domine terram tuam, auertisti captiuitatem Iacob:* similique ratione ab Ezechiele venturus dicitur tanquam pastor, vt visitet dissipatum gregem suum. Et hoc est quod hîc ait Zacharias: *Visitauit & fecit redemptionem*, id est, visitauit ad redemptionem faciendam.

Quotuplex sit visitatio. Psalm. 16. Secunda visitandi ratio. Prouerb. 8. Luc. 15. Tertia. Isai. 1. Matth. 9. Quarta ac postrema visitandi ratio. Exod. 1. & sequen. Psalm. 84. Ezech. 34 & sequen.

Sed vt hoc mysterium redemptionis penitùs expendamus, inprimis cōsiderandum est, redemptionem, quod ad etymologiam suam attinet & Græcam, & Latinam, nihil aliud esse nisi liberationem a seruitute medio aliquo pretio; ex vsu verò Scripturæ sacræ liberationem dictam significat, etsi pretium non numeretur. Ex quo illud: *Ex vsuris, & iniquitate redimet animas eorū;* & alibi: *Gratis venundati estis, & sine argento redimemini,* rursus: *De morte redimā eos,* item: *Redime me à calumnijs hominum, vt custodiam mandata tua.* Quandoque tamē seruatur ratio etymologiæ, ex quo illud in Prouerb. libro: *Quia zelus & furor viri nō parcet in die vindictæ, nec acquiescet cuiusquā precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima.* alibi quoque: *Pec-*

Redemptio propriè quid sit. Quomodo in scripturis accipiatur. Psalm. 71. Isai. 52. Osee 13. Psalm. 118. Prouerb. 6. Dan. 4.

[1. Cor. 6.] [1. Pet. 1.] *cata tua eleemosynis redime, &c.* Paulus etiam: *Empti enim estis pretio magno.* Et Petrus: *Scientes quod non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, & incontaminati.* [Cur sic dicta redemptio.] Dicitur porrò redemptio, quoniam ratione creationis in Adam possessio Dei prima, & quasi emptio fuit: satis quippè emit rem, qui eam facit, atque ita redemptio, est iterata emptio. [Redemptio in scripturis duplex.] Quod ad rem verò attinet, in sacris literis duplex inuenitur redemptio, altera quidē animam à contracta seruitute subleuans, altera verò à cōtrahenda præseruans. [Psal. 143.] [1. Reg. 17.] Hinc Dauid: *Qui redemisti Dauid seruum tuum de gladio maligno: eripe me, & erue me de manu filiorum alienorum.* Vbi se semel redemptum [Deut. 6. & 9. & 13. & 21.] à gladio Goliath, ad literam testatur: & redimi de manu alienorū à seruitute contrahenda postulat. Moyses quoque liberatum populum de seruitute misera Ægypti redemptum vocat. [Redemptio rursus duplex.] Redemptio rursus à seruitute contracta eripiens est etiam duplex: nam quædam est à temporaria seruitute in temporariam libertatē asserens, vt Ægypti illa & Babylonis fuit, & in Chanaan ab alijs [Exod. 1. & seq. & 5. & sæpè infra.] circumstantibus hostibus. Et hæc licèt naturaliter per Deum, & homines fieri posset; diuinitùs tamen, ac supra naturā à Deo facta est, non tā propter se, quàm ob dispo- [2. Paral. vlt.] [2. Esdr. 2.] sitionem, ac typum vnicæ spiritualis redemptionis exhibēdæ per Christum. Quædam verò est redemptio ab spiritali seruitute peccati, dæmonisque captiuitatem in spiritualem filiorum Dei libertatem vendicans: quæ intelligi non potest, nisi cognita prius, & à qua eripit, captiuitate, & libertate ad quam introducit, & pretio quo fit, & à quo, & cui, & quando, & quibus nobis [1. Status innocentiæ describitur, & primò quantum ad corpus.] instrumentis applicetur. Seruitus ergo filiorum Adæ, ex eo maximè conspicitur, quādo cum libertate, quam ante peccatum habuit, comparatur.

Vt autem status innocentiæ clarius intelligatur, tria principia vt certa, & explorata constituenda sunt. [Genes. 1.] Primum, hominem ad cœlestem gloriam comparandam conditum fuisse. Secundum, Deum Opt. Max. à principio rectum hominē fecisse, & reliquisse illum in manu consilij sui, vt scriptura [Eccl. 15.] [Homo cur conditus.] testatur: Postremum verò, hominem, antequā peccaret, punitum à Deo nō fuisse, cùm ratio doceat, pœnam non nisi culpæ deberi. [Eccl. 7.] [1. Conditio.] Ante lapsum ergo Adam (& in eo nos omnes) rectus erat; ac proinde quod ad corpus spectat, primò erat immortalis. [Sap. 2.] [Idem quomodo inexterminabilis.] Testatur siquidē sapientia: *Deus creauit hominē inexterminabilem,* nempè ab alio, quā à se ipso in illo statu. Per vnum enim hominem peccatum in hunc mundum intrauit, [Rom. 5.] & per peccatum mors. Erat enim corporis talis constitutio, atque eiusmodi cibis reparabatur, vt sine morte perpetuam & immortalitatē expectare posset: qualem cœlum habere quidā opinantur. Nam vt forma, & materia, sic & vincula, hoc est dispositiones indissolubiles sunt: & profectò absque hac immortalitate homo rectus non fuisset, sed potiùs quid monstrosum ac miserum. [II. Conditio status innocentiæ.] Secundò, immortalitatem cōsequebatur optima corporis temperatura, statura apta, & accommodata cum iusta proportione membrorum, calor, lux, quæ reddebant eum speciosum & aspectabilem, vigor prætereà sensuum: Quæ omnia apertè arguebant hominem esse Dei opus, ipsius, & Angelorū manibus constitutum, & fictum: ideò admirabilis erat sensuum delectatio. [III. Conditio.] Tertiò, aberat omnis ab eo fœditas, dolor, ægritudo, morbus, obtusio sensuum, atque externum quodcunque damnum, & omninò omnis quæ inferri posset iniuria. [IV. Conditio.] Quartò, membra omnia beneficio originalis iustitiæ, non solùm voluntati, sed etiam rationi parebant: quo rectè fiebat, vt nudi nō erubescerent. Nunc verò nec voluntati quidem ipsi obediunt: nam quæ verenda vocamus, & organa imaginationis, & memoriæ, viresque irascentis, ac concupiscentis animæ, vehementer contra rationem cogitant, atque appetunt. [V. Conditio.] Quintò, admirabilis erat, & mirificè ordinata delectatio sensus, rebus paucissimis contenta: etenim sensus viuus erat, atque optimæ facultatis vnio erat cum optimo obiecto, non solum absque impedimento, sed etiam adiuuante superiorum animi virium portione: vt siue [1. Cor. 10. & Coloss. 3.] comederent, siue biberent, siue quicquam [Gen. 3.] aliud facerent, omnia in gloriam Dei facerent. Vnde mulier dicitur vidisse lignum pulchrum visu, & ad vescendum suaue: quemadmodum gustatus quidam, atque sanctorum odores excellentissimi testificantur.

[Descriptio status innocentiæ quantum ad animam.] [I Conditio.] Quod ad spiritum verò attinet, homini inerat inprimis scientia principiorum omnium naturalium, atque omnium cōclusionum natura in eis cōtentarum, necnō ipsius idiomatis: quoniam homo ipse admirator est prouidentiæ diuinæ, & iudex mundi: secundùm Lactātium. [Lactant. in epitome, c. 10. & sæpè alias.] Nouerat etiam animalium naturas, & proprietates omnes: vnde & illis nomina imposuit accommodata; & [supra 2.] [supra 1] aliarum rerum, quarum cōstitutus est Dominus. [II. Conditio.] Hanc naturalem cognitionem consequebatur naturalis, & ingenitus quidam amor Dei, ac sui, atque proximi, cum propensione ad hæc inferiora bona, & ad nul-

lum

lum malum, etsi illa minimè obsisteret, tamen posset peccare: quia quicquid finitum est deficere potest. Atque hoc primus homo ille obtinebat ex illa originali iustitia, quæ mentē Deo, ac propterea corpus menti subijciebat, aliter enim rectus esse nō poterat. Quamobrem præcepto merè positiuo, & ex voluntate diuina potiùs, quàm ex ratione pendente probatus est: dæmonque non intra phantasiam illudebat, sed foris tantùm loquebatur. De quo sic ait Ecclesiasticus: *Consilium, & linguam, & oculos, & aures, & cor dedit illis excogitandi, & disciplina intellectus repleuit illos.* Tertiò, habuit dominium omnium animātium: nam ob id conditus fuit, vt præesset volatilibus cœli, piscibus maris, & vniuersis bestijs terræ: sed maximè terrestri paradiso præfectus est: *Cōstituisti*, ait Dauid, *eum super opera manuum tuarum.* Omnium quippe vsum legitimum nouerat, ideò subdit: *Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues, & boues vniuersas,* & reliqua. Quartò, erat in eo etiam scientia, & virtus infusa, de qua Salomon ibidem testatur: *Creauit illis scientiam spiritus, sensu impleuit cor illorum.* Et infra: *Addidit illis disciplinam, & legem vitæ hæreditauit illos.* Quare meritò Lucas, Adam filium Dei vocat, cùm ait de illo: *Qui fuit Dei:* nam aliàs casu homines essent destinati ad gloriam propter peccatum, & non ex primaria Dei voluntate, ac prouidentia, vt egregiè Paulus ad Romanos interpretatur: *Quod si delictum illorū diuitiæ sunt mundi, & diminutio eorū diuitiæ gentium: quantò magis plenitudo eorum?* Id est, si Iudæi peccantes occasionem præbuerunt Apostolis, vt ad gētes diuerterent, illasque ad Christū adducerent: quantò magis id accidisset Iudæis ipsis primis Mesśiam fide complectentibus? Simili ratione propemodum licet argumentari: Si post Adæ peccatum, & præuaricationem, Christo autore, ad gratiam eius instaurati sumus, & ad vitam æternam assequendam destinati: multò magis stante Adam, obedientiamque Domino Deo, vt par erat, præstante, & ille primus, & nos in eo addicti atque destinati fuissemus ad gloriam: gratiam Dei ergo, atq; eam quidē cumulatam habuit. Postremò erat per gratuita hæc Dei Opt. Max. dona hæres gloriæ cœlestis, cōciuis sanctorum, ac domesticus Dei, à tyrannide dæmonis omninò liber: vnde & dona huiusmodi omnia in cœlo erant perficienda. Et in hunc sensum intelligo verba Ecclesiastici de illis dicta, nempe: *Testamentum æternū constituit cum illis, & iustitiam, & iudicia sua ostendit illis.*

Cùm ergo animi tanta æquitate, atque iustitia polleret Adam, atque cùm ex animo, & corpore simul ac spiritu constaret, infinitis se implicuit quæstionibus, incurritque captiuitatem, qua dictis muneribus dispoliatus, quæ verè ingenuum, ac liberum illum reddebant, contrariorum malorum factus est seruus, atque mancipium. Ergo ex filio misericordiæ Dei atque hærede, perpetuus terrestris paradisi exul effectus est, iustitiæque diuinæ vindici addictus, & obnoxius. Seruus quoque est dæmonis constitutus, qui vt natura superior, & fraudulenta persuasione victor euaserat, nos hîc, & intus, & foris vexare potest, atque affligere: id quod olim non valebat, sed ob peccatum permissum est illi in nos quasi porcos sæuire, ac per varias obscœnas sordidasque appetitiones nos præcipitare. Atque hæc est durissima, & miserrima seruitus, licèt interim dum sensibilem delectationem captamus, non animaduertamus ad eum miserè cruciantem nos, & hostiliter insectantem: quemadmodum Saul dum à spiritu malo corriperetur, Dauidemque citharam pulsantem audiret, eius pulsu suauissimo delinitus, minus dęmonis tormenta sentiebat. At esto, ille non vexet, nihil aliud superesset nobis quàm infernus: vt ægroto ex corpore, & mœsto animo, ac tristi licet colligere. Secundò, priuatus est doctrina, & virtute cœlitùs infusis, iræque filius (vt cæteri omnes) effectus: ac proinde in odio Dei, & macula obscurante, & fœdante animam, atque in æterno pœnæ reatu constitutus. Tertiò, scientia naturali videtur omninò debilitatus, quia mansit (vt Philosophus testatur) tanquam tabula rasa, in qua nihil est scriptum, vel depictum: & perpauca, atque illa quidem humana, & cum labore potest discere, vt Ecclesiastes scripsit: *Cunctæ res difficiles: nō potest eas homo explicare sermone. Non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur,* de Deo autem non nisi quædam suspicari potiùs valet, quàm scire. Ideò temere ausi sunt definire Philosophi Dei prorsus abstrusa consilia, atque recon. ditas cogitationes, qui nec ea perfectè quæ antè pedes posita erant, valebant comprehendere: quemadmodum B. Petrus apud Clementem asserit, & Paulus etiam ait: *Quis hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est?* Quomodo ergo quæ sunt Dei, sine spiritu Dei comprehenderent illi, de quibus scriptum est: *Homo cùm in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis?* Quartò, spiritus bona illa propensione ad Deum nudatus est, irascendique vis infirma remansit: concupiscendi verò, ad carnis delicias, & voluptates prona. Ex quo factum est, vt ne-

Marginalia (left column): Infra 2. & 3. — Ecclef. 17. — III. Conditio. — Gen. 1. — Infra 2. — Psalm. 8. — Hebr. 2. & alibi. — IV. Conditio status innocentiæ. — Eccl. 17. — Luc. 3. — Rom. 11. — V. & vltima conditio. — Eccl. 17. — Adæ iam casus miserabilis describitur.

Marginalia (right column): Eccl. 7. — I. Conditio. — Matth. 8. — 1. Reg. 16. — II. Conditio. — Ephes. 2. — III. Conditio. — Arist. lib. 3. de anima, tom. 2. — Eccl. 1. — Philosophi quam temerè diuina suis cogitationibus definire tentauerint. — Clem. Rom. in lib. recognit. — 1. Cor. 2. — Ibidem. — Psalm. 48. — IV. Conditio. — Ephes. 5.

vt nemo carnem suam oderit, sed nutriat, ac foueat eam, adeò, vt dicat quiuis cum

Rom. 7.

Paulo: *Velle adiacet mihi, perficere autem bonum, nō inuenio. Non enim quod volo bonum, hoc ago: sed quod nolo malum, hoc ago.* Et cum Da-

Psalm. 24.

V. Conditio.

uide: *Delicta iuuentutis meæ, & ignorãtias meas ne memineris.* Quintò, omnium rerum, quas possidebat, dominio priuatus est, quo factū est, vt omnia in hominem contendant, & machinentur, rebellionemque, qua ipse à Deo defecit, quodāmodò plectant: Cumque omnia, vt dixi, in hominem insurgant: nihil tamē magis quàm homo ipse: actumque planè iam esset de homine, nisi diuinæ misericordiæ, quasi fræno creaturæ coercerentur: quo relaxato, omnia armantur contra eum. Ex quo fames, morbi, bella, pestes, & his similia, in miserum hominem insurgunt: quare seruire cogitur homo suæ nuditati, ignorantiæ, blandæ, ac malæ vo-

VI. Conditio. humanæ vitæ status post peccatum.

luptati, atque omni creaturæ. Sextò, spoliatus est pura, & integra sensus delectatione, quam modò nō nisi impuram, & myrrhæ admixtam assequi potest: cui tamen seruit, ab eaque (proh dolor) vehementer

VII. Conditio.

rapitur Septimò, membra, atque facultates corporis organis affixæ, nequaquam rationi seruiunt, nec parent, sed potiùs eius vsum impediunt: ita vt Paulus queratur, & excla-

Rom. 7.

met: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati quæ est in membris meis. Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? &c.* Quod incredibile sanè tædium, atque vilissimum hominis seruitium arguit.

VIII. Cōditio.

Octauò, caret illa recta corporis temperatura, subiectusque est fœditati, morbo, imbecillitati, atque dolori, postremò moriendi necessitate constrictus summa cum formidine, metuque coniuncta: nam omnium

Philosophus lib. 3. ethicor. cap. 6. tom. 3. in princ.

terribilium terribilissimum mors est. Atque hactenus quidem seruitutem quā peccato incurrimus, & quæ illum consequuntur miserias, malaque descripsimus. Ab hac ergo seruitute liberamur.

Quænam efficiens sit causa nostræ redemptionis.

Vbi considerand a est efficiens causa redemptionis: deinde forma ipsius redēptionis; pretium eius atque instrumenta; tempus quo peracta est; denique finis, ad quem

Ioan. 3.

est instituta. Redemptor igitur potest dici Deus Pater, qui Filium suum vnigenitum misit in hunc mundum, iuxta illud testimo-

Psalm. 110.

nium Prophetæ: *Redemptionem misit Dominus populo suo:* hoc est, Filium redimentem populum. Deinde, filius verus est, ac perfectus

Tit. 2.

redemptor: *Qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos* (Paulo teste) *redimeret ab omni iniquitate.*

Psalm. 73.

Qui, vt Deus est, efficienter; vt homo verè est, per modum instrumenti, ac meriti, & satisfactionis, tum etiam per viam sacrifici operatus est salutem in medio terræ. Additur autem Patri, ac Filio Spiritus sanctus tath. 4.
quoniam quemadmodum Christum in desertum impulit, ita & in crucem similiter egit, de quo Apostolus: *Qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo.* Hebr. 9.

Filio Dei Incarnato scriptura peculiari ratione nomen Redemptoris accommodat.

Habes redemptorem Patrem, redemptorem Filium, redemptorem & Spiritum sanctum: quamquā peculiari ac magis propria ratione hic titulus soli filio incarnato conueniat. De quo Isaias: *Hæc dicit Dominus* Isai 44.
redemptor tuus, & reliqua: de quo Iob: *Scio,* Iob. 19.
inquit, *quod redemptor meus viuit.* Et Stepha- Actor. 7.
nus: *Hunc Deus principem & redemptorem mi-* Exod. 3.
sit, scilicet Moysen: *in typum Christi.* & seq.

Quæ forma sit huius redemptionis.

Quod attinet ad formam redemptio includit infusam Dei gratiam, & reuelatam doctrinam, qua quidem à culpa peccati, dæmonisque seruitute in anima pro nutu suo dominantis, ideoque à reatu æterni supplicij in gehenna ignis, atque à sententia diuinæ iustitiæ scelerum vindicis, clementi Dei bonitate liberamur, regnique cœlestis per arrhabonem sancti Spiritus acceptū efficimur hęredes: quamobrem Deum nobis reconciliatum, placatum, propitium, atque parentem nos sibi in filios adoptantē redditum, scripturæ vbique clamant atq; prædicant. Hinc illæ magnificæ Pauli voces: Ephes. 1.
Gratificauit nos in dilecto filio suo. In quo habemus redemptionem per sanguinem eius (remissionem peccatorum) secundùm diuitias gratiæ eius, quæ superabundauit in nobis, &c. In quo & credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ, in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriæ ipsius. Et rursus: *No-* Infrà 4.
lite contristare Spiritum sanctū Dei, in quo signati estis in die redemptionis. Et Propheta: *Quia* Psalm. 129.
apud Dominū misericordia, & copiosa apud eum redemptio, subditque: *Et ipse redimet Israël ex omnibus iniquitatibus eius.*

Quotuplex spiritus nostri à seruitute per Christum sit facta redemptio.

I. & II. Libertas.

Ex gratia ergo Dei primò quidem consequitur liberatio à dæmone, & peccati seruitute, deinde ab ignoratione eorum, quæ necessaria sunt ad salutem, illustratio. Naturalis cognitio autem perficitur, & ad ea quę fidei sunt, explicanda, atque ab Hæreticis defendenda, & tuenda, diuinitùs illustrata, mirificè inseruit, ita vt Propheta dixerit: *Repleta est* Isai. 11.
terra scientia Domini, sicut aquæ maris operientis: nimirùm de tempore Messiæ prophetans. Non tamen in totum, ac penitùs extinguitur, nec tollitur ignoratio, prudentiaúe carnis dum viuimus

III. Libertas, redemptio seu Christiana.

Tertiò, libertas cōsequitur à praua, & peruersa spiritus inclinatione, quæ magna ex parte per gratiam Dei vel aboletur, vel reprimitur: ita vt scribat Apostolus: *Viuo ego, iam non ego, viuit verò* Gal. 3.

Ioan. 3. *in me Christus.* Et Ioan. 3. *Quod natum est ex car-*
ne, caro est: & quod natum est ex spiritu, spiritus
IV. Libertas. *est.* Quartò, certum dominium habetur,
Rom. 8. quatenus omnibus rebus ad Dei gloriam
vtimur, & vt loquitur Paulus, in bonum
V. Libertas. nostrum cooperantur. Quintò, ius ad glo-
riam comparandã in gratia ipsa Dei situm
habetur: quòd fructib⁹ iustitiæ, & charitatis
Ephes. 1. officijs confirmatur, atque Spiritus sanctus
in pignus & arrham, vti diximus, accipitur:
quem quidem æternorum illorum bono-
rum gustus quidam, & prælibatio in sanctis
& religiosis viris consequitur: de quibus
Hebr. 6. Apostolus ait: *Gustauerunt donum cœleste, &*
Vera corporis nostri quando sit, futura redemptio. *participes facti sunt Spiritus sancti.* Porrò ad
corpus quod attinet, non quidẽ omninò, ac
minus quàm spiritus modò liberatur: Vnde
Rom. 8. perfectam redemptioné eius expectamus.
Hæc enim sunt Pauli verba: *Non solùm au-*
tem illa, sed & nos ipsi primitias Spiritus haben-
tes, & ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum
Dei expectantes, redemptionem corporis nostri.
Corpus interim nostrum quænam sit beneficia consecutum per Christum redemptorem. Attamen bona permulta sortitum est. Pri-
mum enim oblectamenta meliora, & pu-
riora habet: incipitque eius in hac etiam vi-
ta redemptio, & sanctificatio. Nam Paulo
1. Thessal. 4. teste: *Nõ vocauit nos Deus in immunditiam, sed*
1. Cor. 7. *in sanctificationem:* & virgo efficitur sancta
corpore, & spiritu: editque de micis quę ca-
dunt de mensa Domini sui. Nam ex redun-
dantia donorum spiritualium, deriuare so-
let in corpus vigorem quendam interdum
propter coniunctionem, quam habet cum
Psalm. 83. anima, & affinitatem, iuxta illud: *Cor meum*
Huius vitæ labores & molestiæ quid conferant. *& caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Pœ-
næ autem, labores, & dolores humilitatis
sunt exercitia, simulque ad vitam æternam
Psalm. 87. comparandam adiumenta & subsidia,
Isai. 53. Christi denique ipsius Domini nostri, qui
in laboribus fuit à iuuentute sua, virque do-
lorum, ac sciens infirmitatem, imitatio. Et-
si enim membra corporis propensionem
ad sua incommoda, & delectationes pro-
prias singula per se habeant: eas tamen ha-
bere, & fructu iustitiæ originalis illas extin-
guentis carere beneficio Dei, crimini non
Mors nobis ipsa quã salutaris reddita diuino Christi beneficio. datur. At mors ipsa, exercitium est fidei, &
ab eius timore per Christũ liberamur, au-
tore Apostolo, qui ait: *Vt per mortem destrue-*
Hebr. 2. *ret eum, qui habebat mortis imperium,* id est
Mors in scripturis nomine dormitionis, & cur veniat. diabolum, & liberaret eos, qui timore mor-
tis per totã vitam obnoxij erant seruituti.
Quo fit, vt mors dormitio, & somnus in
II. Mortis fructus. Scripturis appelletur. Deinde per eam spi-
Rom. 6. ritus verè, & mirabiliter redimitur: nam
III. per gloriam, quę consumata gratia est, om-
nia dona eius maximè perficiuntur. Acce-
dit, quòd mortis beneficio expectamus re-
demptionem corporis nostri. Si quidem

Christus reformaturus est corpus humili- Infra 8.
tatis nostræ, configuratum corpori clarita-
tis suæ, & Dominus: *Respicite,* inquit, *& leua-* Luc. 21.
te capita vestra, quoniam appropinquat redemptio
vestra. Et Dauid: *Qui redimit de interitu vitam* Psalm. 102.
tuam: Atque vt intelligas, sermonem esse de
redemptione corporum in resurrectione,
subiecit: *Qui coronat te in misericordia & mi-*
serationibus. De eodem quoque loquitur
Isaias, cùm ait: *Et redempti à Domino, conuer-* Isai. 35.
tentur, & venient in Sion cum laude, & lætitia Apoc. 21.
sempiterna super caput eorum: gaudium, & læti-
tiam obtinebunt, & fugiet dolor, & gemitus. Præ-
sentis ergo vitæ, spiritusque libertatem, so- Veram quæ tollant spiritus libertaté.
lùm crimen mortiferum, quod charitatem
extinguit, tollit; veniale molestat, quate-
nus feruorem charitatis imminuit. Pœnæ Quæ tamen non tollant modò vt Hæretici impudenter mentiuntur, verùm etiam pariant, souent, ac conseruent, libertatem spiritus nostri.
verò, atque huiusce vitæ molestiæ, quę cor-
pus iuxta, atque animam sæpè affligunt, ac
torquent, vota insuper, quibus arctius con-
stringimur cum Deo, ad quędam virtutum
officia, & perfectionis potissimùm pręstan-
da, iusta item præcepta, quæ à principibus
sæcularibus, vel Ecclesiasticis in summa
dignitate positis proficiscuntur, quæque
politiua dicuntur, atque adeò ipsa cõstitu-
tio magistratuum, quibus diuino & natu-
rali iure subijcimur, libertaté spiritus præ-
dictam nõ solùm non tollunt, sed maximo
etiam sunt adiumento, illamque promo-
uent. Nam spiritum contra peccata corro-
borant, corpus verò ad malum infirmant
atque debilitant. Quòd si nostræ ætatis hę- Perniciosa Lutheranorum libertas Euangelica.
retici intellexissent, nunquam tot & tantas,
tamque sanguinarias tragedias excitassent:
Populus enim simplex & incautus à seditio-
sis, & turbulentis, ac impijs hęresum docto-
ribus seductus, prętextu libertatis Euange-
licæ tuendæ, ac retinendæ, in eos, quibus
subesse debuerat, arma sumpsit, quod quã
infeliciter illis cesserit, res ipsa indicauit.
Agnoscant igitur omnes quicunque Chri- In quibus consista.
sto nomen dederunt, quanto in discrimine Exod. 20.
versentur, qui præter libertatem spiritus à & seq.
peccato dæmonisque seruitute, alias sibi
polliceri audẽt libertates, quibus absoluan-
tur vel ab decalogi obseruatione, vel à le-
gibus canonicis, vel à præceptionibus ciui-
libus, vel à votis Deo nuncupatis, vel ab
obedientia, & subiectione, quam maiori-
bus debent: ea enim somnia sunt, & mera
figmenta Satanæ per ora hæreticorũ trans-
fusa scindendam Ecclesiam, eiusque vnita-
tem, & pacem dissoluendam excogitata.

Porrò pretium redemptionis asseren- Quale pretiũ redemptionis exstiterit.
dũ est cum Paulo, Petroque Apostolorum
principe, sanguinẽ Christi pretiosissimum
extitisse, atq; adeò ipsum eius corpus, quod
pro nobis tradidit: siue anima, id est, vi-

lentiens,

sentiens, quā pro nobis posuit: siue denique totus ipse Christus, qui semetipsum pro nobis Patri obtulit. Pauli enim vox est: *Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei, & hominum, homo Christus Iesus: qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus:* siue, vt Græcè habetur ἀντίλυτρον, quæ propriè significat pretiū pro redemptione pensum. Quemadmodū autem Christi sanguis in Cruce fusus est in redemptionem peccatorum, ita in propitiatorio Eucharistiæ sacrificio quotidie sanguis ille idē effusus commemoratur, atque Deo offertur. Quod verò spectat ad instrumenta, dicendum est, varijs modis redemptionē à Christo peractā nobis applicari, cùm fide, tum bonis operibus, atque adeò Sacramentis ipsis, quę propriè vasa redemptionis Christi dici possunt, eiusq; merita continent, & virtutē. Et quatenus quidem ad præsentem vitā attinet, initium redemptionis remissione peccatorū fit, quæ per duo Sacramenta præcipuè in Nouo Testamento perficitur, per baptismū nempè, & pœnitentiam. Nam primo quidē Sacramento à peccatis omnibus, in quæ delicto Adæ prolapsi sumus, in virtute sanguinis Christi in cruce fusi liberamur: à reliquis verò criminib⁹ atq; delictis mortiferis, quę post baptismum cōtraximus, Sacramento pœnitentiæ tanquam vnico, & singulari remedio (quod à sacrificio Eucharistiæ expiante, Christique sanguinem Deo per sacerdotem oblatum continenti, vim omnē suam atque efficaciam mutuatur) liberamur, atq; expiamur. Quamquā sanguis Christi in altari per sacerdotes Deo oblatus, vim omnem expiandi peccata ab ipso Christo, sanguinem illum pretiosum sponte pro nobis in cruce fundēte, accipiat. Quo quidem per baptismum applicato, omnia veteris Testamenti delicta, id est, quæ ante Christum dono fidei cognitum, perpetrata sunt, siue sint originis, siue vitio personæ contracta, aqua salutari Baptismi eluuntur, delenturq; penitus: cętera verò omnia peccata, quę Noui Testamenti dici possunt, videlicet quòd à baptismo suscepto, & Christo fide accepto admittantur, eodē Christi sanguine in ara oblato per pœnitentiæ Sacramentum operante, remittuntur. Atque vt hęc peccata post baptismū possunt iterari, ita & oblatio illius sanguinis per sacerdotes frequenter repetitur, Sacramentumque pœnitentiæ, quo applicatur, iterari potest, sicut ad expiationē antiqui criminis semel tantùm per Christum in Cruce oblatus est sanguis: & Sacramentum Baptismatis, quo proximè agit, iterari nequit: quanquam, vt diximus, & libenter repetimus, omnis expiandorum criminum vis & virtus, quam Sacramentum continet Eucharistiæ, nō nouo merito aliquo, verùm antiquo illo, quo sanguinē fudit in cruce, comparatur. Modus tamē applicandæ huius virtutis varius est, sapientiaque Dei mirificè conueniens.

1. Pet. 1.
1. Tim. 2.
Matth. 26.
Luc. 22. & 1. Cor. 11. & seq.
Redemptionis instrumenta.
Baptismus & pœnitentia, quā præstent libertatem, ac redemptionem.
Gen. 3.
Hostia inuenta, vnde vim suam omnem mutuatur.
Baptismi, & pœnitentiæ in quo differant Sacramenta.

Quod quò magis, prudens Lector, intelligas, animaduerte, inter multas captiuitates populi Dei fuisse celebres, ac insignes duas: alteram quidem, in qua filij Israëlitæ captiui in Ægypto detenti sunt, in quā non quidem in ipsismet, sed in patre suo Iacob descenderunt, sed ab illa liberati sunt illorum posteri per se ipsos: alteram, qua captiui ducti sunt in Babylonem, in quā sine parente suo, à natali solo Hierusalem vi abducti sunt, atque ijdē illi in liberatione ab illa captiuitate, magna ex parte redierunt: nā multi delectati, & capti Babyloniorum hominū consuetudine, ædificantesque domos, & plantantes vineas atque oliueta, reuerti cùm liceret ad proprium solum, noluerunt, vt ex scripturis egregiè Lyranus probat. In hac duplici captiuitate depictū est atque repręsentatum duplex peccatum, quo miserè captiuamur, ac inuoluimur: alterum quidē Adæ delictum est, quod originale appellatur, quod nequaquam à nobis ipsis, sed in ipsa origine nostra, & capite nostro, Adam scilicet omnium nostrū parente perpetrauimus: alterum verò est peccatum personale, quod quisque sua voluntate atque actione cōmittit. Liberatio ergo à priori peccato quod originale diximus, in liberatione ab Ægypto delineata est. Namque vt ab illa quisque liberatus est per seipsum, quàm in patre suo in Ægyptum descendente, & non per semetipsum incurrit: ad eum propè modum in primæuo illo & antiquo delicto à nobis ipsis, Christi beneficio in baptismo liberamur: quod tamē non per nos, sed in Adam primo parente nostro admisimus. Redemptio verò à personali delicto, mirificè est adumbrata in eductione populi de captiuitate Babel. Quemadmodum enim ab illa ipsi illi, qui ducti fuerant in Babylonem, non nisi propria sponte reuerterunt: sic sanè à peccato huiusmodi, quod propria sponte, & liberè cōmisimus, nō eripimur, nisi nostra ipsorū voluntate pœnitentiam egerimus, atq; nisi Sacramento confessionis beneficium absolutionis suscipiamus. Etsi non desint permulti, qui mundi huius delicijs capti, & voluptatib. carnis inescati, cœlesti patriæ nuncium remiserunt, cœlestibus bonis renunciantes: quibus maximè similes sunt ij, qui è Babylone reuerti noluerunt. Sed manent in perpetua confusione, & tenebris igno-

Duplex Iudæorū captiuitas.
Gen. 46. & sequent.
Actor. 7.
4. Reg. 25. & seq. & alibi.
Lyranus in Esd. cap. 1.
Ambæ captiuitates illæ quid adumbrauerint.
Exod. 14. & seq.
Qualis ab originali peccato, qualis verò à personali sit nostra redemptio.
Terrenorum potius, quam cœlestium bonorū amatores in quibus præfigurati.

rantiæ, prauis suis affectionibus vinculati, verberati, compuncti à conscientia, crudeliumque tyrannorum, nempè dæmonum suggestionibus excruciati; vilissimo siliquarũ cibo, id est, terrena & fœda sensus voluptate alti, nec tamẽ satiati, laboribus magnis, ac difficillimis, tum corporis, tũ animi implicati: omni denique honore, puraque consolatione, atq; veris delicijs expoliati. Hac itaque ratione redemptio applicatur in hac vita, in futura verò ad resurrectionẽ corporum ministrabunt Angeli, congregando electos à quatuor ventis. Nec enim decuit, vt statim à Christo corporis libertatem, & spiritus consequeremur: sed vt paulatim, & gradibus quibusdã ad illam perueniremus: tum vt Christum in Cruce ferenda imitemur, tum vt humiliati ac depressi æternam magis exaltationẽ promereamur: tum denique quoniam pactum nouum in Christo durius illo Adæ (quo scilicet à delicijs ad delicias, & à terrestri ad cœlestem paradisum ascendebatur) esse debuit.

Luc. 15.

Matth. 24.

Redemptionem corporis nostri cur nisi in fine seculi simus habituri.

Quando redemerit nos Christus.

De tempore verò, dicendum est Christum quòd ad se attinebat, & ratione cuiusdã virtutis, & capacitatis nostræ in cruciatibus, & morte sua, in qua sanguinem pro nobis copiosum effudit in genere, & tanquam causam vniuersalem, operatum fuisse redemptionem, Deumque obedientiam eius pro nobis credituris, quos in spiritu suo cõtinebat, acceptasse; quo pacto Adam inobediens omnes nos secundum corpulentam substantiam & secundã seminariam rationem continebat. Hæc ergo redemptio vnico die peracta fuit, quatenus ad eam spectat, de qua Zachar. 3. c. vaticinatus est: *Ecce ego cœlabo*, inquit, *sculpturam eius, ait Dominus exercituum, & auferam iniquitatẽ terræ illius in die vna.* Quod ad nos verò pertinet, ea vt plurimùm fit, cũ fide, & Sacramento, vel etiam sine illo (vbi accipere Sacramentum nõ vacat) gratiam cũ virtutibus Theologicis coniunctã accipimus, atque ita quidẽ dies iustificationis nostræ, inchoatæ redemptionis nostræ dies est. Porro dies futuræ beatitudinis nostræ dies completæ atque perfectæ redemptionis est: qua de perfecta redemptione loquitur Oseas, dicens: *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: Ero mors tua ô mors, morsus tuus ero inferne.* Atque ita, quemadmodum iustitia redimimur Christi, per eamque soluitur pretium nostræ liberationis: sic per iustitiam nostrã inhærentem quam vocat, à peccato, ac eius tenebris actu eruimur: vt meritò Isaias dixerit: *Dedi te in fœdus populi, vt suscitares terram, & possideres hæreditates dissipatas: vt diceres his qui vincti sunt; exite: & his qui in tenebris; reuelamini.* Videtur enim metaphoricè describere peccatorem tenebroso carcere cõclusum, ita vt dum liberatur, exire, ac, veluti in lucem venire dicatur. Dicitur autẽ de præterito redemptionem fecisse, quia Prophetis moris fuit futura per præteritũ tempus enunciare, ob eorũ, quæ dicuntur, certissimum euentum, qua ratione multi antiqui vates idẽ præcinuerunt, ita enim dixit Dauid: *Redemptionem misit Deus populo suo.* Et alibi: *Dicant qui redempti sunt à Domino, quos redimit de manu inimici.* Alibi quoque inuitat ad noua cantica ob hãc ipsam causam: *Cantate*, inquit, *Domino canticum nouum, quia mirabilia fecit. Saluauit sibi dextera eius, & brachium sanctum eius. Notum fecit Dominus salutare suum: in conspectu gentium reuelauit iustitiam suam*; & : *Viderunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.* Si ergo Propheta gratulatur, & gaudet, quasi ea iam facta sint, quæ duce Spiritu sancto agnouerat multis post seculis facienda esse, quid mirum si Zacharias iam concepto redemptore, & redemptionem quasi pro foribus cernens, dixerit: *Quia fecit redemptionem plebis suæ?* Nunc autem cum Hæretici ita argumentãtur, Christus operatus est redemptionem nostram; reconciliauit nos Patri: *Lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo*: ergo reconciliati sumus; redempti sumus; mundati sumus à peccatis nostris: nullo alio nobis est opus: Profectò volẽtes, ac scientes insaniunt, nolentes intelligere, nos redemptos esse à peccato, vt serui iustitiæ efficiamur, & vt ait Paulus: *Redemit nos ab omni iniquitate: vt mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Vt enim rectè non colliges, per Christum redempti sumus, ergo fide nõ est opus ad iustitiam, vel ad salutem. Sic sanè malè ratiocinatur, quià redemptione à Christo facta infert: ergo non est opus recipere Sacramenta: ergo non est diuinæ legi obtemperandum. Nam vt fidem à redemptis à se exigit, ita Sacramentorum susceptionem, decem mandatorũ obseruationem, virtutum omnium exercitium, ac maximè patientiam in cruce sua ad eius exemplum imitationẽ perferenda sæpè efflagitat. Dicimus itaq; Christum fecisse redemptionem, & vno die abstulisse peccata totius mundi, iuxta Zachariæ vaticinium, hoc est, expiari, remitti'ue potuisse peccata per mortem suam. Et ita tanquam generalis causa, ac meritum quoddam vniuersale nostræ redemptionis sanguis Christi in cruce ex obedientia profusus, existit. Huic autem vniuersæ causæ, adiungendæ sunt causæ singulæ fructum mortis Christi nobis applicantes. Quod vt ex parte per fidem fit,

Genes. 3.

Zachar. 3.

Imperfectæ primũ, deinde perfectæ quæ dies redemptionis nostræ.

Osee 13. & 1. Cor. 15.

Quales nondum à Christo redempti esse mus teste Propheta.

Isai. 49.

Dominus Deus cur dicitur fecisse, non facere, aut facturus redemptionem.

Psalm. 110.

Psalm. 106.

Psalm. 97.

Ibidem.

Hoc sophisma Hæreticorum Christus nos redemit, proque nobis Patri satisfecit, nihil ergo à nobis exigitur, quàm leue.

Rom. 8.

Apoc. 1.

Rom. 6.

Titum 2.

Qualis illorũ argutatio

Domino ac Redemptori quid debeant redempti.

Philip. 2.

multò

Quemadmodum Christi redemptio nobis applicetur.

multò magis per Sacramentorum venerabilem susceptionem, per obedientiam cultumque diuinæ legis, tum denique per reliqua virtutum officia, quibus indies virtutem mortis Christi nobis applicamus atque communicamus.

Idem Christus fecit redemptionem dupliciter.

Fecit autem redemptionem tum à peccato contracto subleuando, tùm à futuro, & contrahendo seruando: atque hoc genus redemptionis eximium est, & excellentissimum iustis omnibus, perinde ac illud plus omnibus peccatoribus necessarium. Receptaculū verò capax huius redemptionis est plebs Dei, de qua Zacharias dixit: *Plebis suæ.* Vbi notandum in primis, Græcè legi in dãdi casu, τῷ λαῷ. Et sic pleraque vetusta Latina exemplaria habent: *Plebi suæ,* quamquam vsu iam ex dandi, factus sit gignendi casus. Est autem plebs Dei populus Iudæus fide non ficta Messiam regem confitens, ratione executionis gratiæ, vel gloriæ: Christus enim omnium Rex, atq; Redemptor existit: nec enim alioqui absque eius meritis omnibus, etiam paruulis, adiumenta saluti necessaria conferrentur. Et quidem vocat Christianos plebem, quæ ima, & contemptui esse solet: at nouum nó est Deum contemptibilia, & ea, quæ non sunt, eligere, vt cófundat fortia. Neque verò Constantinus ille Magnus insitus Christo fuisset, illique adhæsisset, nisi se Christo submisisset, & quasi vnum aliquem de plebe communi se illi credulum præstitisset, & obsequentem. Sic enim alibi Christus dixit: *Vocabis nomē eius Iesum: Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Hæc autem plebs redempta vocatur alio in loco à Paulo, populus peculiaris, siue acceptabilis, sectator bonorum operum: & à B. Petro, populus acquisitionis, id est, populus Christi sanguine redemptus: à Paulo etiam in Actis, Ecclesia dicitur, quam acquisiuit sanguine suo; & alijs plerisque gloriosis titulis in Scriptura decorantur, qui redemptionis Christi participes sunt effecti. Namque dicitur in Apocalypsi: *Dignus es Domine, accipere librum, & aperire signacula eius: quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & fecisti nos Deo nostro regnum, & sacerdotes.*

Plebs Dei quæ redempta.

Deus quos eligere dignetur.

1. Cor. 1.

Matth. 1.

Plebem à Domino redemptam, Apostolorum principes quàm honorificè cópellant.

Ad Titum 2.

1. Pet. 2. & Exod. 19., Act. 20. Apoc. 5.

Finis redemptionis Christi.

Postremò, finis redemptionis huius proximus est, omnis pœnæ atque molestiæ absorptio, completaque nostra, tū corpore tum anima, spirituque felicitas: vltimus verò finis est atque potissimus perfectio creaturarū ratione præditarum, quas Deus ad hanc felicitatem prædestinauit, atque opera hostis Sathanæ generis humani impeditas, fraudulenterque abalienatas, ad finem hunc præstantissimum perduxit: vt ita vera sit sententia Salomonis: *Sapientia vincit malitiam.* Sic enim illustratur Dei gloria, & potestas, vt habeat multos ministros in regno suo, qui in perpetuum eius laudes, præconia, misericordiasque decantent. In quorum numero, vt nos pro sua clementia, & benignitate adscribere velit, demus operam, vt tantum Redemptorem gratis animis agnoscamus, eius verbis, & monitis auscultemus, legemque eius, atque mandata custodiamus, præstante eodem Redemptore, & Saluatore nostro Christo Iesu: cui cum Patre, & Spiritu sancto deferatur omnis laus, gloria, honor, & imperium, in sempiterna sæcula, Amen.

Sap. 7. vt passim à patribus citatur.

Gloriam Dei & nomē quid illustret.

TRACTATVS XIX.

In illa verba: *Et erexit cornu salutis nobis, in domo Dauid pueri sui: Sicut locutus est per os sanctorum, qui à sæculo sunt Prophetarum eius.*

Luc. cap. 1.

CVM Deum Opt. Maximum ornauerit Zacharias magnis laudibus, propter beneficium visitationis, & redemptionis factæ; declarat eiusmodi munera non nisi per Christum, & in Christo mundo impensa fuisse, cùm ait: *Et erexit cornu salutis nobis.* Quo loco in primis coniunctio, &, bifariam accipi potest: vel vt sit explicatio maior dictorum, pro, id est, erexit. Vel secundò, vt reddat causam, vt sępè more Hebręo vsurpatur, & talis esset sensus: Quia erexit cornu. Est enim vel expositio visitationis, vel causa, erexit, siue excitauit cornu salutis, vt alij volunt. Cùm Hebræa lingua sit omnium vetustissima linguarum, formulas quasdam loquendi habet, quæ nunc apud alias linguas, non sunt in vsu; qui modi dicendi nisi intelligātur, magnoperè impediunt sacrarum literarum sensum & intelligentiam. Cornu igitur, propriè pars est quorundā brutorum animantium, solida & fortis ab excrementis neruorum, tanquam à propria materia in eorū capite generata: quemadmodū ex eisdē excrementis dentes, vngues, crusta, & pili procreantur. Estque hęc pars animalis in capite eminens, atq; robusta, qua se animal tueatur, & cùm opus sit, offendat, gloriaque est, & ornamentū ipsius animalis, quatenus gloriatur de fortitudine & robore, atque eo honestatur: quemadmodum quibus cornua natura sua non competunt animalia, illis afficit

Illud: & erexit cornu salutis nobis: dupliciter ad literā accipitur.

Hebraismorū cognitio perutilis.

Cornu quid. Cur datum à natura.

Deut. 6. Matth. 22.

ficere contendéte in, ex toto corde, ex tota anima, atq; ex omnibus viribus diligemus. Sed de Dei voce fuſius primo tractatu huius libri dictum eſt.

Cur Deus, & Dominus Deus Iſrael appelletur.

Dicitur autem Deus Iſrael, id eſt, plebis, ſeu poſteritatis ab eo deſcendétis. Sic enim vocamus Reges Aegypti, Reges Chanaan, Reges Cham; id eſt, populorum, qui ab illis traxerunt originem. Rurſus nominatur Dominus Deus Iſrael, neque confunditur vocari eorum Deus: non tam ſecundũ carnem, qui olim pacto legis, cæremoniarum, & terræ promiſſę, Dominum in Deum verum, ſummeque à ſe dilectum aſſumpſerat, & elegerat: quomodo ab reliquis gentibus eligebantur alij in deos ſuos, vt ita in morbum peccati, & tranſgreſſionem Adæ primi parentis pactum Dei violantis agnoſcerent: includebatq; pactum ex eorum progenie venturi Meſſiæ: ſed erat etiam Deus ſecundum ſpiritum Iſraelis, id eſt, eorum, qui fidem, & obedientiam, ſanctaq; Abrahæ, & Iſraelis conſectantur opera, tametſi ex illis ſecundùm carnem non ſint oriundi: Quos Apoſtolus Iſraelitas Dei, & in abſcondito Iudęos appellat. Sic enim dixit in epiſtola ad Galat. *Et quicunque hanc regulam ſecuti fuerint, pax ſuper illos, & miſericordia, & ſuper Iſrael Dei.* Rectè hoc loco ſcribit Euthymius: *Verũ*, inquit, *Quomodo dicitur Deus ſolius Iſrael, cùm non tantùm Iſraelitarum Deus ſit, ſed & omnium hominum, vtpote omniũ creator? Quia cæterorum quidem omnium hominum Deus erat, ipſis etiam nolentibus: ſolorum autem Iſraelitarum, vltroneorum, & per cognitionem.* Hæc ille.

Heb. 11. Exod. 3. & alias ſæpiſſimè.

Gen. 3.

Rom. 2. Gal. vlt.

Euthym. Quomodo vocetur Iſraelitarum Deus, cum ſit omniũ hominum Deus, ſecundũ Euthymium.

Rom. 3.

Dei benedicere quale ſit, atque maledicere.

De hoc ergo Patre, vel Filio, Deoue trino & vno, dictoque Domino Deo Iſraelis ait: quod ſit benedictus. Benedicit homini aliter Deus, quàm homo benedicat Deo: illud enim Dei benedicerę, benefacere eſt, vti dicere eius eſt facere, eiuſq; maledicere malefacere: ſiue per ſe ipſum, ſiue per miniſtros ſuos benedicat, vel maledicat. Aſſiſtit Deus enim miniſtris ſuo nomine benedicentibus. Nam per ſe maledixit ficui, quę ſtatim exaruit: per Heliſæum maledixit pueris illi inſultantibus: *Aſcende calue*: qui laniati ſunt ab vrſis. Per ſacerdotes nobis benedicit: & vt Paulus ait: *Benedixit nos in omni benedictione Spirituali, in cæleſtibus.* Hinc gratia Dei, & donum quodcunque benedictio vocatur. Noſtrum autem benedicere, vel maledicere, niſi diuina autoritate ſit fultum, nullam vim habet, & efficaciam, nihilque immutat in ipſa re, ſed tantùm eſt laudare, & deſideria noſtra in bonum, vel malum alterius aperire. Eſt ergo hominis benedicere Deo, nihil aliud, quam benè i i precari, in eiuſque veris bonis ſibi per amorem complacere, eius laudem, & gloriam prædicare. Ita enim creatura rationis particeps Deo poteſt benedicere, illum colere, qui boni vllius noui, aut aduétitij haud poteſt eſſe capax. Atque ita frequenter vſurpatur in ſacris literis: vt cum dicitur: *Benedicite omnia opera Domini, Domino: Benedicam Dominum in omni tempore: ſemper laus eius in ore meo: Benedictio, & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, honor, virtus, Deo noſtro, &c.*

Matth. 12.

4. Reg. 2. Ephes. 1.

Quale hominis benedicere, & maledicere.

Homines Deo quando benedicant, more ſcripturæ.

Dan. 3. Pſalm. 33.

Apoc. 7.

Hoc loco, benedictus quid ſignificet. Quænam participia apud Hebręos pro nominibus verbalibus ſoleant accipi.

Conſiderandum eſt autem Gręcè non dici per participium εὐλογημένος, quod actũ tantùm ſignificet præteritũ: at nomen ſubſtantiuum εὐλογητός, quaſi dicat laudabilis. Et ita participiũ Hebræum baruch vſurpatur, & vertitur ab interprete. Sic enim Hebraicæ linguæ periti docent, eiuſmodi participia vim nominum habere verbalium.

Triplici ore vult Deus à nobis benedici.

Porrò noſtrum hoc Deo benedicere (vt ſæpius ita loquamur) triplici ore fieri debet. Primùm quidem ore cordis ille benedicit, qui diuinam ſapientiam fide, ſpe potentiam, amore bonitatem cóplectitur. De hoc ore ait Paulus: *Os noſtrum patet ad vos ô Corinthij, os* (ſcilicet cordis) *noſtrũ dilatatum eſt.* & Dauid: *Os meum aperui, & attraxi ſpiritum.* Os enim ſpirituale cordis ardens deſideriũ eſt. Dominus etiam de hoc loquitur, cùm ait: *Non quod intrat in os coinquinat hominẽ: ſed quod procedit ex ore, &c.* Id eſt, de ore cordis, nã inde exeunt cogitationes malæ, &c. ſuperbia, & ſtultitia. Deinde ore vocis benedicendus eſt Dominus, vt nos ipſos ad diuina excitemus, alios in virtute ædificemus, naturamque noſtram, & talentum in opere difficili, & glorioſo exerceamus: quàquam in voce inſit hypocriſis, & fictè, ac ſimulatè fieri poſſit. Poſtremò magnificandus eſt Deus, atque benedicendus ore bonorum operum, quæ Deum perfectius confitétur, quàm voces, minuſq; fingi queunt. Nam multi ſunt, qui voce confitentur Deum, factis autem negant.

2. Cor. 6. Pſalm. 118. Os cordis quodnam ſit. Matth. 15. Ibidem.

Deum quando perfecte benedicimus.

Tit. 1.

Deum cognoſcere vnde tantum polluimus.

Sequitur: *Quia viſitauit.* Tametſi Deus infinitè bonus in ſe, atque perfectus, laudandus, atq; benedicendus ſit: tamen quia, quid ſit nos planè ignoramus, neque capere valemus, ex operibus ipſius eum magis cognoſcimus, magiſq; apti ſumus benedicere. Opera autem diuina duplicis generis ſunt: alia quidẽ intima, & immanentia, vt vocãt Theologi, vbi & agens, & opus, & modus infinita ſunt: alia verò ſunt externa, ad creaturaſque terminantur, in quibus agẽs, agẽdiq; ratio habet infinitatem; at opus ipſum finitum eſt, & limitatum. Summa autẽ benedictio Dei ex opere vtramque rem cõplectente conſurgit, nempè ex filio, &

Dei opera ſunt in duplici differentia.

Dei perfectiſſima benedictio quænam ſit.

Christi humanitate, plebeq; per visitationem, & factam redemptionem, vt ita dicã, deificata. Visitare nihil est aliud, quàm frequenter visere, seu sæpiùs ad videndum aliquid ire. Cùm autem Deus secundùm suã naturam ire nequeat, cùm vbique præsens sit, & semper omnia videat, visitare dicitur metaphoricè, secundùm quosdam effectus, declarantes eius de re visitata memoriam, quæ res dum non viseretur, in obliuione Dei versari quodammodò videbatur. Hi verò effectus vel iustitiæ Dei sunt peccata vindicantis, iuxta illud: *Visitabo super viros defixos in fecibus suis.* & iterum, *Visitabo peccata vituli.* & item: *Visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me*, vel misericordiæ effectus sunt, vnde Israelem in Aegypto, & in Babylone existentem visitare dignatus est liberatione eius à seruitute durissima, atq; captiuitate. Sic etiam dicitur: *Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Misericordiam autem meam non dispergam ab eo, neq; nocebo in veritate mea.*

Et quanquam Deus varijs modis apparuerit, & locutus fuerit patribus visitando mundum, summè id tamen factum est in Christo Deo & homine. Olim namq; visus Adæ, Noe, Abrahæ, Ioseph, Mosi, Prophetis, & Patriarchis, per eosque visitare mundum dignatus est, neque tantùm per viros bonos & sanctos, verùm etiam interdum per malos visitationem fecit: *Misi*, inquit, *ad vos omnes seruos meos, consurgens diluculo, &c.* Summa visitatio tamen per Christum exhibita est: tum quia visitans maior erat, nempe Deus & homo: tum quia fructus visitationis amplior & vberior, nempe redemptio à vilissima seruitute peccati, atque ab intolerabili dæmonis iugo, fuitq; visitatio summa cum misericordia iustitiaque coniuncta. Nam in opere incarnationis & redemptionis: *Misericordia & veritas obuiauerunt sibi: iustitia & pax osculatæ sunt.* Vtque hoc loco exponit Theophylactus, *Excitatum est cornu salutis, Christus. Videbatur enim dormire, contemnens multorum peccata, longanimitatem in simulachrorum insano cultu præ se ferens: sed in nouissimis temporibus incarnatus excitatus est, & contriuit omnes, qui oderunt nos, dæmones.* Hæc ille.

Fuit prætereà summæ recordationis plebis Dei, qua de ait Psalmista: *Si oblitus fuero tui Hierusalem, obliuioni detur dextera mea.* Erat insuper visitatio scientis etiam scientia humana, mundo opitulari, pleni etiam charitate, atque nostram salutem sitientis, & de malis nostris dolorem & mœrorem concipientis. Ait namque Apostolus: *Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris; tentatum autem per omnia pro similitudine absq; peccato.* In eo enim, in quo passus est ipse & tentatus, potens est & eis qui tentantur, auxiliari. Venit etiam visibilis, vt ab ipso visitato, qui non valebat eum tanquam solem ecclipsatum, & nubibus obtectum videre, cerni posset.

Cœpit autem visitatio hæc (quod ad Deũ & ad aliquos priuatos attinet) in ipsa incarnatione, in qua primus omnium, quos Verbum visitauit, est Christus homo, assumendo eum ad dignitatem suæ hypostasis. Secundo loco visitata fuit B. Maria, in qua tantum visitationis mysterium peractum fuit. Tertio loco visitatus fuit Ioannes Baptista, qui matris suæ in vtero repletus Spiritu sancto, cognouit Verbum incarnatũ, atque eius sanctissimam genitricem: cuiq; vt ad se visitandum venienti honorẽ, quomodocunq; posset, deferret, saltum exultationis edidit. Quartò, visitauit Elisabetham vnà cũ viro eius Zacharia, atq; adeò cum tota domo sua: qui propterea canticũ exultationis ob visitandi officium verbi, domui suæ amplissimè exhibitum emisit, ita enim intelligendum est: *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ.* Et paulò post: *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto.* Nos, inquit, scilicet domum nostram. Quintò, in natali die visitauit pastores per Angelum, & vt ad se visitandum accederẽt, euocauit: In epiphania verò per stellam visitauit Magos, eosque ad se visendum excitauit, atque impulit. Deinde baptismo & prædicatione Verbi Dei omnes Iudæos frequẽs visebat, sed maximè in die quo honorificè exceptus est à turbis cum ramis Palmarum, & Regem spiritualem à Deo promissum se esse ostendit. Hierusalem quoque, ac templum ingressus, fletu & lachrymis ciuitatem illam prosecutus est, eò quod non cognouerit tempus visitationis suæ. Hæc autem visitatio facta erat tan quã in semine in incarnatione, de qua Propheta: *Quid est homo, quòd memor es eius? aut filius hominis, quoniam visitas eum?* quem quidem Psalmum, Dominus noster, Paulusq; haud semel de Messia interpretantur.

Etsi verò visitatio plebis nondum esset perfecta in incarnatione; describitur tamẽ à Zacharia sub præterito, quòd certum ac deliberatum erat in prouidentia Dei, qua anteit omne futurum tempus, vt certo suo tempore Iudæi visitarentur, iuxta illud. *Posthac in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Item secundũ id: *Visita nos in salutari tuo.* rursum expressius *Respice de cælo & vide,*

Marginalia (left): Visitare quid sit. — Deus quomodo visitet. — Visitat dupliciter. — Sophon. 1. — Exod. 32. Suprà 20. — Psal. 88. — Heb. 1. — Deus mũdum quando perfectè visitauerit — Per bonos & malos visitat Deus. — Hierem. 35. & sæpè aliàs. — Filij Dei incarnatio, qualis fuerit Dei visitatio. — Psal. 84. — Theophyl. Erexerit cornu salutis nobis quomodo Deus, teste Theophylacto — Diuinæ visitationis per incarnationem virtutes. — Psal. 136. — Heb. 4.

Marginalia (right): Suprà 2. — Quare Christus per se ipsũ in carne mũdum visitauerit. — Prima Dei visitatio quæ fuerit, quæ secunda, & tertia. — Luc. 1. — IV. Visitatio. — Quinta. — Luc. 2. — Matth. 2. — Infra 21. — Hierem. 23. & Zachar. 9. & sæpè alibi. — Luc. 19. — Psal. 8. Matth. 21. Heb. 2. — Messias adhuc matris vtero inclusus, nec natus, plebem suam quomodo visitauit. — Baruch 3. — Psal. 105. — Psal. 79.

& vide; & visita vineam istam. Sicut autē Dauid ter vnctus fuit ad regnum, ita etiam Christus; qui vt maximè vnctus fuit, sic maximè visitatus. * Semel enim domi vnctus est Dauid: ita Christus secretò incarnatus. Fuit secundò Dauid vnctus super Hebron à tribu Iuda: similiter Christus à baptismo, vel à die Palmarum, ad conuersionem Iudæorū est constitutus in Regem. Postremò, vt Dauid super decem tribus. pari ratione Christus super omnes gentes regnauit, & licèt per se ipsum Christus externè visitauerit Israelem, apud illos sedens, & ministrans Verbum Dei, iuxta illud: *Nō sum missus, nisi ad oues quæ perierunt domus Israel:* reliquas tamen quæ illū fide sunt complexæ, per semetipsum internè, & externè per Apostolos, & ministros doctrina & Sacramentorū visitare nunquā destitit, quotidieque etiamnū visitat. Synodi enim generalis celebratio, cuius decretis hæreses funditùs sunt extirpatæ, & Ecclesiasticorū hominū cōdemnati abusus, legesque sanctæ viuendi omnibus omniū hominū gradibus præscriptæ; quid aliud sunt, quàm Christi Ecclesiam suam ardenter amātis visitatio? Romani Pontificis singulari pietate, & sanctitate prēditi, ad summū dignitatis apicem in tot, tantisq; Ecclesiæ difficultatibus, perturbationibusque assumptionem, quid aliud esse censeas, quā diuinā visitationem? Episcoporum reformatio, atq; in Ecclesijs suis assidua residentia, nouæque congregationes hominum, qui vitæ exemplo, atque doctrina populo Christiano prēlucent, eximia certè sunt Dei nos ex misericordia, & veritate sedulò visitantis argumenta. Quia verò ratio ipsa dictat, honestorumque ac officiosorum hominū vsus obtinuit, vt qui inuisuntur, visitantes reuisant, & par pari referant: hæc si nos erga Christū, ac Deum Patrem obseruauerimus, præterquā quod beneficia eius in ingratos homines nō fuisse collocata declarabimus, auctiora certe & cumulatiora gratiarū munera, quæ Dei bonitas est, efficiemus. Id quod vt magis ac magis præstemus, precib⁹ perpetuò incumbamus: frequenter ad subsidia nostræ salutis, quæ vocamus Sacramenta, accedamus: lectioni, atque meditationi vitæ, ac doctrinæ Christi sedulā operā nauemus, præstante ipso Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre, & Spiritu sancto viuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

> Quid triplex vnctio Dauidis in Regem præsignauerit. Luc. 4. & Isai. 61. & Psalm. 44. & Hebr. 1. * 1. Reg. 16. Luc. 1. 2. Reg. 2. Luc. 4. Infrà 19. 2. Reg. 5. Matth. 15.

> Diuinæ bonitatis ac prouidentiæ clara ac perspicua Ecclesiam suam visitantis argumēta, & symbola.

> Qua ratione Deū fructuosè visitemus.

TRACTATVS XVIII.

In illa verba: *Et fecit redemptionem plebis suæ.*

> Luc. 1.

CVM Dominum Deum laudibus ac benedictione prosequendum Zacharias proposuisset, rationemque huius laudationis visitationem esse dixit, rectè subiunxit: *Et fecit redemptionem plebis suæ:* quo verbo visitatio diuina quē in finem sit instituta atque suscepta, perstrinxit. Varia est enim visitatio, & alia quidem est ad spoliandos, ac expilandos visitatos. Cùm autem Deus bonorum nostrorū nō egeat, haud sic visitat: eiusmodi enim simulatæ fictæque visitationes tam speciosum titulum visitandi præ se gerētes à tyrannis, & insatiabilibus principibus, siue profanis, siue Ecclesiasticis, magno cum populorum suæ fidei commissorum detrimento plerunque fiunt. Alia verò est ad cōgratulandum de amici rebus secundis ac prosperis: atque hanc quidem Christo non negabimus: quoniam deliciæ eius, esse cum filijs hominum, atque adeò cum oue perdita, quæ diligentia, studioque pastoris recuperata est. Alia rursus ad visendum ægrotantem amicum, & necessarium instituitur: neque hanc Christo subtrahere debemus: nā ipse ceu infirmus ad nos infirmos venit, de quibus Propheta dixerat: *A planta pedis vsq; ad verticem, non est in eo sanitas:* & vt Christus de se professus est ipse: *Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus.* Postrema alia visitatio ad liberandum hominē à captiuitate suscipitur: qua ratione Moyses à Deo in Ægyptum missus est in symbolum Christi à Patre missi, vt mundum à captiuitate peccati, atque diaboli veri Pharaonis redimeret, iuxta illud: *Benedixisti Domine terram tuam, auertisti captiuitatem Iacob:* similique ratione ab Ezechiele venturus dicitur tanquam pastor, vt visitet dissipatum gregem suum. Et hoc est quod hic ait Zacharias: *Visitauit & fecit redemptionem*, id est, visitauit ad redemptionem faciendam.

> Quotuplex sit visitatio. Psalm. 16. Secunda visitandi ratio. Prouerb. 8. Luc. 15. Tertia. Isai. 1. Matth. 9. Quarta ac postrema visitandi ratio. Exod. 1. & sequent. Psalm. 84. Ezech. 34. & sequent.

Sed vt hoc mysterium redemptionis penitùs expendamus, inprimis cōsiderandum est, redemptionem, quod ad etymologiam suam attinet & Græcam, & Latinam, nihil aliud esse nisi liberationem a seruitute medio aliquo pretio; ex vsu verò Scripturæ sacræ liberationem dictam significat, etsi pretium non numeretur. Ex quo illud: *Ex vsura, & iniquitate redimet animas eorū;* & alibi: *Gratis venundati estis, & sine argento redimemini*, rursus: *De morte redimā eos*, item: *Redime me à calumnijs hominum, vt custodiam mandata tua.* Quandoque tamē seruatur ratio etymologiæ, ex quo illud in Prouerb. libro: *Quia zelus & furor viri nō parcet in die vindictæ, nec acquiescet cuiusquā precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima.* alibi quoque: *Pec*

> Redemptio propriè quid sit. Quomodo in scripturis accipiatur. Psalm. 71. Isai. 52. Osee 13. Psalm. 118. Prouerb. 6. Dan. 4.

cata tua eleemosynis redime, &c. Paulus etiam: *Empti enim estis pretio magno.* Et Petrus: *Scientes quod non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, & incontaminati.* Dicitur porrò redemptio, quoniam ratione creationis in Adam possessio Dei prima, & quasi emptio fuit: satis quippè emit rem, qui eam facit, atque ita redemptio, est iterata emptio. Quod ad rem verò attinet, in sacris literis duplex inuenitur redemptio, altera quidē animam à contracta seruitute subleuans, altera verò à cōtrahenda præseruans. Hinc Dauid: *Qui redemisti Dauid seruum tuum de gladio maligno: eripe me, & erue me de manu filiorum alienorum.* Vbi se semel redemptum à gladio Goliath, ad literam testatur: & redimi de manu alienorū à seruitute contrahenda postulat. Moyses quoque liberatum populum de seruitute misera Ægypti redemptum vocat. Redemptio rursus à seruitute contracta eripiens est etiam duplex: nam quædam est à temporaria seruitute in temporariam libertatē afferens, vt Ægypti illa & Babylonis fuit, & in Chanaan ab alijs circumstantibus hostibus. Et hæc licèt naturaliter per Deum, & homines fieri posset; diuinitùs tamen, ac supra naturā à Deo facta est, non tā propter se, quàm ob dispositionem, ac typum vnicæ spiritualis redemptionis exhibēdæ per Christum. Quædam verò est redemptio ab spiritali seruitute peccati, dæmonisque captiuitatem in spiritualem filiorum Dei libertatem vendicans: quæ intelligi non potest, nisi cognita prius, & à qua eripit, captiuitate, & libertate ad quam introducit, & pretio quo fit, & à quo, & cui, & quando, & quibus nobis instrumentis applicetur. Seruitus ergo filiorum Adæ, ex eo maximè conspicitur, quādo cum libertate, quam ante peccatum habuit, comparatur.

Vt autem status innocentiæ clarius intelligatur, tria principia vt certa, & explorata constituenda sunt. Primum, hominem ad cœlestem gloriam comparandam conditum fuisse. Secundum, Deum Opt. Max. à principio rectum hominē fecisse, & reliquisse illum in manu consilij sui, vt scriptura testatur: Postremum verò, hominem, antequā peccaret, punitum à Deo nō fuisse, cùm ratio doceat, pœnam non nisi culpæ deberi. Ante lapsum ergo Adam (& in eo nos omnes) rectus erat; ac proinde quod ad corpus spectat, primò erat immortalis. Testatur siquidē sapientia: *Deus creauit hominē inexterminabilem,* nempè ab alio, quā à se ipso in illo statu. Per vnum enim hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors. Erat enim corporis talis constitutio, atque eiusmodi cibis reparabatur, vt sine morte perpetuam & immortalitatē expectare posset: qualem cœlum habere quidā opinantur. Nam vt forma, & materia, sic & vincula, hoc est dispositiones indissolubiles sunt: & profectò absque hac immortalitate homo rectus non fuisset, sed potiùs quid monstrosum ac miserum. Secundò, immortalitatem cōsequebatur optima corporis temperatura, statura apta, & accommodata cum iusta proportione membrorum, calor, lux, quæ reddebant eum speciosum & aspectabilem, vigor præterea sensuum: Quæ omnia apertè arguebant hominem esse Dei opus, ipsius, & Angelorū manibus constitutum, & fictum: ideò admirabilis erat sensuum delectatio. Tertiò, aberat omnis ab eo fœditas, dolor, ægritudo, morbus, obtusio sensuum, atque externum quodcunque damnum, & omninò omnis quæ inferri posset iniuria. Quartò, membra omnia beneficio originalis iustitiæ, non solùm voluntati, sed etiam rationi parebant: quo rectè fiebat, vt nudi nō erubescerent. Nunc verò nec voluntati quidem ipsi obediunt: nam quæ verenda vocamus, & organa imaginationis, & memoriæ, viresque irascentis, ac concupiscentis animæ, vehementer contra rationem cogitant, atque appetunt. Quintò, admirabilis erat, & mirificè ordinata delectatio sensus, rebus paucissimis contenta: etenim sensus viuus erat, atque optimæ facultatis vnio erat cum optimo obiecto, non solum absque impedimento, sed etiam adiuuante superiorum animi virium portione: vt siue comederent, siue biberent, siue quicquam aliud facerent, omnia in gloriam Dei facerent. Vnde mulier dicitur vidisse lignum pulchrum visu, & ad vescendum suaue: quemadmodum gustatus quidam, atque sanctorum odores excellentissimi testificantur.

Quod ad spiritum verò attinet, homini inerat inprimis scientia principiorum omnium naturalium, atque omnium cōclusionum natura in eis cōtentarum, necnō ipsius idiomatis: quoniam homo ipse admirator est prouidentiæ diuinæ, & iudex mundi: secundùm Lactātium. Nouerat etiam animalium naturas, & proprietates omnes: vnde & illis nomina imposuit accommodata; & aliarum rerum, quarum cōstitutus est Dominus. Hanc naturalem cognitionem consequebatur naturalis, & ingenitus quidam amor Dei, ac sui, atque proximi, cum propensione ad hæc inferiora bona, & ad nul-

lum

Marginalia (left): 1. Cor. 6. — 1. Pet. 1. — Cur sic dicta redemptio. — Redemptio in scripturis duplex. — Psalm. 143. — 1. Reg. 17. — Deut. 6. & 9. & 13. & 21. — Redemptio rursus duplex. — Exod. 1. & seq. & 5. & sæpè infra. — 2. Paral. vlt. — 2. Esdr. 2. — I. Status innocentiæ describitur, & primò quantum ad corpus. — Genes. 1. — Eccl. 15. Homo cur conditus. — Eccl. 7. I. Conditio. — Sap. 2. Idem quemodo inexterminabilis.

Marginalia (right): Rom. 5. — II. Conditio status innocentiæ. — III. Conditio. — IV. Conditio. — V. Conditio. — 1. Cor. 10. & Coloss. 3. — Gen. 3. — Descriptio status innocentiæ quantum ad animam. I. Conditio. — Lactant. in epitome, c. 10. & sæpè aliàs. — Suprà 2. — suprà 1. — II. Conditio.

lum malum, etsi illa minimè obsistente, tamen posset peccare: quia quicquid finitum est deficere potest. Atque hoc primus homo ille obtinebat ex illa originali iustitia, quæ mentẽ Deo, ac propterea corpus menti subijciebat, aliter enim rectus esse nõ poterat. Quamobrem præcepto merè positiuo, & ex voluntate diuina potiùs, quàm ex ratione pendente probatus est: dæmonque non intra phantasiam illudebat, sed foris tantùm loquebatur. De quo sic ait Ecclesiasticus: *Consilium, & linguam, & oculos, & aures, & cor dedit illis excogitandi, & disciplina intellectus repleuit illos.* Tertiò, habuit dominium omnium animãtium: nam ob id conditus fuit, vt præesset volatilibus cœli, piscibus maris, & vniuersis bestijs terræ: sed maximè terrestri paradiso præfectus est: *Cõstituisti*, ait Dauid, *eum super opera manuum tuarum.* Omnium quippe vsum legitimum nouerat, ideò subdit: *Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues, & boues vniuersas*, & reliqua. Quartò, erat in eo etiam scientia, & virtus infusa, de qua Salomon ibidem testatur: *Creauit illis scientiam spiritus, sensu impleuit cor illorum.* Et infra: *Addidit illis disciplinam, & legem vitæ hæreditauit illos.* Quare meritò Lucas, Adam filium Dei vocat, cùm ait de illo: *Qui fuit Dei:* nam aliàs casu homines essent destinati ad gloriam propter peccatum, & non ex primaria Dei voluntate, ac prouidentia, vt egregiè Paulus ad Romanos interpretatur: *Quod si delictum illorũ diuitiæ sunt mundi, & diminutio eorũ diuitiæ gentium: quantò magis plenitudo eorum?* Id est, si Iudæi peccantes occasionem præbuerunt Apostolis, vt ad gẽtes diuerterent, illasque ad Christũ adducerent: quantò magis id accidisset Iudæis ipsis primis Messiam fide complectentibus? Simili ratione propemodum licet argumentari: Si post Adæ peccatum, & præuaricationem, Christo autore, ad gratiam eius instaurati sumus, & ad vitam æternam assequendam destinati: multò magis stante Adam, obedientiamque Domino Deo, vt par erat, præstante, & ille primus, & nos in eo addicti atque destinati fuissemus ad gloriam: gratiam Dei ergo, atq; eam quidẽ cumulatam habuit. Postremò erat per gratuita hæc Dei Opt. Max. dona hæres gloriæ cœlestis, cõciuis sanctorum, ac domesticus Dei, à tyrannide dæmonis omninò liber: vnde & dona huiusmodi omnia in cœlo erant perficienda. Et in hunc sensum intelligo verba Ecclesiastici de illis dicta, nempe: *Testamentum æternũ constituit cum illis, & iustitiam, & iudicia sua ostendit illis.*

Infra 2. & 3. — Eccles. 17. — III. Conditio. — Gen. 1. — Infra 2. — Psalm. 8. — Hebr. 2. & alibi. — IV. Conditio status innocentiæ. — Eccl. 17. — Luc. 3. — Rom. 11. — V. & vltima conditio. — Eccl. 17.

Adæ iam casus miserabilis describitur.

Cùm ergo animi tanta æquitate, atque iustitia polleret Adam, atque cùm ex animo, & corpore simul ac spiritu constaret, infinitis se implicuit quæstionibus, incurritque captiuitatem, qua dictis muneribus dispoliatus, quæ verè ingenuum, ac liberum illum reddebant, contrariorum malorum factus est seruus, atque mancipium. Ergo ex filio misericordiæ Dei atque hærede, perpetuus terrestris paradisi exul effectus est, iustitiæque diuinæ vindici addictus, & obnoxius. Seruus quoque est dæmonis constitutus, qui vt natura superior, & fraudulenta persuasione victor euaserat, nos hîc, & intus, & foris vexare potest, atque affligere: id quod olim non valebat, sed ob peccatum permissum est illi in nos quasi porcos sæuire, ac per varias obscœnas sordidasque appetitiones nos præcipitare. Atque hæc est durissima, & miserrima seruitus, licèt interim dum sensibilem delectationem captamus, non animaduertamus ad eum miserè cruciantem nos, & hostiliter insectantem: quemadmodum Saul dum à spiritu malo corriperetur, Dauidemque citharam pulsantem audiret, eius pulsu suauissimo delinitus, minus dęmonis tormenta sentiebat. At esto, ille non vexet, nihil aliud superesset nobis quàm infernus: vt ægroto ex corpore, & mœsto animo, ac tristi licet colligere. Secundò, priuatus est doctrina, & virtute cœlitùs infusis, iræque filius (vt cæteri omnes) effectus: ac proinde in odio Dei, & macula obscurante, & fœdante animam, atque in æterno pœnæ reatu constitutus. Tertiò, scientia naturali videtur omninò debilitatus, quia mansit (vt Philosophus testatur) tanquam tabula rasa, in qua nihil est scriptum, vel depictum: & perpauca, atque illa quidem humana, & cum labore potest discere, vt Ecclesiastes scripsit: *Cunctæ res difficiles: nõ potest eas homo explicare sermone. Non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur*, de Deo autem non nisi quædam suspicari potiùs valet, quàm scire. Ideò temere ausi sunt definire Philosophi Dei prorsus abstrusa consilia, atque reconditas cogitationes, qui nec ea perfectè quæ antè pedes posita erant, valebant comprehendere: quemadmodum B. Petrus apud Clementem asserit, & Paulus etiam ait: *Quis hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est?* Quomodo ergo quæ sunt Dei, sine spiritu Dei comprehenderent illi, de quibus scriptum est: *Homo cùm in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis?* Quartò, spiritus bona illa propensione ad Deum nudatus est, irascendique vis infirma remansit: concupiscendi verò, ad carnis delicias, & voluptates prona. Ex quo factum est, vt ne-

Eccl. 7. — I. Conditio. — Matth. 8. — 1. Reg. 16. — II. Conditio. — Ephes. 2. — III. Conditio. — Arist. lib. 3. de anima, tom. 2. — Eccl. 1. — Philosophi quam temerè diuina suis cogitationibus definire tentauerint. — Clem. Rom. in lib. recognit. — 1. Cor. 2. — Ibidem. — Psalm. 48. — IV. Conditio. — Ephes. 5.

vt nemo carnem suam oderit, sed nutriat, ac foueat eam, adeò, vt dicat quiuis cum Paulo: *Velle adiacet mihi, perficere autem bonum, nō inuenio. Non enim quod volo bonum, hoc ago: sed quod nolo malum, hoc ago.* Et cum Dauide: *Delicta iuuentutis meæ, & ignorātias meas ne memineris.* Quintò, omnium rerum, quas posidebat, dominio priuatus est, quo factū est, vt omnia in hominem contendant, & machinentur, rebellionemque, qua ipse à Deo defecit, quodāmodò plectant: Cum que omnia, vt dixi, in hominem insurgant: nihil tamē magis quàm homo ipse: actumque planè iam esset de homine, nisi diuinæ misericordiæ, quasi fræno creaturæ coercerentur: quo relaxato, omnia armantur contra eum. Ex quo fames, morbi, bella, pestes, & his similia, in miserum hominem insurgunt: quare seruire cogitur homo suæ nuditati, ignorantiæ, blandæ, ac malæ voluptati, atque omni creaturæ. Sextò, spoliatus est pura, & integra sensus delectatione, quam modò nō nisi impuram, & myrrhæ admixtam assequi potest: cui tamen seruit, ab eaque (proh dolor) vehementer rapitur Septimò, membra, atque facultates corporis organis affixæ, nequaquam rationi seruiunt, nec parent, sed potiùs eius vsum impediunt: ita vt Paulus queratur, & exclamet: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati quæ est in membris meis. Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? &c.* Quod incredibile sanè tædium, atque vilissimum hominis seruitium arguit. Octauò, caret illa recta corporis temperatura, subiectusque est fœditati, morbo, imbecillitati, atque dolori, postremò moriendi necessitate constrictus summa cum formidine, metuque coniuncta: nam omnium terribilium terribilissimum mors est. Atque hactenus quidem seruitutem quā peccato incurrimus, & quæ illum consequuntur miserias, malaque descripsimus. Ab hac ergo seruitute liberamur.

Rom. 7.
Psalm. 24.
V. Conditio.
VI. Conditio. humanæ vitæ status post peccatum.
VII. Conditio.
Rom. 7.
VIII. Cōditio.
Philosophus lib 3. ethicor. cap. 6. tom. 3. in princ.

Vbi considerāda est efficiens causa redemptionis: deinde forma ipsius redēptionis; pretium eius atque instrumenta; tempus quo peracta est; denique finis, ad quem est instituta. Redemptor igitur potest dici Deus Pater, qui Filium suum vnigenitum misit in hunc mundum, iuxta illud testimonium Prophetæ: *Redemptionem misit Dominus populo suo:* hoc est, Filium redimentem populum. Deinde, filius verus est, ac perfectus redemptor: *Qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos* (Paulo teste) *redimeret ab omni iniquitate.* Qui, vt Deus est, efficienter; vt homo verè est, per modum instrumenti, ac meriti, & satisfactionis, tum etiam per viam sacrificii operatus est salutem in medio terræ. Additur autem Patri, ac Filio Spiritus sanctus quoniam quemadmodum Christum in desertum impulit, ita & in crucem similiter egit, de quo Apostolus: *Qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo.* Habes redemptorem Patrem, redemptorem Filium, redemptorem & Spiritum sanctum: quamquā peculiari ac magis propria ratione hic titulus soli filio incarnato conueniat. De quo Isaias: *Hæc dicit Dominus redemptor tuus,* & reliqua: de quo Iob: *Scio,* inquit, *quod redemptor meus viuit.* Et Stephanus: *Hunc Deus principem & redemptorem misit,* scilicet Moysen: *in typum Christi.*

Quænam efficiens sit causa nostræ redemptionis.
Ioan. 3.
Psalm. 110.
Tit. 2.
Psalm. 73.
Matth. 4.
Hebr. 9.
Filio Dei Incarnato scriptura peculiari ratione nomen Redemptoris accommodat.
Isai. 44.
Iob. 19.
Actor. 7.
Exod. 3. & seq.

Quod attinet ad formam redemptio includit infusam Dei gratiam, & reuelatam doctrinam, qua quidem à culpa peccati, dæmonisque seruitute in anima pro nutu suo dominantis, ideoque à reatu æterni supplicij in gehenna ignis, atque à sententia diuinæ iustitiæ scelerum vindicis, clementi Dei bonitate liberamur, regnique cœlestis per arrhabonem sancti Spiritus acceptū efficimur hęredes: quamobrem Deum nobis reconciliatum, placatum, propitium, atque parentem nos sibi in filios adoptantē redditum, scripturæ vbique clamant atq; prædicant. Hinc illæ magnificæ Pauli voces: *Gratificauit nos in dilecto filio suo. In quo habemus redemptionem per sanguinem eius (remissionem peccatorum) secundùm diuitias gratiæ eius, quæ superabundauit in nobis, &c. In quo & credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ, in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriæ ipsius.* Et rursus: *Nolite contristare Spiritum sanctū Dei, in quo signati estis in die redemptionis.* Et Propheta: *Quia apud Dominū misericordia, & copiosa apud eum redemptio,* subditque: *Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus eius.* Ex gratia ergo Dei primò quidem consequitur liberatio à dæmone, & peccati seruitute, deinde ab ignoratione eorum, quæ necessaria sunt ad salutem, illustratio. Naturalis cognitio autem perficitur, & ad ea quę fidei sunt, explicanda, atque ab Hæreticis defendenda, & tuenda, diuinitùs illustrata, mirificè inseruit, ita vt Propheta dixerit: *Repleta est terra scientia Domini, sicut aquæ maris operientis:* nimirùm de tempore Messiæ prophetans. Non tamen in totum, ac penitùs extinguitur, nec tollitur ignoratio, prudentiaue carnis dum viuimus Tertiò, libertas cōsequitur à praua, & peruersa spiritus inclinatione, quæ magna ex parte per gratiam Dei vel aboletur, vel reprimitur: ita vt scribat Apostolus: *Viuo ego, iam non ego, viuit verò*

Quæ forma sit huius redemptionis.
Ephes. 1.
Infrà 4.
Psalm. 129.
Quotuplex spiritus nostri à seruitute per Christum sit facta redemptio.
I. & II. Libertas.
Isai. 11.
III. Libertas, redemptio seu Christiana.
Gal. 3.

in me

ſentiens, quã pro nobis poſuit: ſiue denique totus ipſe Chriſtus, qui ſemetipſum pro nobis Patri obtulit. Paulì enim vox eſt: *Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei, & hominum, homo Chriſtus Ieſus: qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus:* ſiue, vt Græcè habetur ἀντίλυτρον, quæ propriè ſignificat pretiũ pro redemptione penſum. Quemadmodũ autem Chriſti ſanguis in Cruce fuſus eſt in redemptionem peccatorum, ita in propitiatorio Euchariſtiæ ſacrificio quotidie ſanguis ille idẽ effuſus commemoratur, atque Deo offertur. Quod verò ſpectat ad inſtrumenta, dicendum eſt, varijs modis redemptionẽ à Chriſto peractã nobis applicari, cùm fide, tum bonis operibus, atque adeò Sacramentis ipſis, quę propriè vaſa redemptionis Chriſti dici poſſunt, eiusq; merita continent, & virtutẽ. Et quatenus quidem ad præſentem vitã attinet, initium redemptionis remiſsione peccatorũ fit, quæ per duo Sacramenta præcipuè in Nouo Teſtamento perficitur, per baptiſmũ nempè, & pœnitentiam. Nam primo quidẽ Sacramento à peccatis omnibus, in quæ delicto Adæ prolapſi ſumus, in virtute ſanguinis Chriſti in cruce fuſi liberamur: à reliquis verò criminib⁹ atq; delictis mortiferis, quę poſt baptiſmum cõtraximus, Sacramento pœnitentiæ tanquam vnico, & ſingulari remedio (quod à ſacrificio Euchariſtiæ expiante, Chriſtique ſanguinem Deo per ſacerdotem oblatum continenti, vim omnẽ ſuam atque efficaciam mutuatur) liberamur, atq; expiamur. Quamquã ſanguis Chriſti in altari per ſacerdotes Deo oblatus, vim omnem expiandi peccata ab ipſo Chriſto, ſanguinem illum pretioſum ſponte pro nobis in cruce fundẽte, accipiat. Quo quidem per baptiſmum applicato, omnia veteris Teſtamenti delicta, id eſt, quæ ante Chriſtum dono fidei cognitum, perpetrata ſunt, ſiue ſint originis, ſiue vitio perſonæ contracta, aqua ſalutari Baptiſmi eluuntur, delenturq; penitus: cętera verò omnia peccata, quę Noui Teſtamenti dici poſſunt, videlicet quòd à baptiſmo ſuſcepto, & Chriſto fide accepto admittantur, eodẽ Chriſti ſanguine in ara oblato per pœnitentiæ Sacramentum operante, remittuntur. Atque vt hęc peccata poſt baptiſmũ poſſunt iterari, ita & oblatio illius ſanguinis per ſacerdotes frequenter repetitur, Sacramentumque pœnitentiæ, quo applicatur, iterari poteſt, ſicut ad expiationẽ antiqui criminis ſemel tantùm per Chriſtum in Cruce oblatus eſt ſanguis: & Sacramentum Baptiſmatis, quo proximè agit, iterari nequit: quanquam, vt diximus, & libenter repetimus, omnis expiandorum criminium vis & virtus, quam Sacramentum continet Euchariſtiæ, nõ nouo merito aliquo, verùm antiquo illo, quod ſanguinẽ fudit in cruce, comparatur. Modus tamẽ applicandæ huius virtutis varius eſt, ſapientiaque Dei mirificè conueniens.

1. Pet. 1. *1. Tim. 2.* *Matth. 26.* *Luc. 22. & 1. Cor. 11. & ſeq.*

Redemptionis inſtrumenta.

Baptiſmus & pœnitentia, quã præſtent libertatem, ac redemptionem. *Gen. 3.*

Hoſtia incruenta, vnde vim ſuam omnem mutuetur.

Baptiſmi, & pœnitentiæ in quo differant Sacramenta.

Quod quò magis, prudens Lector, intelligas, animaduerte, inter multas captiuitates populi Dei fuiſſe celebres, ac inſignes duas: alteram quidem, in qua filij Iſraëlitæ captiui in Ægypto detenti ſunt, in quã non quidem in ipſiſmet, ſed in patre ſuo Iacob deſcenderunt, ſed ab illa liberati ſunt illorum poſteri per ſe ipſos: alteram, qua captiui ducti ſunt in Babylonem, in quã ſine parente ſuo, à natali ſolo Hieruſalem vi abducti ſunt, atque ijdẽ illi in liberatione ab illa captiuitate, magna ex parte redierunt: nã multi delectati, & capti Babyloniorum hominũ conſuetudine, ædificantesque domos, & plantantes vineas atque oliueta, reuerti cùm liceret ad proprium ſolum, noluerunt, vt ex ſcripturis egregiè Lyranus probat. In hac duplici captiuitate depictũ eſt atque repręſentatum duplex peccatum, quo miſerè captiuamur, ac inuoluimur: alterum quidẽ Adæ delictum eſt, quod originale appellatur, quod nequaquam à nobis ipſis, ſed in ipſa origine noſtra, & capite noſtro, Adam ſcilicet omnium noſtrũ parente perpetrauimus: alterum verò eſt peccatum perſonale, quod quiſque ſua voluntate atque actione cõmittit. Liberatio ergo à priori peccato quod originale diximus, in liberatione ab Ægypto delineata eſt. Namque vt ab illa quiſque liberatus eſt per ſeipſum, quàm in patre ſuo in Ægyptum deſcendente, & non per ſemetipſum incurrit: ad eum propè modum in primæuo illo & antiquo delicto à nobis ipſis, Chriſti beneficio in baptiſmo liberamur: quod tamẽ non per nos, ſed in Adam primo parente noſtro admiſimus. Redemptio verò à perſonali delicto, mirificè eſt adumbrata in eductione populi de captiuitate Babel. Quemadmodum enim ab illa ipſi illi, qui ducti fuerant in Babylonem, non niſi propria ſponte reuerterunt: ſic ſanè à peccato huiuſmodi, quod propria ſponte, & liberè cõmiſimus, nõ eripimur, niſi noſtra ipſorũ voluntate pœnitentiam egerimus, atq; niſi Sacramento confeſsionis beneficium abſolutionis ſuſcipiamus. Etſi non deſint permulti, qui mundi huius delicijs capti, & voluptatib. carnis ineſcati, cœleſti patriæ nuncium remiſerunt, cœleſtibus bonis renunciantes: quibus maximè ſimiles ſunt ij, qui è Babylone reuerti noluerunt. Sed manent in perpetua confuſione, & tenebris ignorantiæ.

Duplex Iudæorũ captiuitas.

Gen. 46. & ſequent. *Actor. 7.* *4. Reg. 25. & ſeq. & alibi.*

Lyranus in Eſd. cap. 1.

Ambæ captiuitates illæ quid adumbrauerint.

Exod. 14. & ſeq.

Qualis ab originali peccato, qualis verò à perſonali ſit noſtra redemptio.

Terrenorum potiùs, quam cœleſtium honorũ amatores in quibus præfigurati.

rant à pprauis suis affectionibus victi, verberati, & puncti à cōscientia, crudelium que tyrannorum, nempe dæmonum suggestionibus excruciati; vilissimo siliquarū cibo, id est terrena & fœda sensus voluptate alti, nec tamē saturati, laboribus magnis, ac difficillimis, tum corporis, tū animi implicati: omni deniq; honore, puraque consolatione, atq; veris delicijs expoliati. Hac itaque ratione redemptio applicatur in hac vita, in futura verò ad resurrectionē corporum ministrabunt Angeli, congregando electos à quatuor ventis. Nec enim decuit, vt statim à Christo corporis libertatem, & spiritus consequeremur: sed vt paulatim, & gradibus quibusdā ad illam perueniremus: tum vt Christum in Cruce ferenda imitemur, tum vt humiliati ac depressi æternam magis exaltationē promereamur: tum denique quoniam pactum nouum in Christo durius illo Adæ (quo scilicet à delicijs ad delicias, & à terrestri ad cœlestem paradisum ascendebatur) esse debuit.

Luc. 15.

Matth. 24.

Redemptionem corporis nostri cur nisi in fine seculi simus habituri.

De tempore verò, dicendum est Christum quòd ad se attinebat, & ratione cuiusdā virtutis, & capacitatis nostræ in cruciatibus, & morte sua, in qua sanguinem pro nobis copiosum effudit in genere, & tanquam causam vniuersalem, operatum fuisse redemptionem, Deumque obedientiam eius pro nobis credituris, quos in spiritu suo cōtinebat, acceptasse; quo pacto Adam inobediens omnes nos secundùm corpulentam substantiam & secundā seminariam rationem continebat. Hæc ergo redemptio vnico die peracta fuit, quatenus ad eam spectat, de qua Zachar. 3. c. vaticinatus est: *Ecce ego cælabo*, inquit, *sculpturam eius, ait Dominus exercituum, & auferam iniquitatē terræ illius in die vna.* Quod ad nos verò pertinet, ea vt plurimùm fit, cū fide, & Sacramento, vel etiam sine illo (vbi accipere Sacramentum nō vacat) gratiam cū virtutibus Theologicis coniunctā accipimus, atque ita quidē dies iustificationis nostræ, inchoatæ redemptionis nostræ dies est. Porro dies futuræ beatitudinis nostræ dies completæ atque perfectæ redemptionis est: qua de perfecta redemptione loquitur Oseas, dicens: *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: Ero mors tua ô mors, morsus tuus ero inferne.* Atque ita, quemadmodum iustitia redimimur Christi, per eamque soluitur pretium nostræ liberationis: sic per iustitiam nostrā inhærentem quam vocat, à peccato, ac eius tenebris actu eruimur: vt meritò Isaias dixerit: *Dedi te in fœdus populi, vt suscitares terram, & possideres hæreditates dissipatas: vt diceres his qui vincti sunt; exite: & his qui in tenebris; reuelamini.* Videtur enim metaphoricè describere peccatorem tenebroso carcere cōclusum, ita vt dum liberatur, exire, ac, veluti in lucem venire dicatur. Dicitur autē de præterito redemptionem fecisse, quia Prophetis moris fuit futura per præteritū tempus enunciare, ob eorū, quæ dicuntur, certissimum euentum, qua ratione multi antiqui vates idē præcinuerunt, ita enim dixit David: *Redemptionem misit Deus populo suo.* Et alibi: *Dicant qui redempti sunt à Domino, quos redimit de manu inimici.* Alibi, quoque inuitat ad noua cantica ob hāc ipsam causam: *Cantate*, inquit, *Domino canticum nouum, quia mirabilia fecit. Saluauit sibi dextera eius, & brachium sanctum eius. Notum fecit Dominus salutare suum: in conspectu gentium reuelauit iustitiam suam*; & : *Viderunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.* Si ergo Propheta gratulatur, & gaudet, quasi ea iam facta sint, quæ duce Spiritu sancto agnouerat multis post seculis facienda esse, quid mirum si Zacharias iam concepto redemptore, & redemptionem quasi pro foribus cernens, dixerit: *Quia fecit redemptionem plebis suæ?* Nunc autem cum Hæretici ita argumentātur, Christus operatus est redemptionem nostram; reconciliauit nos Patri: *Lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo*: ergo reconciliati sumus; redempti sumus; mundati sumus à peccatis nostris: nullo alio nobis est opus: Profectò volētes, ac scientes insaniunt, nolentes intelligere nos redemptos esse à peccato, vt serui iustitiæ efficiamur, & vt ait Paulus: *Redemit nos ab omni iniquitate: vt mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Vt enim rectè non colliges, per Christum redempti sumus, ergo fide nō est opus ad iustitiam, vel ad salutem. Sic sanè malè ratiocinatur, quia redemptione à Christo facta infert: ergo non est opus recipere Sacramenta: ergo non est diuinæ legi obtemperandum. Nam vt fidem à redemptis à se exigit, ita Sacramentorum susceptionem, decem mandatorū obseruationem, virtutum omnium exercitium, ac maximè patientiam in cruce sua ad eius exemplum imitationē perferenda sæpè efflagitat. Dicimus itaq; Christum fecisse redemptionem, & vno die abstulisse peccata totius mundi, iuxta Zachariæ vaticinium, hoc est, expiari, remittique potuisse peccata per mortem suam. Et ita tanquam generalis causa, ac meritum quoddam vniuersale nostræ redemptionis sanguis Christi in cruce ex obedientia profusus, existit. Huic autem vniuersæ causæ, adiungendæ sunt causæ singulæ fructum mortis Christi nobis applicantes. Quod vt ex parte per fidem fit, multò

Quando redemerit nos Christus.

Genes. 3.

Zachar. 3.

Imperfectæ primò, deinde perfectæ quæ dies redemptionis nostræ.

Osee 13. & 1. Cor. 15.

Quales nondum à Christo redempti esse-mus teste Propheta.

Isai. 49.

Dominus Deus cur dicatur fecisse, non facere, aut facturus redemptionem.

Psalm. 110.

Psalm. 106.

Psalm. 97.

Ibidem.

Hoc sophisma Hæreticorum: Christus nos redimit, proq; nobis Patri satisfecit, nihil ergo à nobis exigitur, quàm leue.

Rom. 8.

Apoc. 1.

Rom. 6.

Titum 2.

Qualis haec argutatio.

Domino ac Redemptori quid debeant redempti.

Philip. 2.

Quemadmodum Christi redemptio nobis applicetur.

multò magis per Sacramentorum venerabilem susceptionem, per obedientiam cultumque diuinæ legis, tum denique per reliqua virtutum officia, quibus indies virtutem mortis Christi nobis applicamus atque communicamus.

Idem Christus fecit redemptionem dupliciter.

Fecit autem redemptionem tum à peccato contracto subleuando, tùm à futuro, & contrahendo seruando: atque hoc genus redemptionis eximium est, & excellentissimum iustis omnibus, perinde ac illud plus omnibus peccatoribus necessarium Receptaculū verò capax huius redemptionis est plebs Dei, de qua Zacharias dixit: *Plebis suæ.* Vbi notandum in primis, Græcè legi in dādi casu, τῷ λαῷ. Et sic pleraque vetusta Latina exemplaria habent: *Plebi suæ,* quamquam vsu iam ex dandi, factus sit gignendi casus. Est autem plebs Dei populus

Plebs Dei quæ redempta.

Iudæus fide non ficta Messiam regem confitens, ratione executionis gratiæ, vel gloriæ: Christus enim omnium Rex, atq; Redemptor existit: nec enim alioqui absque eius meritis omnibus, etiam paruulis, adiumenta saluti necessaria conferrentur. Et

Deus quos eligere dignetur.

quidem vocat Christianos plebem, quæ ima, & contemptui esse solet: at nouum nō est Deum contemptibilia, & ea, quæ non sunt, eligere, vt cōfundat fortia. Neque verò Constantinus ille Magnus insitus Christo fuisset, illique adhæsisset, nisi se Christo submisisset, & quasi vnum aliquem de plebe communi se illi credulum præstitisset, & obsequentem. Sic enim alibi Christus dixit: *Vocabis nomē eius Iesum: Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Hæc autem plebs redempta vocatur alio in loco à Paulo, populus peculiaris, siue acceptabilis, sectator bonorum operum: & à B. Petro, populus acquisitionis, id est, populus Christi sanguine redemptus: à Paulo etiam in Actis, Ecclesia dicitur, quam acquisiuit sanguine suo; & alijs plerisque gloriosis titulis in Scriptura decorantur, qui redemptionis Christi participes sunt effecti. Namque dicitur in Apocalypsi: *Dignus es Domine, accipere librum, & aperire signacula eius: quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & fecisti nos Deo nostro regnum, & sacerdotes.*

1. Cor. 1.

Matth. 1.

Plebem à Domino redemptam, Apostolorum principes quàm honorificè cōpellent.

Ad Titum 2.

1. Pet. 2. & Exod. 19., Actor. 20. Apoc. 5.

Finis redemptionis Christi.

Postremò, finis redemptionis huius proximus est, omnis pœnæ atque molestiæ absorptio, completaque nostra, tū corpore tum anima, spirituque felicitas: vltimus verò finis est atque potissimus perfectio creaturarū ratione præditarum, quas Deus ad hanc felicitatem prædestinauit, atque opera hostis Sathanæ generis humani impeditas, fraudulenterque abalienatas, ad finem hunc præstantissimum perduxit: vt ita vera sit sententia Salomonis: *Sapientia vincit malitiam.* Sic enim illustratur Dei gloria, & potestas, vt habeat multos ministros in regno suo, qui in perpetuum eius laudes, præconia, misericordiasque decantent. In quorum numero, vt nos pro sua clementia, & benignitate adscribere velit, demus operam, vt tantum Redemptorem gratis animis agnoscamus, eius verbis, & monitis auscultemus, legemque eius, atque mandata custodiamus, præstante eodem Redemptore, & Saluatore nostro Christo Iesu: cui cum Patre, & Spiritu sancto deferatur omnis laus, gloria, honor, & imperium, in sempiterna sæcula, Amen.

Sap. 7. vt passim à patribus citatur.

Gloriam Dei & nomē quid illustret.

TRACTATVS XIX.

In illa verba: *Et erexit cornu salutis nobis, in domo Dauid pueri sui: Sicut locutus est per os sanctorum, qui à sæculo sunt Prophetarum eius.*

Luc. cap. 1.

CVM DeumOpt. Maximum ornauerit Zacharias magnis laudibus, propter beneficium visitationis, & redemptionis factæ; declarat eiusmodi munera non nisi per Christum, & in Christo mundo impensa fuisse, cùm ait: *Et erexit cornu salutis nobis.* Quo loco in primis coniunctio, &, bifariam accipi potest: vel vt sit explicatio maior dictorum, pro, id est, erexit. Vel secundò, vt reddat causam, vt sępè more Hebręo vsurpatur, & talis esset sensus: Quia erexit cornu. Est enim vel expositio visitationis, vel causa, erexit, siue excitauit cornu salutis, vt alij volunt. Cùm Hebræa lingua sit omnium vetustissima linguarum, formulas quasdam loquendi habet, quæ nunc apud alias linguas, non sunt in vsu; qui modi dicendi nisi intelligātur, magnoperè impediunt sacrarum literarum sensum & intelligentiam. Cornu igitur, propriè pars est quorundā brutorum animantium, solida & fortis ab excrementis neruorum, tanquam à propria materia in eorū capite generata: quemadmodū ex eisdē excrementis dentes, vngues, crusta, & pili procreantur. Estque hęc pars animalis in capite eminens, atq; robusta, qua se animal tueatur, & cùm opus sit, offendat, gloriaque est, & ornamentū ipsius animalis, quatenus gloriatur de fortitudine & robore, atque eo honestatur: quemadmodum quibus cornua natura sua non competunt animalia, illis afficiuntur

Illud: & erexit cornu salutis nobis: dupliciter ad literā accipitur.

Hebraismorū cognitio perutilis.

Cornu quid. Cur datum à natura.

Lactant. lib. de Opificio. dehoneſtantur, vt ait Lactantius. Per metaphoram ergo huius vocis multa ſignificantur, vt docet B. Baſilius in Pſalm. 28. *Baſil. tom. 1.* Quoniam enim cornu extrema pars animalis eſt, *Extremitates nomine cornuum cur veniant.* rectè quod extremum eſt, cornu appellatur. Hinc cornua altaris in Scripturis leguntur: *Conſtituit*, inquit, *diem ſolennem in condenſis* (hoc eſt, crebris victimis) *vſque ad cornu altaris.* *Pſalm. 117.* Ita extrema pars, ſeu ala exercitus cornu dicitur. Erat enim in exercitu dextrum cornu, & ſiniſtrum, & qui inter illa cornua erant, media acies dicebatur, de quibus in libris Machabæorum interdum fit mentio. *Quibus rebus alijs aptetur hæc metaphora.* Simili ratione Poëta, extrema Antennarum, vocauit cornua. Ait enim: *Cornua velatarum obuertimus Antennarum.* *Virg. lib. 3. Æneid.* Mons quoque, quòd altus ſit & firmus, dicitur cornu, iuxta illud Iſaiæ: *Vinea facta eſt dilecto meo in cornu filio olei:* *Iſai. 5.* *Quid illud Iſaiæ: Vinea facta eſt dilecto in cornu filio olei.* id eſt, in loco edito, ſiue montoſo, & pingui. In quibus verbis ſubeſt duplex metaphora, altera, vt cornu ponatur pro eminentia ſitus; & locum pinguem vocet filium olei. *Exod. 3. & alibi paſſim.* *3. Reg. 22. & alibi.* Erat ſiquidem terra promiſſionis, montoſa, ac fertilis, nimirùm quæ lacte, & melle flueret. Cornua etiam ferrea Sedechiæ, hoc eſt, eis ſimilia, legimus in ſcripturis, quæ, vt imago Petri, Petrus dicitur, eodē modo & illa cornua, quòd ad ſimilitudinē cornuum eſſent effigiata, quēadmodū Moyſis & illa deſcendētis de monte, *Exod. 34. & 2. Cor. 3.* ob quæ glorioſus atque timendus erat: hinc cornu gloriam ſignificat. *II. Significatus cornu.* Deinde propter ſimilitudinem in proprietatibus fortitudinis, eminentiæ, & gloriæ, robur, & gloria, & proſperitas cuiuſque appellatur cornu, iuxta illud: *Nolite extollere in altum cornu veſtrum:* *Pſalm. 74.* id eſt, Nolite iactare veſtrā potentiam & gloriam; rurſus: *Et omnia cornua peccatorū confringam, & exaltabuntur cornua iuſti.* *Ibidem.* Cornua quippe peccatorū ſunt fortitudo, *Cornua peccatorum. Bonorum item cornua quæ nam ſint.* prudentia carnis, & diuitiæ, quibus illi abutentes, bonos feriunt, debileſque deijciunt. Contra verò, bonorum cornua ſunt virtutum infuſarum à Deo chorus, & comitatus, quo illi dæmones, & improbos ventilare ſolent. Item alibi: *In te inimicos noſtros ventilabimus cornu.* *Pſalm. 43.* Et Anna mater Samuelis: *1. Reg. 2.* *Exultauit cor meum in Domino, & exaltatum eſt cornu meum in Deo meo.* Et infra in eodem cantico: *Dabit imperium Regi ſuo, & ſublimabit cornu* (id eſt, potentia, & gloria) *Chriſti ſui.* In lib. 1. cap. 2. Machab. dicitur: *1. Machab. 2.* *Et obtinuerunt legem de manibus Gentium, & de manibus Regum; & non dederunt cornu peccatori:* videlicet palmā, ſiue victoriam. *III. Significatus cornu.* Tertiò, ob ſimilitudinē transfertur ad perſonas excellentes, vel ad Angelos. Vnde Apoc. 5. *Apoc. 1.* *Habentem cornua ſeptem, & oculos ſeptem: qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei, miſſi in omnem terram*, ſic dicti, quoniam alti, potentes, glorioſi, cæ nemque ſuperantes. Simili ratione transfertur ad Reges, *Reges triplici ratione appellantur cornua.* quos ex cornu olei inungi apud Hebræos mos erat, vt cōſtat de Saule, *1. Reg. 10.* & Dauide inunctis à Samuele. *Infra 16. & 2. Reg. 2. & 5.* Apud Dan. enim cap. 7. ſic eſt ſcriptum: *Porrò cornua decem ipſius Regni decem Reges erunt.* *Daniel. 7.* Et Apoc. 17. *Apoc. 17.* *Et decem cornua quæ vidiſti, decem Reges ſunt.* *1. Reg. 9.* Rex enim eminere debet ſuper alios vt Saul, qui ab humero, & ſurſum eminebat ſuper oēs filios Iſraël. Rex inſuper, vt forte propugnaculum pugnare debet pro ſuis tuendis: vnde petebant Iſraelitæ Regem, dicentes: *Rex erit ſuper nos, & erimus nos ſicut omnes gētes, & iudicabit nos Rex noſter, & egredietur ante nos, & pugnabit bella noſtra pro nobis.* *Supra 8.* Poſtremò, Rex gloria eſt, & decus regni ſui, quare ſcriptū eſt: *Beata terra, cuius Rex eſt nobilis.* *Eccleſ. 10.* Aptiſſimè autem iſthæc metaphora, cornu, conuenit Chriſto, *Chriſtus quā rectè appellatur cornu.* quia gloria eſt & ornamentū mundi, iuxta illud *Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſraël.* *Luc. 2.* Eminentiſſimus eſt, & ſuper omnes; qui de cœlo deſcendit: & qui virtus, & filius Altiſſimi vocatur. Omnem etiam carnē longè ſuperat: fuitque fortiſſimus, qui fortem illū ſpoliauit, *Luc. 11.* & qui fortitudine ſua principem mundi huius foras eiecit. *Ioan. 10.* Noſtra etiam prælia ipſe pro nobis geſſit, acriterque bellauit, atque glorioſum de hoſtibus ſuis, & noſtris triumphum reportauit. De cuius armis loquens Propheta, ſic ait: *Cornua in manibus eius:* *Habac. 3.* explicans verò qualia cornua, ſubdit: *Cornua in manibus Chriſti iuxta Prophetam quænam ſint.* *Ibi abſcondita eſt fortitudo eius.* Quid, inquam eſt, cornua in manibus eius, niſi quod alio in loco dicit: *Poſuiſti vt arcum æreum brachia mea?* *Pſalm. 17.* *& quales fuerint hoſtes proſtrati Chriſti manibus*, ſubiungit: *Ante faciem eius ibit mors, & egredietur diabolus ante pedes eius.* *Habac. 3.* In primo enim aduentu ſuo diabolum expugnauit, debilitauitque: in ſecundo autem, mortem proſtraturus eſt, vt Apoſtolus teſtatur: *Nouiſſimè autem inimica deſtruetur mors.* *1. Cor. 15.* Quæ propterea dicitur ante faciem Chriſti fugere; *Ante faciem Chriſti ire mors cur dicatur.* quod per reſurrectionem omnium extinguetur, & ſtatim veniet ad iudicium. Atque ita Theophylactus, & Origenes *Theophyl.* per cornu altaris, Chriſtum, ſiue Regnum eius interpretantur. Origenis verba ſunt hæc: *Orig. hom. 10. in Luc. propè initium. to. 2. ante dimid.* *Suſcitauit cornu ſalutis nobis, in domo Dauid, in qua ſecundùm carnem natus eſt Chriſtus. Et verè, quia fuit cornu ſalutis in domo Dauid, Prophetia iſta concinitur. Vinea enim facta eſt in cornu. In quo cornu? In Chriſto Ieſu, in illo, in quo nunc ſcribitur, &c.* *Iſai. 5.* Hæc ille. Videtur ergo Zacharias hoc verbo alludere ad Dauidem, qui Pſalm. 131. prædixit: *Illud producam cornu Dauid, paraui lucernam Chriſto meo.* *Pſalm. 131.* Et ad Ezechielem cap. 29. *In die illo pullulabit* *Ezech. 29.*

cornu domui Israel. Vel, vt Hebræa habent: *Germinare faciam cornu domui Israël.* Quod perinde est atque dicere: *& erexit cornu salutis nobis, in domo Dauid pueri sui.* Sunt enim præter tauros, aliaque animalia instructa cornibus, præcipuè duo quæ robore, & firmitate in cornu maximè pollent: alterū est Rhinoceros, sic dictus, quod nasum cornutū gerat: quòd bellū gerere cum Elephanto fertur, atque illum interdum expugnare. De quo Deut. 33. est sermo, cùm loquitur Moyses de Ioseph: *Quasi primogeniti tauri pulchritudo eius,* (nam solent esse primogeniti maiores, & fortiores) *cornua Rhinocerotis, cornua illius: in ipsis ventilabit gentes vsq, ad terminos terræ:* quæ propter Reges fortissimos Ephrahim tribus dicuntur. Alterum animal est Monoceros, siue Vnicornis, quòd cornu validum, & prælongū in fronte gerat: atque hic, vt testantur quidam scriptores in historia de animalibus, dux animaliū est in bibendo. Nec enim de aquis venenatis bibere audet, nisi prius ille cornu suo contactas aquas à veneno permundet: in lustro verò, seu latibulo socium nō patitur vllo modo; leonemque superare in pugna dicitur. Atq; huic Christus comparatur, secundùm illud: *Et exaltabitur sicut vnicornis cornu meum.* Et alibi: *Dilectus quemadmodū filius Vnicornium,* vt exponit Basilius: nam Christus impatiens est consortij in diuinitate: nam per ipsius solius fidē omnium falsorum deorum cultus euanuit. Atque ob eam causam, cùm proposuisset Tiberius Imperator de recipiendo Christo in numerum deorum, per Senatum reclamantem impediuit Deus. Nolebat enim cum alijs simul coli, qui solus reiectis omnibus alijs dijs tanquā vanis & falsis, vt viuus, & verus Deus adorari volebat, & coli. Ipse etiam tactu sanctissimæ carnis suæ aquas baptismi sanctificauit, atque ad regenerandum salutares effecit. Pulchreque hisce in animalibus, quæ Elephantem expugnare, & leonem feruntur, victoria Christi de dæmone parta repræsentatur: nam in leone rugiente, & Beemoth, id est, Elephanto dæmon in Scripturis significatur.

Sequitur: *Salutis.* Salus vulgo sanitas est, quæ proportio humorum, & membrorum est, animam à suis functionibus non impediens. Tamen in Scripturis liberationem à quouis malo significat, siue sit spiritualis, siue temporaria, iuxta verbum Iudic. 15. *Tu dedisti in manu serui tui salutem hāc maximam, atq, victoriam.* Et 1. Reg. 14. dicitur: *Ergo ne Ionathas morietur, qui fecit salutem hanc magnā in Israel.* Ideò iudices, Saluatores dicebantur. Interdum salus est liberatio à malo spirituali, quod frequens est in sacris voluminibus. Ait enim Dauid: *Dominus illuminatio mea, & salus mea: quē timebo?* Et apud Isaiam: *Israël saluatus est in Domino salute æterna.* Et Salomon: *Salus animæ in sanctitate iustitiæ, & melior est omni auro, & argento; & corpus validum, quàm census immensus.* Apostolus etiam ait: *Euangelium esse in salutem omni credenti;* & Dominus Zachæo: *Hodie salus huic domo facta est.* Salus autem quam Christus attulit, ad spiritum liberandum in hac vita ab ira Dei, peccatique labe, & potestate dæmonis; in alia verò, corpus, & spiritum ab omni mortis dominio & pœna, molestiave spectat. Est ergò Christus cornu salutis, id est, vis diuina in salutē omni credenti, seu potius potentissimus ac robustissimus Rex, suos ab omni iniuria & malo spiritus animæ & corporis saluans, qui de se ipse per Isaiam dixit: *Ego qui loquor iustitiam, & propugnator sum ad saluandum.* Et de hoc dixit idem Propheta: *Clamabunt enim ad Dominum à facie tribulantis, & mittet eis Saluatorem & propugnatorem, qui liberet eos.* Et videtur in his verbis Zacharias alludere ad verba Dauidis dicētis: *Protector meus & cornu salutis meæ, & susceptor meus.* Per assumptionem enim humanæ naturæ susceptor noster est factus, & cornu salutis nostræ. Sequitur, *Erexit,* siue excitauit, quasi à somno, vt exponit Theophylactus: vel vt in alijs locis Scripturæ habetur, *Exaltauit,* vt illud: *Exaltatum est cornu meum in Deo meo.* Et, *In nomine tuo exaltabitur cornu nostrum.* Et rursus, *Exaltabuntur cornua iusti.* Alibi etiam, *Et sublimabit cornu Christi sui.*

Erexit autem dictum cornu, primùm quidem quòd mysterium incarnationis in Dei prædestinatione quasi absconditum, detexerit atq; reuelauerit, vt animal paruū cornigerum nondum habens actu cornua, sed habitu, vt figulus educens è mente sua vasa: ita Christum in gloriam nostrā prædestinatum, Deus in lucem eduxit, & erexit, iuxta id: *Notum fecit Dominus salutare suum: ante cōspectum gentium reuelauit iustitiā suam.* Et Apostolus ait, *Manifestè magnū est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria.* Deinde *erexit,* conferendo humanitati Christi tam altas & insignes inhærentes gratias, & prærogatiuas ad exornādam corpore & animo dignitatem Messiæ, vt ab eo tanquam ex plenissimo atq; vberrimo fonte, omnes qui sitiunt, salutem suam, abundanter accipiant, & deriuent. Nam quasi adeps separatus est ab omni carne, hoc est, segregatus à peccatorib

Marginalia (left): Rhinoceros vnde dictus. Eius fortitudo. — Deut. 33. — Monoceros siue Vnicornis quare dicatur: eius ingenium & natura. — Psalm. 61. Psalm. 28. Vnicorni cur similis Christus. Basil. in 28. Psalm. tom. 1. Euseb. lib. 2. hist. Eccles. c. 2. tom. 1. II. ratio. — Matth. 3. Ioan. 3. 1. Pet. 5. — Leo rugiens, ac Beemoth, siue Elephas in Scripturis quid mysticè signent. Iob 40. — Salus quid. Quot modis accipiatur in Sacris literis. Iudic. 3. & aliàs. & 2. Esdr. 9.

Marginalia (right): Psal. 26. Isai. 45. Eccl. 30. — Rom. 1. Luc. 19. Cornu salutis quomodo Christus. — Rom. 1. — Isai. 63. — Suprà 19. — Psal. 17. — Theophyl. 1. Reg. 2. Psalm. 88. Psalm. 74. 1. Reg. 2. — Prima ratio, cur Deus Christum erexerit cornu salutis nobis. — Psal. 97. — 1. Tim. 3. — II. Ratio. — Ioan. 7. — Eccles. 47.

ſicut Dauid à filijs Iſrael, autore Salomone. Præterea *erexit*, non tantũ ad dona prædicta eleuando, ſed etiam ad ipſam hypoſtaſim filij Dei, atque perſonam exaltãdo.

III. ratio.

Vt ſi Gigas infantẽ ſupra humeros ſuos poneret. Item, erexit Chriſtum per crucem, & mortem humiliatum, ſuſcitando eum à mortuis, ad cęlum euehendo, ſpiritumque illius ſuper omnem carnem effundendo, vt fieret ſpiritualis, & regnaret in Iudæis, & gentibus, quaſi in Iuda & Iſraele. Hinc Apoſtolus dixit: *Humiliauit ſemetipſum, &c. Propter quod & Deus exaltauit illum: & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen. Vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, &c.* Hoc autem cornu in educendis ſanctis patribus priſcis illis de limo cruentauit, recteque congruit cornu regnãti tuba cornea, quam de more Iudæi in anno Iubilei celeberrimo ſolebant inflare. Nã Chriſtus Dominus venit annunciare annum Domino acceptũ: & Iobel (vnde Iubileum) cornu arietinum in lingua ſancta ſignificat. *Erexit* autẽ hoc *cornu nobis*, id eſt, ad noſtrã vtilitatem: etſi .n. plus ad honorẽ & gloriã ipſius cornu, vt Paulus dixit: *Propter quod & Deus exaltauit illum*, &c. magis tamen, vt dixi, ad noſtrum commodum, quàm propriũ ſui ipſius illud erexit, atque ſublimauit. Nobis eniã, id eſt, Iudæis, vt .n. ait Paulus: Iudęo primùm & Gręco omnia merita Meſſiæ cõmunicantur. Ideò Petrus in Actis: *Vos eſtis*, inquit, *filij Prophetarum, & teſtamenti. Vobis primùm Deus, ſuſcitans filium ſuum, miſit eum benedicentem vobis, vt cõuertat ſe vnuſquiſq; à nequitia ſua.* Paulus quoque ad eoſdem dixit: *Vobis oportebat primũ loqui verbum Dei: ſed quoniam repelliſtis illud, & indignos vos iudicaſtis æterna vita; ecce conuertimur ad gentes.* Nobis ſimiliter ait: *Quia propter nos & noſtram ſalutem deſcendit de cælis.* Neq; verò rex noſter deſinit gubernarẽ Eccleſiã ſuã, & pro ea tacente, contra tyrannos, hæreticos, atq; hypocritas belligerare: ita vt confidenter dicat Propheta: *Domine in lumine vultus tui* (hoc eſt per fidem) *ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die*, (ſcilicet in nomine Ieſu) *& in iuſtitia tua exaltabuntur*: (per quam ſunt redempti) *Quoniã gloria virtutis eorum tu es, & in beneplacito tuo exultabitur cornu noſtrũ. Quia Domini eſt aſſumptio noſtra, & ſancti Iſrael Regis noſtri.* Et iterum: *Confeſſio eius ſuper cælum & terrã & exaltauit cornu populi ſui.* Nam quo modo alias potuiſſet Dauid victoriam obtinere de Gigãte Goliath, de Rege Saule ſibi perpetuũ bellum indicente, vel de Abſolone filio rebelli, & fratricida: quomodo etiã nos conterremus Sathanam, in Goliath adumbratũ, ſub pedibus noſtris: vel vinceremus mundũ aptè in Saule repręſentatum, vel expugnaremus propriam carnem eleganter in Abſalone delineatam, & quæ perpetuò machinatur contra ſpiritum, niſi cornu noſtrum exaltaſſet Deus, & niſi maior eſſet, qui in nobis eſt, quàm qui in mundo? Sequitur: *In domo Dei Dauid pueri ſui.* Domui Iſraelis prædixerat Ezechiel cornu erigendũ: *In die illo*, inquit, *victa Aegypto*: (id eſt, idolorũ cultu deſtructo) *pullulabit cornu domus Iſrael, &c.* Et Pſaltes: *Illuc producam cornu Dauid; paraui lucernam Chriſto meo*: quibus verbis Chriſtum in caput, & Regem Eccleſiæ fortiſſimũ futurũ prænuntiat, & pręcurſorem eius de eo teſtificantẽ, eumque digito oſtẽdentem, in lucerna aptè deſignatũ prophetat. Nam & ille *Lucerna ardens & lucens* à Chriſto dicitur. Et licèt Chriſtus lux ipſa fuerit illuminans oẽm hominem, tamẽ quia carnis teſta obuolutus venturus erat; ideò Deus illi lucernã, qua monſtraretur & oſtenderetur, decreuit: & vt re inuenta, iam non vltra eſt opus candela, vel lucerna, ſed extinguitur; ita, poſtquam Chriſtus eſt oſtenſus Ioannis indicio, & factus manifeſtus, quaſi extincta eſt lucerna. Dominus autem non locum, ſed rem in ea cõtentam per metonymiam ſignificat, id eſt, oriundos ex eius familia, qui coloni ſunt domus. Dauidem autem elegit Deus ac eius maiores, ideoque aptos eos effecit, ex quibus deſcenderet, atq; illi facta eſt clarior promiſſio de Meſſia Rege, vt illud: *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.* Eratq; typus Chriſti in regnando: nã vt ille primùm in his, qui erant amaro animo, & ære alieno obęrati, regnauit, deinde in Hebrõ in Iuda, poſtremò in Iſrael: ſimili ratione Chriſtus primùm regnat per pœnitentiam, qua homines amaro fiunt animo, & ſe debitores agnoſcunt decem millium talentorum, quæ non ſunt ſoluendo, niſi creditor Deus debita clementer remittat. Regnauit Chriſtus etiam in Iudæis ac gentibus, atque etiam Chriſtus Dauid vocatur in Prophetis: *Et ſuſcitabo*, inquit Ezechiel, *ſuper eas oues, ſcilicet paſtorem vnum, qui paſcat eas, ſeruum meum Dauid: Ipſe paſcet eas, & ipſe erit eis in paſtorem.* Vocat autem Dauidem puerum ſuum, ſcilicet ſeruum ſpontè & liberè ſeruientem. Dauid ſiquidem ſpiritu Chriſtum Dominũ vocat, vt Chriſtus probat Matth. 22. Eſt autem admirabilis dignatio, & ſubmiſſio animi Chriſti, qui cùm radix ſit Dauid, ei tamen ſuccedere voluerit. Eſt ergò domus Dauid, Chriſti Eccleſia, cuius caput Dauid eſt, pars capitis beata Maria, cuius in ſanctiſſimo vtero erectum eſt cornu, quod noua bella

Margin notes (left): IIII. ratio. — IV. ratio. — Philip. 2. — Vnde nomen Iubilei deſcendat. — Leuit. 15. — Luc. 4. & Iſai. 61. — Hoc cornu ſalutis cur Deus erexerit nobis. — Philip. 2. — Rom. 1. & Infra 2. — Act. 3. — Act. 13. — Chriſti erga Eccleſiam ſui cura & prouidentia. — Pſal. 88. — Pſal. 148. — 1. Reg. 17. — 2. Reg. 13. — Rom. vlt.

Margin notes (right): 1. Reg. 18. — 1. Ioan. 4. — Curia domo Dauid pueri ſui Deus erexerit cornu ſalutis. — Ezech. 29. — Pſal. 131. — Ioan. 1. — Infrà 7. Suprà 1. — Infrà 3. — Quid domus Dauid. — Matth. 21. — Dauid vt Chriſtum præſignauerit. — Pſal. 131. — 2. Reg. 7. — 1. Reg. 22. — 2. Reg. 2. — Infra 5. — Matth. 18. — II. ratio. — Ezech. 34. — Dauid puerũ ſuum, id eſt, Dei, cur nominet. — Matth. 22. — Apoc. 5. — Domus Dauid quid myſtice.

elegit, & portas inimicorum ipse subuertit. Bellando enim in seipsum, aliorum hominum veterem hominem meritò occidit, atque suo exemplo occidẽdum esse docuit, nostrique peccati maculis vestem sanctissimæ humanitatis aspersit, atque spiritus nostros lauit sanguine suo. Ac domus quidem Dauid persecutiones plurimas semper ab hostibus passa est, vt hoc tanto cornu propugnante egeret. Nam vt ex antiquissimo patre Aegesippo citat Eusebius Cæsariensis: *Erant*, inquit, *diuersæ sententiæ in Circuncisione. id est, in filijs Israel, qui maximè aduersabantur tribui Iudæ, ex qua Christus est. Erant ergo Iessæi, Galilæi, Hemerobaptæ, Masbuthæi, Samaritæ, Sadducæi, Pharisæi.* Hæc ibi. Vides septem sectas in tribum Iuda insurrexisse? Sed & anteà multa perpessa fuerat à Regno Israel, à gentibus, ab Herode. Non dicam, quanta posteà ab impijs tyrannis, ab Hæreticis, à Saracenis, simul ab hypocritis, & falsis Christianis pertulerit. Verùm immobilis stat Domini illa sententia: *Portæ inferi nõ præualebunt aduersus eam*: nempè, quia propugnator ad saluandum in ea ipse est. Cornuaq; limacis contra Christum pro armis sumunt. Væ ergo insurgenti aduersus tale & tantum cornu, quia ab eo proculdubio ventilabitur. Væ etiam tale cornu possidẽti, & tamen suggestioni Satanæ cedenti locum, & viam iustitiæ deserenti. Nulla ergo corporis vel maxima afflictione, vel spiritus angustijs, & difficultatibus à Regno Christi declinemus. Nam vt cornu eius in cruciatibus & morte sua, Martyrumque in tormentis erectum fuit: ita nos gloriosum ducamus, pro veritate Dei, & iustitia sustinenda, omnia mala præsentia contemnere. Sequitur alter versiculus.

Supra. 1. Hęc à quibus olim oppugnata.

Euseb. lib. 4. histor. Eccles. c.22. tom.1.

Eandem qui etiamnum hostes infestent & oppugnent.

Matt.16.

Isa. 63.

Sicut locutus est per os Sanctorum qui à seculo sunt Prophetarum eius. Haud sine magnis certè rationibus visitationem, redẽptionem, atque cornu salutis erectionem prædicta fuisse à Prophetis, subiungit. In primis .n. id factum est, vt cernatur rei magnitudo, in qua voce, & factis prædicenda omnes seruos suos Prophetas occupare Deus voluerit, imò ex cuius prædictione & Prophetæ, & dij facti sunt. Nam vt ait Dominus, illos vocat deos, ad quos sermo Dei factus est, quemadmodum participatione summi Prophetæ, cæteri Prophetæ spiritum eius deriuantes, constituti sunt Prophetæ, ea ratione qua stellæ Solem participantes lucẽt. Quo fit, vt rectè à Salomone de sapientia ęterna dictum sit: & per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei, & Prophetas cõstituit. Hinc Ioannes Baptista se Prophetam negans, intellexit, vt quidam interpretantur, Prophetã Christum non immediatè, sed remotè prædicentẽ. Secundò, vt perspiciatur veritas Dei, quam cùm natura attingere non possit, & à solo consilio diuino & beneplacito pendeat, solus Deus eam prædicere potest. Nam quæ sunt Dei, nemo nouit nisi spiritus Dei: *Quis .n. cognouit sensũ Domini? aut quis cõsiliarius eius fuit?* Temeritas igitur fuit tũ hominum, vt Philosophorũ, & Sapientium in oculis suis; tum techna & astus Dæmonum seducentium, qui hęc suo ingenio scrutari voluerunt: vnde euanuerunt in cogitationibus suis. Tertiò; quemadmodum B. Virgo in suo sanctis. Hym. sua omnia dicta ad promissiones Dei retulit, iuxta id: *Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham, & semini eius in secula.* Ita Zacharias hoc loco testatur omnia fieri iuxta cõdictum. Hoc, inquit, quod enarro, nõ casu sic euenit, sed quod nunc præstat, iam olim promiserat Deus per ora omniũ Prophetarum, quos suo spiritu afflarat. Atq; ita caussa exprimitur Christi aduentus ad oues Israel: nã hoc factum est propter promissum factũ Prophetis: & vt Apost. ait: *Dico Christum Iesum ministrum fuisse circuncisionis, ad cõfirmandas promissiones Patrum.* Quartò aduerte, quæcunque prædicta sunt de Messia, nulli alteri, prærterquàm ipsi, quadrare posse. Nam si Christus expectatus à Iudęis tantùm homo fuisset, & Rex temporarius, vna profectò, vel altera prædictio suisset satis; at vni saluatori Deo, hominique & Regi spirituali prænuntiando omnes Prophetas incumbere, & de eo scribere voluit. Nec debuit Messias longè post abolitã legem, & prophetiam consummatam venire: nec rursus præueniri ab alio, qui tolleret idola gentilium, quia nec ipse in verum Messiam reciperetur. Falsusque Messias citò detectus semper fuit, vt ostendit Gamaliel in Actis, & experientia, quam ex Ecclesiastica haurire licet historia, manifestè docet. Ait ergo: *Sicut locutus est*, nimirum solus ipse, q talia præscire potest, & loqui, & polliceri: *Per os Sanctorum.* Rectè dixit, *Per os*: vt etiã Prophetas, qui nihil scripserunt, vt Abraham, Samuel, Nathan, Gad, ac similes comprehenderet, qui de eo tantùm loquebantur, erantque Domini os eorum mouentis organa, instrumentaque. Idcircò non dixit. Sicut locuti sunt Prophetę; sed, sicut ipse Deus locutus est per os Prophetarum. *Nec enim voluntate humana*, ait Petrus, *allata est aliquando prophetia: sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines*: vt non tam ipsi loqui viderentur, quàm Spiritus sanctus, qui eos inhabitabat, sicut & Dominus Apostolis significauit: *Non estis vos*; loquens,

Visitationem, redemptionemque plebis suę dicit Deum Zacharias asserit locutum fuisse per os suorum Prophetarum. I. Ratio.

Ioan. 10.

Psalm. 81.

Sap 7.

Qualem Ioannes Baptista se negarit esse Prophetam.

Ioan. 1.

II. Ratio

1. Cor. 2.

Rom. 11.

Rom. 1.

III. Ratio.

Luc. 1.

Rom. 15.

IV. Ratio.

Act. 5.

Per os Prophetarum quare Deus locutus, non autem prophetę dicuntur locuti.

2. Pet. 1.

Matth. 10.

Per os, non per ora cur Deus dicitur locutus.

quiens, *qui loquemini: sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Item aptè dixit: *Per os,* in singulari, non per ora; vt declaret, illos tametsi diuersis & locis, & temporibus prophetauerint, vno tamen quasi ore vniuersos eundem Christum præsignificasse: quę quidem Prophetarum consonantia, atque consensio perspicuum, & clarum argumétum est, illos veraces fuisse, atq; vno spiritu prophetasse. *Sanctorum,* Id est, mundorum, insigni vitæ sanctimonia, & splendore doctrinæ micantium. Nam per tales insignes pietate, sanctitateque viros renouatio diuini cultus semper in Ecclesia fieri assueuit; nó auté per immúdos, voluptuosos, & profligatos homines. quales huius nostri seculi Hæretici cùm fuerint, mirum est vllum hominem prudentem, vel micam salis habétem, illis fidé habere potuisse. Ideò ait Petrus de veris Prophetis: *Sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines:* nam vel ipsum verbum Dei sanctificat, vti Christus dixit: *Vos mundi estis propter sermonem meum, &c.* Hinc de Propheta Dauide testatur Ecclesiasticus: *Christus purgauit peccata ipsius, & exaltauit in æternum cornu eius.* Quanquàm, ne quid dissimulem, extiterint etiam Prophetæ haud sancti, sed nequam. Tales fuerút Balaam Ariolus Caiphas, qui *prophetauit, cùm esset Pontifex anni illius.* Et ij, qui Domino referent: *Domine Domine nonne in nomine tuo prophetauimus?* quibus Dominus dicet: *Nunquam noui vos, discedite à me qui operamini iniquitatem.* Subdit: *Prophetarum eius.* Ad differentiam pseudoprophetarum, qui dæmones dici possunt Prophetę, de quibus apud Ierem. ait Dominus: *Nó mittebam Prophetas, & ipsi currebant: non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant.* Et Dæmon dixit: *Et spiritus mendax in ore omnium Prophetarum.* Et si autem veritas tam patens & manifesta sit, vt ei vel capitalissimi eius hostes attestentur; hoc loci tamé suos allegat Prophetas, quòd illi dæmonis autoritatem non haberent, quemadmodum nec eius Martyres, aut Apostoli, aut Sacerdotes, aut Angeli, aut ministri, quos Sathanam habere sacra Scriptura plerisq; in locis tradit. Permittit autem Deus illos venire, vt probetur fides nostra, & exploret nos ac tentet, vtrum diligamus eum, necne; denique, vt illi, qui probati sunt, manifesti fiát. *Quia seculo sunt.* Id est, qui seculi ab initio fuerunt; siue, qui fuerunt vnquam Prophetæ: nam cum hac vna ex re generis humani salus penderet, præfigurari, atque prænúciari ab omnibus debuit, vt ad eum mundus cum fructu suscipiendú prępararetur. Sed Petrus in Actis à Samuele incipit, dicens: *Et omnes Prophetæ à Samuel, & deinceps qui locuti sunt, annuntiauerunt dies istos,* scilicet Messiæ. Sed id est factum, quod ante Samuelem sermo erat pretiosus. Verùm Petrus ipsemet paulò antè dixerat: *Deus autem quæ prænunciauit per os omnium Prophetarum, pati Christum suum impleuit:* & iterum subdit: *Quem oportet quidem cælum recipere vsque in tempora restitutionis omnium; quæ locutus est Deus per os Sanctorum suorum, à seculo Prophetarum.* Beata Virgo in suo Cantico vsque ad Abraham ascédit: *Sicut, inquit, locutus est ad patres nostros, Abraham & semini eius in secula:* quia ante Abraham nullam legimus Dei promissioné, quod ex certo vllo populo esset oriturus. Porrò Christus alloquens duos illos discipulos proficiscentes in Emaus, exorsus *à Mose, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erat:* & paulò pòst: *Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cùm adhuc essem vobiscum: quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis, de me.* Zacharias autem hoc loco omnes sanctos Dei Prophetas allegat, vti etiam Petrus in alio Actorum loco ait: *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum.* Trifariam autem Prophetæ de Christo locuti sunt. Primùm exhortando populum Dei, vt legem seruaret: qua cohortatione Christum concionabantur, sine quo id fieri non poterat. Ná Paulo authore: *Quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem; Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis.* Deinde factis, ac rebus ipsis futura Messiæ mysteria prænunciarunt: adeò, vt sæpè ad grauia tormenta perferenda, iniuriasque tolerandas, ac mortem ipsam fortiter sustinendam Prophetas compelleret, vt factis ipsis apertius futura Christi Sacramenta vaticinarentur. Hinc pulchrè per Oseam illud à Domino dictum: *Propter hoc,* inquit, *dolaui in Prophetis, & occidi eos in verbis oris mei & iudicia tua quasi lux egredientur.* Quorum verborum sensus est: Fatigaui tam multos Prophetas, ac tribulaui eos, quorum etiam bona pars torméta, ac mortem passa est, dum tueri hanc veritatem nitebátur: atque hoc faciebam, vt lumen huius veritatis toti orbi illucesceret. Rursus idé Propheta: *Et locutus sum super Prophetas, & ego visionem multiplicaui, & in manu Prophetarum assimilatus sum:* id est, In operibus, & gestis Prophetarum vitam, & mortem Filij mei Messiæ repræsentaui. Quomodo (vt res exemplis illustrior fiat) seipsum delineauit

Marginal notes (left): *Sancti quomodo Prophetæ.* — 2. Pet. 1. — Ioan. 15. — Eccl. 47. — *Prophetæ qui mali etiam de Christo prophetauerint.* — Num. 24. — Ioan. 11. — Matth. 7. — Psalm. 6. — *Per quos Prophetas Dominus locutus sit.* — Hierem. 23. — 3. Reg. 22. — *Pseudoprophetæ cur à Deo permittantur.* — *Omnium Prophetæ seculorum cur Christum prænunciauerint.* — Act. 3.

Marginal notes (right): 1. Reg. 3. — Luc. 1. — Luc. 24. — Actor. 10. — *Tripliciter de Christo Prophetæ locuti sunt.* — Rom. 8. — II. Testimonium. — Osee 6. *Quis sensus horum verborum: Propter hoc dolaui in Prophetis, & occidi eos in verbis oris mei, &c.* — Infra 12. — *Quid illud in Prophetæ: In manu Prophetarum assimilatus sum.* — *Varia figura de Christo.* — Gen. 29. — Supra 6. — Infra 14. — Infra 22.

neauit

Infra 28. Infrà 41. Exod. 15. Num. 21. & Ioan 3. Iona 2. 4. Reg. 6. per totum.

neauit* in iride, & arca Noe; in sacrificio panis, & vini Melchisedec; in Abraham offerente filium Isaac super montem; in scala Iacob; in liberatione Iosephi ex carcere; in ligno misso in aquas Maria, in serpēte æneo erecto à Moyse; in Iona educto de ventre ceti, in Elia curru in cœlum subducto; in templo Salomonis, & eiusmodi penè innumeris. Ad extremum fecit illos apertè prophetare de Christo.

III. testimoniū prophetarum de Christo.

Deut. 18. Isa. 7. Infrà 35. & sepè alias. Infra 53. & seq. Hiere. 31.

Moses enim dixit: *Prophetā suscitabo eis de medio fratrum suorum, &c.* Dauid etiam non vnam aliquam portionem vitæ Christi tantum, verùm singula eius mysteria minutim est persecutus. Isaias de incarnatione, ac partu Virginis, ortuque eius, signis & prodigijs, itemq; de eius morte apertissimè magis vt Euangelista, quàm vt propheta enarrauit. Hieremias quoque de pacto Noui Testamenti ineundo vaticinium facit: & paullò antè dixerat: *Creauit Dominus nouum super terram, Fœmina circumdabit virum.*

Ibidem. Baruch. 3. Ezech. 1. & seq. Dan. 9. Osea. 3.

Baruch propheta, & scriba Hieremiæ; *Post hæc*, inquit, *in terris visus est, & cū hominibus conuersatus est.* Ezechiel in prima illa visiōe, qua vidit quatuor facies animalium, pulchrè describit Messiam mysterijs quatuor, titulisq; præclarū. Daniel in hebdomàdibus suis præcisè diē mortis eius declarauit; ideoq; etiam tempus aduentus illius. Oseas c. 3. vaticinatur; *Quia dies multos sedebunt filij Israel sine Rege, & sine Principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine Ephod, & sine theraphim. Et post reuertentur filij Israel, & quærent Dominum Deum suum; & Dauid Regē suum.*

Ioel. 2. & Act. 2. Amos. 9. Abdias. Mich. 7. Nahum. 1. & Isa. 52. Rom. 10. Habac. 3. Sophon. 3. Agga. 2. Zachar. 9. Malach. 3. & Matth. 11.

Ioel copiam effundendi Spiritus super omnem carnem per Messiam prædicit. Amos: *In die illa suscitabo tabernaculū Dauid, &c.* Abdias: *In monte Sion erit Saluatio, & erit Sanctus, & possidebit domus Iacob eos, qui se possederant.* Michæas: *Expectabo Deum saluatorē meum: audiet me Deus meus. Ne læteris inimica mea super me, quia cecidi: consurgam cùm sedero in tenebris, Dominus lux mea est.* Nahum: *Ecce super montes pedes euāgelizantis & annunciantis pacem.* Habacuc: *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo.* Sophonias: *Dominus Deus tuus in medio tui fortis, ipse saluabit.* Aggæus: *Et mouebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus: & implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum.* Zacharias: *In die illa erit Fons patens domus Dauid, & habitantibus Hierusalem, in ablutionem peccatoris & menstruatæ.* Malachias: *Ecce ego mitto Angelum meum & præparabit viam ante faciem meam: & statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus testamenti, quem vos vultis.* Hæc pauca ex Prophetis delibasse placuit, cū innumera alia in illis inueniantur propemodū his similia. Voluit autem Deus Opt. Max. autoritatem Prophetarum esse maximam; ne quisquā auderet illos contemnere; & vt nos Dei ministros in honore habeamus, atque in eis loquentem Christum intelligamus, maximè in Sacramentorum, ac Verbi salutaris administratione, iuxta illud: *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit:* & Paulus: *Pro Christo legatione fungimur, tāquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.*

Prophetæ olim cur tantò in honore sint habiti.

Luc. 10. 2. Cor. 5.

Ecce visitatio Dei, ecce iam redemptio perfecta est, ecce iam cornu salutis erectum. Suscipe benignè visitantem, grato animo amplectere Redemptorem, tuamque redemptionem adiuua, & promoue semper, quò omnia possis in hoc cornu fortissimo: in quo vno vniuersa hostium tuorum tela infringenda sunt, & in ipsosmet hostes nequissimos retorquenda, eodē cornu Domino nostro Iesu Christo præstante, cui cum Patre & Spiritu sancto sit omnis honor, gloria, laus, & imperium in secula seculorum, Amen.

Deus nos visitans, ac redimens quomodo à nobis suscipi debeat.

TRACTATVS XX.

In illa verba: *Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos.*

Luc. 1.

QVod in hactenus plus, & sanctus Sacerdos verbis obscurioribus dixerat de cornu salutis excitato, iam apertioribus explicat, cùm ait: *Salutem ex inimicis nostris.* Quod ad Grammaticæ rationem attinet, supplēdum est verbum, *Fecit*, vt sit sensus: Fecit salutem ex inimicis nostris, sicut locutus est ad patres nostros. Vel declarat cornu salutis per appositionem ad significatum, *Salutem*, id est, validam Christi salutem. Sed huic sensui tamen Grammatica aduersari videtur: nam salutis esset dicendum, vt eodem in casu dixerat suprà, *Cornu salutis*, nisi suppleas verbum, *erexit* in secundo versu positum. Vel fortassis melius refertur ad verbum, *locutus est* per Propheta salutem hanc ex inimicis nostris: declaranturq; simul dicta superiùs. Explicata siquidem materia Psalmi per visitationē ad redimendū & redemptionē per Regem salutis, explicat simul, à quibus malis hæc salus redemptioq; contigerit. Salutē ergo vel præseruantem, vel liberantē locutus est. *De inimicis* (inquit) *nostris.* Nā cum omnis redemptio, vel salus liberationē aliquam in sui significatu includat; declarat à quo sit, dicendo: *Ex inimicis nostris.* Quemadmodū Dauid etiam inquit. *Dicant, qui redempti sunt à Domino, quos redemit de manu inimici; & alibi; Eri*

Hæc clausula vnde perducat salutem ex inimicis nostris.

II. solutionis incommodū.

III. congruentior.

Redemptionis ratio, & natura.

Psalm. 106. Psalm. 17.

A quibus inimicis redempti fuerimus.

puit me de inimicis meis fortißimis, & ab his, qui oderunt me: quoniam confortati sunt super me. Quoniam verò redemptor spiritalis est, & fructus eius, redemptio spirituum nostrorum, & salus, ideò inimici nostri spiritales sunt, id est, dæmones. Et hoc erat op' Messiæ præsignificatum. *Spiritū,* inquit, *immundum auferam de terra.* De his ergo spiritibus malignis dicendū est an sint, & quales sint, & quomodo nos ab eis liberati. Primùm probatur à posteriori dæmones esse. Nam etsi malum non fit de integritate vniuersi, ideoq; tales Deus non creauerit; tamē quoniā natura recti, & boni cōditi sunt, sua voluntate nequam, & maligni effecti sunt. Illos itaque in rerum natura existere, vtraq; tum vetus, tum noua Scriptura cōprobat. Itē omnis philosophia cacodęmones cōfitetur. Præterea Iudæi omnes pręter Sadducæos idem affirmant. Et quidem id etiam probatur ab effectu in cultu idolorū: nam per idola reddere illi solebant responsa: assistunt & artibus superstitiosis, vt Magiæ, ad effectus quosdam curiosos, & supra vires humanæ naturæ positos obsidēt, & vexant corpora humana, atque inuitis obsessis vocem formant, & interdum peregrinis linguis loquūtur, deque rebus altissimis ad fallendos, & seducendos homines per rudēs & simplices frequenter disserunt.

Zachar. 13. — Dæmones esse, probatur multipliciter. — *Matth. 22. & Actor. 23.* — Dæmonum effecta.

Quod spectat ad secundum membrum, dæmones incorporei sunt, nocendiq; cupidi, maximè verò hominum saluti insidiantur ex inuidia, quòd eam gloriam, atque vnionem diuinæ hypostasis cū humana natura (quā vnionem ipsi ambitiosissimè appetiuerunt, atque affectarunt teste B. Bernardo) videāt nos assecutos, atq; illā deniq; cœlestem patriam, ad quā si voluissent ipsi, peruenire potuissent, intelligāt nos aliquādo assecuturos. Hinc dæmon à Christo, homicida ab initio vocatur, & Satanas, id est, aduersarius, & diabolus, hoc est fratrū accusator, & calūniator, in Apocalypsi. Ideò ad vilissima, & turpissima quæq; instimulat, impellitque, hominesq; mendacijs eludere consueuit: atque ob id vnum potissimum circuire terram, & perambulare eam nunquam cessat, tanquàm rugiens leo quærēs quē deuoret. Sibiq; maledicit, vt in idolorum cultoribus, hæreticis, & Iudæis manifestum est. Nam per illos dicit, dæmoniū habes, & insanis: sunt pręterea sapientes vt faciant mala: hinc dæmones quasi daimones, id est, sapientes, dicuntur secūdùm Eusebium, & à Poeta Latino sub nomine Alecto; vna ex diris, de eo dicitur:

Cui nomina mille, Mille nocendi artes:

& ab Homero sub nomine Acies, id est: dāni, siue detrimēti eius in terras describitur, è cœlo deturbatio, & expulsio. Atque ita astutia sua serpens ille callidior cunctis animantibus terræ, sapientibus huius mūdi illusit, & in innumeros propè errores, & falsitates, insaniasq; præcipites egit. Præstant viribus, & magna potestate: vnde gigantes appellantur à Baruch; leones rugiētes à Petro, dracones à Dauide, iuxta illud: *Draco iste quem formasti, &c.* dicūtur à Iobo, Behemoth, & Leuiathā in maximis, fortissimisque terrę, & maris animalib' repręsentari, nimirū elephāte, & ceto: de quo, id est, dęmone, ait: *Non est super terrā potestas quæ comparetur ei, qui factus est, vt nullum timeret.* Quapropter mundū sibi falsis signis, falsa sapiētia, falsaq; sua ipsius vita in suā potestatem redegit, vilissimisq; idolis, non dico auro, argēto ve, aut soli, lunæ, & astris, sed serpēti, crocodylo, cani, porro, cepę, allijs, ac demū ad pallorem vsq; & pauorē, febrim atque crepitū ventris homines sibi subiecit, ad mortemque pro talibus idolis oppetendam suasit, ac impulit, vti de falsis prophetis Baal, & Ioan, volumina sacra testantur. Potest ergo dæmon permissu diuino corpus humanū vexare, illud obsidere, & quacunque in parte corporis velit, dolorē efficere: potest turbare cogitationes, & phātasiam, turpes appetitiones suggerere, voces formare, sensus præstigijs internis, siue externis illudere, ventos, & tēpestates concitare, quibus vel naufragium nauigantibus faciant, vel fruges, terræque nascentia lædant, & creaturis abuti ad multa, vt nobis noceant, ac exitum parent, vt constat ex Magia. Et vt in libro Iob legimus, ignem cōburentem de cœlo emisit; Chalcedæos, atque Sabæos ad expilandos armentorum greges irruere fecit; vento vehementi domum filiorum epulantium subuertit; corpus Iobis à planta pedis vsque ad verticem eius vlcere pessimo percussit. Audis quanta possit ille, qui in Euangelio dicitur inimicus homo? De dęmone quodam legimus apud Matthæum, quòd omnes catenas & vincula rumperet, atque nunc quidem in ignem, nunc verò in aquam obsessum detruderet, eumque ad habitandum in sepulchris mortuorū (quod horribile videtur) impelleret. His ergo talibus dominis seruiebant omnes homines, qui immanitate, & crudelitate omnes Turcas longè antecellunt; illisque multo peius seruituri erāt, sempiternis gehennę cruciatibus eorum opera mancipandi.

Dæmones quales sint: eorum in homines malignitas. — *B. Bernar. homil. 7. in Psal. Qui habitat, paulò à medio, & serm. 17. super Cantica.* — *Ioan. 8.* — *Luc. 10.* — *Apoc. 12.* — *Iob. 1. & 2.* — *1. Pet. 5.* — Dæmones quibus maledicant: vnde denominentur secundum Eusebium. — *Ioan. 10.* — *Hiere. 4.* — *Euseb. lib. de Prepar. Euāg. tom. 1.* — *Virgil.* — *Homer.*

Gen. 3. — Eorum in Scripturis appellationes, significationesque. — *Baruch. 3.* — *1. Pet. 5.* — *Psal. 103.* — *Iob. 40.* — *Ibidem.* — *Infra 40.* — Mundus ante Seruatoris aduentum quam turpi idolorum culturæ subiaceret. — *3. Reg. 18.* — Dæmonis potestas in hæc inferiora præsertim in hominem. — *Iob 1.* — *Ibidem.* — *Ibidem.* — *Infra 2.* — *Matth. 13.* — *Luc. 8.*

Quod ad tertium spectabat, liberati sumus ab istis inimicis à Deo quidē, vt salutis opifice, & autore, declaranteque in Pro-

A dæmonum seruitute quatenus per Christum liberati.

phetis, & Apostolis liberandi voluntatem, quasi regium sigillum: à Christo verò, quatenus morte suæ eius expulsionem promeruit. Vnde dixit: *Nunc Princeps huius mundi eijcietur foras*, intellige à principatu, non autem à ratione tentandi, tanquā hostis. Vnde Propheta dixit: *Et egredietur diabolus ante pedes eius*: id est, à minimis quibusque, qui Christo nomen dāt, qui pedes meritò possunt nominari. Ideò Christus victor spolia ei abstulit, atq; de limbo sanctos Patres eduxit. Liberauit etiam gratia, & charitate, seu forma iuuantibus Angelis, sanctisque hominibus. Fides detegit hostes, & contra eos arma suppeditat, proposito frequenti vsu deprecationis, atque Sacramentorum, vt ita nobis gratiam Dei, & fauorem cōciliemus, motusq; proprios, ac perturbationes, quibus seducimur, reprimamus. Etsi enim nobis natura superior sit dæmon; finitur tamen in nos minimè sæuire, vt vellet, quia nos perderet omnibus se admiscendo, ingerendoque. Sed vbi nos ei locum damus, deficiēdo à fide, & timore, affectiones carnis, quibus ab eo trahimur, non frænamus: hinc fit, vt dum verbera corpori nostro adhibemus, easq; cupiditates superamus, non aerem, & aerios spiritus superemus. Quippe in nostra carne affectiones iræ, odij, inuidiæ, ac ambitionis delitescunt. Ac velut equus, vel canis liberi à vinculis haud facilè capiuntur: sic homo ab affectibus, & perturbationibus liber, & vacuus, haud facilè à dæmone comprehēdi potest. Contende ergo vt liber, & solutus efficiaris, quantum potes, ab his carnis affectibus: quia simul etiam iugum dæmonis sine dubio euades. *Solue igitur vincula colli tui captiua filia Sion*, quia etsi Deus sit, qui peccantibus pœnitentiam donat, vt resipiscant à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipsius voluntatem; tu tamen studium tuum, & operam ponere debes in prædictis vinculis soluendis. Est ergo pretiosa, ac magnipendenda à talibus hostibus salutaris liberatio: mireq; stultus est, qui illis ceu administris ac fidis socijs confidit.

Ioan. 12. — *Habac. 3.* — Quid significet Egredietur diabolus ante pedes eius, iuxta Prophetā. — *Luc. 11.* — *Isa. 49. & Zachar. 9.* — *Ephes. vlt.* — Fidei virtus. — *Ephes. 4.* — Locum diabolo vt demus. — Dæmonis vincula qua ratione soluantur. — *Isa. 52.* — *2. Tim. 2.*

Sequitur: *Et de manu omnium qui oderunt nos*. Nimirum de potestate eorundem dæmonum, quos quidē declarat ideò esse hostes; quòd capitale odiū aduersum nos gerant; non autem quod eorum odio prosequi debeamus naturam. Namque inimicitiæ omnes aut humanæ, aut ferinæ, aut diabolicæ sunt. Humanæ quidem sunt, quæ ab vtilitate, gloriaue proficiscūtur, dum multi eodem simul magistratu fungi nequeunt, aut opes in plures distribui non possunt: ferinæ verò à bono corporis delectante, in cibo, vel ventre sito oriuntur. Cùm autem olim Christiani fortunæ bonis, atque honoribus, corporisque delicijs, & voluptatibus propter Christum nunc... remisissent, nulla erat iusta caussa cur tantoperè mundus sæuiret, & odio incredibili Christianos insectarentur. Ideò asserendum est, diabolicum fuisse odium illud, quo tyranni atque Gentiles Christicolas persequebantur. Nec enim ob contrarios fines tantùm, & studia, sed præcipuè propter dæmonum (qui bonos odio habent) impulsum, & agitationem, vt Lactantius, ac Tertullianus scribunt, concitatum est quicquid odij fuit in Christi cultores. Hinc post homines natos, Cain sine caussa odio habuit Abel, & Esau Iacob. *Si mundus* (Christus inquit) *vos odit; scitote quia me priorem vobis odio habuit*. Et: *Si me persecuti sunt: & vos persequentur*. Et rursus: *Odio habuerunt me gratis*. Quod de Ecclesia, & de habētibus Spiritum Christi, intelligendum est: sine caussa enim illos mundus odio, lingua, & manibus vexat. Quare Ecclesiæ primitiuæ multa crimina, ac horrenda flagitia dæmon per satellites suos homines nequam affingebat, quòd verbi gratia, adorarent asinum: vnde Asinarios Christianos vocabant, Sarmentitios, & Semissarios: quòd essent Infanticidæ, eorumq; carnibus vescerentur: quod magicæ artis opera signa ederent, pericula que euaderent. Christianos quoque per contemptum, Chrestianos nuncupabant. Eratque frequens eiusmodi in vrbe Roma acclamatio, vbi aliquid sinistri Reipublicæ accidisset, Christianos ad Leonem. Spoliabant eos honoribus, literis, atque omnibus humanæ vitæ commodis, perque innumera, & immania inauditaq; supplicia ad negandum Christum, compellebant; cū vt Tertullianus ait (vnde hausimus omnia hæc) tormenta de more nonnisi ad extorquendam à reis veri confessionem adhibeant: vt interim omittam alia innumerabilia ex historijs Ecclesiasticis, ex quibus accipimus sanè ardentissimum fuisse odium, quod in populum Dei, vel ipsos persequutores amantem, atque de illis sæpe bene meritum, gestabant in pectore. Quare quemadmodum Dominus pro crucifigentibus Patrem exorauit, qui percutientes pectora sua, reuertebantur, ita & Stephanus pro lapidatoribus suis preces obtulit Deo: & beatus Iacobus Apostolus, dum ad supplicium duceretur, accusatori pacis osculum dedit, illumque ad Christi fidem conuertit. Atque ita plerumque infideles socij martyrū propter Christi gloriam illustrandam, & Martyrum præcones efficiebātur.

Dæmones à nobis quatenus odio habendi. — Humanæ quales sint inimicitiæ, quæ ferinæ. — Paganorum Christianos odium vnde. — *Lactan. lib. 5 Instit. diuinarum, & in prœm.* — *Tertul. in Apologet. in ne ope...* — *Gen. 4* — *Infra 2.* — *Ioan. 15.* — *Ibidem.* — *Ibidem.* — Christianos olim Pagani quibus nominibus compellarent. — Eorundem in Christianos conspiratio. — *Tertul. ibid.* — Christianorū benignitas. — *Luc. 23.* — *Ibidem.* — *Actor. 7.*

Fine

Euseb. lib. 1. hist. r. Eccles. c. 9. tom 1.

Eusebius Cæsariensis de sancta Potamiana martyre scribit, post triduum apparuisse militi cuidam, qui dum ipsa duceretur ad mortem, dixit populo, vt ei locum faceret: & illa respondit: Verbum, inquit, hoc sine mercede non erit. Cæterùm homo eadem arte pugnat, ac dæmon, interdum quidem vi & sæuitia, vt tyrannus: interdum astutia fictaque sapientia, quomodo philosophus facit: interdum denique blanditijs ac pollicitationibus, quemadmodum pleriq; Imperatores fecisse memorantur. Sed inter eos maximè Iulianus apostata, qui magis arte, multisque & amplis promissionibus Christianos à fide Christi, quàm vi, ac minis abducere conabatur. Cauendum ergo est nobis à proximo nostro, qui in caussa est sæpenumerò, vt à fide Christo data in baptismo, vel saltem ab eius dilectione, & charitate deficiamus. Hinc Christus admonuit. Inimicos hominis esse eius domesticos: & Petro dissuadenti crucem, dixit: *Vade post me Satana, scandalum es mihi.* Rectè proinde aiebat Dauid: *Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel, &c. Cùm exurgerent homines in nos, fortè viuos deglutissent nos.* Ideò quidam sanctus pater dixit, *Libera me Domine à proximo meo.* Liberat modò igitur Dominus de manu eorum, qui oderunt nos; cuius vox est: *Confidite, ego vici mundum.* Tribuit enim maiorem virtutem, sapientiam, & voluntatem in bono retinendo, quàm in illis sit ad malum, qui nos persequuntur. *Maior*, inquit, *est, qui in vobis est, quàm qui in mundo*: item; *Dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij vestri.* Vt ea ratione virga Moysi deuoret virgas Magorum, vti per Prophetam dixit: *Dedi faciem tuam valentiorem facie bus eorum: & frontem tuam duriore frontibus eorum.* Liberat itaque conuertendo inimicos, & capiendo eos in bonum ipsorum, qui nos capiebant in malum. Liberat etiam conferendo virtutem, qua tormenta & mortem ipsam fortiter perferendo, vitam promeremur æternam. Martyrum enim internus homo in Fidei confessione perdurans, tyrannos, & carnifices defectionem à fide Christi non assequentes, constanter vicit. Vnde & in cœlesti regno à Deo Optimo Maximo coronatur; & in Ecclesia refertur in numerum Sanctorum Martyrum, quicquid sit de corpore, in quod vnum hostes seuire potuerunt. Ac quemadmodum fortis ac strenuus miles victoriam de hostibus obtinere dicitur, etiam si aliquot vulnera in pugna excipiat: similiter Christi martyr, quod corpus alioqui mortale & caducum, in fide propugnanda amittat, victoriam tamen, vt Tertullianus est autor, refert de hostibus suis. Ad hæc, cum quiuis sibi maximè sit hostis, & à se ipso magis lædi possit, quam ab alio, vt Chrysostomus ostendit in quodam libello à se inscripto, Quod nemo læditur nisi à seipso: *Orandus est Deus, precibusq; nostris assiduis pulsandus, vt nos à nobis ipsis liberare dignetur: nam nec Spiritus vostri carnem antiquiorem, & quasi blandam amicam sine auxilio Christi superare potest, nec quisquam seipsum, vt par est, vincere, cùm ipse sibimet ipsi sit æqualis, omnisq; victoria à superiori virtute proficiscatur.* Idcircò Paulus aiebat, *Quis me liberabit de corpore mortis huius?* Quasi diceret, In me non inest tantum virtutis, vt id queam: Et ob id subdit: *Gratia Dei per Iesum Christum.* Vt non sine caussa Dauid Deo supplicaret: *Libera me Domine ab homine malo, à viro iniquo eripe me:* Id est, vt quidam aptè interpretantur, libera me à me ipso, qui vir sum iniquus, & homo malus mibi ipsi, impertiendo gratiam, quæ Spiritum corroboret atque confirmet, & carnis impetus frangat, & debilitet. Nam vbi victoriam de nobis obtinuerimus de mundo, de Sathana, & malis hominibus, per quos vt per instrumenta sua, nostram perniciem molitur, præclarum profectò nos triumphum agemus. Operatur siquidem vis dæmonis in homine non secus ac prudentia venatoris in aui mansueta: vt enim per illam alias capit aues, ad eum modum dæmonem homines spiritu suo impulsos, ad nostram perniciem & interitum adhibet. Quapropter bellum periculosius nobis imminet ab ijs, de quibus legitur in Iob: *Frater fui draconum*, inquit, *& socius struthionum*; & de Sodomitis, qui animam iustam Loth de die in diem iniquis operibus cruciabant: & Dauid, *Saluum me fac Domine: quoniam defecit Sanctus: quoniam diminutæ sunt veritates à filijs hominum*: Et Paulus ad Philippenses: *Omnia autem facite sine murmurationibus, & hæsitationibus: vt sitis sine querela, & simplices filij Dei, sine reprehensione in medio nationis prauæ & peruersæ; inter quos lucetis sicut luminaria in mundo verbum vitæ continentes, &c.* Ex quibus sententijs liquet, quanto in periculo versemur inter homines. Sed facile tamen vincuntur à nobis sine vllo odio ipsorum: quoniam in illorum iniurijs & offensis diuinam magis voluntatem permittentem (ad quam Dauid à Semei iniurijs lacessit' aspiciebat) propriumque eorum demeritum & damnum consideramus, proximo excusato, & dæmone illi tantum nocente accusato, qui cùm capitale odium in seipsum gerat, in

odium

Marginal notes:

Triplicitet in fideles, Christianos peruertere conabantur.

Matth. 10. & Mich. 7.
Matt. 16.
Psal. 123.

Vt Deus nos liberet ab inimicis nostris.
Ioan. 16.

Luc. 21.
1. Ioan. 4.
Exod. 7.

Ezech. 3.

Martyrum fortitudo, & victoria.

Martyres quomodo victores, cum ab hostibus necantur.

Tertul. in Apologet. in fine operis.
Chrysost. to. 5. procul à med.

A quo maximè hoste liberationem nostra Deo petere debeamus.

Rom. 7.

Psal. 139.

Quemadmodum nos malignus dæmon depredetur.

2. Pet. 2.

Gen. 19. & seq.
Psalm. 11.
Philip. 2.

Victoriam de inimicis nostris, eorum absque odio, nobis posse constare.

2. Reg. 16.

odium mutuum inter sese homines concitat. Nam cùm proximus quispiam negotiũ nobis exhibet, malus dæmon est, qui & illi, & nobis simul insidiatur, vt & illum errare faciat, & nos irritemur aduersus fratrem. Cumque hoc sit consilium diaboli, prætermissa huius insidiatoris cogitatione in mutuam perniciẽ & malum armamur; quod contrà esset faciendum, vt scilicet homines aduersus diabolicos armarentur assultus, & mutuo se homines amore atque beneuolentia prosequerentur, atque hæc esset gloriosa victoria, & salus ab inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos. Quæ quidem in præsenti vita, per gratiam Dei, initium capit ab omnibus iniurijs, pœnis & cruciatibus, atque etiam machinationibus dæmonum ad virtutum exercitium, illarumque augmnetum conferẽtibus. Vt ita super aspidem & Basiliscum ambulemus, & conculcemus leonẽ & draconem. Perficietur verò in gloria, de qua sic loquitur Propheta: *Dormietis, & non erit qui exterreat. Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta*, positis cunctis inimicis nostris sub scabello pedum nostrorum: quod nobis concedat Christus Iesus, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat in secula seculorum. Amen.

Victoria de inimicis nostris vnde inchoanda: vbi vero consummanda.
Psal.9.
Isai.17. & 32.

TRACTATVS XXI.

In illa verba: *Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, & memorari testamenti sui sancti. Iusiurandum quod iurauit ad Abraham patrem nostrum daturum se nobis.*

Luc.1.

Argumentum & scopus.

PRoposita materia laudationis Dei, scilicet redemptione, salute, seu liberatione per Christũ ab inimicis nostris: nunc declarat eius qualitates & caussas, quibus tantam nobis largiri salutem voluerit, nempe misericordiam Dei, atque in eã nixam, fundatamque iustitiam, de quibus Propheta: *Vniuersæ viæ Domini, misericordia & veritas.* Atque hæc Cantico D. Virginis mirificè respondent: cecinerat enim: *Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ, sicut locutus est ad patres nostros, Abraham, & semini eius, &c.*

Psal.24.
Luc.1.

Ait ergo, *Ad faciendam misericordiam.* Sensus est, visitauit, fecit redemptionem, erexit cornu salutis, liberauit ab inimicis; ob hoc ipsum vt misericordiam faceret, opere complendo quod promiserat. Vocat autem misericordiam, opus incarnationis, vitæ, & mortis Christi: quia summam & inexcogitabilem misericordiã, in illo ostendit: tum quia nec ipsa Christi humanitas id promereri potuit: nam in primo incarnationis momento, quo esse, & nosse, & velle cœpit, iam hypostasi Verbi præuenta erat, secundùm illud; *Præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis.*

Vt fecerit Deus misericordiam.
Christi incarnationem misericordiã cur vocauerit Zacharias.
Psal.20.

Deinde, quia cæteri homines id nõ promeruerunt. Vnde vel impio Achaz nolenti signo Deum honorare, denũciatum fuit mysterium incarnationis. *Ecce*, inquit, *virgo concipiet, & pariet filium: & vocabit nomen eius Emanuel.* Vbi non obsistente illius incredulitate, mysterij est facta promissio. Nescirent prorsus homines id Deum posse præstare, si Iudæi, postquàm factum est, adhuc non intelligunt: nec si scirent posse, id auderent ex seipsis postulare, quemadmodum nec formica ab homine peteret, vt formica fieret. Moyses vero in Deuteronomio, cap.7. & 10. & Dauid 2. Regum 7. Mera Dei beneuolentia & gratia non ob vllam iustitiam, aut dignitatem illorum hanc Dei eminentem misericordiam pollicetur: *Non*, inquit, *quia cunctas gentes numero vincebatis, vobis iunctus est Dominus, & elegit vos, cùm omnibus sitis populis pauciores. Sed quia dilexit vos Dominus, & custodiuit iuramentum, quod iurauit Patribus vestris.* Paulus quoque: *Apparuit benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei: non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, &c.* & alibi: *Non enim per legem promissio Abrahæ, aut semini eius, vt hæres esset mundi, sed per iustitiam fidei.* Si ergo Abrahæ promissio facta est ex misericordia: ergò & alijs, quibus propter eum est facta, quẽadmodum Isaac & Iacob.

II. ratio.
Isai.7.
Matth.1.
Quid petere, Deum hominem fieri, quodammodo.
2.Reg.7.
Deut.7.
Infrà 10.
ad Titum 2.
Rom.4.

Tertiò, ratione temporis, quo facta est incarnatio, apparet Dei misericordia. Nam cùm mundus totus in summa ac vilissima idolorum cultura iaceret, & in ingentibus atque horrendis corporis flagitijs quasi in luto cœnoque volutaretur: Iudæorum verò lege acceptá, Deique cognitione auct scelus esset, & vt Paulus ait, factum esset supra modum peccans peccatum, & abundans hypocryseos iniustitiæque delictum; ita vt temporarium & venale redditum fuisset summum Sacerdotiũ: non nisi immensæ charitatis & gratię argumentum fuit, vt tali tempore ipse nostram carnem assumeret.

III. ratio.
Gen.10.
Gen.25.
Rom.7.

Quartò elucet summa Dei misericordia in exaltatione naturæ nostræ, cui gratuitò data est filij Dei natura atque persona. Sic enim illi datus est Deus, vt verè sit DEVS propter vnionem hypostaticam, quod

IV. ratio, incarnatio cur misericordia nominetur.

quod nulli alteri tributum est, nec tribuetur: qui honor dignitasque infinita benignitate & gratia Dei fuit, cui, si possent, vel Angeli inuiderent, vel homines, si daretur optio, non deberent se cum Angelis commutare: *Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* Neque enim maius quid dare potest Imperator, aut Rex, quàm si ex suis alicui diceret: Esto mea persona, & sustine personam meam, Regis scilicet vel Imperatoris. Atq; Deus id quod homines ne dicto quidem, aut cogitatione facere queunt, Deus, inquam, ipse communicando Verbi hypostasin Humanitati, illud Christo homini præstitit, vt Verbi & Filij Dei esset persona. Atque ex hac Verbi incarnatione apparet consequenter captus humani generis ad suscipiendam dignitatem filiorum Dei.

Heb.2.

Hypostaticæ gratia vnionis quanta.

V. Ratio.

Quinto, splẽdet Dei bonitas, quæ se demisit, & accommodauit ad miseriam nostram & imbecillitatem, qua factum est, vt lacte tanquam pane nutriamur. Pulchrè enim philosophatur Augustinus, infantem panem integrum ac durum edere impotentem à nutrice sua illum panem manducante, in sanguinemque conuertente, lac factum accipere: Simili ratione Deus Optimus Maximus, qui cibus erat nobis minimè aptus & accommodatus, per incarnationem quasi lac factum, nobis propinatus est. Incarnatio locum præstat amplioris fidei, maioris spei, quoniam Diuinę hypostatis connubio cum humana natura factus est cognatus & affinis noster: ardentioris enim charitatis: vt dum visibiliter Deum cognoscimus, vt Ecclesia canit, per illum in inuisibiliũ amorem rapiamur, dicamusque, *Hoc nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea.* Vt enim pater filio suo amore meretricio detento, legitimam sponsam dat, quo à turpi illo scorti amore reuocet: haud secus plane assumpta est à Verbo humana natura, vt in eo nostrum omnem affectum & amorem turpiter per creaturas dissipatum, in eum vnum conferremus. Accedit, quòd Deus assumptione corporis nostri, faciliorem se præbuit nobis ad imitandum: qui vt anteà nequaquam cadebat in aspectum nostrum, ita nec in imitationem. Nunc verò ait Paulus, *Estote imitatores Dei, sicut filij carissimi.* Cumque Deus dixisset, *Non est bonum, hominem esse solum,* & propterea datum est ei adiutorium simile sibi: ita bonum nobis non erat, Deum solum esse. Accepit itaque adiutorium humanæ naturæ coniunctæ sibi ad filiorum spiritualium procreationem & sobolem.

D. August. multis in locis

Incarnatio Filij Dei fidem, spem, & charitatem quomodo promoueat.

Gen 2. & alibi passim.

Deus nobis quandò se imitabilem fecit, & quomodo.

Ephes.5.

Gen.2.

Sexto, considerandi sunt effectus Verbi hominem inducti. Illi enim manifestè diuinam arguunt misericordiam: qui quidem sunt, remissio peccatorum, gratia Dei, adoptio filiorum, resurrectio, atque cœlestis gloria, quæ respectu naturæ nudæ, bonitas & misericordia Dei est: quia si vllis meritis datur, ille certè ex diuina gratia, & misericordia oriuntur: vt rectè Apostolus dixerit: *Gratia Dei vita æterna:* & à Dauide: *Qui coronat te in misericordia, & miserationibus.* Ergo ad faciendam misericordiam, id est, ad complendum aduentum Christi, ac eius effectus atque virtutes.

VI. Ratio misericordiæ incarnationis Christi ab effectu.

Rom.6.

Psal.102.

Subdit, *Cum patribus nostris.* Nempè Abraham, Isaac & Iacob, atque alijs, quibus promissa est per Isaiam liberatio, quos carnales tantùm Iudæi, patres vocare nõ possunt. Vnde nec Ismael, nec Esau hæredes fuerunt, verùm spiritales omnes Iudæi, licet secundùm carnem ab eis non descenderint. Vnio namque est non in carne, sed in fide & spiritu, in quo non est Iudæus, vel Gentilis; masculus, vel fœmina; seruus aut liber. Ex carne enim oritur differentia circunciforum ab incircuncisis, sexus, & conditionis. Illi ergò sunt veri filij Abrahæ, qui fidem eius & facta sectantur & mirantur, iuxta illud: *Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* & Paulus: *Non enim per legem promissio Abrahæ, aut semini eius, vt hæres esset mundi, sed per iustitiam fidei.* Si ergo semen Christi, & Abrahæ similiter estis, secundũ promissionem hæredes. Vt sit pater circuncisionis, & credentium per præputium. Nam secundum carnem vnius gentis tantùm pater fuit. In hæc autem verba Zachariæ, sic ait Theophylactus: *Fecit autem misericordiã, non solùm cum viuentibus, sed & cum patribus nostris. Christi enim gratia etiam in illos, qui olim mortui, pertingit: dedit nobis viuentibus spem resurrectionis, & resurreximus: sed non soli nos hanc gratiam assecuti fuimus, sed & qui ante nos defuncti fuerant. Omnis etiam natura boni particeps fuit. Vel aliter fecit misericordiam cum Patribus, eo quòd spem illorum impleuit. Adimpleta enim viderunt quæcunque de Christo expectarant. Sed & filios suos cum vident patres talibus bonis frui, gaudent, & participes sunt lætitiæ, perinde ac si ea in se collocata essent.* Hæc ille.

Cum patribus quibus fecerit misericordiã Deus.

Gen.21.

Infra 17.

Gal.3. & alibi passim.

Qui sint veri filij Dei.

Ioan.8.

Rom.4.

Quemadmodum fecerit misericordiã Deus.

Theophyl.

Alter sensus.

Sequitur: *Et memorari testamenti sui sancti.* Infinitiuus, more Hebræo, ponitur pro Gerundio, quod copula, *Et*, satis indicat. Cùm enim dixerit, *Ad faciendã misericordiam:* addit: *Et memorari:* quod est perinde, ac si dixisset, & ad memorandum: nam Græca dictio vtrumque per infinitiuum profert, nempe ποιῆσαι & μνησθῆναι. Re ipsa verò, memoria

Hebraismus.

Deus quomodo memorat-

tus testamenti sui sancti.

moria in Deo (id est, præteritorum recordatio) non inuenitur, quia nihil illi præterire potest. Per metaphoram ergò vt obliuisci dicitur, quando ab effectis suam prouidentiam puniendo malos, vel remunerando bonos, vel iuuando, promissorum præstatione, non ostendit: ita metaphoricè recordari dicitur, quando pœna, vel præmio afficit, vel iuuat, & promissa olim præstat. Atque in hanc sententiam dicitur Deus memoratus. Inter promissiones autem, quæ conditionem aliquam in se continent, eæ vel non implentur, vel interdum differuntur, atque ideò in illas obliuio cadit, Secùs est in absolutis, & maximè in illa pollicitatiõe de Christo Messia.

Duplex genus promissionũ Dei.

Vnde per Prophetam ait Dominus: *Si oblitus fuero tui Hierusalem, obliuioni detur dextera mea. Adhæreat lingua faucibus meis, si nõ meminero tui: si non proposuero Hierusalem in principio lætitiæ meæ.*

Psal.136.

Quæ etsi ad literam de reditu populi ex Babylone intelligantur; non desunt tamen ex Patribus, qui ad Deum illa esse referenda, doceant. Quippe per Prophetas atque Angelos sæpè indicauit, se in temporis plenitudine filium missurum: & per quendam ex Prophetis pronunciauit: *Neque profanabo*, inquit, *testamentum meum, & quæ procedunt de labijs meis, non faciam irrita.*

Hierusalem est Dominus dupliciter recordatus.
Gal.4.
Psal.88.

Et nos, filio iam exhibito dicere possumus, quòd alio in loco idẽ vates ad Deum conuertens sermonem, dixit: *Quid est homo, quòd memor es eius? aut filius hominis, quoniam visitas eum?* Et est sensus: Quid est homo obliuiosus (id enim significat vox illa Hebræa, *Enos*, id est, homo, in eo loco) quod eius memoriam tu dignaris habere? Aut filius hominis (id est, filius terræ vilissimæ, nam Adam, vox Hebręa, ab adama descendit, quæ terrã rubram significat) quòd dignum visitatione tua illum facis? Vt ergò in hoc Cantico per visitationem & memoriã Dei incarnatio describitur facta, eodẽ modo Dauid in illo psalmo eam adumbrauit.

Psal.8.
Enos & Adam Hebræis quid.

Subdit: *Testamenti sui sancti.* Et si Hebræum nomen *Berith* pactum fœdusve in Scripturis sanctis frequentissimè significet, interdum tamen & maximè scriptores nouæ legis illius vocis significatum per testamentum expresserũt, vt Christus Lucæ 22. Paulus verò 1.Cor.2.& ad Rom.4.& 2.ad Gal.4.& ad Heb.8. Stephenus quoque Act.7.& Zacharias hoc loco, atque etiam vetus Zacharias prophetes cap.9. dum ait: *Tu autem in sanguine testamenti tui, &c.* fecit ergò misericordiam cum patribus nostris, tum eos liberando in sanguine testamenti sui de lacu, in quo non erat aqua, tum dlijs suis promissiones complẽdo: fecit etiam iustitiam

Hebrææ vocis Berith propria significatio hoc loco, cur testamentum significet.
Zachar.9.

fidem suam liberando in his, quę iuramento interposito pollicitus fuerat. Causa porrò explicandi pactum voce testamenti est: quod cùm testamentũ sit vltima dispositio omnium bonorum seu hęreditatis, testatoris morte firmata, antequã sola est sponsio, nõ autem donatio: ideò pactum hoc nouũ, ac vetus Dei hæredes instituens, meritò testamentum appellatur. Ac vetus quidẽ expresè hæredes terræ promissæ instituebat; ideò mortè typica confirmabatur animalium, vt habes Gen.15.& Exod.24. Verùm quia eiusmodi pactum legis obseruationẽ exigebat, præsertim vel saltẽ secundũ substantiã operum, & legem nemo viribus suis implebat, nullo iure tenebatur Deus dandi terram, illiq; potiùs rei mortis, ac maledicti legẽ violantes.

Verus testamẽtum Iudæos quales instituerit hęredes
Gen.15.
Exod.24.
Heb.9.

At pactum nouum fuit de mundi hæreditate, siue de vita æterna, hic quidẽ in spe, postea verò in re ipsa præstãda: quod pactũ initũ fuit adhuc expressius cum Abraham credẽte, & simul signaculũ iustitiæ fidei, id est, circuncisionẽ accipiente. Hæc doctrina est Apostoli ad Galatas: *Fratres*, inquit, (*secundum hominem dico*) *tamen hominis confirmatum testamentum nemo spernit, aut superordinat. Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius. Non dicit, Et seminibus, quasi in multis: sed quasi in vno, & semini tuo, qui est Christus. Hoc autem dico, testamentum confirmatum à Deo: quæ post quadringentos & triginta annos facta est lex, non irritum facit ad euacuandam promissionem. Nam si ex lege hæreditas, iam non ex promissione, Abrahæ autem per repromissionem donauit Deus.*

Hæreditas Noui Testamenti qualis.
Rom.4.
Gal.3.
De quib. fit bonis Nouum Testamentũ.

Hæc autem pactio facta est in Christo, & de æternis est: quia circuncisio non est ex Moyse, sed ex Patribus. Quare Stephanus concionatur, Abraham nec passum pedis terræ promissæ possedisse. Hinc testimonio Isaiæ spiritale fuisse hoc testamentum, declarat Paulus, cùm ait: *Et hoc illis à me testamentum, cùm abstulero peccata eorum.* Hoc autem nouum pactum Christi morte erat cõfirmandum: proptereà ille dixit: *Hic est sanguis Noui, & æterni testamenti.* Ipse enim, secundùm rem est testator, qui Abrahæ locutus est. Et quod dicitur, Abrahæ factam esse promissionem, vt esset hæres mundi: ne intelligas aliquid temporale, sed Christum, in quo & per quem Abraham factus est hæres. Christo enim dictum est: *Postula à me, & dabo tibi Gentes, hæreditatem tuã, & possessionem tuã, terminos terræ.* Et ita quisquis per fidem iustus factus est, hæres est mundi, in Christo tamen. Hinc Paulus Corinthijs credentibus ait: *Omnia vestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue mundus, &c.* quemadmodum ab eodem Apostolo dicimur corre-

Ioan.7.
Act.7.
Rom.11.
Isa.59. iuxta Septuaginta.
Matth.26.
Abrahæ quæ facta fuerit promissio, vt hæres esset mundi secundùm Apostolum.
Psal.2.
1.Cor.3.

Ephes.2.

suscitati & conuiuificati, & confidentes in cœlestibus: non quidem adhuc actu, sed in Christo capite, qui cò perducturus est membra sua, quò ipse peruenit. Etsi vero pactū hoc in Christo ab initio fuerit, in Abraham tamen expressius peculiariusque declaratum est: nempè Christum nasciturum ex eius semine, & cum externo Sacramento circuncisionis magis manifestatum. Itaque ex dictis patet, iustitia, quæ inest in beneficio aduentus Christi, scilicet ex promissione Dei. In effectu vero quantum ad primā gratiam, & ius gloriæ in ea situm, non est iustitia aliqua ratione nostri, benè autem ratione Christi: at si spectentur dona consequentia inde, iustitia est aliqua etiam respectu nostri, & maximè quantum ad gloriæ possessionem, eiusque incrementum: quę sub meritum cadere a Theologis ob id dicuntur. Et vocat testamētum hoc suum, quoniam Christus Deus id fecit, tanquam testator, & de se, ceu vera terra viuentium, in illa promissionis significata, donanda: tum etiam quia dona sibi in hominibus accepit, iuxta id: *Accepisti dona in hominibus,* vel vt ait Paulus: *Dedisti dona hominibus.* Ipse enim vt Deus est, donat: vt verò caput est, in membris, & pro membris suis accipit. Vocat etiam sanctum, id est mundum: nam de spiritualibus æternisque bonis, atque adeo hominē permundantibus exiitit, cùm vetus, aliquius immuditiæ occasionem per accidens præberet: etsi Deus illam præuideret, & pauca bona externa, & multis admixta laboribus & molestijs, quæ magnis inter illos viris, & columnis aliorum negabat, donaret. Sanctum rursus appellat testamentum, id est, firmum & perpetuum, nūquamq; mutādum. Vnde Paulus ait: *Introiuisse semel in sancta, æterna redemptione inuenta.* Memor autem fuit testamēti sui, vt sanguine illum, & morte voluntaria confirmaret, vt fecit: quam in incarnatione vt semine quasi iam factā prophetat Zacharias.

Hoc pactum seu testamentum quando primùm expressum declaratumq; fuerit a Deo.
Gen.12. & passim aliàs.
Infrà 17.
Promissio Messiæ cui tantum iustitię nitatur.
Testamentum Dei cur suum nominetur.
Psal.67.
Ephes.4.
Dei cur sanctū testamentum dicatur.
II. Ratio.
Hebr 9.
Cur memor fuerit testamēti sui Deus.

Sequitur: *Iusiurandum quod iurauit.* In primis, quod ad rationem grammatices attinet, supplendum est verbum, impleuit, velut superius dixit, *ad faciendam misericordiā.* ita hic intelligas, ad faciendum iusiurandū: vel denique appositione, ad testamentum subdit iusiurandum. Neque obstat, in casu accusandi dici iusiurandum, & testamenti in casu gignendi, quod Hebrææ voces minimè variātur per casus. Et verbum recordari, vel memorari potest regere & accusandi & gignendi casum, vti contrarium eius verbum obliuisci, sicut superius diximus in illud Cantici Virginis: *Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham, & semini eius:* ponitur enim verbū, loqui, apud Hebræos vt dandi & accusandi casum regere possit. Atq; ita hoc loco accepit Theophylactus: *Cuius (inquit) testamenti, & cuius iurisiurandi; quod Abrahamfactum est, meminit?* Meminit autem prius testamenti, quàm iurisiurandi: quia prius Deus Abraham pactū iniit, & sine iuramēto, vt constat Gen.17. posteà verò etiam iuramento confirmauit pactum, & promissionē Gen.22. *Quod iurauit* Genes. enim 22. dicitur: *Per memetipsum iuraui, dicit Dominus: quia fecisti hanc rem, &c possidebit semen tuum* (nempe Christus) *portas inimicorum suorum.* Nam spoliauit infernum (vt cōstat) & eduxit sanctos patres: vbi primū nota, Dominum vltra promissionem, quæ firma est, iurare, se propterea ad nostram imbecillitatem accommodando; vt ipsa crebra repetitione homini, quod dicitur, persuadeatur. Finis enim controuersiæ omnis ad confirmationē, teste Paulo, est iuramentum. In quo abundantius volēs Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatē consilij sui, interposuit iusiurandum, vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatiū habeamus, qui confugimus ad tenendam propositā spem. Atq; hoc dicto iureiurādo donationem suam firmam reddidit, & irreuocabilem (vt constat apud Iurisconsultos) inter viuentes ad mortem vsq; testatoris, ac immolatione vnigeniti filij, qua iterum firmata est promissio ac stabilita. Et quanquam donatio viri, qua vxori sug fit, ipso iure sit inanis, ꝙ ob mutuum & ardentem amorem spoliari eam se inuicem: Deus tamē nobis dando nō potest spoliari, quia diuitias possidet infinitas, & ipse donando, eorū quæ donat, dominio haud se spoliat: neque nos illi quicquam dando amittimus, verùm custodi seruanda fidelissimo, atque ea ratione multiplicanda tradimus. Itē donatio patris ad filiū nulla est de iure: filius enim quicquid est, patris est, & quicquid acquirit, propter patriam potestatem patri debet. Propter iuramentum autem valida est & rata donatio: nam illo priuat se pater patria potestate, atq; illum emācipat, vt liber sit, & peculiū acquirere sibi possit. Dei Patris donatio tamen, quam nobis tāquam filijs fecit, rata & firma est: quam per gratiā suam ita liberos & emācipatos nos fecit, vt omnia bona spiritualia, & æterna nobis, & ad nostrā vtilitatē acquirere, & comparare valeamus. Cùm enim ipse bonorum nostrorum non egeat, efficitur, vt præter honorem & gloriam nostris omnibus ex operib. velit nihil. Nos ergò vltra iuramentum, habemus primò mortem testatoris, & secun-

Id. iusiurandū quod iurauit, & quomodo constet ad literam.
Luc.1.
Hebraismus.
Theophyl.
Testamenti prius quam iurisiurandi cur Zacharias meminerit.
Gen.22.
Oseæ 13. & 1.Cor.15.
Zach.9.
Promissionem suā cur Deus iuramento firmauerit.
Heb.6.
Deus dando nihil amittit, & cur ... donat non se dominio priuat.
Patris ad filiū vnde valida sit donatio.
Psal.15.
Deus præter honorem, & gloriā nostris omnibus

ex operibus vult nihil. & sanguinem, qui clamat, misericordiam, & hęreditatis nobis possessionem attribui. Roman. 8. *Nam qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illũ, quomodo non etiã cũ illo omnia nobis donauit?* Deinde possessionẽ Psalm. 67 accepimus in Christi humanitate, quę cor- Ephes. 4. pore, & animo simul æternam felicitatem est consecuta. In patribus etiam in limbo existentibus, quos secum ascendens in altũ euexit, cœli possessores effecti sumus. Tertiò habemus arrham, & pignus cœli in Spi- 1. Ioan. 2. ritu sancto nobis donato, qui Paracletus Galat. 4. est, scilicet aduocatus, agens caussam nostrã apud Deum; siue consolator, quoad detur hæreditas; siue tutor, dum pueri sumus clamantes, Abba (Pater.) Habemus quartò ra- Rom. 8. tionem inuictam: quia si, dum adhuc inimici essemus, dedit nobis gratiam reconci- Supra. 5. liationis per mortem Filij sui: quantò magis reconciliati, & filij effecti salui erimus in vita ipsius? Quia ergo fixũ est iuramẽtũ, cauendum nobis est ne irritati iuremus, & In iuramento quid cauendũ. inconsiderati: quod tamẽ crebrò, passimq; fieri perspicimus: In quo sanè non excusat, sed magis accusat consuetudo: nam spontè vltroq; te in illã adegisti necessitatẽ. Ideò rectè Salomon admonet: *Iurationi, inquit,* Eccles. 23. *non assuescat os tuum, multi enim casus in illa.* Subdit: *ad Abraham patrem nostrum.* Abrahæ Gen. 22. primum fit pactum peculiare ac spirituale in Christo per Sacramentum Circuncisionis ob eius obedientiam, eo quod non pepercerit vnigenito filio suo propter se, firma fide credens illum à morte reuocandũ, Rom. 4. vt Paulus explicat: *Iurauit etiam Dominus Da-* Psal. 131. *uid veritatẽ, & non frustrabitur eũ.*: sed prmò Abrahæ, ideò de illo fit mẽtio: tũ quia pse pater omnium Iudæorũ erat. Patrũ similiter erat spectare ad Abrahã, quemadmodũ Isai. 51. Isaias ait: *Attendite ad Abraham patrẽ vestrum, & ad Saram, quæ peperit vos.* Idcircò B. Virgo in Cantico suo Abrahæ meminit. Quanquàm etiã Isaac & Iacob etiã cũ iuramento promissio sit facta, iuxta illud: *Verbi quod* Psalm. 104. *mandauit in mille generationes, quod disposuit ab Abrahã: & iuramenti sui ad Isaac*: & Moses Exod. 32. orabat: *Recordare Abraham, & Isaac, & Israel seruorum tuorum, quibus iurasti per temeipsum dicens, &c.* Idem quoque dicitur Deut. c. 9. Deut. 9. *Vt compleret verbũ suum Dominus, quod sub iuramento pollicitus est patribus tuis Abrahã, Isaac, & Iacob.* Subiungit: *Daturum se nobis.* Id est, Deus quomodo iurauerit daturũ se nobis. se ipsum, si Verbum ipsum loquitur: & hoc ad sequentes effectus tradidit semetipsum pro nobis, nimirũ vt sine timore de manu inimicorũ nostrorum liberati, seruiamus illi, &c. *Bonus pastor animam suam ponit pro o-* Ioan. 10. *uibus suis*: deditq; seipsum nobis in redemptorẽ, pastorem, cibum, vestem, prẽmium,

& omnia. Vel sensus est: Iurauit se daturũ Hæreditatem cœlestem nobis promissam quomodo conseruabimus. quę in subiunctis versibus continẽtur. Igitur demus operam, studeamusq; ita nos gerere: vt ne à tanti testamenti hęreditate excidamus. Sunt enim permulti ingrati homines, qui cœlesti hæreditati renunciãtes, Filium Dei conculcant, sanguinemq; testamenti, in quo sanctificati sunt, pollutũ du- Hebr. 10. cunt, & Spiritui gratię (vt Paulus loquitur) contumeliam faciunt. Nemoque sibi blandiatur de cœlesti hæreditate adeunda própter Dei iusiurandum, quasi tutò & certò sibi de illa, in vtramq; aurem dormire liceat: & consideret quisquis est, Deũ quod ad se attinet, nó quod ad nos, se præstiturum iurasse. Vt (exempli gratia) iurauit daturũ se nobis, non iurauit quod nos reciperemus: cum Euangelium testetur: *In propria venit,* Ioan. 1. *& sui eum non receperunt*: Iureiurando confirmauit se morti offerendũ pro nobis, nõ autem se fore à nobis interficiendũ. Sic ergo proposita est palma, & corona cœlestis brauij, sed ex se quidem omnibus: verunta 1. Cor. 9. men ad illam non peruenient, nisi cũ Pau 2. Tim. vlt. lo bonum certamen certantes, cursum cõsummantes, fidem seruantes. Quod nobis vt cõtingat, præstet Dominus noster Iesus Christus, cui cum Patre, & Spiritu sancto est potestas, gloria & imperium in secula seculorum. Amen.

TRACTATVS XXII.

In illa verba: *Vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi. In sanctitate, & iustitia coram ipso, omnibus diebus nostris.* Luc. 1.

DECLARAT quisnam redemptionis nostræ sit finis, quidque iustificati, & redempti præstare debeamus, dicendo: *Vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi.* Ante omnia Quò tendat Zacharias pro politis in versiculis. ergo, vt intelligamus, à quo timore liberati simus, considerandum est plures esse timoris species. Prima quidem est timoris naturalis, quo natura horret ac fugit Quot species timoris. Naturalis timor quis. omnia sibi noxia atque contraria, maximè verò mortem: & ineptè metu primi, & repentini motus rationem plerunq; anteuertentes proficiscuntur, partem sentẽtem in nobis perturbantes, & ad fugam illorum mouentes. Quia verò eiusmodi affectio naturalis est, nec prẽmium meretur, nec pœnam, dummodo ad rem iniustã nõ flectat voluntatem. Hic timor in cunctis hominibus alioqui constantibus, imò etiã in ipsis Diuis, ac Martyribus, atque adeò

Marc. 14.

in ipso Martyrum omnium principe Christo IESV, qui imminente morte cœpit pauere, & tædere, inuenitur. Vt propterea meritò iudicare possis Stoicos planè hallucinatos fuisse, qui hac atque aliis affectionibus naturæ spoliabant homines: cum tamē à Deo Opt. Max. naturæ vniuersæ institutore, & opificè attributę sint ad finem suū commodiùs assequendum. Etsi verò huiusmodi timor ab Spiritu sancto non proficiscatur, potest tamen ille cum Spiritu sancto consistere, vt in Christo Domino, & sanctis constat fuisse.

Contra Stoicos ἀπαθῶν.

Timor mundanus quorū proprius.

Secunda species consistit in timore mūdano, quo permoti homines ad multa flagitia impelluntur; vt, ad Christum negandum, opprimēdum proximum, Deum offendendum; quo honores, magistratus, ac diuitias vel sibi comparare, vel comparatas, valeant conseruare & augere. Hoc timore ductus Pharao ad vexandum populū Dei fuit, verens ne si populus otiaretur, nimium forte multiplicatus & auctus in se insurgeret. Eadē ratione Ieroboam vitulos aureos adorauit, & adorandos instituit à decem tribubus, ne populus occasione visitandi templi in Hierusalem, ab eo, atq; ab eius obedientia dilaberetur. Herodes quoque impius ille, cognita per Magos natiuitate Regis Iudæorum, ne regnum amitteret, in innocentes puerulos sæuiens gladiū strinxit. Simili de causa Pilatus timens cadere ab Cæsaris gratia & amicitia, Christū innocentem, & quem nouerat per inuidiam à Iudæis traditum, cruci suffixit. Cæca & impia Synagoga illo metu percussa, dixit: *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eū: & venient Romani, & tollent locum nostrum, & gētē.* Qui timor nō est ab Spiritu sancto, neque cum illo potest habere commercium, cum vitiosus sit atque mortiferus.

Exod. 1. — 3. Regum 12. — Matth. 2. — Luc. 19. & seq. — Matth. 27. — Ioan. 11.

Timor humanus, vel carnalis.

Sequitur tertius timor, qui humanus, vel carnalis dicitur, quo homo peccatū admittit, ne damnum in vita patiatur: quo præoccupatus Aaron, formauit vitulum aureum: Apostoli, Christo comprehenso, diffugerunt: & Petrus ad vocem ancillę, Christū negauit. De hoc Christus aiebat: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eū, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam.* Id est, eū potius timere, qui solus est Dominus, & autor vitæ, & mortis: quique dicit: *Ego occidam, & ego viuere faciam: percutiam, & ego sanabo:* sine cuius nutu, vel permissione neque Dæmon, neque homo, neq; vlla omnino creatura nocere nobis potest. Ipse enim est, qui Dæmoni concessit vlcere pessimo affligere sanctum Iob: & legioni Dæmonum de corpore obsessi egredienti, ingredi permisit in porcos, quos & egerunt in mare præcipites. Hic timor neque proficiscitur ab Spiritu sancto, neque illi cohabitare potest.

Exod. 32. — Matth. 26. — Ibidem. — Supra 10.

Dominus quis timendus. — Deut. 32. — Iob 2. — Matth. 8.

Timor seruilis.

Quartus timor seruilis nominatur, durus sanè, ac violentus, ad obedientiamque & bonam vitam trahens homines, eo tamē fine, vt pœnas temporarias, vel æternas, quas diuina peccatoribus iustitia infligit, euadant. De qua Poeta quidam egregius inquit:

Horat. lib. 1. epist. 17.

Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Qui quidē timor à Spiritu sancto oritur, quemadmodum alia dona, quę cum peccato valent consistere. De quo Apostolus: *Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore.* Et Moses: *Quis det talē eos habere mentem, vt timeant me, & custodiant vniuersa mādata mea, &c.* Nascitur autem ex fide, quā Dei verbis, quibus iram minatur, præstat peccator. Nam eius per illum durities incipit mollescere; eius item elatio deprimi, insolentiaq; obedire. Hic tamen timor, si solus sit, cum Spiritu sancto, & cū Dei gratia consistere nequit, quia *perfecta charitas foras mittit timorem*, quoniā timor pœnā habet. Eiusmodi namque affectio purgat nō affectos internos, sed externos tantùm; immutat nō cor ipsum, sed operā; coercet iniquitatē, non iustificat voluntatem. Et licèt peccatum ab timore isto nō proficiscatur; non est propterea quòd peccatū displiceat, vel non delectet: nam vt August. ait, sequeretur iniquitas, si expectaretur impunitas: tamen iste timor disponit & pręparat hominem ad fugiendū peccatum; ob quam causam dicitur a Sapiente: *Timor Domini expellit peccatum*, Vt constat de Niniuitis, ad quos cum Prophetia minaci de subuertenda intra 40. dies ciuitate, Ionas accessit. Idem quoque narratur de Regibus Manasse & Nabuchodonosor, atque de filio Prodigo, quos omnes metu suppliciorum constat ad sanā mentem rediisse. Estque timor hic equo similis vmbroso, qui sibi insidentem excutit: ac veluti quidam terrę motus, qui ædificia dæmonis concutit, & diruit: est item velut medicina quædā, solo aspectu gehennæ morbum mentis & ægritudinem sanans, seruatq; sanam mētem, vt vmbraculum in vinea vuas custodit, & nimios Solis defendit ardores. Introducit etiam paulatim in Regnum charitatis non secus ac seta introducit filum: nam ita interdum compellit intrare per timorem, vt postea regnet per amorem.

Rom. 8. — Deut. 5. — Vnde oriatur. — Quando malus ac vitiosus. — 1. Ioan. 4. — B. August. — Eccles. 1. — Ioan. 3. — 1. Par. vlt. — Dan. 4. — Luc. 15.

Qualis timor seruilis.

Timor initialis qualis ille.

Quintus timor initialis appellatur: & is cum amore est admixtus, quia amor est

in per-

imperfectus, de quo Propheta: *Initium sapientiæ timor Domini.* Et, *Timor Dei initium dilectionis.* Habetque duplices oculos: altero quidem Deũ summè bonum cernit, & propterea tantùm amat, vt eum timeat offendere: altero verò respicit iudicium & vindictam imminentem, quam vt à se auertat, ac fugiat, obedientẽ se diuinę legi exhibet. Primus affectus iustitię respicit culpam: secundus affectionẽ commodi, & pœnam. Verùm cum ille sit prior magisque moueat amor Dei, quàm metus supplicij, ideo sanctus est, & ab Spiritu sancto procedit. & cum charitate, licèt imperfecta consistit, meritumque æternæ vitæ habet: quantoq; plus additur de charitate, tantò plus imminuitur de metu pœnæ. Quoniam verò rarissimi & paucissimi inueniuntur qui habeant perfectam charitatem, quę illum timorem penitus possit absorbere: hinc est, vt omnes iusti in præsenti vita, hoc timore initiali afficiantur. Atq; ad istud genus timoris spectat, quod dici solet:

Psal. 110. & Eccl. 1. Infra 20. Eius oculi plices.

Hic timor quare sanctus.

Oderunt peccare boni virtutis amore.

Horat. libr. 1. epist. ad Quintium.

Postremus omnium est timor filialis, qui castus, sanctus ac reuerentialis dicitur, ob perfectum scilicet amorem & syncerum, vnde ortum habet. Constatq; simplici tãtùm oculo, quo solo ab offensa & iniuria Dei abstinet propter ipsummet Deum, nulla ratione habita commodi sui, vel incommodi. Vt vel si daremus nullum esse inferni supplicium, & nullum cœli præmium, Deum tamen colere, illique sedulò seruire nunquã cessaret. Malè enim esset cõsultum parentibus grandęuis, in extrema senectute pręsertim vel necessitate constitutis, à quibus eorum filij nihil habent quod sperent, eoque si illis debita obsequia nõ præstarent; sed amor illos tantummodò atq; paterna obseruantia ad promptè, & alacriter ipsis seruiendum & ministrandum impellit. De hoc timore sic scriptũ est: *Timor Domini sanctus, permanens in seculum seculi.* Item: *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Qui absque dubio à sancto Spiritu cum charitate, atque amore coniũctus: imò totus amor, & charitas. Namq; si timet, ob id timet, quia amat. Cũ ergo hic dicitur: *Vt sine timore*, nequaquam excludit hunc reuerentialem & castum, neque rursus initialem, qui quidem initium est sapientię, & de quo dicitur, si nõ in timore Domini tenueris te instanter, citò subuertetur domus tua: neque rursus timorem naturalem, quo dum viuimus, spoliari non possumus; quemadmodum nec ab amore illo, quem nobis ipsis iure debemus: at solum timorem mundanum, & carnalem ac seruilem, si quando solitarius sit, excludit. Si quidem eiusmodi timores singuli vitiosi sunt, vt diximus; reliqui verò ex virtute promanant, vel saltem illi non repugnant vt naturalis. Id quod magis vt penetrare valeat, accipe tibi ex Augustino, timorem nihil esse aliud, quàm amorẽ fugientẽ aduersa, ac proinde qualis amor fuerit, qui est radix timoris, talis erit & timor. Amor autem naturalis, vnde naturalis timor oritur, neq; malus, neq; bonus est; eadẽ ratione neque timor, nisi alius bono sine coniũctus sit, vel malo vitietur. Constat enim in Christo qui cœpit pauere & tædere, bonũ extitisse, quia fretus charitate, timorem illum naturalem assumere voluit. At mundanus timor, carnalis ve, cũ ex amore mundi peruerso originem trahat, vitio non caret, scriptum est enim: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt.* Et alio in loco: *Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei*: qui propterea credentes in Christum (vt paullò ante ibidẽ ait Ioannes) propter Pharisęos illum non confitebantur. Carnalis verò, qui è superfluo vitę & carnis proficiscitur amore, eatenus turpis est, quatenus homo magis diligit carnẽ, atque eius commoda, quam Deum atque eius gloriam. Hinc Christus contra hunc amorem dicebat: *Qui inuenit animam suam* (in hoc mundo scilicet) *perdet illam.* Rursus: *Si quis venit ad me, & non odit patrem & matrem, &c. adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Ex quo Paulus mortis imminentis pericula, caussa Euangelij testificandi & disseminandi, neglexit atque contempsit, dicendo: *Sed nihil horum vereor: nec facio animã meam pretiosiorem quàm me, dum modo consummẽ cursum meum, & ministerium verbi quod accepi à Domino Iesu, testificari Euangeliũ gratiæ Dei.* Porrò seruilis timor vtilis esse potest, quia peccatis finem imponit, & ad amorem Dei disponit. Sed quoniã partim nascitur ex amore sui ipsius mercenario, atque meretricio (ideò enim à peccato abstinet, quia pœna, quod amat, commodum tollit) per se nõ est bonus simpliciter. Initialis tamẽ, & filialis, cum ex amore charitatis diuinę potissimum fluant, boni sunt & sancti, quia licèt nulla esset pœna proposita, tamen nollent, etiam cum possent, delinquere. Idcircò Scriptura pro deploratis habet illos, qui timore Domini carẽt. Hinc ait: *Non est timor Dei ante oculos eorũ.* Pro sãctis autem & religiosis eos, qui timore Domini, vel crimine abstinẽt, vel ad virtutẽ incitantur. Vnde Paulus Philippensib. scribens: *Cum metu*, inquit, *& tremore salutem vestram operamini.* Et alibi quoque: *Scientes*

Timor filialis.

Psal. 18.

Psal 2. Vnde oriatur ille timor.

Quo sine timore, Deo seruire debemus, vt Zacharias dixit. Ecclesi. 27.

Timor quid, secundum Augustinum. August.

Marc. 14. Christus quẽ timorem habuit.

1. Ioan. 2.

Ioan. 10.

Carnalis timor quatenus vitiosus.

Matth. 10.

Luc. 14.

Act. 20.

Timores prædicti comparantur inuicẽ.

Quorum desperata salus in Scripturis sanctis, & e contrario firma, certissimaque. Psal. 13. Philip 2. 2. Cor. 5.

timorem Domini hominibus suademus.

De manu inimicorum nostrorum à Deo quorum simus liberati.

Subditur in textu: *De manu inimicorum nostrorum*: id est, de potestate dæmonum atq; hominum qui eis se comites præbent & administros ad nocendum nobis: quos tamē cum Christo vincimus: nec vitiosè eos timemus, neq; formidamus; sicuti cōstat Indos Occidentales recens inuentos, timore dæmonum maximè fuisse perterritos, ne Christiani fierent. De manu etiā mortis, ac proinde aliarū rerum minus terribiliū. Et vt Origenes pōderat: *Crebrò de hostium manu aliqui liberantur, sed non absq; timore. Cum enim metus discrimen ante praecesserint, & ita de inimicorum manu quis fuerit erutus; liberatur quidem, sed nō sine timore. Non enim sensimus inimicos nostros, nec eos vidimus repugnantes: sed nescimus quomodo repentè de faucibus eorū & insidijs erepti sumus.* Hæc ille, prudenter quidem, cum nec ipsa quidem victoria de tentationibus dæmonum, satis in tuto sit. Sed timendum est nobis, & in excubijs vigilādum etiam cum vincimus. *Liberati.* Sanè intellige nos liberatos à dæmone, ita vt non vincant nisi sponte cadentem & volētem (quemadmodum Gregorius dicit) *Debilis est hostis, qui non vincit nisi volentem: verū non nisi Deo id ipsum ad bonū nostrum propemodum permittente.*

Origen. ho 10. in Lucam, su' initium, to. 2.

Victoria de inimicis quæ suspecta habenda nobis, ac minimè tuta.

Quatenus liberati de inimicis nostris. Gregor.

Seruiamus illi: Seruitute summa, quę Gręco vocabulo à Zacharia dicitur latria, quā illi soli in se ipso impendimus: in alijs verò à se, vt Angelis & sanctis, & similibus aliam seruitutem per chacitatem præstamus, quę dulia, vel hyperdulia à Gręcis vocatur. Atque hìc diligenter nota, libertatē Euangelicam cōiunctam esse cum seruitute. Quod Hæretici nostræ tempestatis nequaquā intelligentes, existimant libertatē à Christo collatā liberos non efficere ab omni seruitute, siue ab omni potestate, quod falsum omninò est & perniciosū dogma. Ex quo Paulus in quodam loco ait: *Liberati à peccato, serui facti estis iustitia.* Vbi vides Christianā libertatem nihil aliud esse, quàm pessimā ac vilem seruitutem exuere, & honestā, planeque ingenuam, & liberam quodammodò seruitutē induere, quam in primis Deo, deinde propter eum proximis nostris ex officio charitatis debemus impendere, iuxta Pauli doctrinam ad Galatas: *Vos,* inquit, *in libertatem vocati estis fratres: tantùm ne libertatem in occasionem detis carnis, sed per charitatem Spiritus seruite inuicem.* Hac ratione de se ipso testatur Apostolus alibi: *Cum essem liber ex omnibus, omnium seruum me feci.* Quemadmodum enim cum dicimur à timore liberati, non simpliciter à quocunque timore exempti sumus, sed à seruili, & illiberali, & prorsus vitioso timore, non autem à casto, & filiali: simul ratione, cum dicimur liberati à seruitute, non ab illa honesta, vtili, grata, & iocunda seruitute, quam tum Deo, tum proximis propter eum lege charitatis debemus, sed tantùm à misera illa atq; illiberali conditione, de qua dicitur: *Qui facit peccatum, seruus est peccati.* Et, *à quo quis superatus est, eius seruus efficitur.* Quia ergo promissio terræ viuentium, & hæreditatis cœlestis non nisi fide, & patientia comparanda est, præter liberationem, opus est etiam seruire: qua ratione Israelitæ liberati, atq; educti de Ægypto in possessionem donatæ terræ non nisi gladio armati acriter dimicando, asperoq; itinere deserti per tot annos incedendo introierunt.

Deo quomodo seruiendū nobis.

Vera libertas Euangelica in quo sita sit, contra Lutheranos.

Roma. 6.

Galat. 5.

1. Corint. 9.

A qua nos seruitute per Christum liberati fuerimus.

Ioan 8.

2. Petr. 2.

Terræ viuentium vt erimus hæredes.

Sequitur: *In sanctitate & iustitia.* Sanctitas, puritas est atque munditia spiritus, & proinde firmitas, atque in bono stabilitas: quę tum contingit, quum intellectum fide & prudentia; irascendi verò rationalem facultatem spe, seu fiducia; irrationalem verò fortitudine; vim autem concupiscentē, atque rationis participem charitate & iustitia; denique rationis expertē temperantia exornamus & decoramus. Atque hac ratione efficitur quis sanctus corpore & animo. Porrò iustitia legalis, quæ secundum Philosophum lib. 5. Ethicorum eadem est cum omnibus virtutibus: & de qua Hieronymus in Isaiæ ca. 54. & 55. omnes virtutū species, vno iustitiæ nomine continentur, ius suum & Deo, & proximo, & sibi reddit. Vt ita diligamus ex toto corde, & in tota anima, & in tota mente Deum, vti Christus expressit: integerq; spiritus noster, & anima, & corpus sine querela in aduentu Domini nostri Iesu Christi seruetur: per quā sobriè & iustè, & piè viuamus in hoc seculo, & domi nostrę inueniatur Martha, Maria, & Lazarus. Qui enim hæc habet, siue præstare potest hic iustitiā Christianā possidet, & iustus est. *Coram ipso.* Et non tantùm coram hominibus, vt videatur ab eis, vt in hypocrisi & ciuili, vel legali iure fieri consueuit: sed corā Deo spectatore, & iudice, operumq; nostrorum remuneratore. Ita vt cultum latriæ Deo exhibens, diuinus in se sit, Deique gloriam, vt finem spectet, mediasq; ac diuinas virtutes adhibeat. *Omnibus diebus.* Nunc sunt dies multi, at in patria vna tantùm est dies, cui nox, vel dies altera non succedit. In luce etiam meridiana iustus àmbulat, & non in nocte. Vt enim Apostolus inquit: *Qui dormiunt, nocte dormiunt: & qui ebrij sunt, nocte ebrij sunt.* Addit autem: *Omnibus*, ob perseuerantiam, quam in iusti-

Sanctitas quid sit: vnde comparetur.

Legalis iustitia quid sit. Arist. cap. 1. tom. 3. init.

Hier. tom. 5.

Matth. 22. Deut 6

1. Thess. 5. Tit. 2.

Coram Deo cur seruiendū. Matth. 6.

Quare omnibus diebus nostris.

Rom. 13.

in iuſtitia retinere debemus: & quę ſola palmam accipit, de qua dilectus diſcipulus: *Eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* ¶ *Noſtris.* Dies noſtri ſunt, dum viuimus, atque vtinam nos peccatis noſtris nó faciamus alienos, genio & voluptatibus indulgétes: poſt mortem autem tempus Dei eſt; ait ſiquidem: *Cum accepero tempus, ego iuſtitias iudicabo.* Dies etiã iudicij futuri ſunt: quia confecto negotio, lataque ſententia planè irreuocabili immutare nihil licet. Supereſt ergo, vt dum tempus habemus, operemur bonum: *Quia veniet nox, in qua nemo poteſt operari.* Omninò qui in gehenna cruciantur (ſi id illis concederetur vt poſſibile) magno pretio diem vel horam quidem vnam redimerent, qua poſſent à peccato reſipiſcere, & gratiam Dei, atq; amicitiã, ſuo vitio amiſſam & fractam, rurſus inire, atq; recuperare: at negatur. Niſi ergo velimus eſſe nobis ipſis capitaliſſimi hoſtes, operam demus, vt *de manu inimicorum noſtrorum liberati ſeruiamus illi* in corde puro, cóſcientia bona, & fide non ficta. Quod vt præſtare valeamus, præſtet Dominus noſter Ieſus Chriſtus: cui cum Patre, & Spiritu ſancto tribuatur omnis laus, poteſtas & imperium in ſecula ſæculorum, Amen.

Apocal. 2.
Dies quando noſtri ſint, non autem alieni.
Pſal. 74.
Vacandum operibus bonis quare dum viuimus.
Galat. 6.
Ioan. 9.
1. Tim. 1.

TRACTATVS XXIII.

In illa verba: *Et tu puer Propheta Altiſſimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias eius, Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius in remiſſionem peccatorum eorum.*

Luc. c. 1.

CVM hactenus Zacharias diuinam viſitationem ac redemptionem, eiuſq; formam & qualitatem ex Dei miſericordia & iuſtitia, atque omnium Prophetarum vaticinijs cecinisset: nunc ad circunciſi pueri propoſitum, proximam diſpoſitionem, ad talem redemptionem cum fructu ſuſcipiendam, id eſt, Ioannis aduentú, eiuſdemque præcurrentis munus, ad eum conuertendo ſermonem, proponit. Etſi enim ad Chriſti aduentú præparauerit homines Deus tum lege naturæ per creaturas humanum animum minimè ſatiantes, ad Deumq; Optimum Maximum laudandu inuitantes, deinde per rationem animam corpori, Deum autem animæ ipſi atque omnibus rebus creatis præferentem: tum diluuio luxuriæ, nefandisq; vitijs deditos homines puniente; diuiſione linguarum ſuperbos plectente, populoque peculiari electo, cui credita eloquia Dei, hoc eſt, myſteria atque ſecreta Meſſiæ ſunt: igne quoq; cœleſti Sodomorum horrenda, nefandaque flagitia vindicante; otio & captiuitate ad contemnendos mores Ægyptiorum, & ad exeundum de terra illorum compellente: accedente poſtremò lege Moſaica, quę morbum peccati, eiuſque medelam monſtrabat, Prophetis propè innumeris ad idē præſtandum à Deo deſtinatis: bellisque finitimorum Regum, atque alijs propemodum infinitis calamitatibus vexantibus, & ad diuinam opem implorandam compellentibus: proxima pręparatio tamen, quod attinet ad interna, fuit in beatiſſima Virgine, & etiam quantum ad externam, ac priuatam reuelationem: veruntamen quod ad publicam oſtenſionem, detectionemque ſpectat, Baptiſta Ioannes à ſancto Spiritu inſtructus, a Deo miſſus venit. Ait ergo: *Et tu.* Quaſi dicat de Verbo in Mariæ vtero deliteſcente, ſenex locutus ſum, iam de te puero loquar. Tu, ſolus inquam, & ſingularis ad hoc diuinum opus inter natos mulierum electus, amicusque Sponſi peculiaris. *Puer,* qui à puritate dicitur: magna quippe gratia ſanctificationis, cui addita eſt etiam gratia circumciſionis. Nec mirum cuiquam debet videri, ſi in hac apoſtrophe fiat ſermo ad infantem: nam circunſtantes perſonas alloquitur, vt ſentit Beda: vel (quod vero ſimilius eſt & probabilius) acceleratus eſt ei vſus liberi arbitrij, vt teſtatur Ambroſius (quem ſuperius, cum de ſaltu præ gaudio in vtero matris oratio fuit, allegauimus) & Origenes homilia decima in Lucam, cuius hæc ſunt verba: *Quod ſi dubitas, inquit, ſtatim de vtero matris effuſum poſſe verba patris audire, & ſcire quid ſit hoc, quod ad ſe dicitur: Et tu puer Propheta Altiſſimi vocaberis; conſidera multò fuiſſe mirabilius quod præceſſit. Ecce vt facta eſt vox ſalutationis tuæ in aures meas, exultauit infans in gaudio in vtero meo. Si enim adhuc in ventre matris concluſus audiuit Ieſum, & audiens exiliuit, atque lætatus eſt: quare non credis eum iã genitum Prophetam Patris audire & intelligere potuiſſe, dicentem ad ſe: & tu puer Propheta Excelſi vocaberis: antecedes enim coram Domino parare vias eius? Ideò reor Zachariam feſtinaſſe, vt loqueretur ad paruulum, quia ſciebat eum poſt paululum in eremo moraturum, nec ſe eius poſſe præſentiam habere.* Hæc ille. Id ipſum etiam docet Theophylactus. Cumq; vſus liberi arbitrij ſeu rationis duobus modis poſſit accelerari, vti ſuperius diximus, nempe vel diſpoſitis & perfectis organis corporis, quæ phantaſmata miniſtrant intellectui ad intelligendum, vt in pueris grandioribus ad ætatem, in qua perfectus eſt vſus rationis, peruenientibus vſu venit, vel ſpe-

Zachariæ ſcopus in his verbis.
Quot modis Deus mundũ præparauerit ad aduentum Meſſiæ.
Geneſ. 6.
Infra 19. & ſeq.
Gen. 11.
Rom. 3.
Exod. 14. & ſeq.
Ioannes Baptiſta vt viã Domino præparauerit.
Eius prærogatiuæ.
Matt. 11.
Ioan. 3.
Luc. 1.
Ibidem.
Zacharias cur hac vtatur apoſtrophe. Et tu puer Propheta Altiſſimi vocaberis.
Beda. tom. 5.
B. Ambroſ. li. 2. in Lucam, tom. 5.
Orige. tom. 2.
Theophylact.
Liberi arbitrij vſus accelerari poteſt dupliciter.

ciebus, quæ intelligibiles à Philosophis dicuntur, infusis, quæ organorum corporis dispositione non indigent, cùm Angeli, atque animæ separatæ per illas intelligāt: posterior tamen hic dicendi modus magis est rationi consonus, atque Prophetis familiarior: tū denique ipsi Scripturæ accommodatior, Angelū ipsum vocanti, vt ita Ioannem angelū fuisse intelligas, quod angelico more per species diuinitùs infusas, & in matris vtero inclusus, sanctissimæ Deiparæ verba salutantis, & in lucem iam editus patris prophetiam, atque ad se factam apostrophen & audierit, & intellexerit. Quam sententiam Origines prędicto loco confirmat his verbis: *Rectè Angelus dicitur, qui missus fuerat coram Domino, & prophetantem patrem statim vt natus est, audire potuit, & intelligere.* Sic ille. ¶ *Propheta.* Cùm Ioannes primò se Prophetam negasset, videlicet summum illum à Moyse prædictum, hoc est, Messiam: vel Prophetam longè antè quæ futura sunt, prænunciantem (vtroq; enim modo locus ille accipi potest, quemadmodum ibi explicuimus) tamen Christi sententia est plus quàm Propheta, nō solùm quia de ipso cæteri Prophetæ vaticinati sunt: vt Isaias atque Malachias, & pater etiam eius Zacharias: neq; ob id tantùm quòd ab vtero Propheta constitutus fuerit antequam natus: siue quòd in eo duntaxat finem habuerit prophetia, iuxta verbum Christi: *Propheta, & lex, vsque ad Ioannem prophetauerunt:* vel quòd etiam eius conceptus, ortus, pueritia in deserto traducta, & eius ostensio, singulare quoddam, & rarum signum atque prodigium extiterit: ita vt homines raperet in sui admirationem; ad professionem baptismi pœnitentiæ, in remissionem peccatorum multos traheret, autoritate sua atque existimatione, omnium Sacerdotum, Scribarum, ac Pharisęorum, atque adeò ipsius Herodis Regis conatus & impetus frangeret atque labefactaret: quæ omnia in illo summa, & singularia extiterunt, & quæ vix in reliquis Prophetis vniuersis vndique simul collectis, nedum in quolibet ipsorum facilè reperire queas. Sed propterea nimirum dicitur plus quàm Propheta, & Prophetarum vertex, quod cùm alij Prophetæ longè post venturum Messiam prædicarent, itemque eius admirabiles naturas & proprietates describerēt, vno summo fuit opus, qui proximè eum venturum prædiceret, sicut dixit idem ipse Ioannes: *Qui post me venturus est, fortior me est.* Sed qui, ne in dictis Prophetarum applicandis homines proprio spiritu & sensu errarent: à se prænunciatum tandē præsentem ostenderet, eique publicum testimonium perhiberet, Deo Opt. Max. nobis (qui magis ita promouemur) sese accommodāte. Vnde dixit: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi,* & Ioannes Apostolus: *Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine.* & iterum, *Hic erat quem dixi, qui post me venturus est:* quod prohibuit tanquam Propheta, vt de proximè venturo; de præsenti vt Euangelista, de pręterito vt historicus. Dictum enim Christi est: *Quod scimus loquimur, & quod vidimus, testamur:* item: *Vos misistis ad Ioannem, & ille testimoniū perhibuit veritati. Ego autē non ab homine testimonium accipio. Sed hæc dico, vt salui sitis.* Erat autem Ioannis testimoniū de Christo humana cognitione & consuetudine minimè nixum, verùm spiritu tātùm, & reuelatione. Hinc apud Ioannem testatur: *Quia vidi spiritum descendentem quasi columbam de cœlo: & mansit super eum. Et ego nesciebam eum: sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: super quem videris,* &c. At maius adhuc erat internum illud lumen, quàm visio illa externa. Vis autē & efficacitas huius testimonij Ioānis ex eo apparet, quòd cùm tanta esset expectatione & autoritate apud Iudæos, vt parati essent ipsi de se maxima testificanti, etiam si se Messiam dixisset, credere: ideò & ipsi de Christo testanti fidem habere debuerunt. Sed defecerunt, fingentes Christum modo suo, id est, Ioanni similem, scilicet nobilem, diuitem, & magnum in hoc seculo; cùm tamen spiritale sit testamentū. Est itaque Ioannes per excellentiam Propheta, non tamen communis, & vulgaris: bestia quoque, qui Antichristus est, propheta suo, vel (si mauis) pseudopropheta non carebit. Ac vocat quidem Prophetam Altissimi, hoc est Christi, qui altissimo æqualis est Patri. Ideo Christus dicitur virtus, & filius Altissimi, & olim Satanas dixerat ambitiosè: *Ero similis Altissimo:* quo verbo notatur altitudo huius Prophetę, quòd altiori modo, quam cæteri, de Messia altissimo prophetauerit. *Vocaberis:* id est, iam es: & cœperat vaticinium suum ab saltu illo, quem in matris vtero præ lætitia gestiens, edidit: postea tamen cognosceris & appellaberis: Baptizabat enim baptismo pœnitētiæ populum, dicens: *In eum qui venturus esset post ipsum, vt crederent.* Mirum est autem, Zachariam non sibi congratulatum fuisse, quod homines spiritu Dei destituti perfacili negotio fecissent, dicendo: Tu puer, munere diuino nobis in senecta datus, qui lumen oculorum nostrorū, & baculus senectutis nostræ futurus sis: in quo anni nostri nouissimi sint cōquieturi: qui bonorū

nostrorum

Marginal notes: Angelus quomodo Ioannes Baptista. Malach. 4. Matth. 11. — Origen. — Quem pater suus Zacharias nominat cur Ioannes se negat esse Prophetam. Ioan. 1. — Isai. 49. Malach. 3. Luc. 16. Matth. 11. — Supra 3. & seq. — Ioannes Baptista quare à Domino appellatur plus quam Propheta. Matth. 11. — Matth. 3. — Ibidem. Ibidem. Ibidem. — Ioan. 3. — Infra 5. — Quale Ioannis testimonium de Christo. — Supra 1. — Quam potens apud Iudæos eius testimonium. — Cuius Propheta Altissimi fuerit Ioannes Baptista. — Luc. 1. — Isai. 14. — Ioannes Baptista quando primum Propheta. — Act. 19. — Zachariæ modestia singularis. — Luc. 1

nostrorum hæres futurus sis: qui suscitare semen Israel possis: qui opprobrium nostrum, quod inter homines hactenus habuimus, sustulisti: quem speramus ingentem nostrę familię splendorem allaturũ: iam vtique parare opes non pigebit, cum sciamus, cui eas simus congregaturi. Non hac oratione vsus est Zacharias: verum priuatorum omnium commodorum oblitus ad communem illam populi liberationem attollit oculos, cui ministraturum infantẽ audierat. Additque: *Praibis enim*. Non à te ipso venies, sed tractus à Patre Verbi, sine cuius tractu nemo venit ad Christum, vt ipse Dominus dixit. Pręiuit autem Ioannes in omnibus ferè, nimirum conceptione, natiuitate, circumcisione, deserto, discipulis, baptismo, confessione, prædicatione pœnitentię, morte pro veritate legis tuenda, descensu ad Patres morantes in Limbo: solùm in assumptione corporis ad gloriam cœlestem, vt nec in gloria animę, non prę-cessit, sed secutus est Christum. *Ante faciem Domini*, Immediatè, illi proximus, id quod in alijs non habet locum. Vt enim in rogationibus quo posterior quisque est, eo dignior: ita inter Prophetas postremus fuit Ioannes, ac proinde Christo propinquior atque coniunctior. Sic dixerat Angelus: *Ipse praibit ante illum in spiritu, & virtute Heliæ* quod ita dixit: *Vt conuertat corda patrum in filios, &c. Parare Domino plebem perfectam*: hic dicitur parare vias eius, alludés ad verbum Isaiæ: *Vox clamantis in deserto, parate viã Domini, &c.* Propriè autem tunc cœpit prę-ire, cum cœpit prædicare, asserendo mox venturum Messiam: & baptizare in aqua ad significandum Baptismum Christi, qui fit in spiritu. Christus etiam propriè exorsus est viam suam à Baptismo Ioannis. Sic enim Petrus locutus est in Actis: *Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intrauit & exiuit inter nos Dominus Iesus, incipiens à Baptismate Ioannis, &c.* Hæc ibi, siquidem in baptismo dictum est illi: *Hic est filius meus dilectus.* Atque hic cõsiderandum videtur, proprium fuisse Patrum veteris legis Christum præire, fuisseque tum dictis, tum factis, & laborum dolorumque multa perpessione illum adumbrare, eius figuram & imaginem, qualis esset futura, quasi delineare. At Patrum nouæ legis, atque adeò omnium fideliũ haud est præire, sed sequi præcedentem Christum. Vnde illæ frequentes voces: *Sequere me: — Secuti sunt eum: — Qui sequitur me non ambulat in tenebris: — Vt sequamini vestigia eius.*

[Margin: Ioannes quomodo præiuit ante faciem Domini parare vias eius. — Ioan. 6. — Luc. 1. — Ibidem. — Ibidem. — Ibidem. — Ioan. 1. & alibi. — Luc. 3. — Ioan. 1. — Luc. 3. & seq. — Matth. 14. — Ioannes Baptista cur præiuit ante faciem Domini. — Luc. 1. — Ibidem. — Isai. 40. — Ioannes quando primum præiuit ante faciem Domini. — Matth. 3. — Act. 1. — Matth. 3. — Qui debuerint Christum præire, qui sequi. — Matth. 4. — Ibidem. — Ioan. 8. — 1. Pet. 2.]

Parare vias eius. Præparauit Ioannes vias Domini, vita, doctrina, & sacramento. vtique proxima dispositio ostensionis externæ non secus est quã serui, qui ante dominos suos gradiuntur: qui omnia ligna, lapides, & quęcunq; impedire aut remorari viam Domini possunt, remouẽt, & de medio tollunt. Talis erat Ioannes pręcursor. Erat vero præparatio dolere de peccatis admissis præcipuè, deque illis condignam agere pœnitentiã: vt ea ratione mundata Iudæorũ mente, illuminaretur à Deo de hac propositione: *Hic est Christus.* Ait autem in numero multitudinis: *Vias eius*, quoniam per dona diuersa ad homines vario ac diuerso modo dispositos venit, & per eadem interdum, varia tamen ratione, pro eius incomparabili sapientia. Et bene dixit: *Parare vias eius*, non parare domum; nam hæc erit in gloria, vbi domus erit, & mansio præparata: namque dum hic sumus viatores, nobiscũ est Dominus, quasi viator, id quod Hieremias innuit, cum dixit: *Quare quasi colonus futurus es in terra, & quasi viator declinans ad manendum?*

[Margin: Ioannes Bapt. quomodo vias Domini præparauit. — Hierem. 4.]

Sequitur: *Ad dandam scientiam salutis plebi eius.* Exponit Zacharias rationem, qua Ioannes parare vias Domini debeat: nempè dando scientiam salutis: vel præire, ad ea refertur, quæ, antequam Christum ostenderet, faciebat: quæ est ipsa scientia salutis: non corporis, quã medici pręstant; non humanam, quam curiositas fouet, scientiam, quam primis parentibus serpens falsò est pollicitus; quæ plerumque fallit, & eũ habentem inflat, & denique stulta est. *Nam sapientia huius mundi* (autore Paulo) *stultitia est apud Deum*: verùm scientiam salutis. Est enim Christus secundum diuinitatem, salus sanctificatio, & redemptio: secundum humanitatem verò, saluator, & salutare, & Iesus, sanctum, & redemptor est, vt dicitur, in concreto, per vnionem sese accommodans. Ergo scientia salutis, vel est fides Christi, quam Ioannes proponendo Verbum Dei, & Dominus intus simul illi operando, & lumen infundendo conferebant. De qua scientia dixit Isaias: *In scientia sua iustificabit ipse seruus meus multos*: vel (quod in idem recidit) est doctrina ea, quæ ad Christum suscipiendum pertinet, docens pœnitentiam. Sic enim ille clamabat: *Pœnitentiã agite*: diffidentiam de propria scientia: ex quo dicebat: *progenies viperarum, quis demonstrabit vobis fugere à ventura ira?* Contemptum nobilitatis generis: *Ne velitis*, inquit, *dicere intra vos: Patrem habemus Abraham*: Agnitionem de perperam intellectis diuinis promissionibus, idcircò aiebat: *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ*:

[Margin: Ioannes Bapt. quam dederit scientiam salutis plebi Domini. — Gen. 3. — 1. Corint. 1. — Infra 3. — Supra 1. — Christi Dei & hominis propria. — Infra 53. — Quæ rursus scientia salutis. — Matth. 3. — Ibidem. — Ibidem. — Ibidem.]

Ibidem. *Abrahæ*: doctrinam de non lædendo proximo: *Nihil amplius*, inquit, *quam quod constitutum est vobis faciatis*, Et: *Neminem concutiatis*: quin potius de eo iuuãdo: *Qui habet*, inquit, *Ibidem.* *duas tunicas, det non habenti. Et qui habet escas, similiter faciat.* Docebat deinde Christum Ioannes iam aduenisse: *Appropinquauit*, inquit, *regnum cœlorum: Ecce Agnus Dei.* Hic est, qui baptizat in Spiritu sancto: quæ res maiorem fidem, & autoritatem baptismo cõparabat atque confirmabat: prçter humilem susceptionẽ aquę, cui se vt munda terra subdebant. Ait ergo: *Ad dandam.* Nimiru opera prędicationis, de qua sola quia altior est & dignior, mentionem facit, quo pacto ait Apostolus: *Non misit me Dominus baptizare, sed euangelizare.* Vel etiam baptizando, dabat scientiam salutis, ideò dicebat: *Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat in spiritu sancto.* & Matthæus: *In diebus autem illis venit Ioannes Baptista prædicans in deserto Iudaæ, & dicens: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum.* Erat enim aliquo modo baptisma suum, quod ideò gratiam non prçstabat. Christi autem baptismus non propriè erat Apostolorum, quibus tamen aliqua ratione Euangelium tribuitur. Hinc Paulus: *Iudicabit*, inquit, *Deus occulta hominũ secundum Euangelium meum, per Iesum Christum.* Et quidem dat Ioannes vt extrinsecũ instrumentum, non salutem, quam præstat Christus, vt ponderat Bernardus sermone de natiuit. Ioannis Baptistæ: sed scientiam, seu notitiam salutis, hoc est, fidem, vel intelligentiam, vel externam doctrinam de salute, scilicet Christo nos liberante, seu de liberatione facta per eum. *Plebi eius.* Id est, Ecclesiæ quæ etsi modica & parua esset, vt tunc pauci erãt credẽtes: est vniuersa, quia Christum caput in se continet, & rectorem eius Spiritum sanctum. Qua de re affirmauit Ioannes: *Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine, vt oẽs crederent per illum.* Nam illa Ecclesia tradit alijs rationẽ & normam credendi. Hinc factum est, vt Imperatori Constantio Arriano multitudinem Hęretcorum obiectanti, & Catholicorum paucitatẽ, Liberius Pontifex Romanus responderit, ad veram Ecclesiã cognoscendam haud referre, numerũ esse magnum, vel paruum: nam olim Ecclesia Iudæorum in Babylone constituta, ad tres pueros, nolentes adorare statuam Nabuchodonosor, redacta fuit. Simili ratione nostri seculi hæretici initio paucitate gloriabantur: at vbi eorum secta auctior facta est, haud verentur multitudinem nobis impudenter obiectare, cum ex vera germanaq; scripturæ intelligentia per traditionẽ Patrum accepta, atq; legitimo Sacramentorum vsu, ac Episcoporum legitima successione, illorumque serie continuata, ad nostra vsque tempora certa Ecclesiæ nota capienda sit.

Tertia scientia salutis à Domini præcursore data. Matth. 3. Ioan. 1. Matth. 3. Ibidem. 1. Cor. 1. Quarta salutis scientia, quam Ioannes Baptista dedit. Ioan. 1. Matth. 3. Ioannis ab illo Christi baptismate discrimen. Rom. 5. Aliter Ioannes, aliter dat Christus salutem. B. Bernar. Ioan. 1. Veræ Ecclesiæ notæ, atque legitimæ quænam sint. Dan. 3.

Sequitur: *In remissionem peccatorum eorũ*: Id est, scientia salutis tendit in remissionẽ peccatorum, seu ad dandam scientiam salutis, quæ fit, & est per remissionem peccatorum, non per legem aut circumcisionem. Summa enim scientia, quam Iudæus carnalis, & mundus cum Philosophis capere nequit, in eo sita est, vt intelligamus salutem omneq; bonum nostrum in culpæ, quæ ad omne desiderabile postea perducit, remissione consistere. Atq; ex hac ignorantia inhabilitas ad euangelium, & doctrinã Christi, capacitasq; omnis superstitionis, iniustitiæq; proficiscitur. Propriumq; veri Messiæ opus erat, iuxta Prophetarum oracula, peccata remittere, vt vel sic Deus agnosceretur, cuius propriũ est peccatum dimittere, iuxta illud: *Hoc illis à me testamentũ, quum abstulero peccata eorũ.* Et Dauid: *Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus eius.* & Daniel. c. 9. *Septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt super populum tuum, & super vrbem sanctam tuam, vt consummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna.* Quamobrem Christus Dominus vita, & doctrina contra peccata concionatus est: remisit peccata mulieri adulteræ, & peccatrici, paralytico, & Zachęo, ac latroni, orauitq; pro inimicis: & occubuit propter delicta nostra extinguenda: post resurrectionem etiam iussit prædicari pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gẽtes: præterea omnia sacramenta veluti subsidia quædam & adiumẽta certissima contra peccata Ecclesię suę reliquit, in qua suos cultores vsq; ad sanguinem resistere voluit, aduersus peccatum repugnãtes, ac renitẽtes, item vt sui vel cum periculo mortis impendentis aliena peccata corrigerent atque insectarenrur acriter, vt constat de Stephano Act. 7. & de Pręcursore, de quo præsens est sermo. Nam Herodi ille constanter dixit: *Non licet tibi habere vxorem fratris tui.* & Pharisęos acri & minaci oratione obiurgauit, progeniem viperarum vocans: Publicanos ac milites ad se accedentes, vt à rapinis ac maleficijs, quibus illæ artes ferè semper implicantur, abstinerent, edocebat. Vt verum esse intelligas, dedisse scientiam salutis plebi eius, ad veniam delictorum obtinendam. Quo loco discãt præconesdi-

Scientia salutis vnde pendeat. Proprium opus Messiæ quod. Roma. 11. & Isai 59. psal. 129. Dan. 9. Plenè illud præstitisse Christum per se, & per suos. Ioan. 4. Luc. 7. Matth. 9. Luc. 19. Infra 23. Ibidem. Infra 24. Hebr. 12. Act. 7. & seq. Marc. 6. Matth. 3. Luc. 3.

nes di-

Concionatores quid præstare debeant.

nes Diuini verbi, eo spectare in concionib' suis debere, vt populus ipsos audiens, ad agnitionem perueniat veræ salutis, & peccatorum remissionem inueniat apud Deum. Nam hic valdè originali & sequentibus peccatis, quæ vnum penè cū eo sunt, dum nondum est dimissum, loquitur, in quam sententiam dixit Baptista: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatū mundi*, scilicet originale, vt Patres interpretantur: nam illud est peccatum commune totius mundi, cum reliqua personalia ad priuatos tantum pertineant, non ad mundum totum: & de originali Apostolus dixit: *Per vnum hominem peccatum in hunc mundū intrauit*: vel sermo est de peccatis ad personas spectantibus respectu plebis, quæ tunc beneficio circuncisionis, remissionem originalis acceperat: vt paullò ante diximus. Subdit autem: *Peccatorum eorum*, quippe quod peccata nostra sint, & ex nobis oriantur, teste Propheta: *Perditio tua*, inquit, *Israel*. & iterum: *Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos, & Deum vestrum*. Est porrò delictum originale nostrum non solum q iustam pœnam damni illius luimus: verùm etiam quia in parente nostro Adamo sua voluntate, nō nostra commisimus, qua ratione nūc rectè definitū est à sanctaSynodo Tridentina, peccatum illud esse vnicuique propriū, magis tamen propriè delicta, quæ vocamus personalia, quę propria voluntate committimus, nostra sunt. Accendamur itaq; oēs ad hoc studium addiscendę scientiæ salutis, intelligentes reliquas omnes scientias mortiferas esse, si ista, quæ in remissione peccatorum adipiscenda consistit, omninò destituamur. Quid enim homini prodest, si vniuersam Philosophiæ facultatem, si mathematicas disciplinas omnes, & Iurisprudendię perfectam cognitionē assequatur, cęterasq; omnes facultates, artes & scientias, animę verò suæ in sempiternis gehēnæ ignibus & flammis cruciandæ atq; torquendæ, detrimentum patiatur? Ille igitur verè doctus est, verè sciens est, qui salutis suæ scientiæ incumbens Saluatorē suum agnoscit, viamq; qua à pręteritis noxijs sublcuetur & à futuris præseruetur, virtutumque diuinarum officijs præstandis instruatur, non ignorat, neque tantum perfectam cognitionem habet (nam & hoc permulti nouerunt, qui tamen plagis vapulabūt multis, quia quod nouerunt, re non præstiterunt) sed etiam vsum & exercitationem salutaris illius scientiæ habet. E quorum numero nos vt simus; præstet Dominus noster Iesus Christus, qui cum Patre, & Spiritu sancto viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Ioan. 1. — Scientia salutis in quorum remissione peccatorum consistat. — *Roman. 5.* — *Gen. 3.* — *Oseæ 13. & Isai. 59.* — Peccatum originis nostrum est duplici ratione. — *Synod. Trid. sess. 5.* — Quanti nobis facienda scientia salutis. — *Matth. 16.* — In quo sit vera scientia salutis. — *Luc. 12.*

TRACTATVS XXIIII.

In illa verba: *Per viscera misericordiæ Dei nostri, è quibus visitauit nos oriens ex alto. Illuminare his, qui in tenebris & vmbra mortis sedent: ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. Puer autem crescebat & confortabatur spiritu, & erat in desertis vsque in diem ostensionis suæ ad Israel.* — *Luc. 1.*

FIDES atque doctrina Ioannis non solùm erat de iustitia in nobis habenda, sed etiam de modo, & via, qua erat à nobis obtinenda, id est, de Christo Domino. Nam vt beneficiū redemptionis per Christum, ita Ioannis præcursio, quæ ad illam præparabat homines, per eum obtinetur, ita vt descriptio præcursionis, declaratio quædem prioris partis Psalmi sit, nimirum redemptionis per Christum factæ, & vt simul sit epilogus concludens cū prima parte Cantici, nempè: quia visitauit, & fecit redemptionem plebis suę: vt fieri in versibus intercalaribus solet: qui per interualla repetuntur. Quemadmodum apud Poetam:

Ducite ab vrbe domum mea carmina, ducite Daphnin,

Et Dauid: *Confiteantur Domino misericordiæ eius: & mirabilia eius filijs hominum.* Ait ergo: *Per viscera misericordiæ*: Quasi dicat, salus, quę consistit in remissione peccatorum, & formalis, & inhęrens iustitia dici potest esse à Ioanne vt à ministro, à Dei verò misericordia vt efficienti, à Christo denique vt mediatore, & caussa meritoria. Est autem propriè misericordia, dolor, & ægritudo de alieno malo, quod nobis videtur immerenti alicui, & indignè accidisse. Porrò indigni sunt malo, nostra opinione, probi viri, innocentes, similes etiam nobis, qui in eadē possumus mala incurrere: item homines in vniuersum puri, ac simplices, quales sunt, pueri, mente capti, mulieres, senes, & qui magna sunt à fortuna, & florēte deturbati. Nascitur autem misericordia ex amore, vnum ex duobus efficiente. Principes autem, & generosi viri facilè tanguntur misericordia. Porrò viscera membra sunt interna proxima cordi, vt sunt pulmo, lien, iecur, in quo postremo sita est misericordia. Deus autem propriè nec viscera habet, nec misericordiā, vti nec iram perturbantem. Sed quemadmodum metaphoricè irasci dicitur, qui iudicat cum tranquillitate vniuersa; ita per translationem miseretur (tranquillus tamen, & quietus, & ex viscerib. misereri fingitur: sicut alio lo-

Duo nos docuit Ioannes Baptista. — *Virg. in Eclo. ga 8* — *Psa. 106* — Iustitia fidei aliter a Ioanne Baptista, aliter a Deo, atque a Christo proficiscitur. — Misericordia propriè quid. — Indigni mali qui. — Misericordia vnde nascitur. — Ad misericordiam qui valde propensi. — Viscera quid. Vbi sita misericordia. — *Sapient. 12.* — Quomodo Deus irasci, ac misereri dicatur.

Gen. 6.

co narratur: *Tactus dolore cordis intrinsecus.*) quia nimirũ eius misericordia intima est, vera est, ex vero amore profecta, ac maximè tenera, quo modo hepatis, in quo sita est, membrum tenerum est. Itaque ad effectu tenera est hæc misericordia, ac si tenerresceret ex redundantia virium superiorũ in partem sentientem: vt de muliere quadam sic testatur scriptura: *Commota quippè sunt viscera eius super filio suo.* Paulus quoq; ad hæc viscera misericordiæ electos adhortatur, cùm ait ad Colossen. *Induite ergo vos sicut electi Dei sancti, & dilecti, viscera misericordiæ,* & reliqua. Et dilectus: *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo?* Propter hæc misericordię opera, in quibus à Christo visitati sumus ex alto, debemus nos fratribus syncerum misericordiæ affectum ex intimis profectum visceribus. Quid enim est homo exuta misericordia, & humanitate, nisi immanis fera? Quod verò ex cordis teneritudine Deus Opt. Max. misertus sit, ex eo demonstrari potest: quòd non peccata dimisit sola voluntate, vt potuisset: in ò, quo res à nobis magnifieret, & amore nutriremur, id per Christũ hominem sanguinẽ pro nobis fundentem, atque morientem pręstare decreuit. Nam talis talium liberatio per talẽ mediatorẽ, inenarrabilis prorsus, & incomprehensibilis est misericordia à Deo nobis collata, & exhibita, quanquam Christo sit iustitia: *Ego,* inquit, *qui loquor iustitiam, & propugnator sum ad saluandum.*

Misericordia quam tenera.
3. Reg. 3.
Coloss. 3.
1. Ioan. 3.
Quali fratres nostros prosequi amore debeamus, exemplo Christi.
Quod Deus nostri ex intimis pręcordiis misertus sit, ostenditur.
Isai. 63.

Et vocat viscera Dei nostri: nempe vel patris, qui creatione & prouidentia sua fœdera nobiscum iniens Deus noster est: *Et sic dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret:* quod intimam & teneram Dei misericordiam arguit; vel potius Filij Dei, qui prę ter rationes dictas, per incarnationem etiã Deus est noster: quod nec Patri, nec Spiritui sancto conuenit: *Quia Filius Dei nusquam Angelos apprehendit; sed semen Abrahæ apprehendit.* Cùm etiam Christus verus homo sit ac viscera habeat, ex visceribus propriè cõmoueri ad misericordiam potuit, vt Propheta in persona eius dixit: *Factum est cor meum tanquam cera liquescens* (ex peccatorũ commiseratione) *in medio ventris mei.* Quo loco ventrem accepit pro parte corporis ad collum vsque, cuius in medio situm est cor: neque enim in ventris propriè accepti medio est positum cor, sed propè vẽtriculum. De hisce visceribus loquitur Paulus, cùm ait ad Philippenses: *Testis mihi est Deus, quomodo cupiam omnes vos esse in visceribus Iesu Christi.* Viscera hæc Dei olim latuerunt, de quibus Isaias: *Multitudo viscerum tuorum, & miserationum tuarum continuerunt se:* verum in incarnatione, & morte Filij Dei sunt aperta, & patefacta.

Deus quare noster sit.
Ioan. 3.
Qua ratione solus Christus, non autem Pater, & Spiritus sanctus Deus noster sit.
Hebr. 2.
Psal. 21.
Philip. 1.
Isai. 63.

In quibus visitauit nos oriens ex alto. In quibus visceribus, inquit: *Non enim ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos,* vt ait Paulus: *sed secũdum suam misericordiam saluos nos fecit.* ¶ *Visitauit.* Ad effectum videlicet, exhibens se ipsum nobis vidẽdum doctorem, consolatorem, adiutorem denique, atque è carcere peccati, & de manu truculentissimi hostis dęmonis liberatorem, ac seipsum in custodia pro nobis liberandis constituentẽ. Hæc misericordia lachrymas excussit ab oculis eius nostras miserias intuentibus: misertus est autem, quoniam generosus, & princeps, & similis nobis ad suam imaginem conditis, tum quia nos indignos tanto malo, quod fraudulẽtus Satanas nobis attulerat, esse iudicauit. *Nos,* Iudæos primitiuos primùm, deinde per eos totum terrarum orbem: quia vt Isaias prænũciauit de Christo: *Dedi te in lucem gẽtium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ.* ¶ *Oriens* Græcè est nomẽ substantiuum, non participium, scilicet ἀνατολή. Est autẽ Filius Dei ea voce significatus in Prophetis, Isaias enim ait: *Super te* (scilicet Hierusalem) *orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur.* & Malachias: *Orietur vobis timentibus nomẽ meum, sol iustitiæ, & sanitas in pẽnis eius.* Prętcrea Zacharias: *Ecce enim ego adducam seruum meum Orientem:* & infrà: *Ecce vir oriens nomen eius:* vbi vocem Hebręam Szemch 70. verterunt Interpretes ἀνατολήν, & Chaldæus paraphrastes Messiam. B. Hieronymus hanc vocem frequẽter vertit germen, vt Isa. 4. & Hiere. 23. & cap. 33. *In diebus illis, & in tempore illo germinare faciam Dauid germen iustitiæ.* In priori tamen loco Hieremiæ 70. verterunt ἀνατολή, in posteriori [illegible], quod est germen, vt cõijci possit 70. dictionem dictam ἀνατολή, non accepisse in illis locis vt tribuitur soli, sed vt tribui potest germini, quod ex terra nascitur, & oritur, sicut verbum ipsum, vnde nomen hoc deriuatur, ponitur pro germinare, & nasci: vt cùm dicitur: *Veritas de terra orta est,* Grecè ἀνέτειλε, hoc est, germinauit, in illis tamen duobus locis Zachariæ Hieronymus non germen interpretatus est, sed secutus LXX. vertit Orientem. Adeò vt hic Zacharias Propheta pater Præcursoris, si spectemus Hebraicam veritatem, non tam ad Zachariam illum Prophetam veterem, quàm ad Isaiam, & Malachiam in hac voce allusisse videatur. Nã [illegible] iungendo: *Illuminare his, qui in tenebris,* [illegible] constare potest eum alludere ad Orientem

Cordis simul vt ... visitauerit nos ex alto.
Tit. 3.
Dominus Iesus nobis quare misertus sit.
Genes. 1.
Infra 2.
Quos primum visitauerit oriens ex alto.
Isa. 49. & 18. 13.
Quibus [illegible]
Isai. 60.
Malach. 4.
Zachar. 3.
Infra 6.
Quid oriens [illegible]
Hier. 16. 5.
Psal. 84.
Hiero. tom. 6
Christus cur dictus [illegible]

ſolem, qui luce ſua pellit tenebras, & Meſſiam vocaſſe Orientem. Dicitur autẽ Oriens, quia ſemper oritur à Patre, & ſemper eſt ortus: ſiquidem in Trinitate ſanctiſſima omne quod procedit, iam proceſſit, ſemper etiam vnio actiua cum humanitate, ſeu cum mente noſtra eſt, licet paſſiua in tempore ſit, vt creatura, quã tempus metitur.

Idem quare oriens ex alto.

Subdit, *Ex alto.* Sol videtur nobis oriri ex imo: quem infinitis partibus Chriſtus excedit, qui ex alto patre eſt ſecundum diuinitatem, ſecundum corpus verò, ex cœlo etiam eſt, ſiue ex alto (nõ tantum altum deſerens) id eſt, Spiritu ſancto: quę virtus ex alto ab eodem Chriſto alio in loco vocatur: *Quoadvſque*, inquit, *induamini virtute ex alto.* Ex alto ergo Patre, ex alto Spiritu ſancto, & alta matre Virgine, quæ illum concepit, & peperit. Ex alto, ſiue, vt Paulus ait: *Non huius creationis.* Ad hunc itaque Orientem orãdũ eſt nobis: qui ob id maiorem Orienti dedit virtutem, vbi dextera Dei eſſe fingitur à Philoſophis, & Aſtronomis, & ſexus maſculinus, ibi paradiſus terreſtris, vt ait liber Geneſis, & locus Aſcenſionis Chriſti: *Nam aſcendit ſuper cælum cæli ad Orientem*; ſitus etiam tabernaculorum Iudæ, velum quoque, ac porta templi ad Orientem reſpiciebant. Vt ſe oſtenderet ad nos eſſe cõuerſum, noſque ad ſe euocare, vt fructum mortis eius participemus. Item ab Oriente ad iudicium venturus eſt, ait enim Dominus: *Sicut fulgur exit ab Oriente, & paret vſque in occidentem, ita erit & aduentus filij hominis.* Quanquam ne quid diſſimulem, cum ἀνατολὴ nomen ſit ſubſtantiuum, & nõ participium, illud, ex alto, non poteſt regi à voce Oriens, ſed à verbo viſitauit. Precemur igitur Dominum, vt Lucifer oriatur in cordibus noſtris, qui noſtræ ignorantiæ tenebras pellat; frigus pęccatorum diſſoluat, boniſq; actibus, atque Dei timori faciat incumbere. Vt enim prædixit Propheta Malachias: *Orietur vobis timentibus nomen meum ſol iuſtitiæ, & ſanitas in pennis eius.*

Luc.24. Hebr.9. Orandum eũ nobis ad Orientem. *Gen.2. Pſal.67. Ezech.43. Damaſc. li.4. orthod. fide, cap.13. Matth.24.* Lucifer ſi oriatur in cordibus noſtris quid efficiet. *2.Petr.1. Malach.4.*

Effectus viſitationis Chriſti.

Sequitur: *Illuminare his, qui in tenebris.* Vt initio Cantici propoſuit viſitationem ad redimendum, ita eam modo declarat, dicens: quòd viſitauit plebem in carcere exiſtentem: vnde viſitando eam, pro ſua miſericordia, liberauit. Et videtur Propheta Zacharias alludere ad verba Iſaiæ, qui & ipſe hanc lucem venturam longè ante præuidit: *Populus*, inquit, *qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta eſt eis.* Et alibi: *Surge, illuminare Hieruſalem: quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt. Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos; ſuper te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in ſplendore ortus tui. Illuminare.* Hoc eſt ad illuminandum, more Grę corum, quo infinitiuis vtuntur pro Gerundijs: vt ſuperius in hoc eodem Cantico vidimus feciſſe interpretem. Et quanquam illa conſtructio cum Datiuo: *Illuminare, his qui in tenebris, &c.* indicet eſſe imperatiui modi verbum, *Illuminare*, vt accepit Caietanus: quia tamen durior eſt illa conſtructio, infinitiui modi eſt, *Illuminare*, quod cum accuſatiuum regat, debet tamen hoc loco accipi pro neutro illuceſco, ſiue appareo, nam Græcè ἐπιφᾶναι, id ipſum propriè ſignificat. Viſitauit itaque oriens Chriſtus, ad illuminandum eos, qui in denſiſſimis ignorantię tenebris verſabantur. Quam ingentes autem, priuſquam viſitaret nos oriens ex alto, tenebræ terram operuerint, qui ſcire velit, cõtempletur qui rerum ſtatus in toto terrarum orbe tum eſſet. Erat enim vna electa gens Hebręa, quę ſola veri, & ſingularis Dei agnitionẽ ſe habere gloriabatur: & tamen, qualis eſſet, audi Prophetam: *Non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum, Dominus de cælo proſpexit ſuper filios hominum, vt videat ſi eſt intelligens, & requirens Deum. Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonũ, nõ eſt vſq; ad vnum. Sepulchrum patens eſt guttur eorum: linguis ſuis dolosè agebant, venenum aſpidum ſub labijs eorum. Quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt: veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem. Contritio & infelicitas in vijs eorum, & viam pacis non cognouerunt: non eſt timor Dei ante oculos eorum.* Quod verò hæc de populo Hebręo ſint intelligenda, explicauit Paulus, qui allegatis illis verſibus, ſubdit: *Scimus autem, quoniam quæcunque lex loquitur, ijs, qui in lege ſunt, loquitur, vt omne os obſtruatur, & ſubditus fiat omnis mundus Deo.* Si ergo talis fuit gens illa, cui lex à Deo per Prophetam Moyſen data fuerat: quales cenſes fuiſſe illos, quos Paulus aſſerit Deum non habuiſſe? Qui vitioſis affectibus nomen diuinitatis dabant: & belligerandi ſtudium, Martem vocabant: affectum laſciuię, Cupidinem, & Venerem: diuitiarum cupiditatem, Plutonem: furandi vitium, Mercurium: potandi, ſeque vino ingurgitandi immoderatum affectum, Bacchum, & Liberum patrem. Cæteraque in hunc modum. Neque tantum Solem, & Lunam, ac reliqua ſidera, ſed etiam porrum, cœpam, & hortenſia olera venerarentur vt Deos, & colerent. Ferunt etiam animalium effigies ab Ægyptijs ducibus galeis inſculptas ferri ſolitas: parta deinde victoria, ea anima-

Iſai.9. & Matth.4. Illud: Illuminare his, qui in tenebris, vnde ſumptum ſit. *Iſa.60.*

Qualis illa phraſis, illuminare his, qui in tenebris, & quomodo conſtet. Caietanus. Mundus totus ante Chriſti ſolis ortum quam in denſis ignorantiæ tenebris verſaretur. *Exod.19. & ſeq. Pſal.13. & Rom.3.* De gente Iudæorum Dauid & Paulus quid ſenſerint. *Ibidem.* *Exod.20. & ſeq. Epheſ.2.* Quam ſuperſtitioſo olim gentes deorũ cultu laborarent. Ægyptiorum Ducum mos & ſuperſtitio qualis.

animalia, quorum imagines victores duces secum adferebant, in deos relata fuisse. Atque ita cacodæmones cum cernerent gomines adeò stolidos, & excordes, miris, & miserandis modis eis illudebant. Nam Apollo Methymnensibus perutile fore respondit, si ligneum Dionisij caput colerent, diuinoque honore prosequerentur.

Oenomaus Philosophus.

Deos quomodo placandos Atheniensib. fame laborantibus Apollo responderit.

Oenomaus Philosophus in libro de falsitate oraculorum, sic ait: Cum fame Athenienses, propter Androgæi cædem agitarentur, & ad deorum auxilia confugerent: non iustitia, & humanitate, aut saltem pœnitentia, mentisq; contritione placandos esse deos Apollo respondit, sed dixit vt singulis annis septem mares totidemque fœminas in Cretam sacrificandos mitterent. Quid referam de serpente Æsculapij nuci ex Græcia in vrbem Romam peste grauissima laborantem, ad placandos deos aducto, vt Valerius est autor, spectantibus eum grauissimis, & eruditissimis quibusque ex Romanis, illumq; adorantibus? Quæ densiores aut magis palpabiles tenebræ vnquam mundum opprimere potuerunt?

Valer. Maxi. lib. 1.

Deus nunc quomodo nos illuminat.

Isai 7. iuxta LXX. *Ephes. 5.*

Illuminatio autem hic inchoatur, per fidemque primùm quidem facit credêtem, deinde etiam fidei proposita mysteria ad credendum intelligentem, vt docet Propheta: *Nisi credideritis*, inquit, *non intelligetis*: Ad hæc, bene operantem, eosque, qui aliquando tenebræ erant, lucem in Domino facientem, & tales fructus lucis edêtem, vt alij videntes eorum opera bona, glorificent Patrem eorum, qui in cœlis est. Consummatur verò in cœlesti regno per visionem beatam in lumine gloriæ; quando in lumine suo, vt Psaltes ait, videbimus lumê *His qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent.* Nimirum plebi suæ captiuæ, & missæ in tenebrosum carcerem; quo Mauri & Saraceni in custodiendis captiuis vtantur etiamnum, & olim vtebantur Iudæi, qui quoniam extra domos construebantur, propterea ad illum alludens Euangelium, vocat tenebras exteriores. Vocatur etiam lacus, vt apud Hieremiam: *Tulerunt ergo Hieremiam, & proiecerunt eum in lacum, &c.* & submiserunt Hieremiam in funibus in lacû, in quo non erat aqua, sed lutum, descendit itaque Hieremias in cœnum. Nam eiusmodi putei siue lacus aqua carebant, iuxta illud: *Emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* Quoniam vero eiusmodi lacus subterranei ostium supernû strictum habebant in formam putei; ideò clauso ostio vt fieri in carceribus assolet, in tenebris, hoc est, in loco tenebroso manebant. Qui locus, vt tenebræ vocatur, sic etiam vmbra mortis in libellis supplicibus à reis principibus seculi huius oblatis vocari solet: eiusmodi enim is locus est, vt mortem tenebris, & humiditate, ac frigore adferre consueuerit. Porrò qui tali carcere liberantur, primum quidê aperto ostio, luce donantur; deinde exire, atque pacificè abire permittuntur. Secundùm hanc ergo metaphorã duplex est carcer: alter inferni, alter peccati. Et inferni quidê, tenebræ exteriores, appellatur: qui carcer est propè centrum terræ situs, & extra domum diuinæ prouidentiæ, quæ salutem hominis promouet. Filius enim ancillæ de domo eijci præcipitur: & seruus qui non manet in domo in æternum, foras pellitur. Diciturque talis carcer mors ipsa, siue mors secunda, atque adeò corpus mortis, vbi ligati pedes & manus, manent damnati homines in fletu ex tenebris dentiumque stridore conflato. Aptè enim per tenebras significatur pœna damni, seu priuatio diuinæ visionis; per stridorem verò dentium, qui ex frigore efficitur, pœna sensus. Carcer deinde peccati subterraneus, tenebrosus valde, atque exteanus existit. Subteraneus inquam, quod hominem terrenis curis inuoluat: quemadmodum seruus ille piger, quòd talentum sub terra condidisset, grauiter reprehensus est; at tenebrosus defectu luminis fidei, vel eius abusu: vnde omnis origo peccati: Quare beatus Iacobus fidem iactanti, nec eam factis comprobanti, rectè dixit: *Ostende mihi fidem tuam* (scilicet eam factis exercentem) *sine operibus: & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam*: Paulus etiam de his tenebris peccatorum sic pulchrè ait: *Hoc igitur dico, & testificor in Domino; vt iam non ambuletis, sicut & gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratũ habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam, quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum, &c.* Et infrà, *In ipso docti estis, sicut est veritas in Iesu, deponere vos, secundum pristinam conuersationem, veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris.* Est item externus ea ratione, qua peccatum à domo paterna, vt filium iuniorem prodigum illum, abducit; atque ita abalienatus, quem Deus velut domum suam inhabitat, fame insatiabili cruciatur: Quæ externa simul omnia, & ad sensus pertinentia hominem ratione præditum, ad solidiorem q; ac diuturniorem cibum edendum factum, in villam vilissimi porcorum pascendorum ministerij causa abire compellunt. Est & peccatum vmbra mortis, eo modo, quo lethale crimen æternæ morti vicinum, ac proximum existit, vt vmbra corpori, & porta mortis ipsi morti: qua de Psalmista:

Qui

Marginal notes (left): *Matth. 5.* — Vt illuminabit nos Deus in futuro seculo. — *Psal 35.* — Quibus Christus illuxerit in tenebris, & vmbra mortis sedentibus. — *Matth. 8. Infra 22. Infra 25.* — *Hierem. 38.* — *Zachariæ 9.* — Laci sine aqua quales apud Iudæos.

Marginal notes (right): *Psal. 87.* — Quibus vmbra mortis. — Carcer duplex inferni & peccati. — *Matth. 8. Infra 22. Infra 25. Genes. 21. Galat. 4. Ioan 8. Apocal. 2. Rom. 7.* — *Matth. 8. Infra 13.* — Tenebræ exteriores quid & stridor dentium. — *Matth. 25.* — Omnis origo peccati quæ. *Iacob 2.* — *Ephes. 4.* — Tenebræ gentium antea. — *Ibidem.* — Carcer peccati cur externus. — *Luc. 15.* — Quomodo peccatum sit vmbra mortis. — *Psal. 9.*

Simile. *Qui exaltas me*, inquit, *de portu mortis*. A peccatis siquidem ad interitum æternum non est nisi fragilis, ac planè vitreus paries intermedius, id est, humanum corpus, quod Iob 21. leuissimo casu, vel lebricula solet corrumpi, quo corrupto, *Qui ducebant in bonos dies* II. Ratio. *suos, in puncto ad inferna descendunt*. Prętereà merito dicitur vmbra mortis: quòd hæc vmbra mortem efficit, dum luce spiritali eam priuat, & spoliat, in qua sola inest vita. Vmbra more Hebræo quid significet. Vel, more Hebræo, vmbra sumitur pro imagine, sicut vmbra hominis imaginem hominis præfert; & ita vmbra mortis, imago est mortis.

Sedentes in tenebris quid. I. sensus. Per sedentes in tenebris quidam intelligunt patres in Limbo obscuro loco, aspectu Dei carentes; quos non ita multò post descendens ad eos Christus liberauit. Illi enim sedebant in tenebris ab omni actione inter nos quiescentes. Verùm si consideres quæ pręcedunt: *In quibus visitauit nos Oriens*, & quę sequuntur: *Ad dirigendos pedes nostros, &c.* Satis constare potęst, hęc verba magis Alter sensus probabilior. ad viuentes, quàm ad defunctos pertinere; viuentes enim rectè dicuntur sedere, quia propter tenebras ignorantiæ non potuerūt rectè ambulare; sed coacti sunt ab officijs virtutum cessare, & in cœno vitiorum suorum hærere. Per tenebras ergo, & vmbram mortis metaphoricè significari solēt Isai. 9. & Matth. 4. in scripturis tribulationes & aduersitates, errores, ignorantiæ, & peccata. Ita dicitur: *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucē magnam: & sedentibus in regione vmbra mortis, lux orta est eis*. & Dauid: *Si ambulauero in medio vmbra mortis*. Igitur per illas duas voces Psal. 22. crassissimam hominum ignorantiam, qua ante Christi aduentum detinebantur, significauit, de quibus diximus paullò ante, tā apud Iudæos, quàm apud Gentiles deorū cultores: de quibus Isaias loquitur, dicens: Isa. 49. *Dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terra*. Sedere autem dicuntur Act. 13. peccatores, qua ratione otium à se non arcet, neq; se viatores, & patriæ inquisitores Qua ratione in tenebris peccatores sedeant. agnoscunt, & in sceleris conscientia quietā & tranquillam vitam agunt, & tanquam in Hebr. 13. Psalm. 1. cathedra pestilentiæ sedentes suo mortifero exemplo reliquos inficiunt atq; corrūpunt. Et quidem rectè sedētes appellauit: Cur sedere in tenebris dicantur peccatores. nam qui in tenebris degunt, aut eos cessare necesse est, aut ambulātes impingere. *Quoniam qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat*, Ioan. 12. quæ ambulatio sessione deterior est: nec enim proprium est hominum per tenebras ingredi, sed ferarum. *Posuisti*, inquit Propheta, *tenebras, & facta est nox: in ipsa pertrāsibunt oēs bestiæ sylua*. Psalm. 103. Oriente vero sole, ac terrā illustrante: *Ortus est sol, & congregati* Ibidem.

sunt, & in cubilibus suis collocabuntur. Et tunc exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam vsque ad vesperam. Vnde Christus seruator noster aiebat Iudæis: *Ambulate dum lucē habetis, vt non vos tenebra comprehendant*. Ioan. 12. Isai. 9. & Matth. 4. Et tamen Isaias refert: *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam*.

Subdit: *Ad dirigendos pedes nostros*. Quemadmodum fides illuminat intellectum, ita Quomodo dirigantur pedes nostri in viā pacis. pedes affectuum nostrorum (qui animum quocunq; volunt trahunt, vti pedes ipsum corpus) soluuntur à vinculis peccatorum, cupiditatumq; noxiarum funibus per charitatem externa omnia pessundantem, ac conculcantem, atq; ad viam mandatorum currendam vrgentem atque stimulantem. Hisce de gressibus loquitur sponsus ad spōsam in Canticis, cum ait: *Pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia principis*, alloquitur e- Psal. 118. Anima nostrā cuius filia principis sit. Cant. 7. nim animam iustitiam assequutam, quæ anima filia principis Dei est: cuius pedes amore Dei, & proximi calceati, decoros ac rectos faciunt gressus coram sponso Christo, gratumque illi saltationis spectaculum præbent. Ac viam quidem pacis, viam nouam appellat, quæ vnionem cum Deo & In quam viam pacis dirigantur pedes nostri. proximo, cumque propria conscientia ordinatam efficit: hîc quidem gratia, in cœlesti verò Hierusalem gloria, de qua Propheta dixit: *Qui posuit fines tuos pacem, & adipe frumenti satiat te*. Psal. 147. Hanc peccatorum vinculis obstricti non habent. Scriptum est enim, *Viam pacis non cognouerunt*. Est autem via pa- Psal. 13. cis via gratię, & non legis: nam illa iram o- Roma. 4. peratur, vbi enim non est dilectio legis, nō est pax, ex quo illud: *Pax multa diligentibus nomen tuū, & non est illis scandalum*. Psal. 118. Christus etiam non remittit, nisi remittas: verùm ipse spiritum præstat, quo possimus remittere. Via est item pacis regia à Deo: non e- Matth. 18. & Luc. 6. nim pax vlla est ijs, qui se ipsos regunt. Cum ergo Deus Opt. Max. ex carcere isto tenebroso gratiæ suæ nos beneficio eruerit, luceque ac libertate perfrui nobis pro immensa sua bonitate atque clementia dederit, ipsi benedicamus, illiq; gratias tanti beneficij, immortales agamus referamusq; si non re quidem (qui enim id fieri potest?) Quid illud Prophetæ: Eduxit me de lacu miseriæ & de luto fœcis. certè animo & voluntate, dicamusq; cum sancto illo Propheta: *Et exaudiuit preces meas: & eduxit me de lacu miseria, & de luto fecis*, Psal. 59. id est, de lacu cœnoso, ac fœculento, & in Hierem. 38. quem sordes confluunt (vt erat ille Hier.) Quid etiam: & statuit supra petram pedes meos: & direxit gressus meos. *Et statuit super petram pedes meos*: Id est, affectus meos in Christo, qui dicitur petra: in quo, vel in cuius vestigijs ambulanduū est: 1. Corint. 10. vel in virtute, quę firmiter & cōstanter, vt operemur, facit, & ideò subdit: *Et direxit gressus meos*; solā gloriam Dei in actionibus

nostris spectando semper, & ad portum æternæ patriæ suspirando. Quid autẽ debeat homo Deo pro tanto beneficio, explicans subdit: *Et immisit in os meum canticum nouum, carmen Deo nostro.* Illuminat autem hæc lux non leuiter peccantes solum, aut legem nõ seruantes, sed etiam peccatores magnos, de quorum salute desperare quis facilè posset. Sic Iesus ait, vocẽ etiam suã à mortuis exaudiendam. Hoc mundi iudiciũ est tamen, quòd omnes illuminati sumus, atq; audiuimus eius vocem: neq; tamen æqua portione recipimus omnes, & acceptamus. Alijs enim eorum scelera obstant, nolunt in lucem prodire, tametsi ad vocẽ ipsam exurgant: abdunt se tamẽ & ad tenebras suas reuertuntur: alijs ipsa eorũ iustitia obstat nõ minus. Quærentes enim suã iustitiã statuere, in eam, quæ ex fide Christi est, iustitiam non peruenerunt: ex iustis tamẽ venerunt qui voluerunt, & perfecti facti sunt. Ex peccatoribus quoq; qui voluerunt, etiã venerunt, & multis qui alioqui iusti erant, prælati sunt, vt ipse Dominus dixit: *Publicani & meretrices præcedent vos in regno Dei.* Hęc autẽ omnia tam variè, vt intelligamus omnes esse vocatos, & illuminatos, audisseq; oẽs: verùm quia liberi esse permissi sunt, inuitatiq; ac non coacti sunt, ex omni genere venerunt, atq; ex omni itẽ generatione nõ venerũt; vt nihil obstare intelligamus volentibus; nolentibus autem, omnia impedimento esse. Volũtas enim, quæ libera relicta erat, dominarerũ fuit, vt perderet quos Christo sanandos nõ concederet: seruaret verò quos ei permitteret daretque.

Fides vel Christus quos illuminent.

Ioan. 5.

Quare non omnes illuminantur.

Matth. 21.

Sequitur: *Puer autem crescebat & confortabatur spiritu.* Cõfortabatur, Græcè dicitur, ἐκραταιοῦτο, id est, subinde se ipso validior ac robustior fiebat: non tantũ corpore, sed & spiritu. Descripsit autem superius Lucas, conceptũ, ortum, & circuncisionẽ pręcursoris: iam paucis admodum comprahendit tempus, quod circuncisionem inter, & prædicationem eius intercesserat. Suo autem loco posteà declarabit, quàm sedulo suum præstiterit officium. Ioannes ergo puer vt ætate & corpore adolescebat, ita afflatu diuini numinis magis semper proficiebat firmitate & robore spiritus. Est porrò singulare Dei Opt. Maximi beneficium, sanè paucis propter eorum oscitãtiam, & negligentiam concessum, tãtum spiritu corroborari, quantũ corpore adolescas & grandescas; multi enim sunt, qui quò magis ætate progrediuntur, eò magis à via iustitiæ declinant, & spiritu, siue animo in Ægyptum, quemadmodum Israelitæ, reuertuntur. Admiranda est autem Magdeburgensium Centuriatorum cœcitas, qui docent Ioannem in primis annis fideliter in sacra doctrina imbutum, & feliciter in ea progressum esse, ita vt egregium pietatis specimen de se præberet. Deinde addunt verisimile esse, in bonorũ virorũ schola, literarũ semina percepisse. Præterea Mariam crebrò ad Elisabetham accurrisse, & Iesum in pueritia sanctam & pulchram cum Ioanne puero familiaritatẽ & amicitiã coluisse. Sed profectò duo priora falsa esse ex eo deprehenduntur, quod iniquum est in primis opus Dei proprium pędagogis, & magistris tribuere, quos parentes filijs suis benè educãdis edhibere solent, dictum est enim: *Quis putas, puer iste erit? Etenim manus Domini erat cum illo,* non manus hominis alicuius: ille enim spiritus, qui sanctum prius fecit, quàm natum, & exilire fecit prę gaudio in vtero, & Prophetam ibi eum constituit, docuit posteà. Et Chrysost. in Ioan. *Ita igitur,* inquit, *Ioannes cum omnibus se sensibilibus exuisset, alijs magistru non indiguit, sed cœlitus eruditus est.* Item Bernard. *Ioannes in spiritu tanquam Angelus eruditur. Nimirum tantò propinquior Deo, quantò vox verbo vicina, cui nulla voce alia media, quod foris sonet, oporteat intimari. Neq; enim Ioannem prædicatio, sed inspiratio docuit, quem repleuit spiritus in vtero matris suæ. Verè ardens, & vehementer accensus, quem sic praeoccupauit flamma cœlestis, vt iam Christi sentiret aduentum, qui necdum sentire poterat vel seipsum.* Sic illi. Nec minor erat Ioannes cæteris Apostolis, qui tamen in die Pentecostes scientiam fidei & linguarum donum consecuti sunt. Adhæc, non tantæ dignitatis, & autoritatis fuisset eius doctrina, si humana industria esset parta, vel per magistrorum ministerium instillata. Tertiò illud omninò est fabulosum, & contra Euãgelium: Etenim Christus puer fugit in Ægyptum, & ibi aliquot annis hæsit, & cum Ioannes redijt ad prędicandum, apertè testatus est: *Ego nesciebam eum,* id est, de facie minimè noueram, vt Chrysostomus cum Theophylacto, & Augustinus cum Ruperto interpretantur. Ex quo autem puer Ioannes ingressus fuit in desertum, à pueritia vsq; ad tempus publicę pręd:cationis delituit. Et conueniebat magnoperè publicæ vtilitati, Ioannẽ primis annis minimè Christo fuisse familiarem, ne eius prędicatio alicui amicitiæ affectui tribueretur.

Ioannes quomodo crescebat, & confortabatur spiritu.

Singulare Dei Optimi Maximi.

Num. 11.
Cent. 1. libr. 1. cap. 10.

Ioannem Baptistam non humanitus, sed diuinitus eruditum fuisse contra Magdeburgenses.

Luc. 1.
I. Ratio.
ibidem.

Chrysost. ho. 13. in Ioan. tom. 3.

Bern. serm. in S. Ioan. Bapt. Natiuit.

Ioannes qui Deo propinquus, teste Bernardo.

Act. 2.
Cur decuerit Ioannem Baptistam tantum edoctum esse diuinitus.
II. Ratio.
III. Ratio.

Matth. 2.
Ioan. 1.

Chrysost. hom. 16. in Ioan.
Theophylact.
Aug. tract. 5. in Ioan.
Rupert. Tuit. lib. 2. in Ioan.
Luc. 1.

Sequitur: *Et erat in desertis.* laudatur Hercules (huius rei gratia) qui prima suboriente adolescentia exiuerit in solitudinem, atque ibi sedens, & meditans, viam tandem virtutis, spretis voluptatibus, ingredi deliberauerit: at multò excellentius noster

Ioannis Baptistæ cum Hercule comparatio.

Ioannes

Quare conceptiens fuerit Domini Præcursorem à primis statim annis eremiticam ducere vitam.

Luc. 1.

Ioannes, nempè à spiritu excitatus ac impulsus. Non enim diu se in parentum ædibus continuit, verùm ab ipsa statim pueritia subduxit sese ab hominum strepitu, & frequentia atque consuetudine: ne vel ex vulgi commercio aliquid labis contraheret, qui in vtero donum sanctitatis acceperat, vel ne ex nimia populi familiaritate, eius sensim autoritas aliquando contemneretur. Ad hęc vt nulla esset calumniãdi ansa, & occasio: Nam si iam grãdis factus deserta petijsset, potuisset malitiosus & suspectus videri, quasi sibi auram quandam gratiæ popularis vellet captare. Nunc autem à teneris annis illo loco tam inculto atque horrido delectatus & captus, illo vestitu, cibo, & habitatione contentus describitur: vt nulli prorsus aut ambitiosus, aut cupidus existimari posset: sed vt testis fide dignus haberetur, & libere peccata coargueret. Talis etiam deserti locus decebat eum, qui prædicandæ pœnitentiæ erat destinatus, vaticiniumq́; Isaiæ de illo congruebat, qui dixit: *Ego vox clamantis in deserto.* Hic latitabat vir sanctus, quo inter natos mulierum maior nemo surrexit: hic silebat, vt suo tẽpore maiori cum fructu, atq; maiori cum autoritate prodiret ac loqueretur. Quidã ex Euangelio Nazaræorum referunt; occisis per Herodem innocentibus pueris, Elizabetham cum Ioanne in desertum profugisse, atq; ita latuisse, quod mihi improbabile non videtur.

Ioan 1. Matth. 11.

Niceph. lib. 1. hist. eccles. 14 Matth. 2.

Hæreticorum de deserto Ioãnis falsissima, absurdissimaque interpretatio iugulatur.

Eras. Sarcerius.

Brent. hom. 10. in Lucam

Centu. 1. lib. 1. cap. 10.

Porrò illud durissimum, & sua absurditate minimè ferendum, quod Hęretici hic per deserta loca intelligunt, vel priuatam vitam quam vixit, & in qua educatus est, vt Eras. Sarcer. in Luc. 1. vel vitam à ciuili cõsuetudine alienam iuxta leges Nazaræorum, vt Brent. vel tribum Iuda, quę in mõtanis locis, & solitudini proximis sita erat. Sic enim Centuriatores confidenter ac impudenter docent his verbis. *Desertum vocat, oppida ad desertum adiacentia. Quod nequaquam de antro aliquo ab hominum conuersatione remoto accipiendum est, quasi ibi velut visus & μισάνθρωπος delituisset ab omni humanitate alienus: sicut posterioribus temporibus Eremitæ, & id genus homines superstitiosos sibi finxerunt cultus: sed in œconomia sacrorum parentum est educatus, qui habitarunt in loco, qui vulgo desertum vocatur. Sicut etiam nunc vulgus loquitur, ad Herciniam syluam habitare, hoc est, in oppidis prope montes habitationem suam habere. Ita postea in deserto baptizat, hoc est, in oppidis propè Iordanem, vbi non procul montes aberant, ac passim tamen oppida, & pagi erant.* Sic illi, & sanctos patres Eremi cultores traducentes, & superstitiosum eorum cultum perstringentes, & voces ipsas à proprietate significationis genuinæ detorquentes, & scripturam ipsam falsa omninò interpretatione eludentes, ac deprauantes. Quis enim æquo animo ferre valet talem enarrationem.

Matth. 3.

I. Ratio.

Erat in desertis vsque in diem ostensionis suæ ad Israel. Id est, in ædibus paternis? quid enim hoc est aliud, quàm ex deserto facere habitatam ciuitatem iuxta desertum? Ad hæc si desertum, & solitudo propriè non erat, vt Propheta dixit: *Vox clamantis in deserto: parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri*; quorsum Matthæus ait: *Tunc exibat ad eum Hierosolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem; & baptizabantur ab eo in Iordane*, Et Dominus: *Quid existis, inquit, in desertum videre? arundinem vento agitatam? &c.* Hic enim exitus ad eum, & præsertim regionis circa Iordanem, ostendit propriè fuisse in deserto horrido, inculto, & inhabitato: & Ecclesia verum desertum intelligens, canit:

II. Ratio. Isai. 40.

Matth. 3.

Infra 11.

> *Antra deserti teneris sub annis,*
> *Ciuium turmas fugiens petisti;*
> *Ne leui saltem maculare vitam*
> *Famine posses.*

Prætereà ait Lucas: *Factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto. Et venit* (nimirum ex interiori deserto) *in omnem regionem Iordanis*, quam regionẽ Matthæus, vocat desertum Iudææ, ait enim: *In diebus illis venit Ioannes Baptista prædicans in deserto Iudææ.* Vbi Euthymius diligenter notauit, duas fuisse eremos interiorem, à qua emissus ille prodijt, & alteram exteriorem, quæ est propè Iordanem, ad quam venit teste Matthæo, in qua baptizabat, quę à Ioãne dicitur Bethabora, à Luca regio Iordanis, & Matthæo desertum Iudææ, & omnis regio circa Iordanem. Ad hæc si ita pergant Scripturas exponere, planè faciẽt ex deserto vbi Christus à Satana tentatus est, aliquam ciuitatem ab hominibus habitatam; & vbi pauit quinq; millia hominũ, locum fuisse pagis refertum. Et cum à Luca dicitur: *Iesus autem plenus Spiritu sancto, regressus est à Iordane, & agebatur in spiritu in desertum.* Et rursus: *Ipse autem secedebat in desertum, & orabat.* Constituunt oppidum aliquod aptum precationi: quasi verò loca hominum frequentia culta idonea sint ad precandum, ac non potiùs solitaria. Nec Euangelistas latuit aliud esse desertum, aliud locum habitatum: vnde apud Ioannem dicitur: *Iesus ergo iam non in palã ambulabat apud Iudæos, sed abijt in regionẽ iuxta desertũ in ciuitatem quæ dicitur Ephrem, & ibi morabatur cum discipulis suis.* Nazareatus prætereà mi-

III. Ratio. Luc. 3.

Matth. 3.

Euthymius. E qua eremo Ioannes Baptista prædicaturus ad turbas.

Ioan. 1. Luc. 3.

IV. Ratio. Matth. 4.

Infra 14. Luc. 4.

Luc. 5.

V. Ratio.

Ioann. 11.

VI. Ratio.

nime se ad tanta opera extendebat, nec ad tam rigidam, & austeram vitam Ioannis. Audi iam Origenem in Ioannem sic scribentem: *Non exspectauit vt à Patre nutriretur vsque in diem ostensionis suæ ad Israel, sed recessit fugiens tumultum vrbium, populi frequentiā, viciniam ciuitatū, & abijt in deserta, vbi purior aer, & cœlum apertius, & familiarior Deus: vt quia nec dum sacramentum Baptismi, nec prædicationis tempus aduenerat, vacaret orationibus, & cum Angelis versaretur.* Gregorius Nazianzenus in oratione, de paupertate fouenda, seu de pauperum cura scripsit: *Pulchra sunt solitudo, & quies, quod me Helias docet Carmelus, eremus Ioannis, mons Iesu, in quem sæpius illum secessisse, & per quietem cum se ipso conuersatum esse apparet.* Hieronymus quoque ad Rusticum Gallum: *Ioannes*, inquit, *Baptista sanctam matrem habuit, pontificisq; filius erat; & tamen nec matris affectu, nec patris opibus vincebatur, vt in domo parentum cum periculo viueret castitatis. Viuebat in eremo, & oculis desiderantibus Christum, nihil aliud dignabatur aspicere. Sic ille:* Sed non est opus, in re tam aperta pluribus decertare. Sed cur non hanc vitam Dominus etiā ingressus est, ne quisquam eum accusaret quòd vorax, & potator vini, & amicus publicanorum, peccatorumque haberetur? Responsio est: Dominus ipse, dominus erat, & futurus erat exēplar nō huius, vel illius, sed omnium; quare omnibus sese accommodare debuit. Itaque prius faber esse voluit, & panem in sudore manducare, & in hoc pati nobiscum, vt sciremus & in hac re ipsum nostri commisereri; item vt merces mercenario redderetur, vt quam & ipse ex operibus suis expectasset. Deinde diues, aut peccator nō fuit, sed & cum illis versatus est, ne auersari eam hominū conditionē videretur; sed illis quoque remedia præbuisse; vt diuites & peccatores in eo quoque spem suam haberent, quòd scirent se quoq; curæ esse domino suo. Subiungit: *Vsq; in diem ostensionis suæ ad Israel.* Ostendit se Ioannes non quidē sua autoritate, sed impulsu Spiritus sancti, quo actus docere cœpit, & baptizare, atque ita se ipsum detegere Prophetā à Deo missum, & præcursorem Messiæ aduenientis. Ac illa quidem ostensio, qua se prodidit ex diuino præcepto, magis fuit ostensio Messiæ, quem prædicabat, quemq; ipse, vt vox verbum, indicabat, & vt lucerna ardens & lucens diuinitatem crusta humanitatis intectam ac delitescentem ostendebat. Hic autem obseruare poteris generosum & inclytum animum & filij, & parentum simul: Filij quidem, quem affectus parentum detinere non valuit, quo minùs ducē spiritū sequeretur: in quo imitandus est ab adolescentibus, qui ad statum religiosum à Domino vocatur, quos Hieronymus his verbis adhortatur: *Licet*, inquit, *paruulus ex collo pendeat nepos: licet sparso crine, & scissis vestibus, vbera quibus te nutrierat mater ostendat: licet in limine pater iaceat per calcatum perge patrem, siccis oculis ad vexillum crucis euola. Solum pietatis genus est, in hac re esse crudelem.* Christus etiam in hanc sententiam dixit: *Qui amat patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus.* Parentū verò generosus animus declaratur, qui vnici filij, eiusq; in senectute geniti, priuari se iocundissima cōsuetudine passi sunt, cum animaduerterent Dei nutu, & instinctu fieri, vt ad solitaria, omniq; prorsus humana consuetudine destituta loca raperetur. Quo magis illi veniunt reprehendendi, qui tum demùm amittere se putant filios suos, cum eos cernunt, spiritu duce, vitæ huius illecebras, opes, & honores contemnere, atque dicare se Deo velle: qua in re intolerandos abusus nostra ætate licet spectare: dum parentes secundū carnem potius, quam secundum Deum filios suos amantes, sæpenumerò vel cogūt ex puellis filiabus quasdam inuitas ad religionem amplectendam, quo maiori cum pompa & honorificentia alias collocare valeant; vel religiosè instituto semel suscepto & professione tacita confirmato, aliquot post annos non verentur eos à cœnobijs, magna cum populi offensione auocare, atque abducere, vt sponsa Christi nubat homuncioni. Igitur diligēter curemus, vt vocanti Spiritui cedamus, atque eius monita & diuinos afflatus humanis consilijs anteponamus, quemadmodum Christi præcursor, ac eius parentes exemplo suo nos docuerunt: in quorum numerum vt nos aggregemur, præstet Dominus noster Iesus Christus, qui cum Patre, & Spiritu sancto semper viuit & regnat in secula seculorum Amen.

Orig. hom. 11. in Ioannem, tom. 3.

Greg. Nazian. orat. 27. to. 2. 3. Reg. 18.

Hier. epist. 4. ante medium, tom. 3. in prin.

Cur Dominus noster Ioannis instar, solitariam vitam nō sit ingressus. Prima ratio,

Matth. 11. Marc. 6. II. Ratio. Leuit. 19.

III. Ratio.

Qua autoritate Ioannes Baptista ostenderit Israelitis.

Ioan. 5.

Documentū insigne à Ioanne traditū adolescentib.

Hiero. ad Heliodorum mo. epist. 1 tom. 1. in princ.

Matth. 10.

Parentum Præcursoris generosus animus.

Parentum ac consanguineorum intolerabiles abusus.

TRACTATVS XXV.

In Christi genealogiam per Matthæum descriptam: ac præsertim de B. Matthæi scopo in Euangelio scribendo.

Epilogus dictorum.

SVPERIORIBVS tractationibus Annunciationis mysterium atque visitationis simul cum Ioannis natiuitate Deo fauente expediuimus; quòd illa mysteria serie quadam ita connexa erant & colligata inter sese, vt alterum alterius expositionē exposceret, & flagitaret: nunc verò quæ

B. Mat-

B. Matthæus primo capite complectitur, secundum ordinem historiæ, nobis enarranda sunt. Sed ante omnia de Euangelistę Matthæ: caussa, qua ad scribendum impulsus fuit: tum de scopo in conscribendo Euangelio ab eo seruato, pauca prę mittenda sunt: non sine fructu, vt spero. quemadmodu de Ioanne, & Luca fecimus. Caussa igitur præcipua, quæ Matthęum ad scribendū permouit, Spiritus sanctus fuit, quia Euangelicam doctrinā literis consignari suo loco, & tempore voluit. Nā & ille propterea magnum desideriū in fratribus, qui ex circuncisione Christū fide susceperant, ingenerauit, vt à B. Matthæo Apostolo (quem sæpè honoris caussa nomino) conscriptionem Euangelij obtinerent. Igitur ille Spiritu sancto suadente, omniū primus Euangelio scribendo operam dedit. Cumq; iā post annos, ab assumpto Christo, duodecim ad prædicandum gentibus, discessurus esset, fidelibus, ac præsertim B. Iacobo fratri Domini Episcopoque Hierosolymitano, vt Synopsi sua testis est Athanasius, Euangelium conscriptum tradidit. Scripsit autem Hebræo sermone, nempè vulgari, & Syriaco, qui id temporis in vsu erat, quique in Euangelica historia haud semel dicitur Hebraicus, vt primo libro latè comprobatum testatumq; reliquimus. Est verò singulare diuinæ prouidentiæ argumētū, inter Apostolos eos maximè scriptores esse voluisse, qui erant insigni aliquo sceleris nomine notati. Vt enim Dauid, ac eius filius Salomon, etsi peccatores, quibusdā scelerū & flagitiorū inulti maculis, multa, atque ea quidem pręclara, in veteri lege scripserunt: ita in noua Matthæum, qui ad telonium sedebat; Marcum & Lucam, qui ad verbum Domini: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, &c.* retrocesserunt, & à Christo defecerunt, vt ex Hyppolito martyre, Epiphanioque allegauimus: Petrum deinde qui ter Dominum negauit, & Paulum, qui supra modum Ecclesiam Dei est persecutus, summos ac maximos Euangelij scriptores esse voluit, vt arbitror, nō ob aliam causam quàm vt illi non tantùm oratione, vel scripto, sed etiam suo exemplo spem nostram erigerent, & ad benè sperandum de diuina clementia, Christique sanguine confirmarent; testatumq; relinquerent, non frustrà Dominum gratiam suam peccantibus polliceri, qui inter Apostolos maximè eos ad scribendum Euangelium gratię eligere dignatus fit: id quod de Matthæo publicano Epiphanius adnotauit atq; Hieronymus. De Paulo verò Ecclesię persequutore, ipsemet loquatur: *Fidelis sermo* inquit, *& omni acceptione dignus: quod Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum. Sed ideò misericordiam consequutus sum; vt in me primo ostenderet Christus Iesus omnem patientiam* (siue vt Græcè dicitur, *omnem clementiam*) *ad informationem eorum, qui credituri sunt illi in vitam æternam.*

Matthæus cur scripserit Euangelium. Quando scripserit. B. Athanas. tom. vlt. Quo sermone atque lingua. Matthæum Publicanum cur fecit Euangelistam Deus. Matth. 9. Ioan. 6. Hyppol. martyr in vita Apostol. Epiphan. hæresi 20. 1. Tim 6. & alibi. Matth. 26. Hieron. lib. script. Eccle. tom. 1. 1. Tim. 1.

Quid verò Matthæo propositum sit in suo Euangelio, primo lib. est à nobis indicatum. Namque, vt diximus, faciem hominis illi in visione Ezechielis tributā meritò diximus: quòd partes eius sint, humanitatem, hoc est, infirma Christi describere. Præterea hoc singulare habet Matthæus, quòd cum ad Hebræos scripserit, quorum permulti fidē Christi repudiauerant, Messiamq; nondum aduenisse, perniciosissimè sentiebant, id vnum comprobandum, tempè aduentum Messiæ, prædictaq; omnia à Prophetis in illo iā fuisse completa in scriptione Euangelij sibi peculiariter desumpsit. Atque ob eam causam non nisi frustrà alium expectari. Atque in hunc quidem modū videtur ratiocinari Matthæus. Ille homo, in quem consentiunt voces omniū Prophetarum & oracula, quod attinet ad ea quæ de futuro Christi aduentu pronunciata sunt, verus est Messias, verus Christus in lege & Prophetis promissus: sed talis est Iesus filius Mariæ Virginis: ergo Iesus pro vero Messia, ac pro vero est Christo cum veneratione recipiendus: ita vt qui eum, aut eius doctrinā non susceperit, à promissionibus diuinis cadere sit necesse, vltoremq; Deum sit persensurus. Nec enim probabile videtur, Deum benedictum signa falsa, vel ambigua de venturo Messia per Prophetas edidisse: id enim esset decipientis illudentisq;, atq; omnes homines saluos fieri nolentis, cum iubeat Messiam recipiēdū, quem agnoscere sit impossibile: saneque cum manifesta errandi occasione Scriptura nos reuocaret ad Christum agnoscendū, fideque illum complectendum. Deinde, etsi vna, vel altera, vel paucæ ex conditionibus, notisque Messiæ alteri, quàm vero Christo conuenirent, plurimæ verò aliæ dissentirent, haud esset propterea ille pro Messia recipiendus: at ille, in quem omnia consonant, & in quem conceptus, ortus, familia, vita, doctrina, discipuli, facta, mors, & quę mortem ipsam sunt consequuta, mirificè quadrant; & vni soli conueniūt: verus est, germanus est, & syncerus Messias: talis fuit Iesus: Ille igitur habendus pro vero Messia, certissimo fidei assensu amplectendus, ac vehementissima, constantissimaque vocis contentione prædicandus.

Matthæi Euangelistæ scopus atque institutum. Ezech. 1. & seq. Proprium quid Euangelistæ Matthæi. Idem Christū hominem verum Messiam quomodo ratiocinetur. Deut 18. 1. Tim. 2. Deut. 18. Altera ratiocinatio.

Sunt

Prima de viginti duabus, in Euangelio Matthæi contentis Messiæ conditio. Matth. 1. Isa. 11.

Sunt autem præcipuæ de Messia conditiones & notæ viginti duæ, & à Prophetis assignatæ. Prima, quòd futurus esset de domo ac familia Dauid. Vnde Isaias: *Radix Iesse, qui stat in signum populorum; ipsum gentes deprecabuntur.* Et Psalmographus: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Et Hieremias: *Suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit Rex, & sapiens erit.* Amos quoque: *In die illa suscitabo Dauid tabernaculum,* &c. Hanc notam Messiæ in exordio Euangelij per genealogiam explicat B. Matthæus. Psal. 131. 2. Reg. 7.

II. conditio. Isai. 7. Matth. 1.

Secunda futuri Messiæ conditio: quòd esset è Virgine nasciturus, iuxta illud Isaiæ: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium,* &c. Hanc impletam in Iesu, docet Matthæus in posteriori parte capitis primi, citatis etiam verbis ipsius Isaiæ.

III. conditio. Matth. 2. Num. 24. Psal. 71. Isai. 60.

Tertia conditio: quòd foret à Regibus, stella duce adorandus, ac muneribus honestandus. Hinc illud: *Orietur stella ex Iacob, & consurget virga ex Israel.* Et Dauid: *Reges Tharsis, & Insulæ munera offerent: Reges Arabum & Sabba dona adducent.* Item Isaias: *Surge, illuminare Hierusalem, quia venit lumen tuum:* & infrà, *& ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui;* infrà etiam: *Omnes de Sabba venient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino annunciantes.* Hoc peractum in Domino Iesu. Matthæus ostendit in secundo capite: *Cùm natus,* inquit, *esset Iesus in Bethleem Iuda in diebus Herodis Regis: ecce Magi ab Oriente venerunt Ierosolymam, dicentes,* &c. Matth. 2.

IV. conditio. Mich. 5. Hierem. 31. Matth. 2. Osee 11.

Quarta conditio: quod esset Nazaræus ac floridus nuncupandus. Nam etsi prædixerit Michæas cap. 5. illum nasciturum in Bethleem; & Hieremias 31. cap. quòd per interfectionem puerorum innocentium à terra Iuda foret fugandus: *Vox in Rhama,* inquit, *audita est.* Et Oseas prænuntiauerit fore reducendum ex Ægypto, ex quo illud: *Ex Ægypto vocaui filium meum:* tamen non erat vel Bethleemita, vel Ephratæus, Ægyptiusve vocandus, verùm Nazarenus & Floridus, secundùm illud: *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet,* &c. Nezer siquidem in lingua sancta, significat florem; atque hanc appellationem Christi in ipso completam docet Matthæus in postrema parte 2. capitis. Isai. 11. Nezer quid Hebræis. Matth. 2.

V. conditio Messiæ. Isai. 40. Malach. 3.

Quinta nota, quòd habiturus esset virum sanctum præcursorem suum, qui eum mundo manifestum redderet, iuxta vaticinium Isaiæ, *Ego vox clamantis in deserto: Parate viam Domini,* &c. Per Malachiam quoque prædixit Dominus: *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam: & statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus testamenti, quem vos vultis.* Hanc conditionem in Iesu perfectam docet Matthæus cap. 3. vbi multa de Ioanne Baptista, de eius baptismo, pœnitentia, & prædicatione describuntur ab Euangelista. Matth. 3.

VI. conditio.

Sexta nota: quòd illi esset cum antiquo serpente pugnandum, de illoque expugnato victoriam reportaturus, atque ab Angelis propterea foret illi ministrandum, dicente Propheta: *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* Et: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum, & semen illius: & ipsum conteret caput tuum.* Et rursus: *Quoniam Angelis suis Deus mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis:* quæ omnia exitum habuisse demonstrat in prima parte, cap. 4. Psal. 90. Gen. 3. Psal. 90. Matth. 4.

VII. conditio.

Septima conditio, quòd primò in Galilæa versaretur, indeque esset discipulos & Apostolos ad se assumpturus, vt Isaias prædixit: *Primo tempore alleuiata est terra Zabulon, & terra Nephtalim, & nouissimè aggrauata est via maris trans Iordanem Galilææ gentium: populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam.* Idem quoque Propheta: *Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum, & in portentum Israel à Domino exercituum, qui habitat in monte Sion.* Hæc in Christo euenisse, ostêdit Matthæus in postrema parte cap. 4. Isai. 9. Isai. 8. Heb. 2.

VIII. conditio.

Octaua conditio, quòd laturus esset nouam legem, veteremque explicaturus, hinc illud: *Et legem eius Insulæ expectabunt.* Et Hieremias ait: *Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israel & domui Iuda fœdus nouum;* & infrà: *Dabo legem meam in visceribus eorum;* & iterum, *Regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet iudicium & iustitiam in terra.* Hanc sanctam & approbatam, & plenam autoritatis legislationê præstitisse Iesum in monte, docet Matth. in 5. 6. septimoque capitibus, non sine magna turbæ admiratione: quia docens tanquàm potestatem habens, & non sicut Scribæ & Pharisæi. Isai. 42. Hierem. 31. Hebr. 8. Hierem. 23.

IX. conditio Messiæ.

Nona conditio, quòd signis & prodigijs ad confirmandam doctrinam suâ, Messias foret conspicuus, teste Isaia, qui dixit: *Ecce Deus noster veniet, & saluabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum.* Omnia hæc Iesum perfecisse, docet Matthæus 8. 9. 10. & 11. cap. In octauo siquidem ac nono refert sanasse eum ex lepra, febribus, paralysi, atque Dæmone laborantes: præcepisse ventis, mari & morti. In 10. verò ostendit potestatê hâc Apostolis à se collatam: at in 11. narrat discipulos Ioannis Iesum interrogasse, num ipse Isai. 35. Matth. 8. Ibidem. Ibidem. Ibidem. Infra 10. Infra 11.

ipse esset Christus, respondisseque: *Euntes renunciate Ioanni quæ vidistis & audistis. Caci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt*, &c. Hinc exprobrat illis ciuitatibus, in quibus tot signa ediderat, quæ tamen Christum recipere noluerunt, *Væ tibi Chorozaim*, ait, *væ tibi Bethsaida. & tu Capharnaum, quæ vsque ad cælum exaltata es*, &c. *Ibidem.*

X. conditio. Decima conditio: prędictum erat de pacifico humilique conuictu Christi ab Isaia, vt ita magis populos ad se alliceret, inuitaretque: *Ecce*, inquit, *puer meus, suscipiam eum*, &c. *Dedi spiritum meum super eum. Iudiciū gentibus proferet. Non clamabit, neque accipiet personā nec audietur vox eius foris: calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet: in veritate educet iudicium: non erit tristis, neque turbulentus, donec ponat in terra iudicium.* Hanc conditionem Messiæ, in Iesu euentum habuisse, etiam allegatis verbis Prophetæ 12. cap. Euangelij sui tradit Matthæus. *Isai. 42. & Matth. 12.*

XI. conditio. Vndecima conditio: quòd erudiret populum per parabolas, mysteriaque regni cœlorum similitudinibus quibusdam obtegeret & inuolueret. Sic enim dixit Propheta in Christi persona: *Aperiam in parabolis os meum; loquar propositiones ab initio.* Et rursus: *Auditu audietis, & non intelligetis. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua*, &c. Quæ quidem exitum in Christo sortita fuisse, declarat Matthæus cap. 13. dictis testimonijs adductis. *Psal. 77. Isai. 6 & Matth. 13.*

XII. conditio. XII. nota seu conditio, quòd prouidè atque beneuolè populum Messias pasceret atque nutriret, vt vaticinatus est Ezechiel cap. 34. *Suscitabo super oues pastorem vnum, qui pascat eas seruum meum Dauid*, &c. Id ostendit Matthæus Iesum affecisse cap. 14. vbi audita morte Ioannis, secessit in desertum, in quem magnam populorum turbam curationes, auditumque verbi Dei sitientem perduxit: atque ibi, cùm nihil aliud præter panes quinque, & duos pisces suppeteret, numerosam illam hominum turbā, signo edito, pauit. Et in fine capitis scribitur, quòd omnes ad eum currebant, vt oues ad pastorem. *Ezech. 34. Matth. 14.*

XIII. conditio. XIII. conditio, quòd Messias hypocrisin esset, fictasque cæremonias detestaturus. Vnde illud: *Non enim secundum visionem oculorum iudicabit, neque secundùm auditum aurium audiet: sed iudicabit in iustitia pauperes*. & iterum: *Populus hic labijs me honorat: cor autē eorum longè est à me.* Rursus: *Euntes discite, quid est, misericordiam volo, & non sacrificium: & scientiam Dei plusquàm holocausta.* Hæc in Iesu ad exitum perducta fuisse, tradit Matthæus cap. 15. vbi inducuntur Pharisæi Iesum reprehendere, quòd illotis manibus discipuli eius panem ederent. Sed redarguuntur à Christo: qui edidit miraculum filiæ Chananeæ à Dæmonio vexatę, ad execrandæ hypocrisis destructionem. *Isai. 11. Infra 29. Osee 6. Matth. 9. Infrà 15. Ibidem.*

XIV. conditio Messiæ. XIV. conditio, quòd in Messia futura esset duarum naturarum inter se vnio & colligatio, de qua Prophetæ sæpè locuti sunt. Isaias quidem cap. 9. cùm ait: *Paruulus datus est nobis:* Ecce humana. Et subdit: *Et vocabitur nomen eius, Admirabilis, Deus fortis:* Ecce diuina. Rursus Dauid: *Sedes tua Deus in seculum seculi*, &c. Ecce diuina; subdit, *Propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ*, &c. Ecce humana. Micheas item cap. 5. *Et tu Bethlehem terra Ephrata*, &c. *ex te mihi egredietur: qui sit dominator:* ecce humana; & subiungit: *Et egressus eius ab initio, à diebus æternitatis:* ecce diuina. Hanc geminam Messiæ naturam affirmat Matth. Iesum declarasse in se ipso cap. 16. vbi primùm diuinitatem per confessionem Petri dicentis: *Tu es Christus filius Dei viui*, astruit: humanitatem verò per detectionem diuinam eorum, quæ passurus erat, ac mortis violentæ sibi inferendæ, cùm ait: *Oportet eum ire Hierosolymam, & multa pati à senioribus, & Scribis, & Principibus Sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere.* *Isai. 9. Psal. 131. Mich. 6. Matth. 6.*

XV. conditio. XV. conditio: Quòd Ecclesiam siue nouum regnum suum rectè disponeret ac gubernaret, atque ordinatam eius traderet hierarchiam; id nimirum vates cecinerant de Messia. Isaias enim cap. 9. ait: *Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis: super solium Dauid, & super Regnū eius sedebit: vt confirmet illud, & corroboret in iudicio & iustitia*, &c. Daniel etiam c. 7. *Aspiciebam ergò in visione noctis, & ecce cū nubibus cæli quasi filius hominis veniebat, & vsque ad antiquū dierū peruenit: & in conspectu eius obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem & honorem, & regnū: & omnes populi, tribus, & linguæ ipsi seruient: potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius, quod non corrumpetur.* Denique totæ Scripturę vbique de Regno eius spirituali plura disserunt. Matthæus à cap. 18. vsque ad 20. docet, quo modo Christus disposuerit Regnum suum. In primis per humilitatem comparandam, nam interrogatus à discipulis: *Quis putas, maior est in Regno cælorum?* Subdit Euangelista, quòd *aduocans Iesus paruulum, constituit eum in medio eorum, & dixit: Nisi efficiamini sicut paruuli*, &c. Deinde vbi peccaretur à fratre, fraternā, & ex charitate proficiscentem instituit correptionem: *Si peccauerit*, inquit, *in te frater tuus, vade & corripe eum inter te, & ipsum solum*, &c. *Isai. 9. Dan. 7. Matth. 18. Ibidem.*

Voluit prætereà, vt in suo Regno esset, & vigeret mutua misericordia & pietas in condonādis iniurijs: ideò Petro præcepit, vt non tātùm septies, sed septuagies septies dimitteret, atque ob eam causam produxit parabolam de homine Rege, qui voluit ra tionem inire cum seruis suis: quę in calcem 18... vsque protenditur. Quarto, instituit leges in castitate coniugali seruandas, cùm interrogaretur: *Si licet homini*, inquit, *dimittere vxorem suam quacunque ex causa?* Neque prætermisit, quæ ad cœlibem & continentem vitam à virginibus & viduis traducendam (quam vt coronā omnibus propositam, & suadendam esse volui) spectat. *Sunt*, inquit, *Eunuchi, qui se castrauerunt propter Regnum cælorum: qui potest capere, capiat.* Addit quintò, consilium paupertatis euangelicæ amplectendæ, qua facilius Regnum cœleste obtinemus. *Si vis*, inquit, *perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me, & habebis thesaurum in cælo.* Quod consilium Apostolos amplexatos fuisse, paulò post subiungit, dicente Petro in eorum persona: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergò erit nobis? &c.* Sextò, docet pauperes euangelicos aptissimos esse ad vtiliter laborandum in vinea Domini proposita parabola de vinea & operarijs conductis. Vbi iuxta laborem suum quisq; mercedē accipit, etsi in quosdam vti priuilegio consueuerit. Adhęc pacem & concordiā, ambitionisq; omnis fugam, vt maximè necessariā Regno Dei cōparādo, in extrema parte vigesimi capitis tradit. Ascendēs.n. Hierosolymam mortē sibi instantem Apostolis pręsignificauit: filiosq; Zebedæi primas sedes in Regno Dei ambiētes reppellit, aliosq; decem Apostolos præ inuidia indignatos, salutaribus institutis ac monitis imbuit, in hæc verba: *Reges gentium*, inquit, *dominantur eorum, & qui maiores sunt, potestatem exercent in eos*, &c. *Nō ita erit inter vos, &c.* Postremò, regnū suum in orandi precandiq; assiduo vsu & exercitatione nixum esse demonstrat in calce 20. cap. vbi introduxit duos cæcos clamantes, non obstante turba, quæ eos, vti tacerent, increpabat: in clamore tamen & deprecandi studio persistentes, quod volebant, obtinuisse.

Ibidem. — *Infrà 19.* — *Ibidem.* — *Ibidem.* — *Ibidem.* — *Infrà 19. & seq.* — *1. Cor. 13.* — *Matth. 20.*

XVI. conditio. XVI. conditio: Quòd Messias pauper & humilis, & asino insidēs esset in Hierusalē ingressurus: ad testimonium Zachariæ dicentis cap. 9. *Exulta satis filia Sion, iubila filia Hierusalem: ecce Rex tuus veniet tibi iustus & saluator: ipse pauper & ascendens super asinum, & super pullum filium asinæ*, id quod 21. cap. Matth. in Christo docet esse completum.

Zachar. 9.

XVII. conditio: quòd Iudæi in aduentu Messiæ forent excæcandi, secundùm vaticinia Prophetarum. Ait namque Isaias: *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua:* & alibi: *Quis cæcus nisi seruus meus, & surdus, nisi ad quem nuncios meos misi?* iterumque: *Liga testimonium, signa legem in discipulis meis. Et expectabo Dominum, qui abscondit faciem suam à domo Iacob, & præstolabor eum.* Excæcationem hanc Iudæorum ostendit Matthæus adimpletam in tribus capitibus cōsequentibus. Nam primo sub typo ficulneæ, quæ fructū non tulit, atque idcircò maledictæ: deinde sub parabola duorum filiorum ad laborandum in vinea à patre suo missorum: & sub alia vinea & agricolis: item sub tertia de homine Rege, q fecit nuptias filio suo, satis manifestè indicat Iudæorum obscurationem intellectus. Quodq; ex insidijs, quas, vt Christū caperent in sermone Pharisęi parabant mittētes discipulos cum Herodianis, qui tentarent eum de censu dando Cæsari, ostenditur: quemadmodum & ex insidiosa Sadducæorū, qui resurrectionem negabant, interrogatione de muliere quæ septies nupsisset: itemq; Pharisæi cum Sadducæis maligna mente quærentes de primo mandato legis, argumentum dictæ excæcationis manifestant: quæ omnia 22. cap. continentur. Aperit simul Pharisæorū & Scribarum scelera atque flagitia, septiesve illis interminatur, vt habes per totum 23. caput.

XVII. Messiæ conditio. — *Isai. 6.* — *Infra 42.* — *Suprà 8.* — *Matth. 21.* — *Ibidem.* — *Ibidem.* — *Infra 22.* — *Ibidem.* — *Ibidem.* — *Deut. 6.*

XVIII. conditio: Quòd Messias futurus esset magnus Propheta, & futurorum arcanorum explicator, hinc per Moysen dixit, *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorū.* Hanc autem scientiam futurorum Iesum habuisse, monstrat Matth. cap. 24. in quo Hierusalem euertendam, atque eius euersionis per Titum & Vespasianū, signa producit, simulq; cum illis admiscet postremi futuri iudicij præcursiones: cap. verò 25. modum quo vēturi sunt homines ad iudiciū sub parabola virginum prudentium & fatuarum, ac sub parabola talentorū, itemque sub tertia ouium & hœdorum, in qua sententia ferenda continetur, describit.

XVIII. conditio Messiæ. — *Deut. 18.* — *Matth. 25. & seq.*

XIX. conditio: Quòd nouum sacrificiū in pane & vino esset instituturus, iuxta figuram Melchisedech, atque Zachariæ c. 9. Quid bonum eius est, & quod pulchrum eius nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines? quòd in Domino Iesu complementum accepisse, narrat Matthæus in principio cap. 26.

XIX. conditio Messiæ. — *Psal. 109. & alibi.* — *Zachar. 9.*

XX. conditio: Quæ de salubri & amara perpessione Domini loquitur, qua de Prophetæ multa oracula pronunciarunt, præ-

XX. conditio.

tertim verò Isaias, qui caput integrum 53. & Dauid, qui integrum psalmum 21. in ea describenda consumpserunt: & Hieremias cap. 2. ait, *Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium.* Salutarem hanc Christi necem multis Prophetarum testimonijs allegatis, describit Matthæus in cap. 26. magna ex parte, & per totum 27.

Hiere. 11.

XXI. conditio Messiæ. Ose. 6. Infra 13. & 1. Cor. 15. Psalm. 3. Psalm. 15. & Actor. 2.

XXI. conditio: Quod Messias à morte esset ad vitam tertia die reuocandus, iuxta illud dictum Prophetæ: *Viuificabit nos post duos dies, & in die tertia suscitabit nos.* Et rursus: *Ero mors tua, ô mors; morsus tuus ero inferne.* Dauid quoque: *Ego dormiui, & soporatus sum, & exurrexi: quoniam Dominus suscepit me:* & alibi: *Quoniam non derelinques animam meã in inferno; nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Hanc Christi gloriosam resurrectionem in Domino Iesu finem habu isse, docet Matthæus in prima parte, cap. 28.

XXII. & vltima.

XXII. ac postrema nota, siue conditio: quòd Messias per discipulos suos ad se esset conuocaturus omnes gentes, vt prædixerat Iacob: *Ipse erit expectatio Gentium!* & Isaias: *Fluent ad eum omnes Gentes*: & iterum: *Ipsum gentes deprecabuntur:* rursus: *Dedi te in lucem Gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ:* item Aggæus: *Veniet*, inquit, *desideratus cunctis Gentibus.* Zacharias dixit: *In diebus illis, in quibus apprehendent decem homines ex omnibus linguis Gentium, & apprehendẽt fimbriam viri Iudæi.* Demùm Malachias omnium postremus: *Ab ortu Solis vsque ad Occasum, magnum est nomen meum in Gentibus; & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in Gentibus.* Ita omnia vaticinia exitu non caruisse suo, verùm consummata fuisse per Iesum intelligimus, quando Apostolis edixit: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti; docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis:* quæ in calce Euangelij secundũ Matthæum continentur.

Gen. 49. Isa. 2. Infra 11. Infra 49. & 48. 13. Agg. 2. Zachar. 8. Malach. 1. Matth. vlt.

Euincimus ergo Iesum Mariæ filium, verissimum esse Messiam, & illum ipsum, quẽ vates venturum prædixerũt: nec enim tot, tantæque circunstantiæ, ac notæ Messiæ, atque insignia à Prophetis prænunciata, in quenquam alium, præterquàm in vnum Iesum conuenire potuerunt. Neque dubito, prædictas cõditiones maiori, aut minori posse numero comprehendi: hæc autem partitio nobis magis arrisit; quam qui velit, arbitrio suo, poterit restringere, aut laxare, atque porrigere.

Notæ seu conditiones Messiæ quare descriptę non plures neque pauciores.

Ex his colligimus caussas, cur Matthæus plus cæteris Euangelistis Prophetarum testimonia citare assueuerit. Freque̅ter enim apud eum inuenitur hæc phrasis: vt adimpleretur quod dictum est per Prophetam, &c. Nam id habetur c. 1. 2. 3. 4. 8. 10. 12. 13. 21. 26. 27.

Matthæum plus cæteris Euangelistis Prophetas al- legasse, quid arguat.

Deinde accipimus quamobrem Matthæus iuxta Hebræam veritatem testimonia Prophetarum producere consueuerit: quę Hieronymi fuit sententia, etsi ab eruditis nõ omninò recepta est, quia plura testimonia ex Septuaginta duorum lectione producit.

Idem Veteris Testamenti locos ex Hebręo fonte, nõ Gręco fere eur proferat.

Illud hoc loco non est ignorandum, Augustinum libro 1. de consen. Euangel. cap. sexto, faciem leonis Matthæo dedisse, faciem verò hominis Marco: quem secutus est Beda in prooemio Comme̅tariorum in Lucam, & in Apocalypsim. Non enim cõsiderant nuda Euangelistarum exordia, vt facit Hieronymus, sed totũ corpus doctrinæ, & finẽ, & scopum cuiusq; spectãt. Quia verò hæc sententia probabilis est, quædam minimè poenitenda subijciemus. Est enim Christus per leonem designatus victor potens, ac regum Rex, de quo: *Vicit Leo de tribu Iuda*; cuius Regiam stirpem in Genealogia sua sub Iudicibus, Ducibus, ac Regibus recenset cap. 1. vbi & reddit rationem nominis Iesu: eo quòd *ipse saluum faciet populũ suum à peccatis eorũ.* Est enim verè regiũ, populum suum protegere. Notat eum vocatum Emmanuelem, hoc est Nobiscum Deum: quia Regis est populo suo adesse, eumque ab aduersarijs tueri. cap. 2. describitur natus in diebus Herodis Regis, atque illi fuisse terrori, & à Magis ab Oriente venientibus quæsitum, vt Regem Iudęorum: *Vbi est*, inquiunt, *qui natus est Rex Iudæorum?* Dicitur à Propheta *Dux, qui regat populum Israel.* vt Rex adoratur ab illis, & aurum ei cum alijs donis offertur: nouã stellam apparere facit, quo se cœli Regẽ demonstret: Herodem Regem fugit, & Archelaum eius filium, & Regem Iudeæ timet. Cap. 3. Ioannes annunciat regnum cœlorum, sicut & Christus cã. 4. quæ à Luca sunt prætermissa: cum imperio dicit: *Vade Satana*, & Angeli ei esurienti ministrant. Cap. 5. describit beatitudines, quibus ad cœlũ perueni tur, in prima & vltima beatitudine facta mentione regni cœlorum, & sequentibus capitibus multa de præmijs & pœnis disputat. Regis est enim remunerare benè agentes, & maleficos plectere. Inuocatur à cæcis filius Dauid. c. 9. postremæ diei iudicij frequentem mentionem facit, & pęnarum interni, & gaudij cęlestis. Multa miracula in beneficium aliorum facta commemorat, quia regium est multis benefacere, & Rem-

Faciem Leonis Matthæo non Marco, Augus. & Beda cur assignauerint. Aug. tom. 4. Beda tom. 5. p. Hiero. in cap. 1. Ezech. tom. 5. Apoc. 5. Matth. 1. Regis qualitates & omcia describuntur. Isa. 7. Matth. 2. Mich. 5.

[Matth. 13. Ibidem. Infrà 25. Suprà 22.]

publicam saluare. Multas parabolas de regni cœlorum principio & incremẽto, & fine narrat: vt de thesauro abscondito in agro, & de pretiosa margarita, & de Rege, q. voluit rationẽ ponere cum seruis suis, item de nuptijs filij Regis, vbi excidium Iudæorum prædicit, c.23. grauissimas comminationes iaculatur in Iudæos de eorum reprobatione, per illam vocem horrificam. Væ vobis. c.24. excidium Hierosolymitanum, & futurum iudicium pronunciat, & addit duas parabolas ad diẽ iudicij explicandũ, & præmium iustorum. Denique in aperta iudicij descriptione sub nomine Regis, & aperta mentione æterni supplicij, & vitæ ęternę finem facit: & hoc cap.25. In singulis capitibus, vt 4.9.12.14.16.&21. solus Matthæus Iesum infirmos sanasse memorat. Cap.16. Petro soli promittit claues regni cœlorum. Cap. sequenti in fine indicauit Christus se esse filium Regis; ideò à censu soluendo immunem. Cap.18. Petro & reliquis Apostolis datam potestatem ligandi, & soluendi, quæ prorsus regia est potestas, commemorat. Cap.20. ponit præmia operariorum in vinea pro beneplacito suo: regiũ enim est liberaliter sua dispensare. Recenset prophetiam de rege mansueto; & ait plusquam duodecim legiones Angelorum sibi à Patre dari posse: Indutus fuit purpura vt Rex, & dederunt ei arundinem in manu pro sceptro. Additur titulus: *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum:* solus cum Ioãne ait: *Emisit, vel tradidit Spiritum:* quod significat diuinam & regiam potestatem, cum alij duo dicant simpliciter expirasse. Solus describit terræmotum in passione, & in resurrectione, & turbatos custodes in visione Angeli. Et tandem dixit: *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra*; & vt à principio vocauit eum Emmanuelem: ita in fine: *Ecce ego*, inquit, *vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi*; vt vltima primis consonent.

[Matt. 26. Infrà 27. Ibidem. Ioan. 19. Luc. 23. Matth. 27. Infra 28.]

[Prophetę interdum sensu magis quam verbis cur producti ab Euangelistis.]

Illud etiam silentio præterire non possum, tam Matthæum, quam reliquos Euãgeliorum scriptores, dum Prophetas pro testimonio eorum, quę vel Christus dixit, vel fecit, adferunt, interdum nõ tam verba ipsa, quam sensum illorum citare solere; vt ostendant regnũ Dei non esse in sermone, sed in virtute: quod à magno lumine Ecclesiæ Hieronymo didicimus. Hoc autem si quis diligẽtius expenderit, ad multa Euangelistarum dicta plenius intelligẽda plurimum valere plerunque animaduertet. An verò Euangelistæ dum Prophetarum producunt oracula, ad germanũ, ac literæ proprium sensum; an verò ad allegoricum, & spiritalem citauerint illa, non est præsenti loco discutiendum, cum suo tempore, & loco de singulis testimonijs fusius sit disputandum; & id in priori volumine in quodam Prolegomeno à nobis ex parte præstitum sit.

[1. Cor. 4. B. Hiero. lib. de optimo genere interp. to. 2. in fine.]

[Prolegom. ...]

[Cur hic liber Matthęi à genealogia Christi exordium sumat.]

Illud etiam præfationis loco præmittimus, quæ sit caussa, cur hic liber Matthæi à genealogia Christi exordium sumat? Ad hoc egregiè respõdet B. Augustinus lib. 7. in librum Iudicum: *Non solet*, inquit, *Duces nominare Scriptura cum constituuntur, nisi commemorata etiam origine parentum.* Hæc ille. Et Ambrosius in Lucæ c.1. initio: *Docet nos Scriptura diuina non solum mores in ijs, qui prædicabiles sunt, sed etiam parentes oportet laudari; vt veluti transmissa immaculata puritatis hæreditas, in ijs, quos volumus laudare, præcellat.* Sic Ambrosius. Et ita Ioannis Baptistæ parentes enarrat Lucas: ita Paulus Timothei matrem, & auiam celebrat, & autor libri Iudicum. Iudices descripturus, eorum texit genealogiam, vt Dauid Ruth 4. Et de fortissima Iudith cap.8. eius libri, & Mardochæi, & Esther cap.2. texuntur genealogiæ. Quod si quandoque hæc omittantur, mysterio non vacat: quia Melchisedech sine patre, sine matre, sine genealogia proponitur, non quod patre, aut matre careret; vt testis est Epiphanius in hæresin Melchisedechianorum, qui illum patrem habuisse tradit Eraclam nomine, matrẽ verò Astaroth, vel Asteriam vocatos fuisse. Et reddit rationem Epiphanius, cur eiusmodi nomina sint in Scriptura suppressa: Quia Iudęi affirmant, hunc Melchisedech iustum virum, & sanctum, & altissimi Sacerdotem fuisse: & parentũ illius nomina ab Scripturis neglecta fuisse, quia ex scorto natus esset. Sed ineptus est talis sermo: nam Rahab meretrix erat, & eius meminit Scriptura, & Zambri fornicatus est cum Madianitide; & nomen illorum non fuit omissum: & si illa esset alienigena, iste ex Israel originem duceret. Etsi igitur interdum viri præclari in Scripturis enumerentur, & nõ ponatur eorũ genealogia, vt Heliæ, Danielis, Sidrach, Misach, & Abdenago, & Melchisedech; & apud Romanos. M. Catonis, & Marij parẽtes, ignorentur, vt ait Aelianus lib. de varia historia: plerunque tamen ea recitatur, vt hic facit Euangelista de Christo principe verba facturus.

[B. Aug. quæst. in c.2. to. 4. B. Amb to. 5. ... Scriptura diuina ... laudabiles ... esse ... Luc. 1. 2. Tim. 1. & Luc. 16.]

[Cur Melchisedechi patris & genealogię in Scriptura fiat mentio nulla. Hebr. 7. Epiphan. in Hæres. 51. Quinam fuerint parentes Melchisedec secundum Epiphanium. Rabbinorum hęc ratio confutatur. Parentes Melchisedech in Scripturis desiderentur, quod natus è scorto fuit. Num. 25. Iosu 6. & Heb. 11. 3. Reg. 17. & 4. Reg. 1. Dan. 1. Ibidem. Gen. 14. Aelian lib. 12. de varia hist. c. 6. Quorum genus obscurum ... apud Romanos.]

His paucis pro præfatione à nobis propositis, iam ad huius primo loco propositæ genealogiæ enarrationẽ accedamus. Multa siquidem subobscura, difficilia, & inter Patres, atque Doctores hinc inde agitata, & controuersa in ea continẽtur: quę nos pro

orationis nostræ tenuitate enucleare, atque enodare conabimur.

An titulus libri huius sit: Liber generationis Iesu Christi. I. Opinio. *Rabanus. Matt. c. 1. Euthym. ibid. S. Tho. ibid. tom 14. Lyran. ibid. Ioan. Ferus ibidem.*

Primum igitur illud in controuersiam venit, an titulus libri huius sit: *Liber generationis Iesu Christi?* quod quibusdam placuisse intelligo. Rabanus enim & Euthymius, atque eos secuti S. Thomas, Lyranus, & Ioãnes Ferus existimãt libri titulum esse: *Liber generationis Iesu Christi*, à prima ac magis præcipua parte: quia moris Hebræorum est denominare libros ab eo, de quo tractatur in principio. Sicut dicitur liber Genesis, quia in itio agitur de mundi creatione: *Liber Exodi*, quod in eius principio est sermo de exitu filiorum Israel de Aegypto. Sed certe hæc non videntur admodum solidè dicta.

Vnde soleant libros Hebræi denominare. Improbatur hęc sententia.

Nam in primis de more titulus libri, extra librum est. Deinde, si morem Hebræorum scriptorum secutus fuisset, à primo verbo libri titulus desumeretur. Quemadmodũ enim apud nos Iurisperiti à primo verbo legis, vel capitis, legem, vel caput solent denominare: eadem prorsus ratione Hebræi vti consueuerunt. Hinc liber Genesis, ab eis dicitur *Beresith*; Liber Exodi, *Veelle schemoth*; Liber Leuitici, *Vaijcra*: Liber Numerorum, appellatur *Vaidebber*; & Liber Deuteronomij: *Elleadebbarim*, quod ab illis verbis libri dicti exordium sumant. Neque verum est, quòd Iudæi nominent librum Geneseos, librum de Generatione: quoniam hoc apud Græcos est, non apud Hebræos, qui librum Genesis, vt diximus, vocant *Beresith*.

Quinque libri Mosis vnde appellentur Hebræis, & quare.

Librum Genesis, librum de Generatione soli qui nominant.

Alij vero sunt (quorum sententię libentius ego subscribo) qui putant titulum libri esse extra librum, ab eoq; seiũctum, vt moris est, nempè, *Euangelium secũdum Mattheũ*: nam hæc enumeratio generationum, tametsi prima sit in ordine pars Euangelij secundum Matthęum: tamen non est tota Euãgelij materia, neq; potissima eius pars, vt ab ea meritò inscriptio sit desumenda: sed tantũ his primis verbis indicatur, quid mox, primoq; loco sit enarrandũ ab Euangelista. Absurdum porrò videtur à tã paruâ portione totum librum denominare. & Iudæi interdum non à solis primis vocibus libros inscribunt, sed interdum à materia, vt liber Regum, Paralipomenon, Tehilim, hoc est Psalmorum, siue laudum, & precationum, Cantica Canticorum, Prouerbia. Ecclesiastes: Sic Iosue liber: Iudicum, & liber Tobię: quia isti non sunt autores, sed materia librorum illorum. vel interdũ etiã ab autore, vt lib. Samuelis, Iobis, Isaiæ, Hieremiæ, Ezechielis, & libri Euãgeliorum.

II. sententia probabilior.

Hebręi libros nõ vno & eodem modo semper denominant.

Non ergo Matthæus voluit illa prima verba esse sui libri titulum, neq; quisquam in Matthæi Euangelio explicando illum agnouit, aut vt titulum nominauit: quẽadmodum & Marcus auspicatus suum Euangelium illis verbis: *Initium Euãgelij Filij Dei*, nõ voluit ea sui voluminis esse titulum, sed procemium, quò, vnde auspicaretur suam historiam, insinuaret. Ita etiam de illis Matthæi verbis sentiendum est, non esse inscriptionem totius libri, sed eius principium.

Illud: liber generationis Iesu Christi, &c. quid sit propriè.

Euangelium suum Matthęus cur librum generationis nominauerit.

Non negauerim tamen rectè dici posse, quod meditatus est Chrysostomus in hũc locum, dicens: *Cuius rei gratia librum ipsum generationis Christi vocat, vbi non sola vtiq; generatio, sed tota prorsus ipsius mysterij dispensatio continetur? Quia totius scilicet dispensationis caput & radix atque principium omnium nobis in hoc consistit bonorum. Vt enim Moyses librum cæli, appellauit, ac terræ, cùm certè non de cælo solùm terraq; loqueretur, sed de cunctis. quæ inter ipsa subsistunt: ita etiam Euangelista ab ipso omnium fonte, & capite bonorum librum vocauit.* Hæc ille. Notãdum etiam, vocem, quæ generationi in Hebraica lingua respondet דור siue Dor, תולדה Toldah Azadic ילד id est, generare, parturire, multis modis ac varijs vsurpari. Interdum enim accipi solet pro fructu: sic enim fructus arborum videntur generationes eius: hinc illud Ecclesiastici; *A generationibus meis implemini*: id est, abundè comedite de fructibus meis. Sic Matth. 26. *Non bibam amodò de genimine vitis huius*: vbi Marcus & Lucas dicunt: *Non bibã de generatiõe vitis*, id est, de fructu vitis. Interdum verò accipitur pro filijs genitis, vt ibi: *Generatio mala, & adultera signum quærit*: alibi: *Generatio præterit, & generatio aduenit*: item Dominus: *Non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant*: & Propheta; *Hæc est generatio quærentium eum; quærentium faciem Dei Iacob.* Quandoque verò etiam accipitur pro rebus gestis, vt Genes. 37. cùm dicitur: *Et hæ sunt generationes Iacob*: quo loco tantũ narrat eius, & filiorum facta, nullam autem prolis procreationem. Et licet anteà enarrauerit generationes Esau, id est, filios eius: propriè tamen accipiendo generationem, non in numero multitudinis, *Hæ sunt generationes*, sed in singulari dicendum erat, *Hæc est generatio*, id est, progenies, quæ vnica in se sumpta ab vno esse potest, etiamsi multos habeat filios. Generationes ergo pro actis, & gestis accepit: maximè quia præcessit, in terra Chanaan, vbi nullum genuit Iacob. Quod si in eo significato sumatur hoc loco, *Liber generationis*, videlicet liber continens gesta, & facta Christi; meritò huius Euangelij titulus dici posset in sensu prædicto, *Liber generationis*. Sed quoniam generationem pro actu generandi, quo

Chrys. hom. 2. in Matth. ante med. to. 2. inii.

Gen. 1.

Nomen generationis in Scripturis quàm variè sumatur.

Eccl. 24. Matt. 26. Mar. 14. Luc. 22. II. acceptio. *Matth. 12. & 16. Eccl. 1. Matth. 24. Psalm. 23. Gen. 37. Supra 36.*

Qua ratione prima Matthæi Euangelij verba eius titulus censeri valeant.

di, quo res, quæ non eſt, eſſe incipit; ſeu pro filijs generatis accipit (ex quo inferius hanc genealogiam in quatuordecim generationes tertio repetitas diuidit) propterea vero ſimior ſententia eſt, prima hęc verba non eſſe titulum libri totius, ſed primæ partis huius libri. Neque verò te perturbet libri nomen, vt ob id videatur eſſe titulus, quòd nos ſoliti ſumus dicere: liber Grammaticæ, liber Rhetoricæ, liber Theologiæ, id eſt, continens ea, quæ ad Grammaticam, vel Rhetoricam, vel Theologiam ſpectāt. Non enim more Hebræo ſic ſemper accipitur liber ספר: Sepher enim Hebræis ſignificat interdum enumerationem, enarrationem, recenſitionem. Hinc Hierem. 32. nuncupatur *Liber emptionis*, hoc eſt, inſtrumentum emptæ poſſeſſionis. Sic dicitur libellus repudij ſcriptura, ſiue charta, in qua vir facit facultatem mulieri nubendi alteri marito: dicitur etiam litigioſę cauſæ perſecutio literis publicis comprehenſa: *Et librum*, inquit, *ſcribat ipſe, qui indicat me.* Et Gen. cap. 5. dicitur: *Liber generationis Adæ*, vel vt in Hebræo legitur, generationū; cùm tamen in eo ſolo cap. enumerentur eius filij: nec libro Geneſis illa verba titulū donent.

Si propriè non ſunt titulus, cur adpellatur liber? — *Sepher Hebræis quid.* — *Hiere. 32.* — *Iob 31.* — *Gen. 5.*

Capitur ergo liber pro Catalogo, ſerie, enarratione, ſiue enumeratione. Atque hęc genealogia Chriſti, etiamſi breuior eſſet, vel in medio Euangelio poſita, poterat dici liber generationis, nec tamen titulum libro porrigeret. Sed hic aduerte, quod vt Moſes à Geneſi mundi veterē legem exorſus eſt; ſic Matthæus nouā legē, id eſt, Euangelium æternum à Geneſi Chriſti mundi conditoris inchoat. Per Chriſtum enim fecit Deus & ſecula, vt Apoſtolus ait; vt quātò conditor eminētior eſt mundo, tantò & hæc hiſtoria legi veteri antecellat.

Quid liber generationis ſignificet. — *Vnde veterem legem Moſes, vnde Matthęus nouam fuerint exorſi.* — *Heb. 1.*

Secundum dubium eſt: Cur Matthæus tam accuratè ſtudeat genealogiā Ieſu Chriſti venari, cùm Apoſtolus videatur abſterrere nos ab huiuſmodi genealogiis? Ait enim in priori ad Timotheum epiſtola: *Sicut rogaui te*, inquit, *vt remaneres Epheſi, cùm irem in Macedoniam, vt denunciares quibuſdam ne aliter docerent, neque intenderent fabulis, & genealogijs interminatis; quæ quæſtiones magis præſtant, quàm ædificationem Dei.* Et ad Titū; *Stultas autem quæſtiones & genealogias, & contentiones, & pugnas legis deuita. Sunt enim inutiles & vanæ.* Fauſtus Manichæus teſte B. Auguſtin. libr. 23. in eum cap. 9. hanc Matthæi genealogiam in vniuerſum reiicit, & eam neque à viro quidem bono ſcriptam, nec Euangelij partem eſſe, nec ad Euangelium pertinere ait. Quæ autoritate hæretica pronunciata ſunt: nā in Scripturis ſæpè illuſtrium virorum genealogiæ contexuntur, & patres omnes veteres agnouerunt hanc eſſe primam Euangelij partem, ſecūdùm Matthæum. Dicendum etiam olim Hebręos meritò ſtudio genealogiarum vacauiſſe: tū vt tribus inter ſe diuerſas agnoſcerent, ac diſtinguerent; tum propter officia Sacerdotū, quibus tantùm miniſtrare in templo fas erat, atq; edere de ſanctificatis: tum ob coniugia, quę cum ſuis contribulibus tantùm inire licebat, ne hęreditates in alienas tribus deuoluerentur, vt habes Numer. 36. tum ob primogenitorū, quibus duplex portio obueniebat, dignitatem, vt habes Deuter. 21. tum denique, vt certa notitia haberi poſſet de familia, ex qua Meſſias erat orlūdus, & ſimul agnoſceretur fidelis, ac verax Deus in promiſſis ſuis; qui quod Abrahę primùm, deinde Dauidi pollicitus eſt, tandem pręſtitit. Verba autem Pauli ſecundum Auguſtinum libro 2. in aduerſarium legis & Prophetarum cap. 1. ſic accipienda ſunt, vt intelligatur Paulus non vituperare genealogias, quæ in Sacris literis continentur, ſed quaſdam extra Scripturas in libris quibuſdam, quos Deuteroſes vocant, vbi fingebant Adam duas habuiſſe vxores, atq; inde colligebant multas genealogias prorſus inutiles & cōtentioſas: at verò quæ in Sacris voluminibus continentur, vtiles ſunt, & plenæ Sacramentorum. Vnde idem Apoſt. ad Gal. 4. argumentatur ex Abraham, qui duos habuit, &c. & 1. Corint. 10. *Patres noſtri*, ait, *omnes ſub nube fuerunt, &c.* & ad Heb. 7. ex Melchiſedec genealogia carente colligit myſterium Filij Dei, qui eſt ſine patre, & matre, & ſine genealogia; atque in vniuerſum. *Omnis Scriptura diuinitus inſpirata, vtilis eſt ad docendum, &c.* vt teſtatur Paulus: Ergo & in eis contentæ genealogię vtiles erunt: præſertim verò iſta genealogia Chriſti Domini, quæ magnis myſterijs ſcatet, vt videbimus. Quare B. Chryſoſtomus in eos, qui ſtudia genealogiarum faſtidiebant, ſcribēs dixit: Sunt homines quidam opifices, qui poſteaquàm Sacros libros in manus ſumpſerint: deinde repererint vel annorum numerum poſitum, vel nominum recenſitionē, illicò prætercurrunt, & incuſantibus reſpōdent: Nomina tantum ſunt, nec quicquam habēt vtilitatis. Quid ais? Deus loquitur, & tu audes dicere, nullam eſſe dictorū vtilitatem? Idem tamen ſuper 1. ad Timoth 1. putat loqui Paulum de genealogijs Gentilium, quia iungit illas cum fabulis: Gentiles enim ad eos ſuos, & maximè, ad Iouem reducebāt genus ſuum, vt Theogonia Heſiodi docet, &

Cum inutile ac vanum iuxta Apoſtolum, ſtudium genealogiarum ſit, cur ſit Matthęus tam accuratè genealogiā Chriſti peſquirat. — *1. Tim. 2. & Tit. 3.*

Cur olim genealogijs inſiderent Hebræi. — *Num. vlt. & ſeq.* — *Deut. 21.* — *Pſalm. 144.* — *Gen. 22.* — *Pſalm. 131.* — *Auguſt. to. 6.* — *Quarum ſtudium genealogiarum non probet Apoſtolus.* — *Genealogię quę magni faciendæ.* — *Gal. 4.* — *Gen. 16.* — *Infrà 21.* — *1. Cor. 10.* — *Hebr. 7.* — *2. Tim. 3.* — *Chryſoſt. hom. 2. de verbis Iſai. to. 2.* — *Idem hom. 1. tom. 4.* — *Auguſt. lib. 2. contra aduerſa legis & Prophetæ c. 1. & alibi to. 6.*

cet, & Aiacis & Vlyssis contētio apud Ouidium lib. 13. Metamorphoseos, & Boccatij liber de genealogia Deorum. Verùm mihi præstabilior videtur esse B. Augustini, qui de Iudæorum genealogijs hæc interpretatur, expositio. Nam ad Titum 3. postquam dixit; *Genealogias*, adiecit, *& pugnas legis*, innuens se loqui de genealogijs, quæ cōprehenduntur in lege. At B. Hieronymus intelligit sententiam Pauli de genealogijs in lege scriptis, de quibus Iudæi seipsos iactabant, putantes se habere legis notitiam, si nomina teneant singulorum: quæ quia barbara sunt, & eorū etymologias non nouimus, barbare proferimus, & accentus mutamus producendo breues syllabas, vel corripiendo longas: & similia multa, quæ vel propter literas gutturales, sic enim loquitur Hieronymus, quas Septuaginta interpretes non potuerunt exprimere: vel propter multiplex (S.) Nam habent Hebræi Sin, Sade, Samech: vel propter nouum inuentum punctorum, nomina propria aliter, quam ipsi pronunciamus. Sed ista, etsi ad cognitionem grammaticæ aliquid adiumenti adferant, simpliciter tamen ad fidē, & ædificationem morum parum admodū præstant. Rupertus Tuitiensis aliter verbū Pauli interpretatur, & satis eruditè, & ad mentem Apostoli. Ait enim studium genealogiarum, dum vigeret lex Moysi, aliquo modo vtile & necessariū extitisse: verùm abrogata lege, & iam exhibito Messia genealogię inutiles sunt & interminatę, nimirum sine fine, quia aduentu Messiæ abolita est lex: cesset hæreditas tribuum: leges primogenitorum & coniugiorum euacuātur: quod illa omnia instituta erāt, & agnosci familia posset ac domus venturi Messię. In Christo enim Iesu non est Iudæus, neq; Gręcus, non est masculus, neq; fœmina, nō est seruus neque liber, sed omnes quotquot Christo nomen dederunt, veri sunt filij Abrahæ, & verè filij Dei. Ideò fœmur Iacob obtinentis in lucta cū Angelo benedictionem, id est, Christi aduentum, emarcuisse legitur; quia postquàm ille iā venit, non est amplius habenda ratio carnis, vel genealogię, quòd omnia aruerunt atque emarcuerunt. *Quotquot enim receperunt eum dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Ideò nō minus, imò grauius quàm Iudęi, peccare deprehenduntur, qui post tantum Christi lumen adhuc carni innituntur, & genealogijs fidunt, & hoc nomine gloriantur, quod vel vna sanguinis guttula ex Saracenorum, vel Iudęorum progenie eos nō fœdauerit, neq; contaminauerit. Cum pręstet in Domino gloriari, quòd Filius Dei sanguinem suum pretiosissimum pro nobis redimendis in Cruce obtulerit, atque illo mundari nos & sanctificari à macula quacunq;, imò etiam ditari nobilitarique voluerit; atque vt ex illo discamus humiles reddi, nulli nos ipsos pręponentes, neminem etiamsi obscuro sit genere, contemnentes. Cùm sciamus apud Dominum Deum nullam esse nobis repositam coronam ob id, quod vel ex hoc, vel illo sanguine, nobili vel ignobili, illustri vel obscuro nati simus: verùm idcircò quòd Christi sanguinem amplectamur, & ex eo quod virtutum, quas Euāgelium requirit, officia vi illius sanguinis pręstare possimus: nam tales nobiles sunt, filij Dei sunt; pręstante id Domino nostro Iesu Christo: cui cum Patre, & Spiritu Sancto detur omnis honor, laus, gloria potestas, & imperium in secula seculorum, Amen.

II. solutio Augustini. Tit. 3. Hiero. to. 9. III. Sensus Hieronymi. IV. Sensus Ruperti Tuitien. cæteris omnibus congruentior. Rupert. Tuitiensis in c. 1. Matthæi. Colos. 3. & alibi. Rom. 4. & 9. Gen. 32. Iacobi patriarchæ contra Angelum in lucta pręualētia, quid est quod femur emarcuit. Ioan. 1. Quorum vana gloriatio de nobilitate generis. Apoc. 1. Sola quę generis aut sanguinis nobilitas à Domino coronetur.

TRACTATVS XXVI.

In Matthæi genealogiam, explicans præcipuè difficultates, quæ in prima tesseradecade continentur.

Matt. 1.

SVperiori Tractatu duplicem difficultatem enodauimus: tertia sequitur nūc dubitatio, quamobrem Euangelista, cùm plures multorum hominum contexat genealogias, singulari numero dixerit: *Liber generationis*, & non Liber generationum? Respondendum breuiter, quod etsi plures hic recitentur generationes; omnes tamen ad vnam illam Messię referuntur: quæ meritò vt singularis in singulari ponitur, quasi ab alijs separata. Nam vna generatio fuit Adæ sine viro & fœmina Deo opifice & autore perfecta. Secunda ex Adam viro absque fœmina, vt illa Euæ; quæ etiam diuina virtute condita est: nam tulit Deus costam Adæ, & ædificauit ex ea mulierem. Tertia est ex viro & fœmina communis, sed in qua etiam Deus operatur, qui format fœtum ac distribuit in organa sua, & demum animam rationis compotem à se creatam corpori infundit. Quarta generatio est, ex fœmina sola sine commercio viri, opera Spiritus sancti in momento facta, vt hæc Iesu Christi.

Est etiam secundò singularis, quoniam fide & spiritu & custodia verbi Dei neque tantùm carne effecta est. Nam vt Abraham fide genuit promissum Isaac, & Isaac promissum Iacob: sic Maria Christum prius, & nobilius fide, quàm carne cōcepit. Vnde ad illam dixit Elisabeth: *Beata quæ credidisti*

Cur potius liber generationis, quam generationum dicitur à Matthæo. Quadruplex generatio. Gen. 2. Luc. 1. II. Ratio & quanta fides Abrahæ, & B. Virginis Deiparæ. Gen. 21. Infrà 25. Luc. 1. Ibidem.

Abrahę obedientia, & humilitas. *Gen. 22.*

Fuit etiam humilitate, & obedientia filia Abrahæ, & Dauidis, cùm ait; *Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundum verbum tuum*: præclaram namque obedientiam ostendit Abraham, cum ad Dei præceptum filium immolare est aggressus: insignem quoque humilitatem, cùm dixit Gen. 18. *Loquar ad Dominum meum, cum sim puluis, & cinis*. Dauid cùm nudus corā arca saltaret, atq; eius gratia ab vxore Michol fuisset reprehensus, respōdit: *Ludam & vilior fiam plusquam factus sum: & ero humilis in oculis meis, & cum ancillis, de quibus locuta es, gloriosior apparebo*. Vides in Dauide insignem humilitatem? De qua admiratus Gregorius dixit: *Dauid plus saltantem stupeo, quam bellantem. Pugnando quippe hostes subdidit: saltando autem coram Domino semetipsum vicit*. Fuit prætereà mansuetudine, & mititate animi illustris Dauid: quarum omnium virtutum eminentiori modo fuit hæres B. Virgo, quæ filia est Abrahæ ac Dauidis, vt diximus: vt ita hæc Christi generatio singularis sit, non tantùm carne, sed etiam spiritu.

Suprà 18. Dauidis humilitas. *2. Reg. 6.*

Georg. lib. 28. Moral. cap. vlt. à med. tom. 1. Eiusdem mansuetudo, & clementia.

III. Ratio à genealogia Christi, cuiusque Euangelistę propria. *Ezech. 1. Apoc. 4. Ioan. 1.*

Tertio considera quatuor Euangelistas quatuor Christi genealogias describere, & vnumquemque illam maximè quæ suæ faciei respondeat. Ioannes enim, vt vidimus, illam Christi, vt Deus est à Patre ab æterno genitus, vtcunque enarrauit, dum dixit: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, &c.* Matthęus verò (cui facies hominis tribuitur) Christi generationem passiuam, per quam, vt homo, ingressus est vitam hanc mortalem & fragilem, sibi describendam assumpsit, vt cōstat ex hac genealogia. At Marcus (cui partes fuerunt leonis attributę) generationem Christi passiuam, quod ad spiritum, itemque quod ad nouam vitam immortalem & gloriosam attinet, enarrandam suscepit. Ex quo librum suum ita exorditur: *Initium Euangelij Iesu Christi filij Dei*: non filij hominis, sed filij Dei: quoniam per signorum potentiam, & Spiritus fortitudinem, & resurrectionem ex mortuis, se filium Dei à Deoque genitum perspicuè ostendit. Vnde & in die resurrectionis, in qua exuit mortalitatē & corporalis fragilitatē, induit verò decorē & fortitudinē, & præcinxit se virtute, iuxta Prophetam, dicitur à Deo genitus. Hinc Pauli illud dictum in Actis: *Resuscitans Iesum* inquit, *sicut & in psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu: ego hodie genui te*. Eadem ... e dicitur ab Apostolo *... mortuorum*: & Ioanne: *Primogenitus mortuorum*. Porrò Lucas (cui facie bouis adscribitur) ... ionem Christi actiuā qua nos sibi ipse in filios Dei regenerauit,

Act. 13. Psalm. 92. Psalm. 2. 1. Cor. 15. Apoc. 1.

quaque secundum testimonium Isaiæ, pater est futuri seculi, tradit: ideo in genealogia sua ascendit vsq; ad Deum: *Qui fuit Seth*, inquit, *qui fuit Adam, qui fuit Dei*. Pontificis est enim alios in filios Dei generare. Vnde Paulus Apostolus: *Nam in Christo Iesu per Euangelium ego vos genui*: & Propheta: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filij*.

Isa. 9. Luc. 3. 1. Cor. 4. Psalm. 44. Gen. 1.

Atque hæc quidem quadruplex generatio quadruplici alteri generationi in Scripturis contentæ opponitur: nam æternæ verbi generationi, quam Ioannes scribit, temporalis illa mundi generatio opponitur: de qua Moses: *In principio creauit Deus cælum & terram*. Illi verò Matthęi, qua Christum infirmum, & mortalē delineat, ex aduerso stat Adæ illa passiua, qua genitus est à Deo in gloria, honore & immortalitate, & ad similitudinem suam inq; paradiso collocatus. At Marci illa passiua secundū spiritum generatio, & Lucæ actiua, qua filios Dei gignit, aduersatur illi Adæ generationi, de qua Genes. 5. habetur: *Hic liber generationis Adam, &c. Vixit autem Adam centum triginta annis: & genuit filium ad imaginem & similitudinem suam, vocauitq; nomen eius Seth*. Et expende (quaeso) verba Spiritus sancti Nō enim ait: ad imaginem & similitudinē, quam habuit ab initio à Deo: sed suam, inquit, id est, peccato promeritam, deformē ac fœdam, qua filium iræ procreauit Seth, scilicet gratia, & dono immortalitatis spoliatum: ac proinde quantum ad animam & corpus corruptum (cui meritò opponitur passiua illa Christi generatio secundū Spiritum à Marco descripta, per quem plenus fuit gratia & veritate, & per quem ad immortalitatem vitamq; gloriosam seipsum euexit) aduersatur etiā illa Christi generatio actiua à Luca delineata, qua Christus nos in filios Dei regenerat, in præsenti quidem vita per gratiam, in futura verò per immortalem & gloriosam corpore & animo simul spiritualem vitam. Et hactenus de hac dubitatione.

Quadruplex Adæ generatio quadruplici Christi generationi ab Euangelistis descriptę respondeat. *Gen. 5.*

Quam ad imaginem & similitudinem Adam genuerit filium Seth. *Ephes. 2.*

Quarta in ordine dubitatio est: quomodo Matthæus intendit enarrare generationem, quæ est inenarrabilis, teste Propheta, qui ait; *De angustia, & de iudicio sublatus est. Generationē eius quis enarrabit? Quia abscissus est de terra viuentium*. Respondent ex Latinis quidem patribus Hieronymus in hunc locum Matthæi, & Augustinus lib. 2. de consensu Euangelistarū cap. 1. ex Græcis verò Chrysostomus & Theophylactus, & ante eos Cyrillus Hierosolymitanus in 2. catechesi, dictum Prophetæ intelligendum de generatione secundum diuinam naturam: Matthæus autem intendit enarrare generationem

Generatio Christi ... dicit ... Matthæus ... modo ... bit ... *Isa. 53. ...* per. ... in Matt. ... in initio. Theophyl. ... Cyr. ...

nem secundùm humanam: atque ita sibi minimè contradicunt. Sed his cum ratione obijci posset, Ioannem in exordio Euangelij generationem secundùm diuinam naturam quodammodò enarrasse. Quod si quis dictum volens tueri, cōtendat Isaiam de perfecta diuinæ naturæ generatione dixisse, *Generationem eius quis enarrabit?* nam humanis hæc viribus est impossibilis; Ioannem vero imperfectè atque tenuiter, & tantum quantum verbis assequi potuit, exposuisse, intelligat qui hoc asserit, tantundem de Matthæo posse dici: nā hic imperfectè humanam hāc Christi generationem enarrauit, dicendo Mariam habuisse de Spiritu sancto, cùm illam comprehendere perinde sit impossibile, atq; diuinum. Quamobrem si Prophetæ fuit intellectus de generatione perfecta, neuter: si vero de imperfecta, vterq; illam enarrauit. Hinc Bernardus serm. 1. de vigilia natiuitatis, de generatione humana ex Virgine Maria locū exponit Prophetæ: at Augustinus libro de Symbolo ad Catechumenos, de vtraque tam humana, quàm diuina interpretatur, vti B. Hieron. in c. 53. Isaiæ, & Leo Papa ser. 5. de natiuitate Christi, cuius hæc sunt verba: *Non enim ad illud tantummodo Sacramentum, quo Filius Dei consempiternus est Patri, sed etiam ad hunc ortum Verbum caro factum est, credimus pertinere, quod dictum est. Generationem eius quis enarrabit?* Lactantius l. b. 4. cap. 18. & Iustinus Martyr in dialogo contra Tryphonem, & Epiphanius contra Theodotianos, de generatione secundùm carnē intelligunt: & Lactantius legit, *Natiuitatem eius quis enarrabit?* Dicendum ergo est, duplicem hanc generationem esse ijs viribus humanis esse inenarrabilem, cùm naturale lumen nequeat ascendere, nisi ad vnicum esse Dei, quod est caussa caussarum omnium, quarum ope recondita & abstrusa Dei tantum potest conspicere. Secundam verò generationem de Spiritu sancto in vtero Virginis, similiter attingere non potest, nec humanum lumen tantum Dei Optimi Maximi erga homines liberalitatē, ac munificentiam vllo modo profectò valeret concipere: imò vix Lucifer ipse illam vt iustam & conuenientem vnquam potuit apprehendere, vt quodam loco dicit Bernardus: non enim naturali lumine capi, neque comprehendi potest, vt quis concipiatur de Spiritu sancto, & de intacta matre sine viri commercio atq; opera. Idcircò beata Virgo dixit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Et respondens Angelus, dixit ei: *Spiritus sanctus superueniet in te, &c.* vt neque homo, neque Angelus, sed tantùm Spiritus sanctus operis artifex id exponere potuerit: at lumine etiam diuino vtraque est omninò perfectè inenarrabilis & inexplicabilis, quemadmodum & diuinitas à nobis comprehendi & explicari integrè nequit vllo modo: diuinæ tamen personæ vtramque perfectissimè simul inter sese enarrant ac cōprehendunt: verumtamen imperfectè atque ex parte vtraque potest enarrari à nobis, & explicari. Ac ob eam caussam Ioānes cùm scriberet ad Gentes veri Dei cognitione cæcas, primam vtcumque descripsit: Matthæus verò scribēs ad Iudæos, corrigiam calceamenti, vnionem hypostaticam ignorantes, quibus potuit verbis secundam expressit. Hoc autem dicendi modo: *Quis enim enarrabit?* vel raritas & difficultas denotatur, sicut alijs plerisque in locis Scripturæ, vt cùm dicitur: *Delicta quis intelligit? Quis ascendet in montem Domini? Quis potest dicere: Mundū est cor meū, purus sum à peccato?* & alibi: *Beatus vir qui inuentus est sine macula, & qui post aurum non abijt, nec sperauit in pecunia thesauris. Quis est hic, & laudabimus eum?* Vel potiùs significatur impotentia, non absoluta quidem illa, sed nimirum humanarum virium ac naturæ ipsius infirmæ nostræ. Sic enim nullus est qui suapte natura, nullo fultus lumine diuino, capere delicta valeat, vel in cœlum ascendere suis viribus tantùm: vel qui à se ipso purus sit, ac liber ab omni crimine: vel deniq; diues, qui per se sit sine macula: bene autem inueniuntur tales, qui auxilio diuinæ gratiæ ac spiritu Dei induti hoc possint, nempe intelligere peccata: mundi esse à peccato: ascendere in montem Domini: sine macula diuitias possidere, &c. Ita sane viribus humanis, & ingenio vtraque generatio Christi inenarrabilis existit, verum imperfectè atque cum Dei gratia alteram Ioannes, alteram Matthæus enarrarunt. Illustranda mihi sunt hæc, quæ dixi, ex loco beati Marci cap. 10. cùm enim audiro verbo Christi: *Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum Dei:* dixerunt Apostoli ad semetipsos: *Et quis potest saluus fieri? Et intuens illos Iesus, ait: Apud homines impossibile est, sed non apud Deum. Omnia enim possibilia sunt apud Deum.* Vbi vides verbum Apostolorum: *Quis potest saluus fieri?* non nisi imbecillitatem & impotētiam humanæ naturæ significare, non autem diuinæ gratiæ potentiæque. Atque hæc omnia dicta sint, posito verbo Isaiæ de duplici illa generatione, vt volunt Patres, esse interpretandum.

Secundo loco sunt alij, qui exponunt, *Generationem eius*, pro admirandis gestis, dictis ac myste-

Quid incommodi habeat.
Matth. 1.
B. Bernard.
August. lib. 1. cap. 3 tom. 9.
B. Hiero. to. 5.
Ioan. 5.
Lactan. Firm.
Iust. in Marty. tom. 2.
Epiphan. in Hæresin.
II. solutio præstantior.
Non diuina solum, verum etiam humana Christi generatio quam inenarrabilis.
Bern. serm. 17 in Cantica, circa med.
Luc. 1.

Diuina humanaque Christi generatio quibus tantùm explicabilis enarrabilisq; perfectè.
Ioan. 1.
Matth. 3.
Quomodo accipiendum il. Iud. Generationem eius quis enarrabit
Psalm. 18.
Psal. 23.
Prouer. 20.
Eccles. 31.
Eius dictionis: Quis enarrabit? & similiū altera acceptio
Qualis eiusmodi Prophetæ locutio.
Mar. 10.
II. Intellectus eius dicti: Generationem

eius quis enarrabit. ac mysterijs Messiæ. Sic enim vocem Hebræam, *Dor*, aliquando vsurpari apud Hebræos, paulò ante docuimus. Atq; ita esset sensus, facta & dicta Christi quis enarrabit? Nimirum talia ac tanta sunt, vt diuino Spiritu sit opus ad illa omnia cōscribenda, Ioan. vlt. Ioanne teste, qui ait: *Sunt & alia multa quæ fecit Iesus: quæ si scribātur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt libros.*

III. Sensus. Tertiò producunt alij sensum aliū verbis Isaiæ ad literam, congruentem, & valdè suauem. Exponunt siquidem de generatione actiua Christi, qua ipse nos secundùm Spiritum sanguine ac morte sua in filios adoptiuos Deo genuit: sicut Adam nos Gen. 3. delectatione gulæ, & superbia occidit. Et Rom. 5. de ista dictū est: *Generationem eius quis enarrabit?* id est, Prolem filiorum Dei quos sanguine suo Messias progeniturus est, quis poterit enumerare? Quasi dicat: Nemo. Innumerabiles enim sunt fideles per Christū regeniti, & idcircò inenarrabiles, sicut Abrahæ prędictum fuit: *Suspice cœlum*, inquit, *& numera stellas, si potes. Sic erit semen tuum.* Quodque hic sit germanus sensus, & literæ proprius, ex multis planum fit.

Christi fuerit passio quàm fœcunda.

I. argum. pro sensu illo. Namque in primis ibi est sermo de nece Domini nostri, qua de ait: *Sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se, obmutescet*: ad quam nihil, aut certè parum facit generatio diuina, neque passiua Christi hominis secundùm carnem: benè autem actiua, quà nos genuit Deo: idcircò inquit, *Generationem eius quis enarrabit?* quia abscissus est de terra viuentium: quod tale est, quale si dixisset, Filios innumerabiles, quos propterea quòd necem acerbā ac violentā pro prole Deo generanda, sponte suscepit, sustinuitq;, quis poterit percensere?

II. argum. Secundò idem ostendit quod sequitur: *Si posuerit*, inquit, *pro peccato animam suam, videbit semen longæuum*: & magis declarans adhuc ait: *Pro eo quod laborauit anima eius, videbit & saturabitur:* id est, scientia sua iustificabit ipse iustus seru⁹ meus multos: quod proculdubiò videtur accedere ad verba Ioan. 12. Christi de se ipso dicentis: *Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet: Si autem mortuum fuerit, multum fructum adfert.* Atque hæc generatio nostra spiritalis in Christi actiua continetur, virtuteq; eius efficitur. Hanc ob caussam Matthæus, qui à Christi generatione secūdùm carnem suam exorditur Euangelium, in nobis regenitis illud terminat, dum formā Matth. vlt. baptismi explicans, ait: *Euntes docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti:* cætera verò, quæ inter media sunt, omnia de Christi doctrina, miraculis, morte, atq; resurrectione ad nouam generationem in spiritu & in aqua faciendam spectare videntur. Addit autem, *Generationis Iesu Christi.* Nimirum Iesus nomen est propriū; Christus verò cognomen est dignitatis: & primo nomine diuinitas Domini indicatur: proprium est enim Dei saluare quod perijt; sicut eius solius est, cōdere, atque ex nulla re cuncta, vt sint, efficere. At Christus, qui *Messias* Hebraicè appellatur, & Latinè *Vnctus* dici potest, vt Gręcè *Christus*, ad Reges, Pontifices, & Prophetas pertinet. Atque ita admirabilis est, valdeque illustris & inclyta hæc Domini Iesu generatio. Est enim generatio Dei secundùm carnem, Regis, Pontificis scilicet atq; Prophetæ. Vt nobilissima propterea censenda sit B. Virgo, quæ vno partu Deum, hominemq; Regem, Prophetam, ac Sacerdotem enixa est. Hic autem liber generationis Iesu Christi oppositus est libro generationis Adæ: eiusq; morbos & ægritudines curare videtur. Nam vt ille est cum pœnitentia audiendus & memorię mādandus, vt nostra peccata doleam⁹ defleamusque, atque quod attinet ad imitationē, obliuioni tradēdus: quia filij Adæ à Deo recedentes in terra scripti sunt: simili profectò seu potius cōtraria ratione hic liber generationis Christi memoriæ est commendandus, & cum gaudio audiendus, & nocturna versandus manu atque diurna; quandoquidem tam libenter, tam studiosè libros, & profanas Regum ac Principū genealogias, atq; hic terminandas continentes, lectitamus atq; suscipimus. In his itaque paucissimis verbis mirificè attētionem nostram & beneuolentiam captat Matthęus, dum tanti Dei & Saluatoris describere genealogiā pollicetur: qui vt nos Deo regeneraret, atque ex illo libro terrestri in hunc cęlestem seminis longęui transferret, secūdò ex virgine voluit generari. Cæterùm de nominibus Messiæ, nempe de Iesu & de Christo alibi differendum est latius.

Ioan. 3. Iesu nomen & Christi, quid sonent.

Virginei partus excellentia.

Christi generatio hæc à Matthæo scripta opponitur generationi Adæ.

Liber generationis Christi nobis quam faciendus.

Quinta in ordine dubitatio est: Cur Dauidis atq; Abrahæ tantùm Iesus proponatur filius, non autem Iacob, vel Isaac, aliorumve. Et cur prius dicatur à Matthæo filius Dauidis, quā Abrahæ. Ad priorē huius dubij partem dicendum est, in primis hæc verba non esse texendæ genealogiæ initiū, verùm propositionē eius quod scribere instituit: nam reuera genealogiæ initium est: *Abraham genuit Isaac, &c.* Est enim mens Euangelistæ deducere, quomodo Christus oriundus sit à Dauide secūdùm Iosephū ad consolationē Iudæorum, qui Christū fide

Vnde Matthæus genealogiæ Christi sumat initium.

Christus quare filius Dauidis dicatur & Abraham.

susceperant. Deinde notandum, ob id filium vocari Dauidis, quoniã id præcipuè propositũ est. Additur verò, *filij Abraham*, ad maiorem explicationem, licèt id etiam esset subintelligendum. Tum quia etiam initium erat, ex quo tres quaterdenæ genealogiæ erant inchoandæ. Horum duorum autem filius dicitur, quòd illis Messię est facta promissio: nam etsi non solis id Deus sit pollicitus, quemadmodum constat de Isaac Genes. 26. & de Iacob Genes. 28. itẽ de promisso facto Salomonis 3. Regum 9. & 11. tamen illis primis & eorum gratia, alijs quoque promisit, vt patet de Isaac, cui dixit: *Eo quòd obedierit Abraham voci meæ, &c.* & Iacob idem Dominus dixit: *Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Isaac*: Et Salomoni: *Non propter te, hoc inquit, faciam: sed propter Dauid seruum meum.* Illis autẽ Deus ex sua immensa liberalitate promisit, sed statuit, deditq; eis (ipsis tamẽ simul illi operantibus) congrua adiumenta atque præsidia, quibus tãti doni compotes efficerentur. Abrahæ siquidem fidem insignem atque obedientiam attribuit: *Quia fecisti*, inquit, *hanc rem, & non pepercisti vnigenito filio tuo propter me: Benedicam, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & velut arenam, quæ est in littore maris. Possidebit semen tuum portas inimicorum tuorũ, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ.* Rursus Dauid fide ac mansuetudine animiq; lenitate, qua erga inimicos suos Saulem, Absalonem & Semeium excelluit. Hinc dicebat ipse de se: *Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius.* Vt nõ immeritò hi duo excellentes viri promeruerint patres Christi Messiæ appellari: reliqui verò propter hos, quòd filij eorũ sint, ex quib. Christus carnẽ assumere decreuit.

Gen. 26. Supr. 22. Infra 28. 3. Reg. 9. Gen. 28. 3. Reg. 11. Abrahæ obedientia. Gen. 22. Mansuetudo Dauid. Psal. 131.

II. Ratio eius appellationis. Gen. 22.

Secundò his duobus facta est promissio Messiæ cum iuramento: de quo ad Abraham facto testatur Scriptura: *Per memetipsum iuraui, dicit Dominus: quia fecisti hanc rem, &c.* & de quo Zacharias: *Iusiurandum quod iurauit ad Abraham patrem nostrum.* Porrò Dauidi in Psal. 131. dicitur: *Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eum: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam:* & iterum, *Semel iuraui in sancto meo, si Dauid mentiar, semen eius in æternum manebit*; rursus 2 Reg. 7. *Firmabo regnum eius, & stabiliam thronum regni eius vsq; in sempiternum. Ego ero ei in patrem, &c.* Quæ verba Paulus ad Hebræos cap. 1. de Christo interpretatur. Iuramentum autem apposuit Deus, vt intelligatur promissio absoluta, neq; obstantibus quibuscunq; criminibus omninò adimplẽda, vt diuina sint dicta veracia. Contra verò promissa legis conditionibus suis constãt. *Si enim qui ex lege hæredes sunt, exinanita est fides*, (id est, Dei fidelitas inanis facta) *abolita est promissio. Lex enim iram operatur, vbi non est lex, nec præuaricatio*, nẽpe impediens promissionem Dei absolutam.

Luc. 1. Psal. 131. Psal. 88. 2. Reg. 7. Heb. 1. Quare cum iuramento Messiam promiserit Deus. Rom. 4.

III. ratio.

Tertiò horum tantùm duorum meminit, ad indicandam Christi ex eis geniti dignitatem: alter enim inter Patriarchas, & pro eo tempore, quo nondũ erat populus sub vnam legẽ collectus, summus fuit: alter verò inter Reges, & eo tempore, quo populus legi Mosis seruiebat, supremus atque sanctissimus extitit. Ex sacerdotib. autem, vel Iudicibus vel Prophetis nemo hic ponitur: quia Christus nõ erat futurus Sacerdos Leuiticus, sed ex tribu Iuda, vt ponderat Apostolus ad Heb. 7. Etsi interdum Leuitæ acciperent vxores ex tribu Iuda, & contra. Erat Christus tamen Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech: quo pacto Abraham Sacerdos erat ratiõe primogenituræ. Vnde narratur ædificasse altare Domino: & Dominus ad eũ: *Sume*, inquit, *mihi vaccam triennem, & capram trimam, &c.* cùm illi Sacerdotum more sacrificare pręciperet. Iudicãdi etiam officium ad omnes tribus pertinere poterat, etiam ad Iudam, vt Othniel, & Abelan: sed illi non spectabant ad Christum. Neq; dicitur filius Prophetæ: quia prophetia cũ tribubus vniuersis communis erat: neq; dicit statum aliquẽ quẽadmodum Sacerdotum. At Abraham & Dauid, prophetæ erãt; vnde Deus ad Abimelech de Abraham dixit: *Nunc ergò redde viro suo vxorem, & orabit pro te: quia Propheta est, & viues.* Dauid quoque summus Propheta, per excellentiam vocatur. Sed ad mysteria canenda fortasse magis, quàm ad futuros euentus cognoscendos, vt quidam tradunt: nam Dauid consulebat Gad & Nathan, aliosq; Prophetas sui temporis. Significaturque Christus Rex, Sacerdos atque Propheta futurus. Cumque sint Patriarchæ, Iudices, Reges, atque Sacerdotes, qui populum Dei gubernarunt: ex primis tantùm ac tertijs originem trahere voluit Christus. Cùm ergò Patriarchis & Regibus sit facta promissio Christi: maximum tamen Patriarcham, & maximum Regem parentes Christi summi patris omnium, summique omnium Regum Regis, Euangelista hoc loco nominauit.

Christi genus Sacerdotale cur taceat Matthæus. Hebr. 7. Psal. 109. Gen. 15. Cur nec iudicum alicuius filius dicatur. Iosu. 15. & alibi. Iud. c. 12. Idem Christi patres cur nullos Prophetas enumeret. Gen. 20. Abraham an fuerit Propheta, Dauid qualis Propheta. 2. Reg. 7. Infr. vlt.

Ad posteriorem verò partem dubitationis, quamobrem scilicet Dauid ipsi Abrahæ præponatur, multæ atque illæ minimè quidem cõtemnendæ rationes suppetunt. In primis namque, vt notauit Hieronym. & autor operis imperfecti in Matthæu ho-

Quare Christus prænominetur filius Dauid, quàm Abrahæ. Hier. hoc loco. Hom. 4. initio.

Commo-

Autor operis imperf. hom.1 Tom.2.ope. ñ D.Chryfoft. commoditas sermonis exigebat, vt vitaretur battologia. Si enim primò dixisset, filij Abraham, & filij Dauid, rursus repetẽdum erat, filij Abraham, vt generationis series texeretur. Deinde quoniam dignior erat Dauid in statu Regio, quam Abraham in Patriarchali constitutus, vt Chrysostomus animaduertit.

II. ratio. ac III. Tertiò, quia magis ad rem faciebat Messiæ, ac magis erat determinata promissio Dauidis familiæ facta, quàm Abrahæ: nam de illa dubium erat inter Iudæos non credentes verum Messiam, non enim putabãt eum de domo Dauid esse, ex quo interrogati à Domino: *Quid vobis videtur de Christo? cuius filius est? Dicunt ei, Dauid,* non autem ita dubitabant, an esset filius Abrahæ. *Matth.19.*

IV. ratio. Quartò, quia Dauidi semen regium est promissum: *De fructu*, inquit, *ventris tui ponam super sedem tuam.* Et Angelus: *Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius.* Abrahæ autem, etsi Patriarcha, Sacerdos & Propheta fuerit, semen simpliciter est promissum: quiuis verò Abrahæ filius erat, ac dicere poterat: *Nos semen Abrahæ sumus.* *Psal.131. Luc.1. Ioan.8.*

V. ratio. Quintò, quia Dauid excellentior Propheta extitit: plura enim sunt illi significata diuinitùs: & quatuor facies Christi descripsit, quarum etiam typum in se ipsó & imaginem gessit. Hominis quidem, quia parens fuit Christi: Leonis verò, quia fuit fortis, & cum leonibus quasi cum agnis, lusit, teste Ecclesiastico: Vituli, siue bouis, quia afflictam in aduersitatib. & molestijs laboribusque, & perpetuam vitam traduxit, iuxta illud: *Pauper sum ego, & in laboribus à iuuentute mea.* Aquilæ verò, quia altè per contemplationem ad illam æternam Verbi generationem: *Dominus*, inquit, *dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te:* & Christum ascendentem in cœlum, in specie vidit: *Ascendit*, inquit, *super cœlum cœli ad Orientem.* At cæteri Prophetę, pauca quędã mysteria Christi degustarunt, si cum Dauide comparentur: & ad Moysen dixit: *Ego Dominus, qui apparui Abraham, Isaac ac Iacob in Deo omnipotente; & nomen meum* ADONAI *nõ indicaui eis:* id est, aliquot Dei perfectiones per nomen ADONAI significatas. *Quatuor Christi facies in Dauide figuratæ. Ecclef.47. 1.Reg.17. Pfalm.87. Pfal.2. Pfal.67. Exod.16. Quid est: Et nomen meum Adonai non indicaui eis.*

VI. Ratio. Sextò, erat forsitan Deo Dauid amicior & charior, vt docet Episcopus Abulensis. Dei siquidem de illo est hoc elogium: *Quæsiuit sibi Dominus virum iuxta cor suum:* & plura maioraque in eum contulisse beneficia videtur, de se enim dixit: *De post fœtantes accepit eum pascere Iacob seruum suum, & Israël hæreditatem suam.* Præfecit eum gentibus multis: domuitque Philisthæos, Amonitas, Moabitas, Idumæos, & Syros, fecitque sibi tributarios, vt habetur 2.Reg.8. Ad hæc, diuinum cultum amplificauit, distinxitque tempora ministerij sacerdotibus: cantores ad Dei laudes decantandas instituit: aurum, argentum, æs, plumbum, ferrum, atque alia ad templi ædificationem necessaria abundè comparauit, Salomonique reliquit Psalmos, quos cœtus fidelium frequentat, & magna cum celebritate decantat, ipse spiritu diuino plenissimus composuit, atque propter incomparabilem ipsius animi lenitatem atq; clementiam, Deo charissimus extitit: nobisque hoc vno nomine prædicãdus maximè, atque in primis imitandus. Etsi verò quædam eius delicta in Scripturis legamus: illa tanquam næui quidam parui in pulcherrimo corpore obscurantur. *1.Reg.13. Pfal.77. Dauidis Regis victoriæ. Diuini cultus propagatio. 1.Paral.24. & seq. Qualia tandẽ Dauidis peccata.*

VII ratio. Septimò, recentior erat memoria Dauidis. Frequentiùs enim Messias de domo Dauid futurus legitur in sacris voluminibus. Nam de Abraham Genes. duodecimo, decimoquinto, vigesimosecundo fit mentio: at de Dauide 2.Reg.7. & 1.Paralipom. 17. & 22. Psalm.88. & 131. Isai.22.52. Hieremiæ 23.30. & 33. Ezechiel.34.37. Oseæ 3. Amos 6. & 9. & vbique in Euangelijs Christus vocatur filius Dauid, & Apoc.5. Radix Dauid. Etsi enim secundùm carnem Christus sit de radice Iesse, vt dicitur Isa.11. ipse tamen secundùm diuinitatem, & secũdùm spiritum radix est Dauidis: nam propter Messiam Dauid factus est fortis spiritu & corpore, atque opibus, ne periret illa familia, ex qua Messias erat prodíturus: quam ob causam permissus est gladius, quo postea Christus se defendi ab Apostolis interdixit. *VIII ratio prænominati Dauid Abrahæ in genealogia Saluatoris. Dauid cur tam fortis ac potẽs electus à Domino.*

Cùm ergò dicitur: Filij Dauid, filij Abrahã: referri potest vel ad Christum, qui filius est vtriusque, vel ad Dauid, qui filius est Abrahæ, vt Zachar.1. dicitur: *Factum est verbum Domini ad Zachariam filium Barachiæ, filij Addo Prophetam:* nam filij Addo, refertur ad Barachiæ. Rectèque Christus filius Abraham, id est, filius multarũ gentiũ nominatur, quòd munere Christi sit pater spiritualis multarũ gentium effectus: dandusq; est illi hic honor, vt Christus dicatur eius filius. Nam vt homo tantùm posteros suos ex sanguine suo descendentes nobilitare potest, non autẽ præteritos: sic Christus Deus pariter & homo, suos progenitores ac posteros nobilitare potuit, atq; illustrare, vt meritò dicatur: *Gloria plebis suæ Israël*, quæ eum tamen tempore antecesserat. Ijs enim à quibus infirmum corpus assumpsit Christus, largitus est spiritum fortem quo eos Dei filios effecit. Quòd si pa- *Zachar.1. Christũ quid sit esse filium Abrahæ. Rom.4. L. c.1.*

ter in

Christus Messias quàm benede progenitoribus suis meritus fuerit.

ter interdum per filium conuertitur, multò plus maiores & ipsi ataui Christi propter Messiæ merita erant à peccato subleuandi, & in spiritualibus corroborandi, si in temporalibus illos tutatus sit: aliàs enim Spiritus sanctus non mouisset Euangelistã, vt poneret in hoc libro generationis Christi deletos de libro viuentium. Vnde homilia prima autor operis imperfecti: *In hominibus*, inquit, *patres filios sibi adoptant, quos ipsi desiderant. Hic autem filius sibi adoptauit patres, quos ipse elegit. Illic filij à parentibus suscipiunt generis dignitatem, hic patres à filio susceperunt.* Sic ille. Quod ergò dicitur filij Abraham, magis ad Christum, quàm ad Dauidem spectat, Christum filium esse Abrahæ, non tam ortus erat, quàm quidem esse filium Abrahæ.

Tom.2. operis D.Chrysost.

Christi generatio ab Abraham potius & Dauid, quam ab Adam cur ducit originẽ.

Luc.3. Gen.12. Rom.4. Gen.17. Ibidem.

Abraham quã expectauit terram viuentiũ.

Sequitur in textu: *Abraham genuit Isaac.* Ex quibus verbis oritur sexta dubitatio: cur non potiùs exordium sumpserit ab Adam, vt Lucas fecit, quã ab Abraham? Respondemus meritò id factum fuisse. Nam Abrahæ primò facta est promissio, qui ob fidem pater spiritualis omnium credentiũ est appellatus; & principium fidei magis explicitæ ac perspicuæ de Christo, principiumque populi Dei, vnde ortus est Christus. Populus enim ille circuncisionẽ præputij acceperat, & peccatorum præcisionẽ per Christum tanquam lapideum gladium figurauit: & ipsum, qui terra promissa viuentium est, per fidem expectauit. Ideò iustis de causis factum est, vt Matthæus non incœperit ab Adam, sicut Lucas. Mẽs enim erat Matthæi, ostendere Messiam filium Dauidis, & Abrahæ: Lucas verò, qui significare hominis reditum volebat ad Deum, iure optimo ascendit ad Adam, qui ad Deum proximè refertur: & quia Lucas proposuit omnia describere ex ordine, ideò completam genealogiam vsque ad Adam peruenientem tradere debuit. Abraham ergò genuit Isaac, & Isaac genuit Iacob.

In quot diuisa tesseradecades Christi genealogia.

In primis notandum, genealogiam Matthæi in tres distributã esse tesseradecades. Prima est ab Abraham ad Dauid per Patriarchas. Secunda, à Dauide, ad transmigrationem Babylonis per Reges. Tertia est à transmigratione vsque ad Christum per Duces & priuatas personas.

Gen.21. Infra 25.

Isaac & Iacob de sterilibus cur orti parentibus.

Quod ad primam igitur attinet, dicimus quòd Abraham genuit Isaac ex Sara sterili vxore, Isaac verò genuit Iacob ex sterili Rebecca, vt Christum nasciturum de Virgine præfigurarent, & generationem ex Virgine fieri posse docerent. Tum vt Messiam sacerdotem futurũ delinearent: nam illi tres quia primogeniti erant, & Altare Domino ædificabant, decimas offerebant, & nomen Dei inuocabant, meritò sacerdotes dicendi sunt. Vnde Iacob in vestibus Esau sacratus fuit: & Isaac quando in montem ductus est immolandus, initiatus fuit sacerdotio. Sem etiam primogenitus, non erat alius quã Melchisedech sacerdos Dei Altissimi, vt Hebræi sentiunt, quos sequitur B. Hieronymus. Sacerdotium verò primogenitorum cessauit in Iacob: quod vsquequo venit Christus primogenitus Mariæ Virginis, datum est Leui ob flagitiũ Ruben primogeniti: & portio hæreditatis dupla, quæ spectabat ad primogenitum, Deuter.21. translata est in Ioseph, vt habes apud Genes. cap.48. at Christi secundùm carnem aduentus ex ipso translatus in Iudam est.

Gen.25. Supra 22. Gen.14. Hier.epist. 125. ad Euagrium, tom.3. Gen.35. Deut.21. Gen.48.

Ismael & Esau in Christi genealogia cur locum nullum habeant.

Sed rursus ex his verbis septima dubitatio insurgit, cur Ismael & Esau ab hac genealogia fuerint exclusi, à qua tamen fratres Iudæ non excluduntur? Breuiter dicendum est, Ismaelem atque Esau non esse hic appellatos, quòd nõ essent filij promissionis & gratiæ, nec pars populi Dei: nec ex eis Christus duxit originem: tum vt nobilitatem doceret non præcipuè in genere familiave positam esse; bona enim pars Patriarcharum, id est, filiorum Iacob, qui & principes tribũ extiterunt, ex ancillis progeniti sunt. Fratres autem Iudę enumerantur, quia Patriarchæ extiterunt, & capita populi Dei, permanentesque in cultu veri & singularis Dei. Etsi enim fuerint peccatores, & accusati de crimine pessimo, & vẽdiderint Ioseph, itemq; per proditionem interfecerint omnes Sichimitas, Ruben quoq; ascenderit in cubile patris sui: postea tamen verisimile videtur pœnitentiam omnes egisse, & iustos effectos fuisse; eorum tamen nomina hic non exprimuntur, quia Christi patres non fuerunt. Deinde, quia eorum nomina satis nota erant; denique, vt breuitati consuleret, quomodo infra simili ratione ait: *Iosias genuit Iechoniam & fratres eius in transmigratione Babylonis, & post, &c.* Vbi non expressit fratres. Hinc Ismael & Esau ita exclusi, odio haberi dicuntur; scriptum est enim: *Eijce ancillam hanc, & filium eius: non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac*; & alib: *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Non intelligo autem tale odium, quo fuerit eis omne salutis remedium sublatum: quis enim hoc faceret Deus qui vult omnes homines saluos fieri; & de quo ait Salomon: *Diligis Domine omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti?* Sed eatenus tantum in odio esse dicuntur,

Gen.35. Quare fratres Iudæ positi in genealogia Christi. Infra 37. Ibidem. Supra 34. Infra 35.

Cur eorum nomina fuerint suppressa. 1.Paral.3. Gen.21. & Gal.4. Infra 25. Malach.1. Rom.9.

Dei quale odiũ fuerit Esau iuxta Prophetam. 1.Tim.2. Sap.11.

quate-

quatenus peculiaribus donis & priuilegijs quibusdam, quibus Isaac & Iacob gaudere ac frui voluit Deus Opt. Max. suo vitio illi destituti sunt; & vel hoc potissimùm, quòd Christus ex eorum sanguine descendere noluerit: vel subindicare voluit solos eos Deo cognitos, qui fidem habent; incognitos alios, qui illa carent, qua ratione nomẽ Lazari describitur, diuitis reticetur.

Quid quod proprium nomen Epulonis Lucas non posuit, sed mendici.
Luc. 16.

Sequitur: *Iacob autem genuit Iudam & fratres eius.* Iudas vltimus fuit filius principalis vxoris, at minus dilectæ, nempe Liæ: nõ quarto loco vbi peperit, dixit: *Modò confitebor Domino: cessauitq́; parere*; atque ab ea cõfessione laudis est dictus Iudas. Etsi autem posteà peperit Zabulon & Isachar, & Dinam filiam, id nimirum precibus, addita etiam diuina virtute, obtinuit: & voluit quidem Christus nasci de minimo, quemadmodum Iacob minor erat quàm Esau, & Dauid inter septem fratres minimus fuit: quia ipse non debebat à natalibus splendorem accipere, sed potiùs debuit illis claritatem impertiri: & quia contemptibilia elegit Deus, vt confundat fortia: hinc populus Israel minimus erat, vt asserit Moyses Deut. 7. Postremò, vt Prophetia Iacob impleretur, *Iuda*, inquit, *te laudabunt fratres tui.*

Quis Iudas filius Iacob, vnde dictus.
Gen. 29.
Ex eo vt minimo cur natus Christus.
1. *Cor.* 1.
Deut. 7.
Gen. 49.

Hoc loco octaua potest oriri dubitatio, an Christus fuerit de tribu Iuda, an verò de tribu Leui secundum Mariã: nam August. disputans contra Faustum Manichæum libro 23. dedit hoc Hæreticorum importunitati, qui ex libris quibusdam apocryphis ostendebant Christum ex tribu Leui fuisse: ait enim: *Si Ioachim pater Mariæ de stirpe Leui fuit, vt Faustus Hæreticus per quasdam scripturas apocryphas asserebat: credendum est, quòd mater Ioachim fuit de stirpe Dauid, vel etiam vxor eius.* Hæc ille in sensu. & lib. 2. de consensu Euangelistarum, cap. 11. docet, quòd etsi Mariam non esse domo Dauid, aliquis posset ostendere; quod tamen apertè falsum est, cùm dicat Apostolus: *Qui factus est ei ex semine Dauid secundùm carnem.* Christus tamen adhuc potuit dici filius Dauid propter Ioseph virũ Mariæ. Sed hæc quæstio in alio tractatu huiusce libri discussa est: & breuiter asserendum, Mariam respectu parentis Ioachim fuisse de tribu Iuda, & de familia Dauid, vt congruè Christus filius Dauid possit nuncupari: nam ratio genealogiæ non fœminarum, sed masculinam lineam respicit: per matrem verò Annam, fuisse cognatam Elisabethæ, intellige.

Christusne fuerit de tribu Iuda, an de tribu Leui.
B. Aug. c. 9.
Idem tom. 4.
Rom. 1.
Christus qua ratione filius Dauid, Maria verò cognata fuerit Elisabeth.
Luc. 1.

Sequitur: *Iudas autem genuit Phares & Zaram de Thamar.* Nona dubitatio est, cur meminerit Zaram, cùm ad Christum non pertineat? Respondetur, fratrem fuisse vterinum ipsius Phares parentis Christi, & partem populi Dei, atque ex vno concubitu Iudæ cum nuru sua conceptum cum Phares; ac proinde dignus fuit, qui hoc loco nominaretur. Non autem *Her, Onan & Sela*, quia minus pertinebant ad Phares, cùm tãtùm essent fratres ex patre, & nõ ex matre: tum quia magni peccatores fuerunt, quos propterea Deus interfecit. Ponitur etiam Zaram ob sensum spiritalem: in his namq́; geminis fratribus vterq; & Iudæus & Gentilis Populus significatur, quorum vterque ex Thamar natus est, nempe ex cruce amara Christi, vbi parturiens clamauit. Zaram autem prior fuit, cui obstetrix filium coccineum manui eius alligauit: verùm retracto intus Zaram, prior egressus est Phares. Populus ergò Iudæorum prius apparuit in luce & fide quasi de vulua mundi tenebrosa, signatusq́; est cocco circuncisionis, omnibus opinantibus ipsum esse populũ Dei: sed posita est ante faciem maceria legis, ob quam impeditus est venire ad fidei iustitiam, & egressus est prior Phares, id est, gẽtilis populus suscipiens Christum: deinde, postquàm plenitudo gentium intrauerit, ipse Israel saluus fiet. Atque hic considera, quo modo Deus id quod in sua prædestinatione & præscientia definitum habet, per medias tamen subinde causas prorsus indefinitas, humanoque iudicio omninò fortuita efficit: nam quæ fortuita & contingẽtia hominibus videntur, Deo (cui nihil est fortuitum) maximè sunt à proposito, & meditata, cogitataque.

Gen. 38.
Zaram cur cõmemoret Euangelista ad Christi genus minimè spectantem.
Ibidem.
II. Ratio.
Matth. 27.
Heb. 5.
Thamar in partu clamante, Phares que de vtero ante Zaram egredientis mysterium.
Rom. 11.
Proprium diuinæ prouidẽtiæ.

Decima dubitatio sequitur, cur meminerit Thamar, quæ impudicum concubitum furata est, non autem alterius sanctæ fœminæ, non Saræ, non Rebeccæ, non Rachelis, vel Liæ? Respondet B. Hieronymus his verbis: *Notandum*, inquit, *in genealogia Saluatoris nullam sanctarum assumi mulierum, sed eas, quas Scriptura reprehendit. Vt, qui propter peccatores venerat, de peccatoribus nascens, omnium peccata deleret.* Hæc ille.

Thamar incestuosam cur posuit Matthæus in genealogia Saluatoris.
Hiero. tom. 9. *in Matth.*

Ponitur ergò Thamar quemadmodum & Rahab & Ruth & Bethsabeæ. Impugnat Lyranus hoc dictum Hieronymi. Primò, quia Maria ponitur in hac genealogia: non aduertens, Hieronymum vocare genealogiam, quæ vsque ad Ioseph virum Mariæ protenditur: & illa extra genealogiam iungitur cum Christo filio suo quasi mulier viro, & seruatrix seruatori suo: & Maria necessariò ponitur, quia mater Christi; secùs illæ quæ poterant omitti, sicut omittũtur Sara & Rebecca.

Iosue 6.
Ruth 4.
2. *Reg.* 11.
Prima ratio pro solutione Hieronymi contra Lyranum.

Secundò non obstat, quòd relicti sint tres Reges ob ingẽtia scelera eorum & flagitia

II. Ratio.

gitia: nam illi vsque ad extremum vitę spiritum impœnitentes mortui sunt: Rahab verò & Ruth, & si Chananaæ idolorumq; cultrices olim extiterint, & Betsabæa planè adultera, & in cædem viri conspirans (si Remigio credimus) sicut Thamar fornicaria & incesta: posteà tamen mulieres illæ iustæ & sanctæ euaserunt. Ex quo habes, Iudæos falsò contra Christum iactasse, Ioan. 2. *Nos ex fornicatione non sumus nati.*

2. Reg. 11. & seq. Remig. Gen. 38. Ioan. 8.

IV. ratio cōtra Iudęos, Rahab non meretricem, sed hospitam tantummodo nominantes.

Tertiò, non est opus excusare Rahab, quòd fuerit hospes, cauponave, vt etiam Chaldæa translatio habet: nam apertè Hebraicè legitur Zonah, id est, meretrix, atq; ta 70. Interpretes verterunt Iosue 2. & 6. & Paulus ad Heb. & Iacobus frater Domini, cap. 2. epistolæ suæ apertè meretricem voçant. Et demus, hospitalem fuisse & cauponam, solent tamen eiusmodi mulieres interdum occultos concubitus vendere, & ab hospitibus suis mereri. Rahab secundū Græcam & Hebræam orthographiam debet habere ch, vt dicatur Rachab ad differētiam simplicis adspirationis Rahab, quæ superbum significat, & pro Ægypto ponitur: interdum per he, simplex. Nec mirum esse debet, si Salmon princeps tribus Iudæ eam in vxorem acceperit: quia formosa erat & diues, fidelis etiam, vt testatur Apostolus, deque filijs Israel benemerita: gessit item expressam imaginem Ecclesiæ Gentium, quæ fornicaria erat, & à fide aliena: verùm susceptis exploratoribus, Iesu Apostolis scilicet, summo Principi Christo iuncta est: omnesque qui illorum sermoni crediderunt, symbolo rubri funiculi, id est, merito crucis & mortis Christi seruantur ab exterminatore. Deinde mentionem facit Euangelista Thamar, vt Ambros. super Lucam testatur; ne pudeat Ecclesiā ex peccatoribus congregari, cùm Dominus nasci de peccatoribus non sit dedignatus. Non ergò expellendi, sed suscipiendi sunt peccatores. Itē vt ostendatur secundùm Chrysostomum, legem à maioribus Iudęorum, vt Iuda & Dauide, non fuisse impletam, multo minus à minoribus, sed omnes deliquisse, & egere mediatore Christo, qui gloria Dei est. Prætereà, quò demonstretur maculam natalium, malignitatem ve partum nihil obstare virtutum, bonarumque actionum studijs, modò posteri eos non imitentur: neq; rursus iuuare splendorem & sanctitatem parentum ad salutem æternā, nisi eorum vestigia consectentur. Nam vt egregiè quidam Ethnicus dixit:

Iosu. 2. Infr. 6. Heb. 11. Iacob. 2.

Rahab quomodo scribitur Hebraicè, quid significet

Rahab meretricem, & alienigenam Salmon vxorem cur duxerit. Heb. 11. Eius typus.

II. ratio Thamar meretricis Matthæo memoratæ. Ambros. lib. 3 in Luc. tom. 5. III. ratio. Chry. hom. 3. in Mat. sub init. tom. 2.

Rom. 3. IV. ratio.

Ouid. lib. 13. Metamorph.

Qui genus laudat suum, aliena laudat;

Et alius:

Nam genus & proauos, & quæ non fecimus ipsi,

Vix ea nostra voco.

Propheta etiam: *Anima quæ peccauerit, ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij.* Et Ioannes Baptista: *Ne velitis dicere intra vos, Patrem habemus Abraham.* Ex impio Achaz natus est sanctus Ezechias; ex scelerato Amō ortus est Iosias; rursus ex sancto Ezechia natus est impius Manasses. Pulchrè hoc loco Euthymius ex Chrysostomi doctrina hauriens, philosophatur his verbis: *Neque enim virtuti dedito, nocet progenitorum iniquitas. Quisque enim à proprijs operibus, non ab alienis, probus iudicatur aut improbus. Nam ob id etiam venit Christus, non vt nostra fugeret opprobria, sed vt ea susciperet, suisq; virtutibus perimeret. Vt medicus namq; aduenit Christus, non vt iudex.* Deinde subdit alias rationes, cur Christus ex peccatorib. & alienigenis progenitoribus descenderit: vt Iudæorum tumorem reprimeret, quorum erat virtutis nullam curam habere, sed de progenitoribus plurimum gloriari: ideò ostendit, illos ex illegitimis natos nuptijs. Addit aliam caussam: *Quòd mulieres illæ fuerunt figura Ecclesiæ, quæ ex gentibus congregata est, &c. Et sicut genus talium mulierum nequaquam indignū reputauit; ita nec Ecclesiæ secum desponsationem. Simul quoq; per talia docemur, non de progenitorum peccatis, sed de proprijs erubescere: neque de maioribus gloriari, sed propria curam habere virtutis. Neque viros egregios talibus copulatos nuptijs propter huiusmodi matrimonia vilipendere: neque eos repellere, qui à diuersis iniquitatibus ad fidem accedunt.* Hęc ille. Postremò fit mentio Thamar, vt indicetur, illos ex primarijs vxoribus genitos non fuisse, vt ij sunt de quibus absolutè dicitur, Genuit talem, & talem, &c. Et Phares ex insperato & vltimo coitu Iudæ natus est.

Ezech. 18. Matth. 3. 4. Reg. 16. Infr. 21. Supr. 20.

Euthym. in Matth. Chrysost. loco præscripto Christus quare in hūc mundum venerit, teste Chrysost.

V. Ratio.

Iudæi quare plurimum gloriantur insalices.

VI. Ratio.

VII. Ratio.

VIII. & postrema.

Gen. 38.

Sequitur: *Phares autem genuit Esron.* Abraham genitus fuit in Mesopotamia, cæteri omnes in terra Chanaan vsque ad Esron, qui paruus intrauit in Ægyptum, vt Gen. 46. habetur, ibidemque mortuus est. Nam fuerunt filij Israel in Aegypto 215. annis. Aram autem primus natus est in Ægypto, atque in eodem loco vita defunctus. Aminadab verò primus cum tribu Iudæ (cuius erat princeps) ingressus est mare rubrum, vt testatur Lyranus, mortuusq; est initio secundi anni ab egressu. Nam vt scribitur Num. 2. eius filius Nahasson erat iam princeps tribus Iudę, qui etiam promissam terram non intrauit, quia numeratus fuit. Salmon autem natus videtur in deserto: vel minor erat viginti annis in egressu de Aegypto; aliàs numeratus fuisset, ac mortuus, nec intrasset in terram promissam,

Phares vbi genuit Esron. Gen. 11.

Lyranus. Num. 2. Nahasson quoque vbi genuit Salmon. Num. 1.

nec accepisset Rahab in coniugem, de quo dicitur; Salmon genuit Booz de Rahab.

Hæc genealogia: Salmon genuit Booz de Rahab, vnde desumpta. Eam minime reijciendam, contra Pagninum.

Quia verò generatio hæc in veteri lege non inuenitur scripta: idcircò duodecima dubitatio est, vnde hanc genealogiam acceperit Matthæus. Santes Pagninus in noua editione scripturarum, verbum hoc, de Rahab, de medio sustulit, nulla autoritate, aut firmatione, quantum iudicare possum, innixus: cùm summum sit omnium Græcorum ac Latinorum codicum in hoc consensus. Simili etiam temeritate in genealogia illa: *Booz autem genuit Obed ex Ruth*, verbum, ex Ruth, de textu abiecit, cùm tamen hæc generatio ex Ruth inueniatur in sacris libris. Non erat autem abijciendum à textu, tametsi in scripturis fieret de eo nulla mentio: quoniam satis nobis autoritas fuisset Matthæi, & liber ille approbatus ac receptus, vnde hæc ipsa desumpsit. Quod si propterea reijciendum fuit verbum, ex Rahab, quod in scripturis nusquam inueniatur; eadem ratione reijcere debebat genealogias fermè omnes, quæ in tertia quaterdena habentur, cùm de illis in historia sacrosancta scriptam inueniamus ne literam quidem. Debuisset & illud reijcere, quod Apostolus scripsit de Ianne & Mambre, qui restiterunt Moysi. Quædam etiam genealogia de Cainan apud Lucam legitur, de qua in Genes. libro fit mentio nulla. Theophylactus scribit Rahab hāc aliam esse à Rahab hiericuntina, & aliū Salmonem ab eo, qui fuit princeps tribus Iudæ sub Iosue. Inutiliter autem se torquet Erasmus, dubitando an legendum sit de Rahab, an ex Rahab: nam, vt notat Valla, vtrunq; significat præpositio Græca ἐξ, & indifferenter eam vertit Interpres: nam modò dicit de Thamar, & de Rahab, posteà verò ex Ruth, & ex ea quæ fuit Vriæ; cùm Græcè semper habeatur eadem præpositio ἐξ.

Ruth 4.

Quæ aliæ genealogiæ nulla sacra historia contineantur.

2. Tim. 3.

Luc. 3.

Erasmi leuicula obseruatio.

Valla.

Cur facta mentio in genealogia Saluatoris, cùm esset Gentilis.

Num 36. Exod. 34. Deut. 7. Ibidem. Iosu 2. Hebr. 11. Iacob 2. Iosu. 2.

Etsi autem vetitum fuisset Iudæis vxores extra tribum suam accipere, & maximè Chananæam cultricem idolorum, ne virū, filiosve subuerteret: imò præcepit Deus omnes Chananæos occidi: iusta tamen cum Rahab dispensatio atq; concessio fuit. Primum quidem, quia vnum Deum, & verum colebat, ac venerabatur, vt Iosue insinuat, & apertè dicitur ad Hebræos. Deinde exploratores seruauit in capienda Hiericho: ac cessabat periculū de viro subuertendo, cùm ipsa esset fidelis. Simili ratione mentionem fecit Ruth, tum ad Dei optimi maximi misericordiā commendandam: nam cùm esset gentilis de Moab, nō tantū ducta est à viro ditissimo & potentissimo Booz: sed etiam ex ea Messias originē duxit: tum ob eius raram virtutem: nam cùm diues esset, relicta cognatione sua, & patria, secuta est socrum pauperem Noemi, ac peregrinā suadētemq; vt in patria permaneret. Item vt vaticinium Isaiæ impleretur, dicentis: *Emitte agnum Domine dominatorem terræ de Petra deserti* (quæ est ciuitas Moab, vnde erat Ruth) *ad montem filiæ Sion*, hoc est, quia Messias oriri debuit de Moabitarum progenie, vt Hieronymus ad Paulinum exponit. Dominus ergò carnem & originē accipiendo à Iudæis & Gentibus, benè omnes sperare voluit ab se eos accepturos esse spiritum suum. Booz verò Ruth ducendo in vxorem, non peccauit: nam Noemi socrus eius illi in animū induxerat, vt iure propinquitatis ipsum Booz in virū peteret. Cumque respondisset esse alium propinquiorē, quo fortè nuptias recusante, eam ipse sibi matrimonio copularet; tandem Booz illā in vxorem accepit, eamq; laudauit his verbis: *Benedicta, inquit, es à Domino filia, & priorem misericordiam posteriore superasti.* Et ducta est ab eo coram multis testibus: totusq; populus factum hoc commendauit. quod profectò si fuisset illicitum, non laudasset, nec populum ipse conuocasset, nec laudabilis extitisset talis suscitatio seminis extincti, ad quam lex suscitandi scilicet seminis in Deuteronomio lata tunc coegit. Quod ergò prohibetur Iudæis contrahere cum Moabitis: intellige probiberi viris Moab, ne per connubium efficiantur pars populi Dei. Secus de fœminis illorū, si ad Iudæam religionem & cultum traducerentur: nam proles sequitur patrem, in scripturis.

Ruth quoque mulieris Moabitidis, non Iudææ, cur meminit Euangelista.

Ruth 4. Isa. 16.

Hier. epi. 103. parum à med. tom. 1. init.

Ruth 4. Supra 3. Booz ducendo Ruth in vxorē non peccasse. Ibidem. Ibidem. Infra 4. Infra 3.

Deut. 25. Supra 13. Cum Moabitis connubia Iudæis contrahere quare prohibitum.

Hoc autē loco XIII. dubitatio insurgit, quomodo Booz dicatur genuisse Obed ex Ruth: an vt pater filiū, an verò vt proauus pronepotem, vt contendit Lyranus & alij? Verùm argumētum Lyrani infirmum est: assumit enim quod Booz, teste Iosepho, genuit Obed ex Ruth tēpore Heli Sacerdotis; à tempore autem Iosue, cuius tempore Salmō Rahab duxit vxorem, vsq; ad Heli, intercessit tempus ferè trecentorum annorum, vt probari potest, si quis tempora eorum, qui iudices fuēre intermedij, diligenter enumeret. Salmon ergò nō potuit esse pater immediatus illius Booz, qui genuit Obed, nisi affirmet dictum Booz trecentorum ferè annorum genuisse Obed: quod absurdum est. Sed dicendum, rationē hanc minus solido niti fundamento, nimirum tempore Heli Sacerdotis cōtigisse historiā Ruth, vt falsò asserit Iosephus lib. antiquitatum. Nam vel ipso Iosepho teste, Heli præfuit 40. annis: Samuel iuxta sententiam

Quomodo Booz dicatur genuisse Obed, an vt pater filium, an verò vt proauus pronepotem. 1. Iosephus. Lyran.

Ioseph. lib. 5 ... Contra ... opinionem quid ... Idem lib. 5 ... Idem l. 6 ... à med.

Iosephi,

Iosephi, 12. annis: Saul. 20. Dauid autem trigenarius cùm esset, regnare cœpit, & per 40. annos regnauit, cùm vixerit 70. Ante tempora ergò Heli Booz genuit Obed, vt Hebræi ipsi fatentur, quorum nonnulli putant fuisse Booz vnum ex iudicibus, alio nomine dictum Abesan. Deinde cùm liber Ruth proximè consequatur librum Iudic. & in principio ipsius dicatur: *In diebus vnius iudicis, quando iudices praerant*, satis apertè euincitur historiam illam tempore alicuius iudicis præcedenti libro descripti accidisse. Vt verò certiorem rationem dubitandi prudens lector magis perspiciat, statuendú est, ab exitu filiorum Israel de Aegypto ad templi vsq; Salomonis inchoationem, quę anno eius regni quarto facta est, fluxisse octoginta & quadringentos annos, vt habes initio 6. cap. lib. 3. Reg. ex quib. detrahendi sunt 40. anni deserti vsq; ad introitum terræ promissæ, & 40. anni Sauli attributi à Luca in Actis: sub quibus cõprehenditur Samuelis, & iudiciariæ potestatis suæ ætas: deinde rursus detrahendi alij 40. anni Dauidis regis, vt habetur in 2. Reg. & anni Salomonis quando fundauit templũ. His itaque 124. ann. demptis à summa 480. annorũ, supersunt 359. explendi in quatuor personis, nimirum Salmon, Booz, Obed, & Isai: hac ratione videlicet quod Salmon filius Nahasson, natus fuerit per 10. vel 20. ann. ante ingressum terræ promissæ, vt Rahab puellã annorum 15. accipere potuerit in terræ ingressu: ex qua fortassis genuit multos filios, & tandem cùm esset annorũ 97. genuit Booz. Erat enim Rahab apta ad gignendú eo tempore, si Sara nonagenaria cõcepit. Deinde Booz cùm esset annorum 98. ex iuuẽcula Ruth genuit Obed, vltimo scilicet anno Barach iudicis Israel, deinde Obed, cùm 90. esset annorum, vel circiter genuit Isai parentem Dauidis. Postremò Isai genuit Dauidem anno vitæ suæ 85. vel circiter: ita enim 356. anni distribuẽdi sunt inter quatuor illos, quos diximus.

1. Reg. 4. — *2. Reg. 5.* — *3. Reg. 2.* — **Hæc historia Ruth quando accidit.** — *Exod. 14.* — *Act. 13.* — *2. Reg. 5.* — **Salmon filius Nahasson genitus quando.** — *Gen. 17.* — *Infrà 21.* — *Ruth 4.*

Sed obijcies fortasse, difficile videri, viros istos tam grandęuos generare potuisse: & fac potuisse, verisimile haud videri, quòd generauerint. Itẽ concesso quod tam grandæui genuerint, in minori ætate geniti essent, cùm primogeniti fuerint, per quos tã hic, quàm in libris Ruth atque Paralipom. texuntur genealogię. Sed profectò horum nihil sequitur. Grandæuus namque etiam in maiori ætate generare potest: nam Abraham 140. natus annos genuit filios ex Cethura: neque fuit miraculũ in generatione illa: quia tãtùm miraculum ponitur in generatione Isaac ex Sara sterili, vt habes Genes. 18. & Rom. 4. Possunt enim, vt Augustinus ait, viri senes ex iuuenculis fœminis generare, non autem ex senioribus ac vetulis fœminis. Neque ratione caret hoc B. Augustini dictum. In primis enim mulieribus ætate prouectis desinunt fieri menstrua, sine quibus quæ fit, nõnisi prodigiosa, supraque naturæ vires conceptio est: idcò prodigiũ in Sara fuit, cui delierant muliebria fieri, Gen. 18. Deinde, vt mẽstruum in muliere digeratur, & formetur à semine masculino per calorem eius, duplex est impedimentum: alterum, quia semen senis est debilis caloris, neque potest conuenienter digerere menstruum, & formare fœtum: alterum est, quòd menstruũ muliebre cùm sit frigidæ & humidæ naturæ, quanto mulier magis declinat ad senectutem, eò eius menstruum est frigidius, ac minus aptum formari à calore viri. Si autem senex accipiat iuuenculam, ob calorem ætatis ac constitutionis, mẽstruum redditur calidius, & modicus calor seminis masculi vires habet ad digerendum ac formãdum fœtum. Vnde quantus sit iuuenculæ calor, ex eo patet, quòd Dauidi septuagenario & frigido data est Abisach puella Sunamitis, vt calefieret, 3. Reg. 1. Contra verò, semen menstruũ fœminæ vetulæ inseruire potest conceptui ex iuuene, qui ob calorem seminis, corrigit frigiditatem menstrui. Non modò ergò illi potuerunt gignere in ea ætate, sed reuera etiam genuerunt. Nam Booz senex erat, qui cap. 3. dixit ad Ruth: *Benedicta es à Domino filia, quia non es secuta iuuenes pauperes siue diuites*. Isai etiam senex grandæuus erat, quando genuit Dauidem 1. Reg. 16. Neque semper genealogia per primogenitos texitur, vt ponitur: nam Iudas quarto loco genitus est inter filios Liæ: Dauid vltimus inter octo filios Isai, 1. Reg. 16. Salomon, minimus filiorum Dauid, 1. Paral. 28.

Vir quàm grandæuus generare valeat. — *Gen. 25.* — *Gen. 18.* — *Rom. 4.* — *B. Aug. lib. 1. qu. in Genes. q. 35 tom 4.* — **Virum senem & grandęuum ex iuuencula generare posse.** — **Quare non ex vetula, dupliciter.** — *3. Reg. 1.* — **Iuuenis, cur ex vetula generare possit.** — *Ruth 3.* — *1. Reg. 16.* — *Gen. 29.* — *1. Reg. 16.* — *2. Reg. 12.* — *1. Paral. 28.*

Dura igitur videtur opinio Lyrani (quã alij sequũtur) asserẽtis tres fuisse Boozios, & supplentis ipsis scripturæ duas generationes sine caussa, ac prætereà dicentis quòd Booz genuit Obed, vt proauus pronepotẽ, non vt pater filium, eo quòd in libro Ruth & in li. 1. Paral. 2. & apud Lucam, vbi à Phares vsque ad Dauidem genealogia texitur, non plures generationes enumerentur inter Salomon & Dauidem, quàm hoc loco recenset Matthæus. Nullus est ergò saltus in hoc loco. In primis, quia scriptura dicit, de Rahab, vt de Thamar. Secũdò, quia subdit: *Omnes itaq; generationes ab Abraham vsq; ad Dauid. generationes quatuordecim, &c.* In secũda aũt quaterdena non dicit: *Omnes*, quia in ea dimissi sunt tres Reges ob scelus

Lyrani tres Boozios constituentis opinio refellitur. — **I. ac II. Argumen.**

III. Argum.

idololatriæ. Tertiò, quoniam alias periret fides historiæ, si liceret addere pro voluntate genealogias: neque hic cogit scriptura, vt in secunda quaterdena cogit, supplere tres Reges omissos, népe Ochoziam, Ioas, & Amaziam: qui in libris Regum, & Paralip. supplentur, scilicet 4. Reg 8. & infra 14. & 1. Paral. 3. & 2. Paral. 21. & 22. de duobus autem Booz prætermissis alibi nihil suppletur: imò Ruth, cap. 4. & 1. Paral. 2. ac Lucæ 3. eodem modo texitur genealogia, atque hic: namque si omissi essent in libris Regum, supplerétur in libris Paralipomenon, qui de omissis in libris Regũ pertractant: & Lucas, qui nihil prætermisit, hos duos non appellauit, quia in rerum natura non fuerunt: neq; constat eos peccasse, vt meritò omitterentur ob scelus aliquod, vt tres prædicti reges. Quarto, periret numerus genealogiarum per tres quaterdenas distributus. Quintò, positis fœminis iuuẽculis (dépta Rahab ac postremis filijs è grãdæuis parentibus genitis) quodq; vt mundi exordio ob sobolem procreandam, ita initio terrę Chanaan implendę, ne à bestijs & gentibus deleretur, sit vita adeò producta, omnia veritati consonant: nam 100. annorum gignere poterant, nam Caleb 85. annos natus, non solùm ad gradiendum, verùm etiam ad pugnandum fortis erat ac strenuus, vt dicitur Iosue 14.

4. Reg. 8. Infrà 11. Infra 14. & seq. 1. Paral. 3. 2. Paral. 21. Infrà 22. Luc. 3.

IV. & V. Argument.

Iosu. 14.

Abrahæ Isaac generantis mysterium.

Iam verò ne in immensum crescat tractatio hæc, ex hoc loco primùm fides, deinde mores ædificãdi sunt. Quod ad fidem igitur attinet, Abraham pater multarum gentium, qui filium suum Isaac Deo obtulit, aptè patrem æternũ principium ac fontem omnis vniuersæ deitatis atque creaturæ repræsentat. Hic enim verum Isaac genuit, id est, gaudium, siue risum mundi, de quo dixit Angelus: *Annuntio vobis gaudium magnum, &c.* quem pater sibi immolauit prouidendo sibi de optima hostia per corpus eius fragile & mortale: de quo diuinus Psaltes agens Christi personam, dixit: *Sacrificiũ & oblationem noluisti; corpus autem aptasti mihi.* Sic enim legunt 70. Interpretes, & Paulus citat ad Hebræos, atque ita per mortem eius factus est pater multarum gentium, id est, omnium regenitorũ: *Isaac autem genuit Iacob,* id est, Pater per verbum spirat Spiritum sanctum verum supplantatorem peccatorum ac dæmonum: per quem vnũ spiritus Adæ veteris, tanquam digito Dei eijcitur, & nos quoq; vim supplantandi dæmonia accipimus, & dicendi: *Supplantasti insurgentes in me subtus me, & non sunt infirmata vestigia mea.* Habes iam Trinitaté: vide rursus mysterium incarnationis, quia: *Iacob genuit Iudam & fratres eius.* Spiritu sancto attribuitur opus incarnationis, quo ille homo ascendit ad dignitatem & personam filij Dei: nosq́ue credentes per spiritum eius in filios adoptamur. Et pulchrè in Juda Christus repræsentatur. Interpretatur si quidem confitens siue laudãs: quia ille verbo & factis perpetuò Patrem laudauit, dicebat enim: *Confiteor tibi Pater Domine cœli & terra, &c.* & coram Pilato confessus est bonam confessionem, vt Apostolus testatur. Fratres verò eius Apostoli sunt, de quibus aiebat: *Vade ad fratres meos, & dic eis, &c.* atque adeò renati omnes, qui spiritu Christi participãt, ex diuini illius Apostoli sententia: *Qui spiritum,* inquit, *Christi non habet, hic non est eius,* vt scilicet partem possit hæreditatis eius ad se deriuare. Est enim Iesus verus Rex Iudæorũ, id est, ex spiritu Messiam *Regem confitentium, atque laudantium.* Qua ratione aũt possimus nos Christi fratres & cohæredes effici, hic satis, ad mores ostenditur. Abraham namq; pater fidei, & principium populi Dei, fidé significat, quæ omnium est virtutũ principium, & de qua Poeta quidam Christianus cecinit:

Gen. 17. Rom. 8. Gen. 22. Gen. 21. Luc. 2. Psal. 39. Hebr. 10.

Quid est quod Isaac genuit Iacob. Gen. 25. Infrà 27. Psal. 17.

An eo quod Iacob genuit Iudam, & [illegible] eius, quid [illegible] nificetur. Ioan. 20. Christus [illegible] [illegible]

Matth. 11. 1 Tim. 6. Fratres Christi quinam. Ioan. 20. Rom. 8. Ibidem.

Prima subdit campum dubia sub sorte duelli
Pugnatura fides.

Est autem fides sperandarum substantia rerũ, argumentum non apparentium, vt Paulus ait: quam tot sancti viri ac fœminæ vita, scriptis, verbo, sanguine, atq; miraculis nobis tam facilem apertamq; reddiderũt, vt mirum sit tot inueniri arundines vento agitatas, in fide patria & auita non persistentes: cùm tamen si vel tantillum fidei Abraha nobis inesset, ad verbum Domini egrederemur de terra, & de cognatione nostra, promissamq; prolem spiritualem crederemus, iustiq; immolare primogenitum nostrum permaneremus in fide. Secundò, Abraham generat Isaac .i. fides gignit spem, non quidé habitus habitum, sed actus actũ. Rectè autem spes in Isaac designatur, quoniam illa lætantes facit: hinc Apostolicum dictum: *Spe gaudentes,* & rursus: *Spes non confundit,* & Vates: *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi: in domũ Domini ibimus.* Hanc etiam stabilé nobis sancti reddiderunt, nam modò illi coronantur, & palmas laborum accipiunt. Tertiò Isaac genuit Iacob: quia fides & spes generant charitaté. Quod enim credidimus Deum bonum, & Deum item nobis bonum futurum speramus, dicitur ipsum vt summum bonũ propter seipsum diligere. Ideò ab vtroq; actu & fidei & spei procedit charitas, supplantans & decipiens omnia vitia (nam vniuersa delicta operit charitas) fortis est vt mors dilectio, qua

Abrahã quid etiam in mysterio. Heb. 11. Hæretici quales videri queant. Gen. 12. Abraham [illegible] lem gener[illegible] Isaac secun[dum] spiritum. Rom. 12. Supra 5. Psal. 121. Quid quod Isaac generat Iacob. Prouer. 10. 1. Pet. 4. Cant. 8. Dilectionis virtus.

Rom.12. Exod.8.

dæmones vincit, & in bono hominum malum vincit. Atque in hac virtute multi tan quam in tertio signo deficimus. Etsi enim aliquid adsit fidei ac spei, frigemus tamen in charitate. Postremò, Iacob ex Lia & Rachele suscipit Iudam & fratres eius: quia charitas duplex est, qua scilicet primùm diligimus Deum, deinde proximum, in duplici vita, nempe quæ in actione & in contemplatione cõsistit. Gignit Iudam, id est, confessionem laudis, vt constat de sponsa, quæ in sponsi se laudes effundit sui: neque tantùm satis est credere, sed fidem quoque opus est voce profiteri, ex sententia Apostoli, qui ait: *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem*: pro quo confessionis fructu (proh dolor) plurimi nonnisi blasphemias atq; conuitia reddunt. Fratres autem Iudę sunt reliqui virtutum habitus, vt humilitatis, obedientiæ, patientiæ, temperãtiæ, fortitudinis & precationis, qui factis ipsis Deum collaudãt. E quibus vt nos simus, prę stet Dominus noster Iesus Christus, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Iacob ex Lia & Rachele Iudã & fratres eius generantis, mysterium.

Gen.29. Rom.10.

TRACTATVS XXVII.

Matth.1.

In Matthæi genealogiam, declarans potissimùm difficultates, quæ in secunda tesseradecade continentur.

HActenus controuersias, quę in prima tesseradecade occurrebant, quæque alicuius momenti esse videbantur, dissoluimus: nunc ad eas explicãdas accedemus, quæ in secunda quaterdena existunt: itaq; dicẽdi exordiũ sumemus à postrema prioris quaterdenæ genealogia, vbi dicitur: *Iesse genuit Dauid Regem.* Quo loco in primis aduerte patrem Dauidis in scripturis vocari tum Isai, vt 1.Reg.16. Ruth 4. tum Naas, vt 2.Reg.17. tum deniq; Iesse, Iudith 1. & Ecclesi.45. qua voce libentius vsus est Euangelista propter Isaiam, qui Dauidem radicem Iesse vocat. Sic enim scriptum est: *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* Rursus: *Radix Iesse qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur.* Est autem Isai iuxta Hebræorum puncta pronuntiandum; Græci verò alia ratione puncta addentes, dixerunt Ἰεσσαὶ, cùm tamẽ vnum & idem sit nomen. Vocat autem Dauid Regem, nõ vt ineptè putauit Erasmus, quasi fuerit alius Dauid non Rex, cùm ex sacris voluminibus cõstet alium sic appellatum neminem. Nec etiam vocat Regem, quasi primus absolutè fuerit Rex, cùm ante illum fuerit Abimelech, Iud. 9. & Saul ex

Pater Dauid trinominis.

1.Reg.16. Ruth 4. 2.Reg.17. Iudith 1. Ecclesi.45.

Cur Iesse à Matthæo nominetur.

Isai.2.&16.

Matth. cur vocet Dauid Regem contra Erasmum.

Dei voluntate electus fuit in Regem, vt habetur 1.Reg.9.10.13.& 15. Etsi enim ex populi importunitate datus sit Rex, tamen quòd is esset Saul, id ex diuina electione accidit: & quoniam Dei iussum non præstitit, nec paruit, nõ est firmatũ regnum eius, vt Propheta Samuel illi significauit, 1.Reg.15. Voluit ergò Deus vt eligeretur Saul; sed noluit vt permaneret: quod tamen de Dauide eiusque successoribus voluit, nullo obstante eorum vel grauissimo peccato, vt habes 2.Reg.7.& 1.Paralip.17.& 22. Non est ergò nominatus Rex quasi primus aut solus Rex fuerit: omnes enim de secũda quaterdena, reges sunt: neque quod à Deo electus cùm similiter electus fuerit Saul: verũ quia princeps in genealogia & linea Christi, ac primus in tribu Iuda, quem sequuntur omnes alij de secunda quaterdena, qui propter Dauidem reges fuerunt, quod ceu notum nequaquam exprimitur.

1.Reg 15. Supr.10. 2.Reg.7. 1.Paral.17. & seq. Infra 22. & seq.

Subdit Matthæus: *Dauid autem Rex genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Vriæ.* Non dixit, ex Bethsabeæ, sed periphrasi descripsit illam, vt flagitium Dauidis notetur, ac mundi redemptionis indigentia detegatur, Deique simul clemẽtia & misericordia, promissum de Messia mittendo præstãtis, nullo etiam Dauidici sceleris obstaculo, fiat perspicua & manifesta. Adhæc vt Vrias fidelis & iustus seruus Dauidis, in hac genealogia locũ habeat, apertum & expressum, Bethsabeæ autẽ propter adulterij notã, suppressum & implicitum, non aũt ponitur ad differentiã aliarum vxoris Dauid, alioquin idẽ fieret de Salomone & de Abraham, quos plures cõstat vxores habuisse. Reliqua aperta sunt & clara, nec magna egent discussione.

Quare dicitus Salomon natus non ex Bethsabea, sed ex ea quæ fuit Vriæ.

2.Reg.12. Supra 11.

Ratio.

Illud primo loco in hac tractatione discutiẽdum venit, quomodo dicatur Ioram genuisse Oziam, cùm ex sacris literis cõstet Ioram genuisse Ochoziã, qui genuit Ioas, qui quidem Ioas genuit Amasiam, hic autẽ Oziam, atque ita Ioram genuit Ochoziam, vt atauus nepotem? Respondendum est, omissionem horum trium Regum vitio librariorum nõ accidisse: vniuersalis .n. non esset, neq; tres quaterdenæ aliàs cõstarent, neq; per errorem deceptus fuit Euangelista similitudine nominum, nimirũ Ochoziæ & Oziæ: nam inter hæc nomina omnimoda nõ est in Hebræis similitudo, & discrimẽ magnum: verùm ab euangelij scriptore intenta fuit & procurata: non quòd solùm illi Reges peccatores essent: eadem enim ratiõe omitti debuissent Achaz, Manasses & Amon illis peiores fortasse, & Ioram se miscuit Athaliæ impiæ Iezabelis filiæ, non autem Ochozias, qui de Bersabea

Ioram genuisse Oziam, quomodo verum, cum genuerit Ochoziam.

4.Reg.8. 2.Paral.22. Infra 24. Infr.26.

2.Paral.22. Infra 14. Eccle.49.

Ochoziam Ioas, & Amasiam Reges cur tacuit in genealogia Saluatoris.
Hilar. can. 1. in Matth.

duxit vxorem 2. Paralip. 24. at Ioas vxorē duxit de Hierusalem: & in vniuersum, Eccli. 49. dicitur: *Præter Dauid, & Ezechiam, & Iosiam, omnes peccatum commiserunt. Nam reliquerunt legem Altißimi, Reges Iuda, & contempserunt timorem Dei.* Hilarius ergò in Matthæum scribit, hoc fuisse factum propter Ioram, qui se admiscuit sanguini Iezabel, ducendo filiam eius Athaliam in coniugē, quod scelus puniuit Deus in tertiā & quartam generationem, ex sententia Domini, Exod. 20. Congruum quoque fuit tantam esse maledictionem filiæ Achab vxoris Ioram, quanta fuit benedictio Iehu, qui deleuit domum Achab, & benedictus est vsque in tertiam generationem. Exclusit etiam tres Reges seminis domesticos, ob impietatem illorum, posuitq; peccatrices alienigenas tres, nimirum Thamar, Rahab, & Ruth, propter earum fidem. Vt non tā carnis, quàm fidei filios enumerare videatur. Rupertus verò Tuitiensis scribit istos tres ob id fuisse prætermissos, quòd non sinerēt Prophetas Dei de aduētu Messiæ vaticinantes loqui: nam Ioas occidit Zachariam filiū Ioiadæ, 2. Paralipo. 24. & cap. 25. Amasias vati diuino Dei scelera eius reprehendenti respondit? *Num consiliarius regis es? quiesce, ne interficiam te.* Alij autem tametsi improbi & scelesti, sinebāt tamen Prophetas loqui. Ratio tamen solida & certa huius omissionis fuit, vt tres quaterdenæ constarent, quemadmodum ipse idem Matthęus infra ait: *Omnes itaq; generationes ab Abraham vsq; ad Dauid generationes quatuordecim, & à Dauid vsq; ad transmigrationem Babylonis, generationes quatuordecim,* quibus verbis tacitè insinuat, se scientem ac prudentem illos tres Reges omisisse: nam alioqui in secūda quaterdena inuenirentur plures quā quatuordecim generationes. Deinde, fit repetitio numeri, ne vlla additio vel diminutio fieret. Item vt notetur desiderium aduentus Messiæ, secundùm Rupertum. Christus enim promissus Abrahæ, distulit venire ob scelus venditionis Ioseph, qui annis 14. seruiuit in Aegypto, postea promissus cum iuramēto Dauidi, distulit Christum suum ob crimē adulterij eius cum Bethsabee, etiam cum homicidio Vriæ cōiunctum. Deinde promissus per Prophetas sub Ezechia & Iosia, distulit & per 14. alias generationes venire, propter peccatum Manassæ fundētis sanguinem innoxium. Atq; ita tres quaterdenæ mysterio non vacant. Significant enim legem per decem, & Euangelium per quatuor, quibus explicatur, fidem Trinitatis ad Messiam pertinere, quæ explicatè in Euangelio tradita est, in lege verò impli-

Exod. 20.
4. Reg. 10. & seq.
II. ratio.
III. ratio Ruperti Tuitiensis.
Li. 1. in Matt.
2. Paral. 24.
Infrà 25.
IV. ratio cæteris accommodatior.
Quare fiat numeri repetitio.
Ruperti Tuit. Ibidem.
Gen. 37.
2. Reg. 11.
4. Reg. 21.
Quid tres significent quaterdenæ.

cite & obscure. Ad hæc significatur, populi siue sub Patriarchis & iudicibus, siue sub Regibus, siue sub Ducibus statum ad Christum Dominum spectare, qui solus verus est iudex, verus Rex ac Sacerdos. Præterea isti tres exclusi, gerunt typū omnium, quicunq; fidem Trinitatis abnegātes, tribusq; virtutibus Theologicis seipsos priuantes atq; spoliantes, merentur excludi à salute, nec inter filios fidelis Abrahę annumerari.

In tribus illis Regibus Ochozia, Ioas & Amasia qui significentur.

Ioram ergò genuit Oziam, non vt pater filiū nullo medio, at vt atauus abnepotem. Simili namque ratione Christus dicitur filius Abrahæ atque Dauidis: Et de Elisabetha ait Lucas, de filiabus Aaron, & nos quoque dicimur Adæ filij: Quibus quidem enuntiationibus non asserimus, vel Christū ab Abraham, vel à Dauide immediatè profectum, vel Elisabetham filiam Aaron, vel nos proximos Adæ filios, nisi per alios intermedios. Neque ex hac Regum trium omissione vllus sequitur error in fide: quenim errare potuisset Euangelista, qui Spiritu sancto scripsit dirigente? aut qua ratione Ecclesia errorē eius approbasset? Matthæus ergò sciebat hunc loquendi modum Hebręis minimè repugnare, quorū tantum causa genealogias, vt crederent, scripsit, nō aūt propter Gētiles: qui quod originē traxerit ex Dauide Christus, illi non credunt, sed potissimū ꝓpter miracula & admirāda signa, qualia facta sunt nunquam, quæ tum Christus ipse, tum eius discipuli ediderūt.

Altera solutio. Ioram vt genuit Oziam.
Quemadmodum prædicti tres Reges sine fide prætermissi in genealogia Saluatoris.
Gentiles potissimum Christo crediderunt.

Secundum dubiū in hac quaterdena occurrit; verumne sit quod ait Philo Iudæus in chronico suo, quem sequuntur Ioannes Annius Viterbiensis, & Ioannes Lucidus, Ioan. Driedo, Georgius Vicelius, Petrus Iroruzpuus, Claudius Guillandus, stirpē regiam Salomonis succisam in Ochozia Rege, & ab eo cœpisse lineā Nathan: propterea quod filij Ochoziæ oēs ad vnum gladio Iehu, Athaliæque sunt interfecti, vt tradit liber Reg. 2. Ioas verò passim dicitur filius Ochoziæ, quia ei successit in regno. Sed reuera hoc manifestè falsum esse deprehenditur, neq; solum aduersatur Iosepho, qui aliter scribit, verum etiam scripturæ sacræ. Nam in loco citato dicitur: *Athalia verò mater Ochoziæ, videns mortuum filium suum, surrexit & interfecit omne semen regiu. Tollens autē Iosabath filia Regis Ioram soror Ochoziæ, Ioas filiū Ochoziæ, furata est eum de medio filiorū Regis, qui interficiebantur.* Idem narratur lib. 2. Paralip. item in 3. Reg. & 1. Paralip. Ioas dicitur filius Ochoziæ, & filius etiam Regis Salomonis. Itaq; falsum arguitur dictū Philonis. Præterea ex eo quoq; falsum conuincitur: quia cùm Lucas genealogiam Christi

Philonis & aliorum quorundam sententia, stirpem Regum Salomonis successam in Ochozia Rege, & ab eo cœpisse lineam Nathan, confutatur.
4. Reg. 11.
Ibidem.
2. Paral. 22.
4. Reg. 3.
1. Paral. 3.
Luc. 3.

con-

De Chronico Philonis Iudæi quid senserint quidam viri eruditissimi.

contexat per Nathan, nunquam tamē tacit mentionem Ioas, quod tamen faciendum erat, si verū diceret Philo: Cuius chronicō seu liber de tēporibus à multis nostri seculi viris eruditissimis suspectæ fidei est habitus, quòd multa à veritate aliena cōtineat. Testimoniū, quod citat Ioan. Lucidus pro confirmanda sententia Philonis ex reuelationibus B. Brigitæ lib. 3. c. 19. interpretandum est, non esse sermonem de posteritate Salomonis, & regni successione, sed de regni integritate, quod in filio eius Roboam diuisum est: tantum enim ait: non est completa in eo (scilicet Salomone) promissio propter ingratitudinem eius.

Quomodo Iosias Iechoniā, atque eius fratres in trāsmigratione Babylonis gignere potuerit.

Tertium dubiū in hac tesseradecade in est illis verbis: *Iosias aūt genuit Iechoniam, & fratres eius in transmigratione Babylonis.* Quomodo scilicet Iosias Iechoniam iustū, atq; eius fratres in trāsmigratione gignere potuerit. Quod vt magis intelligas, aduertendum, fratres Iechoniæ nominatim hic nō exprimi, quoniā infelices fuerūt, atque immaturo interitu de medio sublati, vel in captiuitatē abducti: in genere tamen nominantur honoris Iosiæ viri sanctissimi gratia: propter quem etiā tres ex illis regnauerūt, nempe Ioachaz, Ioacim, & Sedecias, vt habes in 4 Reg. libro, & omnes captiui ducti sūt in Aegyptū, vel in Babylonem: primus à Nechao Aegypti Rege, in Aegyptū; alij verò duo in Babylonem, à rege Nabuchodonosor. Libro tamen Paral p. 1. plenius genealogia Iosiæ cōscribitur, quatuorq; filiæ Iosiæ ponūtur. Hęc enim verba sunt: *Filij aūt Iosiæ fuerunt primogenitus Iohannan, secundus Ioacim, tertius Sedecias, quartus Sellum. De Ioacim natus est Iechonias & Sedecias.* Hæc ibi. Primus itaq; filius Iosiæ est Iohannan, qui mortuus est ante Iosiam patrem, nec regnauit, neque de eo quicquam libri Reg. quod præcipuè intendunt reges Iuda, Israelisque perscribere, neq; iste habet aliud nomē, nec pater est Salathiel, vt quidam arbitrantur. Secūdus est Ioachaz, qui Iechonias dicitur apud Esdram, mortuo enim Iosia, dicitur: *Et assumentes, qui erant ex gente Iechoniā filium Iosiæ, constituerunt Regē pro Iosia patre suo, cum esset annorum triginta trium, & regnauit super Israel mensibus tribus. & amouit eum Rex Aegypti ne regnaret in Hierosolymis &c. Et constituit Rex Aegypti Ioacim fratrem ipsius, Regem Iuda & Hierusalem.* Hęc etiam historia sub nomine Ioachaz scribitur in 4. Reg. volumine: atque hic Ioachaz vocatur Sellum à Hieremia, & in hoc textu 1. lib. Paral. & dicitur ductus in Aegyptum, ac mortuus ibi iuxta fidē historię 4. Reg. lib. ac Hieremię, qui loquitur de eo sub nomine Sellū. Quare non potest esse hic Iechonias pater Salathiel. Solum animaduertendum est hunc Ioachaz regnare cœpisse, cum esset annorū vigintitrium, vt tradit lib. 4. Reg. & 2. Paralip. in lib. tamen Esdræ tertio dicitur cępisse regnare 33. annorum: quod falsum est, contraq; duos textus canonicos, cū tertius lib. Esdræ sit apocryphus, etsi editio Gręca forte incorrupta, & emendata, 3. Esdr. 1. habeat 23. non 33. annorum. Ponitur autem in lib. Paral. 1. vt diximus, Sellū quartus filius, etiamsi iunior esset Ioakim, & senior Sedechia: quia Ioakim & Sedechias regnauit vterq; 11. annos; Sellum aūt, qui & Ioachaz, paucis tātùm mensibus regnauit, id est, tribus mensibus, & decem diebus, vt dicitur in 2. Paral. Tertius frater est, Eliakim, quē posuit Nechao Rex Aegypti, Regem Hierusalem pro fratre suo Ioachaz, à se sublato & mutato eius nomine iussit vocari Ioakim: Atque hic nullibi vocatur Iechonias, quāquam id nonnulli contendant: qui quidem quoniam mortuus est in Hierusalem, & sepultura asini sepultus, vt habetur apud Hieremiam, haud potest esse Iechonias pater Salathiel quē genuit in Babylone. Quartus frater est Matthanias, quem Rex Nabuchodonosor Sedeciam, id est, Dei iustitiam, voluit appellari: nempe quia iurauit illi fidelitatem, quando constituit eum Regem Hierusalē, abducto Ioachin filio Ioakim, traductoq; eo in Babylonem. Hic ergo Sedecias nequaquā est Iechonias pater Salathiel, quia omnes filij Sedecię occisi sunt ante eū in Hierusalē, ac ipse Sedecias exoculatus ductus est captiuus in Babylonē: vt tradit lib. Reg. 2. & Hiere. Habes itaq; in summa, primum Iosiæ filiū fuisse Iohanan; secundus Ioachaz, qui Iechonias appellatur apud Esdram, & Sellū apud Hier. & li. Paral. 1. tertium Eliacim, qui postea Ioacim dictus est: quartum Sedeciam, qui Matthanias nuncupabatur: & tertius ac quartus fratres sunt ex patre & matre, vt habes 4. Reg. primus & secundus ex patre, sed non ex matre. Et mortuo Iosia secundus, nempe Ioachaz, erat 23. annorū: & tertius, id est, Ioacim, erat 25. vt eodem lib. Reg. dicitur: Sedecias verò 9. annorum erat, qui cum regnare cœpit, vnū & viginti annos natus erat, vt ibidem dicitur. Post mortem Iosiæ verò trāsierunt tres menses regni Ioachaz, ac 11. anni Ioacim: itaque minor ętate frater Ioachaz ante regnauit, quàm Ioacim, qui maior erat. Et quartus frater Sedecias in regno successit nepoti suo Ioachin vel Iechoniæ, qui filius erat Ioacim.

Ad cuius rei euidentiam aduerte, quod in lingua sancta primus dicitur cum Coph,

Marginalia (left): 1. Paral. 3. — Cur tacitè Iechoniæ fratres, & nisi in genere expressi tantūmodo. 4. Reg. 23. 24. & 25. 1. Par. 3. — Primus filius Iosiæ Regis. — Secundus. — 3. Esdr. 1. — 4. Reg. 23. Hiere. 22. 1. Par 3. 4. Reg. 23. Hier. 22. 4. Reg 23. 2. Par. 3.

Marginalia (right): 3. Esdr. 1. — 1. Par. 3. — 2. Par. 36. Tertius filius Iosiæ. — 2 Reg. 24. Hiere. 22. — Quartus filius Iosiæ. — Quid sonet nomen Sedeciæ. — 4 Reg. 25. Hier. 39. 4. Esd. 1. Hier. 22. 1. Par. 3. — 4. Reg. 24. — Supra 23. — Infrà 24. — Non eūdem esse Ioacim, seu Ioachim,

& Ioachin apud Hebræos.

& Mem יהויקים, secundus verò cum Caph, & Num יהויכין, & LXX. interpretes primum vocant Ἰωακεὶμ, alterum verò Ἰωαχὶν: vt habes 4. Reg. volumine. Primus in Hebræo interpretatur, Domini resurrectio, vel cófirmatio; secundus verò, Domini præparatio, vel Domini firmitas. Et eadé est interpretatio alterius vocis יכניה, id est, Iechoniæ, secundus Ioachin interdum vocatur Ioachin in Hebræo, vt apud Ezechielé: sicut ab eadem radice principali vtrunq; deriuatur nomen. Prædictus auté Iechonias, qui & Ioachin, frequéter dicitur Choniahu, vt 1. Paral. & in lib. Esther, & apud Hieremiã. Hic etiam teste Philone, dicitur Neri, cuius mentio fit apud Lucã, & à populo hoc nomen accepit, post quã exaltari cœpit caput eius apud Euilmerodach, vt habet Regum liber 4. eo quòd lucerna Dauidici generis, quę extinguenda videbatur, in hoc iam esset reaccensa: interpretatur namque Neri lucerna mea. Nam Salathiel ponitur apud Lucam filius Neri. Fuerunt igitur trinomines Ioachaz, Ioakim, & Ioachin. Primus enim, dictus est Iechonias, Sellũ, & Ioachaz: secundus dictus est Eleacim, Ioakim, & Iechonias à quibusdam patribus; non tamen in sacris literis. Ioachim autem dictus est & Iechonias, & Neri, etsi non in veteri Testamento, sed à Philone, & B. Luca.

Ibi em. Vtrumque nomen quid sonet. Ezech. 1. 1. Par. 3. Esther. 2. Hier. 22. & 37. Philo in chronico. Luc. 3. 4. Reg. 25. Neri quid sonet. Luc. 3. Philo. ibid.

Ad rem igitur. B. Hiero. per Iechoniam primũ intelligit Ioakim per Coph, & Mem & per secundum Ioachin per Caph, & núc intelligit filium ipsius Ioacim, qui quidem tres, quos superius diximus, fratres habuit. Atque ita intelligit in transmigratione, id est, ea imminente & instante; qua ratione etiam exponit Euthymius: vel id ponitur, pro ante, vt infra probabitur. Non vt trãsmigratio sit mésura generationis, cum ante illam fuerint à Iosia geniti, verùm vt transmigratio est mensura generatorum; nam illis viuentibus extitit, & omnes ferè transmigrarunt. Ioachaz namq; in Ægyptum abductus à Necho Rege fuit; at Ioacim dum duceretur in Babylonem, remissus est in Hierusalem, ibique occisus, & sepultura asini sepultus. Sedecias autem verè ductus est in Babylonem. Post obitum ergo Iosiæ Regis ad integram vsque in Babylonem transmigrationem fluxerunt in primis tres méses regni Ioachaz, vndecim anni Ioacim, tres menses Ioachin, anique vndecim regni Sedecię: qui implét summam annorum viginti duorum & mensium sex. Quoniam verò primus Iechonias, ex Hieronymi senténtia, qui & Ioacim, ante transmigrationem obijt per Iechoniam gignentem, Salathiel post transmigrationem, intelligit Ioachin filium Ioacim nepotem Iosiæ, qui dicitur Iechonias in primo libro Paralipom. ac in Hieremia. Sed hoc durũ quibusdam videtur. Primùm ob interpretationem illam: *In transmigratione*, id est, ea instante, cùm ante eam esset annos natus triginta sex: quia cœpit regnare anno ætatis suæ 25. & regnauit vndecim annis: deinde quia vult Ioacim vocari Iechoniã, quod nullibi dicitur in veteri Testamento: etsi Ioachaz frater Ioacim, atq; ipso iunior, qui ante eum regnauit, vocetur Iechonias apud Esram. Item quia admittit insolitam æquiuocationem Iechoniæ, cum in hac genealogia nominatus, idem sit semper qui dicitur genitus, & gignens: Quare non possunt esse duo Iechoniæ, sed vnus tantum.

Hieronymi sententia de Iosia generante Iechoniam, & fratres eius in transmigratione Babylonis. Euthym. Hiere. 22. 4. Reg. vlt. & seq. Hieron. ibid. 4. Reg. 24. 1. Par. 3. Hier. 24. & 28. Duo proponuntur eius opinionis incommoda. 3. Esdr. 1.

Ideo alia sententia est autoris operis imperfecti in Matthæum, vnum tantùm Iechoniam ponétis, de quo primus liber Paralipom. ac Hieremias faciunt métionem, qui alio vocabulo dicitur Ioachin in 4. Regum volumine: atque hic quidem verè genitus est in trãsmigratione Babylonis. Nã pater eius Ioacim longè ante mortuus erat; hic verò Ioachin cum esset obsessus à Nabuchodonosor, consilio Hieremię tradidit se in manus eius, & ductus in Babyloné; vbi potuit generare Salathiel. Itaq; iuxta hanc sententiam omittitur Ioacim pater eius, vt malus Rex, & à Pharaone cóstitutus, sepulturaq; asini sepultus. Nam si propter commixtionem generis, quam Ioram cum Athalia filia Achab fecit, prætermissi sunt filij tres Ochoziæ, videlicet Ioas, Amasias, & Azarias: ita & Ioacim prætermissus est. Et sicut Ioram genuit Oziam non quidé proximè, sed p medios alios tres supradictos; ita Iosias intermedio Ioacim genuit Iechoniam. Nec obstat dictum Euangelistæ: *Fratres eius*. Siquidem primo Paralipomenon propter Iechoniam ponitur Sedecias filius Ioacim, & fortasse alij, quorum nulla memoria extat: neque enim omnia literis cósignata sunt, sed ea tantummodo, quę ad doctrinam nostram esse iudicabat accommodata. Vel etiam aptè dici potest, Ioachaz ac Sedeciam patruos eius, eorumque filios more scripturarũ appellari fratres Iechoniæ, quomodo Loth, & Abraham fratres dicuntur: dixit quoq; Isaac ad Esau de Iacob: *Dominum tuum illum constitui, & omnes fratres eius seruituti illius subiugaui, scilicet nepotes ex fratre.*

Altera sententia probabilior. Autor. oper. imperfect. in Matth. hom. 1. to. 21. operũ B. Chrysost. 1. Par. 3. Hier. 22. & 28. 4. Reg. 24. Ibidem. Supra 23. Hier. 22. 4. Reg. 21. Obiectiones quædam in cótrarium diluuntur. 1. Paral. 3. Patruos, eorũque filios fratres scriptura consueuit appellare. Gen. 13. Infra 27.

Neque etiam obstat dictum illud Hieremię de Iechonia: *Scribe*, inquit, *virum istum sterilem, virum, qui in diebus suis non prosperabitur. Nec enim erit de semine eius vir, qui sedeat super solium Dauid. &c.* Intelli ge

II. Obiectio. Hiere. 22.

de tem-

Illud Hieremię de Iechonia dictum, nō erit de semine eius vir, qui sedeat super solium Dauid: quem sensum habeat.

de temporali, & consueto modo regnandi, quo de ibidem est sermo. Non ergo Iechonias dicitur sterilis, eo quod non habuit semen: sed quia non habuit regium semen sibi succedens in regno, verum successit ei patruus suus Sedecias. Ac ductus Iechonias in Babylonem, ibi genuit: quia vt liber 4. Regum tradit, translata est vxor eius cum eo, non autem filij, quos nō habebat, quod annorum octodecim esset. Christus autem etsi sit ex huius semine; & Angelus dixerit virgini sessurum super solium Dauid patris sui: loquitur Hieremias de solio, & regno Dauidis temporali, quali Christus non regnauit.

4. Reg. 25.

Luc. 1.

III. Obiectio.

Nec item illud quicquam obstat: quoniā alias, si non ponuntur duo Iechoniæ, vel secunda, vel tertia quaterdena non constaret personis quatuordecim. Sed hunc modum paulò pòst dissoluere conabimur: vbi etiam, qua ratione tuēda sit B. Hieronymi sententia, explicabitur: præpositio, in, pro, ante, accipitur, vt alibi capi consueuit, vt Exod. 12. *In die primo non erit fermentatum*, id est, ante diem primum, & Gen. 2. *Compleuit Deus die septimo opus suum*, id est, ante diem septimum, ita hic: *In transmigratione*, id est, ante, siue instante transmigratione.

Erasmi in illud In transmigratione Babylonis, obseruatio leuicula.

Illud verò minutum est, quod Erasmus vertit: *In demigratione in Babylonem*, vel in exilio Babylonico, quasi esset periculum, ne putaremus Babylonem transmigrasse: ceu cum dicitur, captiuitas Aegypti, intelligamus Aegyptum captiuatā. Certè Græca lectio sic habet, Ἐπὶ τῆς μετοικεσίας Βαβυλῶνος. non ait, εἰς Βαβυλῶνα. Et Græca præpositio, μετά, semper trans vertitur, vt μεταφέρω, vel μετάθεσις, id est, translatio, vel transpositio. Potius dixit interpres noster, transmigrationē Babylonis, quàm exilium, vel captiuitatem: quia Iechonias sua sponte discessit in Babylonem cum populo, Ioakim verò vinctus catenis duabus ductus est in Babylonē, vt tradit lib. 2. Paralip. *Sedecias captiuus ductus est*. Denique exilium Græcè dicitur φυγή, vel φυγαδεία: μετοικεσία, propriè est transmigratio: quam vocem Euangelista vsurpauit, tum vt alluderet ad Prophetas, qui illa frequenter vtuntur, hoc est, ad LXX. interpretes, vt Hierem. 9. & 29. & Ezech. 12. & 4. Reg. 25. dicitur: *Factum est in anno tricesimo septimo transmigrationis Ioakim regis Iudæ*: & Ezec. 1. initio: *Ipse est annus quintus transmigrationis regis Ioakim*, imò transmigratio dicitur populus transmigratus, de quo cap. 3. idem ait: *Ingredere ad transmigrationem*. Et cap. 11. *Locutus sum ad transmigrationem*, & Daniel vocatur homo de filijs transmigrationis Iudæ.

Transmigrationem potius quam exiliū, vel captiuitatē cur verterit noster interpres.

2. Par. 36.

Μετοικεσία. Græcę quid.

Dan. 2.

Erasmi pro sua illa obseruatiuncula inepta ratiuncula.

Nec verum, quod annotauit Erasmus; transmigrationem pro exilio, vel captiuitate ab Euangelista appellatam, vt verbi lenitate rei tristitiam mitigaret: sed potius vt ostenderet Hebręos nō perinde vt exules & captiuos in Babylonem abductos, sed vt incolas & peregrinos, quos vt bellicosos & imperij alieni impatientes Rex Chaldęorum cognouerat; & idcirco in regionem suam transtulerat. Secundum Chrysostomum verò non meminit captiuitatis Aegyptiacæ, vti Babylonicæ: quia antiqua illa, hæc recens: illam non sunt passi propter sua delicta, vt istam secundam: de illa rursus egressi cum signis, & portentis Moyse duce, quibus rebus caruit secunda hæc à Babylone liberatio.

Captiuitatis Babylonicæ magis quam Aegyptiacę cur meminerit Euangelista.

Chrys. hom. 3. in Matt. 10. 2. Gen. 15. Exod. 7. & seq.

Quartū dubium est in illis verbis: *Omnes itaque generationes ad Abraham vsq; ad Dauid, &c.* Quæritur enim de numero horū trium tesseradecadum, & qua ratione in qualibet earum inueniātur quatuordecim personę. Hoc enim dubium etsi à B. Matth post tres quaterdenas recitatas esset ponēdum, meritò tamen hoc loco, & in secūda hac tesseradecade est exponendum. Nam in prima quidem si Abraham, qui genitus ponitur (licet non dicatur) & qui generat Isaac, pro prima persona cēseatur, & Dauid Rex pro vltima, si rectè enumeres personas, quatuordecim inuenies: in secunda verò, inchoando à Salomone, difficile est inuenire quatuordecim, nisi comprehendis Iechoniam cum fratribus pro vltima & quartadecima. Sed si ita enumerentur, Iechonias rursus non esset, vt caput tertiæ quaterdenæ censendus: tantumque Christo incluso tredecim inuenirentur personę. Iechonias ergo, quem genuit Iosias, non potest idem ille esse, quem genuit Salathiel: quia si idem esset, vel in secunda, vel in tertia tesseradecade, non essent, nisi tredecim tantū personę. Deinde illius Iechoniæ, qui genuit Salathiel, nulli in scripturis leguntur fratres, sed vnus tantùm Sedechias in libro Paralipomenon 1. memoratur, cùm Matthæus fratrum peculiarem fecerit mentionem propter aliquid de illis scriptum, quod suo deseruiret proposito scopo.

Harum trium tesseradecadu numerus quomodo constet.

Gen. 21.

Iechoniam filium Iosię vade constet Salathielis filium non fuisse.

II. Ratio

1. Paral. 3.

Duplex huius nodi solet afferri solutio. Prima quidē, asserendo cum beato Hieronymo, & cum Epiphanio, vitio scribarum errorem in secundam hanc quaterdenam irrepsisse, & vnam integram genealogiam fuisse omissam, nempe: *Iosias autem genuit Ioakim, Ioakim autem genuit Iechoniam, & fratres eius*. Quem modum vt planius perspicias, lubet Doctorum verba subscribere. Ait enim Epiphanius in Epicureos: *Postea*

Solutio I. Hier. in cap. Matt. 1. to. 9. initio.

Ezechias genuit Manasse, Manasses Amon, Amon Iosiam, Iosias Iechoniam, qui & zelum appellatur, itemq; Amasias ducebatur. Hic verò Iechonias genuit Iechoniam appellatum Sedechiam, & Ioachim. Et nemo de hoc ambigat, imò potius miretur exactam rationem hoc loco vtiliter studiosis expositam, qui Christiana doctrina gratia syncera exemplaria contingere volunt. Qui sanè statim cum vtilitate beneuoli esse cogentur, vbi lustrati fuerint dictum hoc, quòd à quibusdam indoctis rerum Euangelicarum ad ambiguitatem, velut emendandi gratia deletum est. Nam cum sanctus Matthaeus trifariam enumeret generationes, & ab Abraham vsque ad Dauid recenseat quatuordecim generationes: duo priores numeri clari reperiuntur, nullum defectum habentes: ad Iechoniam enim tempora continent. Verùm tertius numerus, non ita quatuordecim generationum reperitur, vt iuxta successionem nominum complementum habeat: sed decem & trium. Nā aliqui Iechoniam cum altero Iechonia reperientes, numerum duplicatum esse putauerunt. Non erat autem duplicatio, sed numerus clarus: ex nomine enim patris filius nominatus fuit Iechonias Iechonia. Itaque detracto proprietatis studio vno nomine, ex ignorantia huc delati defectuosum fecerunt propositum argumentum, iuxta numeri quatuordecim nominum promißionem, & multi experimenti habitum corruperunt. Hæc ille.

Epiphan. lib. 1. in hæresi. 8 circa fin.

Vnde defectus vnius generationis in tertia quatuordena genealogiæ Saluatoris secundum Epiphan.

B. Hieron. in cap. Dan. 1. to. 5. prope fin.

B. Hieronymus in Danielem tractans illa verba: *Anno tertio regni Ioakim Regis Iuda*, & reliqua: *Nemo igitur*, inquit, *putet eundem in Danielis principio esse Ioakim, qui in Ezechielis exordio Ioachin scribitur. Iste enim extremam syllabam Kim habet, ille chin. Et ob hanc caussam in Euangelio secundum Matthaeum vna videtur deesse generatio, quia secunda τεσσαρεσκαιδεκάς. in Ioakim desinit filio Iosiæ, & tertia incipit à Ioachim filio Ioakim. Quod ignorans Porphyrius, calumniam struit Ecclesiæ, suam ostendens imperitiam, dum Euangelistæ Matthæi arguere nititur falsitatem.* Idem Hieronymus in Matthæum: *Si voluerimus*, inquit, *Iechoniam in fine primæ* (legendum puto, secundæ) *tesseradecadis ponere, in sequenti non erunt quatuordecim, sed tredecim. Sciamus igitur Iechoniam priorem ipsum esse, quem & Ioacim, secundum autem filiū, non patrem, quorum prior per k, & m. sequens per ch, & n. scribitur, quod scriptorum vitio, & longitudine temporum apud Græcos Latinosque confusum est.* Hæc ille. Certis quam confidenter hi duo patres asserant locum corruptum, & omissam esse propter similitudinem vocum, vnam genealogiam Ioakim: quam si addideris in secunda quatuordena, inuenies iustum numerum quatuordecim personarum in secunda, ac totidem in tertia, incipiendo à Iechonia filio Ioiakim vsque ad Christum

Vnde falsus Porphyrius, Euangelistæ Matth. in genealogia Saluatoris arguere nititur falsitatem.

Idem. tom. 9.

Vt constet secunda tesseradecas.

mutuum est. Atque hanc sententiam confirmat Græcus codex numero ιδ'. hoc est, 14. assignatus à Robert. Stephano, qui habet Ἰωσίας δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰωακείμ, Ἰωακεὶμ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰεχονίαν. Ambrosius libr. 3. in Lucam sub finem: *Cùm duodecim generationes in tertia tesseradecade, vsque ad Ioseph tantum inueniret, dicit terminandas esse in Christi decimatertia generatione.* Et subdit: *Sed nihil refert vtrum in duabus generationibus, an vna mendacium sit. Tamen ne hic quidem cæcum aliquem scopulum, aut naufragium inuenias veritatis, duos Ioachin, hoc est, duos Iechonias fuisse historia indicat: vnum ante transmigrationem, alterum in ipsa transmigratione generatum, id est, patrem & filium. Ergo pater inter generationes superiores est computatus, qui successit Iosiæ: filius inter posteriores, qui successit patri, id est, nepos Iosiæ.* Et postquam probauit ex libris Regum duos esse Ioachim, subiungit: *Non igitur suppressit alterum Euangelista, sed vtrunque signauit, quod vterque Iechonias dictus sit. Ita addito iuniore Iechonia, generationes quatuordecim computantur.* Hæc ille: quæ proximè accedunt his, quę à beato Hieronymo, Epiphanioque dicuntur. Ad hęc autor operis imperfecti in Matthæum, homilia prima: *Talis*, inquit, *est ordo: Iosias genuit Eliacim postea vocatum Ioakim, Ioakim autem genuit Iechoniam. Secundum ergo regnorum structuram Ioakim est decimaquarta à Salomone, & ipse est filius Iosiæ. Iechonias autem primus vsque ad Christū, qui verè non fuit filius, sed nepos, filius Ioakim.* Et ita idem tradit ferè quod alij patres. Sed paullò pòst ab hac sententia declinat, ponendo vnum Iechoniam nepotem Iosiæ, quem bis censet numerandum in secunda ac tertia tesseradecade. In secunda quidem vt Regem, in tertia verò vt priuatam personam: *Quia si*, inquit, *Iechonias numeretur in tertia extra lineam Regum Iuda, cùm esset Rex, numeraretur in tertia. Et ideò factum est, vt ponatur, vt Rex in secunda, & iterum, vt priuatus in tertia, quod absurdum videtur.* Sed certè nimis subtiliter hęc ille pōderauit. Quemadmodum enim in prima tesseradecade numerum decimumquartum complet Rex Dauid, antequam secundam Regum tesseradecadem contexat: sic minimè repugnat in tertia numerari Iechoniam Regem, qui paucis mensibus tantum, nempè tribus regnauit, & captiuus ductus est in Babylonem, vbi potius personam captiui & priuati hominis sustinuit quam Regis, vt meritò inter priuatos tertiæ tesseradecadis cōnumeretur. Quod autē existimat autor ille Euangelistam suppressisse nomē patris Iechoniæ, id est, Ioakim de numero Regum, quia non populus Dei constituerat eum

B. Ambros. tom. 1.

Duo Iechoniæ in scripturis memorantur.

Tom. 2. operũ D. Chrysost.

Autoris imperfecti in Matthæum minus commoda solutio.

Eiusdem [illegible] [illegible], cui [illegible] patris Iechoniæ, &c.

Regem,

Regem, sicut erat consuetudo, sed Phara- per potentiam, ac propterea apud eum Regem non fuisse, debili nititur fundaméto nam simili ratione neque paruus eius Sedechias inter Reges esset enumerandus, qui non fuit à populo Dei constitutus Rex, sed per potentiam Nabuchodonosor Regis Habes itaque solutionem prioris dubitationis atque huius postremæ, rationemque tuendę sententiæ B. Hieronymi.

[*4.Reg.23.*]

[Familiare vitium scribarũ.]

Quanquã, vt verum fatear, si textus Gręcus, & Latinus sic haberet, nimirum: *Iosias genuit Ioakim, & fratres eius.* Ioakim verò genuit Ioachim: vel sic, Iosias genuit Iechoniam, & fratres, &c. Iechonias autẽ genuit Iechoniam: facilius error librariorũ credi potuisset omittentiũ alteram generationẽ, cum procliue sit scriptoribus, vbi duo versus incipiũt ab eadẽ dictione, alterum prætermittere: non sic aũt quando versus incipiunt à dissimilibus dictionibus: vt si dixisset: *Iosias genuit Ioakim, Ioakim autem genuit Iechoniã,* vt habet gręcus codex: tamẽ & in his quæ à diuersis incipiũt dictionibus, quãdoque etiam contingit error, vt hic accidisse putant Epiphan. atque Hieron. Neque verba Hieronymi in Matth. sic sinistrè interpretanda sunt, vt putauerit duos Iechonias fuisse, alterum patrem, filium alterũ; cùm sciret vir ille doctissimus, patrem nunquã in scripturis dictum esse Iechoniam, sed tãtùm Eliakim, quem Aegypti rex voluit appellari Ioakim, qui pater fuit Ioachim siue Iechoniæ illius, qui post trãsmigrationem genuit Salathiel. Hieron. ergo super Matthæum ponẽs duos Iechonias, magis respexit ad rem ipsam, quæ in duabus, nempè patris & filij personis consistit, nimirum Ioakim, & Ioachim; quàm ad vocẽ, quasi vterque appellatus esset Iechonias. Tãetsi Hieronymus illud insinuare videatur: Epiphanius verò, & Ambrosius apertissimè, vt rẽ certam, tradũt duos fuisse Iechoniæ nomine nuncupatos. At Euthymius per Iechoniam filium Iosiæ intelligit Ioachaz, quem lib.3.cap.1. Iechoniam appellat, & ab isto descendisse ait Iechoniam: de quo hic mẽtio fit: quodque hic Iechonias sit alius à Iechonia filio Ioakim. Addit præterea, primum Iechoniam, siue Ioachaz in Aegyptũ abductum captiuũ per regem Pharaonem: sed postquã Aegyptij à Nabuchodonosor Rege fugati sunt, translatum esse & Iechoniam in Babylonem, & in ea genuisse Salathiel. Hęc ille. Quæ certe implicata sunt valdè, & sine scripturæ testimonio dicta videntur: nam à principio videbatur duo ponere Iechonias: in his vero postremis verbis vnum tantum ponit. Item nulla generatio Ioachaz in sacrosancta ponitur historia. Adhæc Ioachaz ductus est in Aegyptum captiuus, & ibi mortuus, vt refertur 4.Reg.23. iuxta Hebręã veritatẽ, & LXX interpretes: licet nostra versio id non habeat. Habet tamen apertissimè Hieremias qui cap.22. ita prædicit: *Hæc dicit Dominus ad Sellum filium Iosiæ regis Iuda, qui regnauit pro Iosia patre suo, qui egressus est de loco isto, nõ reuertetur huc amplius: sed in loco, ad quem trãstuli eum, ibi morietur.* Et ibi mortuus est.

[Hieronymi ratio superius allata quomodo constet.]

[*Hieron. loco producto.* *Epiphan. ibid.* *Ambr. eodem loco.* *Euthym. in Matt. c. 1.*]

[Dicta opinio quas patiatur difficultates.]

[*4.Reg.23.*] [*Hierem. 22.*]

[III. Solutio nõ inepta circa supplementũ secundę quaterdenæ.]

Quanquam intelligo alios Patres aliam huiusmodi dissoluendi rationem inuenisse, quam libenter commemorabo. Beatus itaque Chrysostomus in Matthæum in homilia, id est, operis imperfect. vt illi tribui solet, & B. August. lib.2. de consens. Euang. cap.4. censent Iechoniam bis esse computandum: semel quidem in secunda tesseradecade, & iterum in tertia, eo quod sit velut in angulo quodam inter duas illas tesseradecades positus. Porrò alij sentiunt bis esse Dauidem numerandum, semel in prima vt priuatum hominum (tametsi textus repugnare videatur, quia dicitur: *Iesse autẽ genuit Dauid Regem*) iterumque in secunda, vt regem: atque ea ratione inueniuntur quatuordecim personę in secunda tessera decade excluso Iechonia, seruando ꝓ principio tertię quaterdenæ. Quod autem quidam dicunt (inter quos est Theophylact.) transmigrationem Babylonis, quasi vnam personã esse cõputandam: ridiculum est, & dignũ explosione. Rursus illud, quod idem autor ex aliorũ sententia asserit, Virginem Mariam posse censeri, vt impleatur tertia quaterdena, insolens est, atque à ratione genealogiæ alienum. Alioqui & Thamar, Rahab & Ruth essent computandæ. Et quod Iechonias non videatur bis numerandus, in primis probari potest: quia Iechonias improbus homo fuit, & indign' qui vel semel nominetur, quem Dominus virũ abdicatũ, & sterilem, & qui in diebus suis nõ prosperabitur, ne erit de semine eius, qui sedeat super solium Dauid, scribi iussit à Hierem. cap.22. & 2. Paralip. vlt. Deinde qui seruus & captiuus fuit Nabuchodonosor, ac ne vix quidem Rex: tantùm enim regnauit tribus mensibus, 4.Reg.24. Item demum in tota genealogia hoc obseruatur, vt singuli bis nominentur: prius quidẽ, vt geniti, deinde vt genitores: excepto Abraham primo huius generationis principio, qui ponitur vt gignens tantúmodo: excepto etiã Christo, qui tantum vt genitus describitur. Namq; Ioseph & Maria simul, vt cõiuges, & cõtribules assumpti sub vtraq; conditione, nempe gignentis, ac geniti, positi sunt. Ex quo

[*B. Chrys. to. 2.*] [*August. to. 4. ante med.*]

[*Catharinus.* *Gagnens.* *Titelman.*]

[Alię quædam ineptæ solutiones atque ridiculę reijciuntur.]

[*Theophyl. in Matthæum.*] [*Ibidem.*] [*Ibidem.*]

[*Hiere. 22.* *2. Paral. 36.* *4. Reg. 24.*]

[In genealogia Christi integra quid obseruandum.]

verisimile

verisimile fit in hoc nomine Iechoniæ eudem vtrobique intelligendum, nempe Ioachim filiũ Ioakim; quẽ Hieremias Iechoniam vocat, & lib. 1. Paral. cap. 3. Non solũ ergo non est bis Iechonias cẽsendus, sed neque fingendũ alium esse Iechoniam secundæ, alium tertię tesseradecadis: quia sic vnus poneretur tantũ genitus non generãs, alter generans non genitus. Si autẽ dicatur vna deesse generatio Ioakim, cũ à B. Hieronymo vterq; positus erat, vt genitus & generans. Viden' quantum laborent istæ solutiones, vt illa, quòd Dauid secundò sit enumerandus: quod gratis dici videtur, nec vllo exemplo scripturæ, aut ratione firmatur. Nam quod iterum sit numerandus Dauid in linea Regum, vt Messias ex linea regia intelligatur prodijsse, nihil stringit: quòd satis in prima tesseradecade appellatur Rex, cum dicitur: *Iesse aũt genuit Dauid Regem*. Etsi aliquid in speciem fauere videatur textus, qui ait: *Omnes itaque generationes ab Abraham vsque ad Dauid, generationes quatuordecim: & à Dauid, vsque ad transmigrationem Babylonis generationes quatuordecim.* Videtur enim initium posterioris, facere finẽ prioris. Sed eadem ratione Iechonias bis esset numerandus, semel in secunda, & iterum in tertia: maximè quia in secunda supplendum est, & similiter in tertia: *Omnes generationes quatuordecim* à Dauid vsque ad transmigrationem: & omnes ab illa vsque ad Christum scilicet inclusum. Et quatuordecim dicit generationes, cùm tamen propriè sint tredecim, cùm propriè generatio nõ sit, nisi cùm vnus actiuè alium generat: sed quatuordecim sunt personę generantes & genitæ. Et præpositio, *ad* cùm dicitur: *Vsque ad Dauid, — vsque ad transmigrationẽ, — vsque ad Christum:* intellige incluso eo, vsque ad quem generatio protenditur. Et præpositio à vel ab, cùm dicitur, ab Abrahã & à transmigatione, inclusiuè accipienda: cùm verò dicitur in secunda tesseradecade à Dauid, exclusiuè, cùm ad primam spectet thesseradecadem, non ad secundam. Fateor tamen magis mihi placere hanc sententiam de Dauide bis enumerando, quã de Iechonia eodem semel, atque iterum describendo, cùm prima sententia Hieronymi non possit consistere. Inquirant tamen pro suo arbitrio lectores, si fortè inuenerint, quam magis probent sententiam.

Rectè autem filius Dei Messias ex Regũ progenie oriri voluit; nimirum qui Rex erat futurus orbis vniuersi, iuxta illud: *Dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum:* in cuius femore scribendum erat: *Rex regum, & Dominus dominantium.* Cum quę homines cæteri tãtummodo, dum viuunt, regnent, & per mortem regno spolientur, ac cedant: solus Christus est, qui duo prorsus admiranda in regnando habet: nam & antequam nasceretur, in suis & per suos regnauit. Rursus per mortem sublatus fęlicissimè regnat per sidem in cordibus hominum, tum per suos ministros, atque Ecclesię Catholicæ pastores & rectores. Hunc igitur Regem amplectamur, eius legibus subijciamur: quoniam per eum solum datur nobis libertas à captiuitate Babylonica, & reditus ad ęternam patriam illam, promissamq; terrãm viuentium, ad quam vt nos Pater ęternus clemẽter suscipiat, præstet ipse nobis Rex Iesus Christus, qui cum Patre & Spiritu sancto, viuit, & regnat in secula seculorum, Amẽ.

1. Paral. 3.
Vnde perspicuum fiat, vnũ & eundem esse Iechoniam secundę ac tertię tesseradecadis.
Impugnatur solutio dicentium, Dauid vt constituat quaterdena, bis esse numerandum.
2. Par. 2.
Ruth. 4.
Generationes quatuordecim à Matth. cum esse tredecim constet, quomodo dicantur.
Cur Christus à regia voluerit stirpe descẽdere.
Psalm. 71.
1. Tim. 1.
Apoc. 17.
Regni Christi duæ prærogatiuæ.
Ephes. 4.
Christum Regem agnoscẽtes suscipientesque, quid assequentur.

TRACTATVS XXVIII.

In Matthæi genealogiam, explicans difficultates, quæ occurrunt in tertia tesseradecade.

Matth. 1.

QVemadmodum in prioribus quaterdenis modos præcipuos dissoluere aggressi sumus, idem & in hac tertia nobis præstandum est. Et quidem illud primo loco discutiendum est, vnde B. Matthæus has tertiæ tesseradecadis genealogias acceperit, cùm in sacris litteris non inueniãtur? Respondemus, infidelitatis signum videri posse, fidẽ ab Euangeliorum scriptoribus, qui afflatu diuino sunt locuti, reposcere. Sed quoniam respõsio hæc viro Catholico satisfaciet, non Iudæo, dicendum est, hòc accepisse Matthæum ex annalibus Iudæorum, qui in templo asseruabãtur: quo pacto Venetijs filij nobilium in Cõmentarijs publicis, qui penes Sacerdotes sunt, scribũtur, vt, cùm tempus feret, nobilium gaudere priuilegijs possint. Erat verò Iudęorum natio harum genealogiarũ studiosissima, non solùm propter oriturum Messiam ex tribu Iuda, & familia Dauid: vel ne tribus inuicem cõmiscerentur per coniugia; ac ne hęreditates vnius tribus ad alteram deuoluerentur, ob quam etiam caussam institutum est, vt quæcunque alienata quondam fuissent bona, in anno Iubilæi redirent ad hærẽdes eiusdem familiæ: sed maximè tamen, vt agnoscerentur veri Sacerdotes ex familia Aaron, qui possent in templo ministrare, & edere de sanctificatis; præsertim quia extraneos ministrare attentantes occidebat Dominus, vt constat ex his, quę habentur, Num. 3. & 18. & in totum etiam populũ excandescebat ira Domini, vt narratur

Vnde nam tertio quaterdenę sint genealogiæ à Matthęo desumptę.
Iudæi cur tanto studio genealogijs vacarent.
Num. 36. & seq.
Num. 3.
Infra 18.
Supra. 8.

ratur Num. 1. Vnde apud Esdræ libru primum, cap. 2. & 2. lib. item Esdræ cap. 7. ac 3. & lib. eiusdem cap. 5. quidam deiecti sunt de Sacerdotio, quia non potuerunt genus suum indicare. In huiuscemodi porrò cõtrouersijs periti erant & versati summi Sacerdotes, litesque omnes de possessionibus & genealogijs pendentes summi sacerdotes in primis iudicabant, quos penes isti erant genealogiarum cõmentarij. Quare in priori Esdrę, ac posteriore volumine in citatis capitibus quidam à sanctificatorũ vsu prohibentur: donec surgeret Sacerdos doctus, atq; perfectus, qui nimirum calleret veritatem progenierum. Atque hic quidem est liber, de quo 1. Paral. 9. dicitur: *Vniuersus Israel dinumeratus est*, & summa eorum scripta in lib. Reg. Israel, & Iuda apud Ezechiel. cap. 13. de pseudoprophetis pronuntiatur, quòd in scriptura domus Israel non scribẽtur, id est, manebunt sine progenie. Ergo hic liber genealogias continens, asseruabatur in archiuis templi (sicut liber de iure regni factus sub Saule 1. Reg. 10.) & mansit liber custoditus in sanctuario, loco sacro, & publico, & minus de fide suspecto.

Ad quos de genealogijs ortę quęstiones huiusmodi pertinecent. — *1. Par. 9.* — *Ezech. 13. Liber genealogiarum Iudaicarum vbi seruaretur.* — *1. Reg. 10.*

Quod ergo refert Eusebius Cæsariensis lib. 1. cap. 7. ex Africani historia, in qua est sermo de Christi cognatis, Herodem alienigenam regem Iudææ, illos omnes libros igne combussisse, ne generis sui cognosceretur obscuritas, certè vel falsum est: vel partem aliquam combussit, non omnes libros: nam verisimile est, multos illarum studiosos occultasse: vel, si vniuersos combussit, quæ minor est probabilitas, memoriæ tamen recentis caussa retinebãtur. Hinc Luc. 2. *Oportuit singulos secundum distributionem tribuum & familiarum describi; atque nomina sua illos profiteri.* Nunc autem cùm cõfusæ sint tribus & familiæ, nec amplius sit Bethlehem in rerum natura, fit vt vanum sit genealogiarum studium & inuestigatio.

Eusebij, Herodem Ascalonitam Iudaicarũ libros genealogiarum combusisse, scribentis dictum quo modo verum sit. — *Luc. 2.*

Simili ratione respondendum est, si quis quęrat, vnde Lucas hauserit tot genealogias, quæ in scripturis non extant. Hausit enim ex publicis commentarijs, vti Philo Iudęus in suo Breuiario Duces omnes enumerat à Zorobabele vsque ad Christum, eodem ordine, eisdemque nominibus, quibus adpellauit eos Lucas, Zorobabel autem præfuit annis 58. Resa annis 66. Iohanna annis 53. Iuda 14. Ioseph 7. Semei 11. Mathathias 12. Nahat 9. Nagge 10. Heli 8. Nahum 7. Amos 14. Mathathias 10. Ioseph 66. Ioãnes 6. Hos sequuntur Leui, Melchi, Matthat, Heli, qui & Ioakim pater Marię: quibus, quia fortasse non prę̨fuerunt, annos nullos assignat.

Genealogias Lucas minimè scripturis contentas, quas commemorãt, vnde mutuatus sit. — *Iudæorum Iudices qui, quãdiu præfuerint.*

Secundo loco considerandum est quod dicitur: *Salathiel autem genuit Zorobabel.* Iste Salathiel filius Iechoniæ, & pater Zorobabelis videtur differre ab illo Salathiele, cuius meminit Lucas, qui fuit filius Neri, & auus Resa: nisi Neri sit Iechonias. Hic etiam Zorobabel non est filius Phadaiæ fratris Salathiel, inter cuius filios nõ ponitur Abiud 1. Paralip. sed alter filius Salathiel, vt Caietanus, atque alij tradunt. Etsi narrarentur omnes filij Salathiel in dicto libro, & ibi non nominaretur Zorobabel, existimari posset istum esse filium Phadaiæ: sed non omnes enumerantur. Vnde apud Ezram vocatur Zorobabel filius Salathiel, ad differentiam alterius filij Phadaiæ: & Aggęus, *Factum est verbum Domini*, inquit, *ad Zorobabel filium Salathiel.* Hieronymus in quæst. super Paralip. non idem esse sentit in 1. Paralip. 2. Salathiel, & Phadaia. Et ita duo illi filij Zorobabel, nempe Mosolla, & Hanania, ijdem sunt, qui à Matthæo, & Luca dicuntur Abiud, & Resa. Quod etiam ipse quoque Philo in Breuiario temporum cõtestatur, nempe Abiud alio nomine dictũ Hananiam, & Resam aliter vocatum Mosollam.

Salathiel quis ille qui genuit Zorobabel. — *1. Par. 3.* — *Caietan.* — *1. Esdr. 3.* — *Agg. 1.* — *Hieron. to. 3* — *Philo.*

Alia tertia à quibusdam producitur solutio: nempe Zorobabel filium naturalem esse Phedaię, legalem vero Salathiel. Sed illud profectò admiratiõe dignũ est, quod cùm 1. Paralip. 3. è Iechonia in finem capitis enumerentur 13. generationes, nullus tamen inueniatur, vel in nomine conuenire cum aliquo, qui describitur à Matthæo, vel à Luca. Deinde illud quoque mirãdum est 13. enumerari à Matthæo genealogias, à Iechonia ad Ioseph virum Mariæ, quomodo videlicet eas videre potuit Esdras, qui libri illius creditur autor? Nam illæ continere videntur secundum communem generationis cursum 300. annos. Præterea, quorum illę generationes ibi describuntur: & num per 13. illas generationes, vltra quas nullius progenies in scripturis ostenditur, significare voluit Spiritus sanctus Christum venturum, qui est finis scripturarũ, & qui post 13. dictas genealogias describitur, tandem venisse, & 14. ipse compleuisse. Rogo prudentem lectorem, vt de his velit seriò cogitare, & aliquid solidi inuenire.

III. Solutio minus probabilis propter uia. — *Finis scripturarum Christus.*

Generatio autem ista Salathielis, & Zorobabelis fuit in Babylone, & Zorobabel reuersus est in Hierusalem. Zorobabel interpretatur, alienus à confusione: quia dux fuit eorum, qui egressi sunt ab illa Babylonis confusione, & captiuitatis ignominia. Hic discutiendum est dubium graue, ac magni momenti, spectans ad diuersitatem

Salathiel vbi genuit Zorobabel, & hoc nomen quid significet. — *2. Esdr. 12.*

genealogiarum per Matthæum, ac Lucam descriptarum; an videlicet differant necne? etsi differunt, in quibus differant? & rursus cur differant?

Matthæi inter, & Lucæ genealogias multiplex discrimē assignatur.

Ad primum igitur, dubium non est quin valde discrepent. Primum in personis, quia Matthæus Salomonem filium Dauidis, & Iacob facit patrem Iosephi viri Mariæ, Lucas verò facit Nathan filium Dauid, & Heli parentem Ioseph. Deinde differunt in personarum qualitate, & statu. Nam Matthęus peccatores, & peccatrices ex infandis connubijs genitos suæ inserit genealogię; at Lucas horum non meminit. Pręterea differūnt in modo narrandi: nam hic descendendo, ille verò ascēdendo: hic vtitur verbo, genuit; ille verbo fuit. Adhæc discrimē est inter extrema. Siquidem Matthæus ab Abrahā incipit, & in Christū desinit; Lucas verò à Christo inchoat, & terminat in Deo. Adde etiam in tempore: quoniā Matthæus ad Christum infantē, & ex vtero prodeuntem descendit; Lucas verò à Christo annorum 30. iam maturo, baptizatoque principium sumit genealogiæ. Postremo in ratione numeri magnum inuenitur discrimen. Mattheus enim duas & quadraginta generationes enumerat, atque illas in tres partitur tesseradecades; at Lucas septuaginta septem generationes, nulla facta partitione complectitur.

Prima solutio quorundam vtriusque genealogiæ homines nomine tantum distinguentium refellitur triplici argumento.

Quæ vt plenius intelligantur, atq; dissoluantur, in primis aduertēdum est extitisse quosdam, qui asseruerunt, nullam in personis, sed tantùm in nominibus, quibus significantur, differentiam esse. Hāc enim refert Gregor. Nazianz. citatus à B. Thoma, quorundam fuisse sententiam: quæ meritò improbatur. Nam Matthæus Dauidem asserit genuisse Salomonem, Lucas verò de Nathan ait: *Quod fuit Dauid.* constat autem quòd Salomon, & Nathan nō sunt vnus, & idem homo, verùm duo fratres filij Dauid, de quibus mentio est lib. 1. Paral. ca. 3. Deinde licet daremus de quibusdam quod sint binomines, & in illis discordarēt, esset quidem discordia in paucis, at in cæteris esset concordia: & tamē sunt generationes quatuordecim, in quibus non est concordia, vt Augustinus docet lib. quæst. Euangelicarū. Ergo non sunt eędem personæ ab vtroque Euangelij scriptore enarratæ, sed prorsus diuersæ. Præterea si essent eædem personę, & in omnibus variarent nomina; tamen personæ totidem essent à Dauid ad Christū per Matthæum, quot sunt per Lucam; & tamen in Matth. Euang. duæ & quaterdena tantūmodo, in Lucā verò duæ & quadraginta personæ. Remanet ergo hoc expugnatū

Gregor. Naz. Thom. in 3. par. q. 31. art. 8. tom. 13.
1. Par. 3.
August. lib. 2. qu. Euang. c. 5. to. 4.

II solutio, putatiuam duntaxat non veram esse Lucæ genealogiam affirmantium confutatur.

Sunt rursus alij, qui affirmant, Matthęū describere veram Christi genealogiam secundum carnem, porrò Lucam generationem (quam vocant) putatiuam; vnde in principio dixit: *Vt putabatur filius Ioseph:* putabant enim Iudæi, quod ob peccata Regum Messias ex Dauide non foret oriundus per lineam Regum, sed per lineam priuatorū. At contra hoc militat in primis manifesta ratio. Nam genealogia Christi ponitur ad probandum, quòd Christus descendat de genere Dauidis de quo venturum Messiā Prophetę prædixerant: genealogia autem secundum existimationem Iudæorum, hoc non probat, sed vera & manifesta. Deinde Lucas vel sciebat verā Christi progeniem, vel ignorabat: si ignorabat, mentiretur Euangelista, vel deciperet, credens se verā scribere, quæ non esset: si verò sciebat, superfluum erat, & inutile scribere generationem putatiuam; cùm non sit aliud quàm putare Messiam non descendisse ex Dauide per Reges, sed per alios. Item si essent istę duæ generationes omnino distinctæ, nempe vna vera, & altera putatiua, haud possent ad vnum reduci: & tamen tam Lucas, quàm Matthęus in vnum Ioseph genealogias referunt suas, quo de Lucas ait: *Vt putabatur filius Ioseph*: non quo insinuaret scribere se genealogiam sola opinione conceptam, quæ nihil conferret prorsus; ad innuendum quid homines de Christo opinabantur, ac ipsi discipuli, qui initio putabant Christum filium esse Ioseph. Hinc enim Philippi ad Nathanaelem verba illa sunt apud Ioannem cap. 1. *Quem scripsit Moyses, in*quit, *in lege & Propheta, inuenimus Iesum filium Ioseph, à Nazareth.*

II. Argum.
III. Argum.
Luc. 3.
Ioan. 6. Supra. 1.

III. solutio, minus idonea.

Sunt & alij rursus, qui censent, Matthæū veram Christi genealogiam secundum corpus texuisse: Lucam verò progeniem spiritalem descripsisse: quia omnes viros iustos dixit esse patres Christi propter similitudinē honestatis. Sed & hoc facilè improbari potest. Nihil enim prodesset eiusmodi descriptio, cùm genealogia texatur ad probandum Messiam ex ijs descendisse, ex quibus Prophetæ prædixerant descensurum. Etsi hoc sibi proponeret Euangelista, omnes Prophetas & viros sanctos veteris legis genealogiæ suæ inseruisset, & tamen nulli tales viri describuntur à Luca. Pręterea, tunc nullus improbus poneretur, cùm tamen in vtraque genealogia multi ponātur. Adhęc, si id propositum esset Euangelistę, saltem eorum alter lineam, aliquam non continuaret: nam sancti viri non fuerunt in eadem progenie, nec per lineam eādem descenderunt, sed per diuersas, nec illa,

quidem

quidem continuas progenies, sed interruptas; cùm tamen vterque continuatam lineam ponat, vt de Matthæo, Lucaque constat à Dauide ad Adam vsq; ascendente. B. Augustinus lib. 2. de quęstionib. Euangelicis cap. 5. postquam impugnauit Iacob & Heli non esse eandem personam, etsi varia sint nomina, subiungit: *Quærendum igitur,* inquit, *quomodo potuerit habere duos patres Ioseph? Et mihi quidem in præsentia tres caussæ occurrunt, quarum aliquam Euangelista sequutus sit. Aut enim vnus erat Ioseph naturalis pater, & alter eum adoptauerat: aut more Hebræorum cum sine filijs vnus decessisset, vxorem eius propinquus accipiens, filium, quem genuit, propinquo mortuo deputauit. Vt cùm ab altero alterigenitus esset Ioseph, aut conuenienter duos patres habere diceretur: aut vnus Euangelista patrem eius, à quo genitus est, nominauit. Alter autem aut auum maternum, vel aliquem de cognatis eius posuit, cui propter consanguinitatis vinculum, in filij loco Ioseph constitueretur. In quibus caussa illa videtur infirma, quam in secundo loco posuimus. Quia cum quis apud Iudæos defuncto fratre, vel propinquo, prolem de vxore eius exuscitat, illud quod nascitur, nomen defuncti solet accipere. Ergo aut adoptio soluit istam quæstionem, aut origo maiorum, aut aliqua alia caussa, quæ nobis in præsenti non occurrit.* Idem prorsus docet libro 2. de Consen. Euangel. cap. 3. & ait: Quia Lucas dicit, *qui fuit*, adoptionem significat, quæ fiebat à gentibus; vt Pharaonis filia, quæ adoptauit Mosen, & Iacob adoptauit Ephraim & Manassen, Genes. 48. Sed ne quid videar dissimulare, B. Augustinus verba hæc sumpta ex lib. 2. de Consen. Euangel. retractat lib. 2. retractat. cap. 7. quemadmodum & verba de quæstionibus Euangelicis cap. 2. libri eiusdem retractat, ac corrigit. Nec immeritò quidem, quia adoptio non conducit ad sciendum genus vel originem alicuius. Ideò Augustinus secundæ sententiæ magis adhæret, soluitque argumentum de nomine defuncti in prędicto cap. 12. Satis enim est; quòd diceretur eius filius, si non eodem prorsus nomine vocaretur.

B. August. tom. 4.

Ioseph vt duos patres habuerit, secundum Augustinum.

Exod. 2.

Gen. 48.

Incommodū solutionis Augustini.

IV. solutio.

Alij adhuc sunt qui tradunt, Matthæum recitare genealogiam ipsius Ioseph, qui per Salomonem à Dauide originē duxit: Lucam verò genealogiam texere B. Virginis Marię, quæ è Dauid descendit per Nathan fratrem Salomonis: Ioseph itaque ex istorum sententia, fuit natura filius Iacob, vt ait Matthæus: & idem filius fuit Heli, id est, Ioachim patris Virginis Mariæ lege vxoria, secundum quam consuetudo est, filium generum appellari, & filiam nurum. Etenim cum vir & vxor sint vna caro, qui parens est vxoris meæ, etiam pater meus appellatur, quo pacto etiam pater mariti, dicitur etiam pater vxoris. Atque ita Christus tam respectu Ioseph patris putatiui, quàm respectu matris inuenitur esse ex familia Dauid. Addūt pręterea, qui hoc sentiunt, apud Syros idem esse Heli & Eliacim & Ioachim, id quod autoritate Philonis in Breuiario suo de temporibus confirmare contendunt. Sunt autem autores huius sententię Ioannes Annius Viterbiensis in commentarijs Philonis, Ioannes Lucidus, Petrus Galatinus in libris contra Iudæos, Georgius Vicelius, & alij, item Caietanus & Lyranus in caput 3. Lucę. Iuuat etiam hanc sententiam Damascenus lib. 4. cap. 15. his verbis: *Decet autem scire, non fuisse morem Hebræorum, neque diuinæ Scripturæ genealogias texere mulierum. Nam lex fuit, tribum non desponsare ex alia tribu. Atqui Ioseph ex Dauidica descendit tribu, & iustus erat. Hoc enim de ipso diuinum testatur Euangelium. Non igitur præter legem, sanctam Virginem ad desponsationem duxisset, nisi ex eius sceptro descendisset. Cùm igitur ostenderit Euangelista descensum Ioseph, satisfactum esse putandum est. Præterea id nequaquam latere par est, quod lex erat, viro moriente sine prole, fratrem eius defuncti coniugem sibi nuptijs copulari, & suscitare semen fratri. Quod igitur partu edebatur, secundum naturam, secundi, id est, illius, qui genuit, erat: secundum verò legem, eius, qui obierat diē. Ex serie igitur Nathan filij Dauid, Leui genuit Melchi & Panthera. Panther genuit Barpanthera, sic ab eo denominatum. Hic Barpanther genuit Ioacim: Ioacim verò genuit sanctam Deiparam. Ex serie Salomonis filij Dauid, Matthan duxit vxorem, ex qua genuit Iacob. Mortuo autem Matthan, Melchi qui erat ex tribu Nathan, filius Leui, frater verò Pantheris, nupsit vxori Matthan, matri quidem Iacob, & genuit ex eâ Heli. Erant igitur fratres vterini Iacob & Heli: Iacob quidem ex tribu Salomonis, Heli verò ex tribu Nathan. Defuncto autem Heli ex tribū Nathan sine liberis, accepit Iacob frater eius ex tribu Salomonis vxorem eius, & suscitauit semē fratri suo, & genuit Ioseph, Ioseph igitur natura quidem est filius Iacob, ex descensu à Salomone: secundum verò legem, filius Heli ex Nathan.* Hæc B. Damascenus. Quæ sententia etsi in speciem probabilis, ac speciosa videatur, nonnulla tamen sunt magni momenti, quę contra eam possunt produci.

1. Paral. 3.

Gen. 2.

Eius autores sententiæ recensentur.

B. Damasc.

Num. 36.

Mat. 1. & seq.

Deut. 35.

Christi genealogia ex parte matris iuxtà Damascen.

Impugnatur quarta solutio multipliciter.

I. Ratio.

Ac illud in primis, quia si Matthæus Hebræus ipse, & Hebraico sermone ad Hebræos scribens, non scripsit generationem Christi secundum carnem, & qui frequenter vtitur verbo, *qui genuit,* certè multò minus Lucas, ad quem minus attinebat, &

qui non vtitur dictione, *qui genuit*, sed, *qui fuit*, atque ita nullus generationem Christi secundum corpus conscripsisset.

II. Ratio. Secundò, si Christus per lineam Nathan descendit, & non per lineam Salomonis, non descenderet de regia stirpe, cõtra Scripturæ autoritatem, dicentis: *Iurauit Dominus Dauid veritatem, &c. De fructu ventris tui ponam super sedem tuam*; & 2. Reg. 7. *Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium*: nec Ecclesia erit: (Psalm. 131. 2. Reg. 7. & alibi.)

Regali ex progenie, Maria exorta refulget.
Linea autem regalis non erat per Nathan, sed per Salomonem.

III. Ratio. Tertiò, quia Lucæ 2. dicitur Ioseph profectus in Bethleem, *eo quod esset de domo & familia Dauid, vt profiteretur cũ Maria sibi desponsata vxore pregnante*: quibus verbis indicatur Beatam Virginem eiusdem fuisse domus & familiæ, atque Ioseph, vt adnotarunt Hieronym. & Hilarius in Matthæum, ac Gregorius Nyssenus sermone de sancta Saluatoris natiuitate, & Damascenus in verbis paullò ante allegatis. (Luc. 2. Hiero. to. 9. Hilar. can. 1. in Matthæũ. Greg. Nyss.)

IV. Ratio. Quartò, Christus non esset propriè ex semine Dauid, nisi tantùm per adoptioné. Nathan quippè filius Dauid ex Bersabæa dicitur 1. Paralipo. 3. qui tamen si quorundam sententiam probaremus, naturalis & legitimus filius Vriæ fuit prioris viri Bersabææ, quem cum alijs fratrib. suis Dauid, cùm acciperet Bersabęam in vxorem, in filios adoptauit. nam sic docent multi sanè præclari Scripturarum interpretes, vt Lyranus Luc. 3. Burgensis in Matthęum cap. 1. Abulensis Episcopus in Paralipomenorum libros. Vnde Prouerb. 4. vocatur Salomon matris suę vnigenitus, atque de eo solum fit mentio secundo Regum duodecimo, quasi genito ex Bersabæa. Quanquã illud durũ videtur quod asserunt tam Ambrosius in Lucam, quàm Augustinus libro secundo de consen. Euangel. cap. 3. & Lyranus, videlicet quod Nathan Propheta sit ille, qui adoptatus est à Dauide in filium, cùm expresśè primo Paralipomenon tertio, & secundo Regum 5. censeatur inter filios Dauidis ex Bersabæa susceptos. Sed ex Bersabæa naturales quidem filios, sed adoptiuos ex Dauide. Et idem Augustinus libro secundo Retract. cap. 16. meritò corrigit quod dixerat de Nathan Propheta his verbis: *Item, vbi dixi, Lucas verò ad ipsum Dauid per Nathan ascendit, per quem Prophetam Deus peccatum illius expiauit, per cuius nominis Prophetam dicere debui: nec putaretur idem esse homo, cùm alter fuerit*. Hæc ille. (1. Par. 3. Nathan frater Salomonis qualis filius Dauid. Lyran. Paul. Burg. Abul. Episc. quæst. Nathan Prophetam non illum fuisse fratrem Salomonis. Ambro. lib. 3. in Lucã, to. 5. Aug. tom. 4. Idem. tom. 1.)

Quod verò dicitur Prouerb. 4. *Ego filius fui patris mei, tenellus, & vnigenitus coram matre mea*: non significat, illum vnicum fuisse matris suæ, sed tantummodo, Ego eram tam dilectus à me matre, tamque illi carus, ac si fuissem solus illius filius: vel, ac si fuissem primogenitus: nam, quasi talis fuisset, hęres à Dauide est institutus. (Vt fuerit Salomon filius vnigenitus coram matre sua. Prou. 4.)

V. Ratio, in quartam intentionem propositam. Quintò, contra morem sacrarum literarum describeretur genealogia mulieris: vel saltem fecisset Lucas mentionem Mariæ, si eius texebat genealogiã, quod tamen non fecit: Matthæus tamen eius meminit, vt genealogiam Christi à se scribi intelligas secundum carnem, & non à Luca. Nec valet, si dicas cum ait Lucas, *Qui fuit Heli*, relatiuum, qui, ad Christum esse semper referendum, vt docet Autor quæstionum Vete. & Noui Testamenti, vt sit sensus: ipse Iesus putabatur esse vel filius Iosephi, sed reuera non fuit illius, sed Heli, qui auus maternus erat. At certè hoc non nisi durè exponeretur, cum Ioseph sit intermedius: & semper verbum, *Qui fuit*, refertur adimmediatè præcedentem personam. (Autor lib. qq. Vete. & Nou. Testament. q. 56. to. 4.)

VI. Argum. Sextò, finguntur secundum istam sententiam tot homines binomines. Et quod apud Syros idem sint Heli, Eliacim, & Ioachim, exemplo Scripturæ non probant. Nam quod allegant ex 4. Reg. lib. cap. 23. & 2. Paralipomenon 36. vbi quidam, qui vocatur Eliacim, vocatus fuit à Rege Aegypti Ioacim: parum firmitatis habet: nisi eadem ratione velimus idem esse Ioseph, quod mundi Saluator, Genes. quadragesimo primo, quia nimirum Rex Aegypti conuertit nomen Ioseph in illam vocem: & idem sit Daniel quod Balthasar, idemq; Ananias, quod Sidrach, & idem Misael quod Misach, & Azarias quod Abdenago, teste Daniele. (4. Reg. 23. 2. Par. 36. Gen. 41.)

VII. Argum. Præterea insolitum est, nec ex Scripturis probatur, vxorem dici filiam patris mariti, vel maritum dici filium patris vxoris. Nam etsi socrus vocaret nurum suam filiam, vt Noemi vocabat Ruth: Non tamen in tertia persona historicus, & maximè texendo genealogiam mariti, poneret socrum suam loco parentis. Atque hoc insolitum est, etiamsi ore tenus ipse gener parentem vocet socerum, & socer generum filium. (Ruth. 1.)

VIII. & vltimum. Postremo, illa sententia aduersatur multis patribus. Ambrosius enim in Lucam testatur Christum esse ex semine Iechoniæ, etsi dicatur vir sterilis, & abdicatus, & vir qui in diebus suis non prosperabitur: nec enim erit de semine eius vir, qui sedeat super solium Dauid, & potestatem habeat vltra in Iuda. In quæ verba obijcit Hieronymus Hieremiam exponendo: *Quomodo*, inquit, *sta re poßit* (B. Ambr. in Lucam lib. 3 tom. 1. Hiere. c. 22. Hiero. in Hierem. c. 22. lib. 4. tom 5.)

reposuit prophetia, de stirpe eius nullum esse generatum, qui sederit super thronū Dauid, nec principes fuerit vltra in Iuda; cum Dominus, atque Saluator de huius natus sit semine: super cuius ortu loquitur Gabriel ad Mariam: Ecce concipies in vtero, & pariēs filium, &c. Et dabit ei Dominus Deus sedem Dauid patris sui, & Reliq. *Respondeamus igitur, quod in diebus Iechoniæ non successerit ei vir, qui sederit super thronum eius, sed multo post tempore de semine eius natus sit, qui solium eius obtinuerit. Potest autem & sic solui: Non sedebit quidem super thronum Dauid vir, & homo, sed sedebit Deus: regnumq́; eius non erit terrenum, & breue, vt fuit Dauid, sed perpetuum, atque cæleste.* Hactenus Hieronym.

Luc. 1. Qui verum sit de stirpe Iechoniæ nullū esse genetatū; qui sederet super thronum Dauid, cum Christus sedeat. Altera solutio.

Idem rursus super Isaiam de fletu Ezechiæ Regis sic scribit: *Ergo iste omnis est fletus, quod desperabat Christum de suo semine nasciturum.* Idem libro de ortu Virginis, vt citatur à Ioanne Viterbiensi, qui illam genealogiam, Ioachim, Pantheris, Barpantheris, Eliacim, Melchi, & Leui vt confictam à quibusdam docet, quo Christo genealogiam clarè ab vtroque Euangelij scriptore traditam obscurarent, sic ait: *Quid Pantheris, & Barpantheris, & fraterni seminis suscitare opus fuit ad genealogiam Mariæ, quæ clara est, nisi quia falsi fratres sub specie Angeli lucis ad eludendum Euangelia quasi illa expositurі hac finxerunt?* Sed certe hic liber de ortu Virginis in Hieronymi operibus non extat, illique falsò adscribi putant viri docti. Namque idem suscitationem seminis ad saluandam Euangeliorum dissonantiam sæpe vsurpat, vt in Matthæum: & Augustinus, qui illam suscitationem deiecerat, retractauit.

Idem lib. 11. in Isa. c. 38. sub initium. *Idem.* *Ioan. Viterbien.* *Deut. 25.* *2. Cor. 11.* *August. lib. 2. retract. c. 9. to. 1. initio.*

His ergo sententijs hactenus reiectis, quę inter duos Euangelistas apparet dissonantia, soluenda est, nempe quod Ioseph dicatur filius Heli, & filius Iacob: quam Imperator Iulianus Christianis obiecit. Dicendum est itaque, has duas genealogias minimè discordare nisi à Dauide ad Ioseph vsque: concordant enim in prima quaterdena à Dauide vsque ad Abraham: ab Abraham autem vsque ad Adam solus Lucas narrat; ac proinde hoc nemini contradicit. Notandum ergo est ex Africano historico proximo temporibus Apostolorum, vt recitat Eusebius Cæsariensis, quod Matthat ex Iesca habuit filium Heli, & ex eadem Matthan habuit filium Iacob: & ita Heli, & Iacob erant fratres vterini, & ille quidem maior, Iacob verò minor. Mortuo autem Heli sine liberis, eius vxorem accepit Iacob frater minor, ex qua sustulit filium Ioseph, qui secundum legem de suscitando semine; (quæ habetur in Deuteronomio) filius est Heli, secundum naturam verò filius est Iacob. Et ideò Matthæus secutus est lineam patris naturalis, at Lucas lineam patris legalis: nam ex more Hebræorum, tales poterant describi in linea illius, vel alterius: quod genealogiarū libri præcipuè propter hæreditates, & honores essent excogitati. Nam filius legalis succedebat defuncto in bonis suis, & honoribus: succedebat interdum etiam patri naturali, quādo ille alios liberos non habereret: idcirco liberum erat in linea vtriusque describi. Neq; verum est, Lucam ponere omnes patres legales, & Matthæum naturales: quia Lucas ponit Heli legalem patrem Ioseph, reliqui ferè omnes ascendentes sunt patres naturales vsque ad Dauid, in quem concurrunt genealogiæ. Si autem non concurrerent in Dauid, profectò non texeretur à Luca genealogia, nec Christus filius Dauidis esse putaretur. Quæ ne conficta esse existimes, audi quid dictus Africanus in epistola ad Aristidem scribat. *Hæc autem,* inquit, *non nobis ad subitum reperta, aut absque vllis autoribus commendata sunt; sed ipse hæc Saluatoris nostri secundum carnem propinqui, seu studio tanti seminis demonstrandi, siue edocendi, quæ secundum veritatem gesta sunt, tradiderunt.* Hæc ille. Huic sententiæ subscribunt Iustinus Martyr in quęstionibus ad Orthodoxos, Eusebius supradictus, Damascenus, Nicephorus, Theophylactus, & Euthymias in Lucam, Ambrosius in eundem. Item Hieronymus in cap. 1. Matthęi, Augustin. lib. Retract. Beda in Lucam: Quæ tamen Osiander homo hæreticus in Harmonia (potius dixerim, dissonantia) sua Euangelica commentitia esse contendit. Et autor libri Quæstionum Vete. & Noui Testamenti (siue is fuerit Augustinus, siue quispiam alius) sententiā eam asserit nec probabilem esse, nec ad rem vllam proficere. Sed certè non nisi argumentis infirmis nituntur, qui illam traditionem, historiamue infirmare conantur. Primum enim argumentantur, nullum testimonium vel exemplum siue ex sacris, siue ex profanis Hebrǽorum literis erui posse, quo talis primogenitus defuncti filius nuncupetur. Respondemus: satis esse ipsam legem Deuteronomij illud pręcipere. Nec constat quod Ioseph non sit vocatus nomine Heli patris legalis: nam & Booz accepit Ruth in vxorem, ne suscitaret semen Mahalon consanguinei, & genuit filium, quem non vocauit Mahalon, sed Obed. Verùm profectò, vt Augustinus annotauit, dicebatur quis suscitare semen fratris sui, ea ratione qua fratri filius suus adscribebatur.

De hoc controuersia quid certo statuendum sit. *Africanus histor. antiquissim.* *Euseb. lib. 1. Eccl. histor. c. 6. circa med. tom. 1.* Genealogiarū libri apud Iudæos cur potissimum adinuenti.

Non solos Lucam patres legales, Matthæum verò naturales ponere tantum. *Euseb. loco citato.* *Iustin. Mar. lib qq q. 6. 10. 3.* *Euseb. loco dicto.* *Damasc. lib. 4. cap 15.* *Niceph. lib. 1. c. 11.* *Theophyl. & Euthym. in Luca c. 3.* *Ambros. ibidem.* *Hieron.* *August. lib. 2. Retract. c. 5. & 16.* *Osiand lib. 1. Harm. Euangel.* *Beda l. b. 1. in Lucam ca. 10. tom. 5.* *Autor. lib. qq. Vete. & Noui testament. q 56. tom. 4.* Aduersæ opinionis proponuntur argumenta, atque diluuntur. *Ruth. 4.* *Aug. li. 5. qq. in Deut. q. 46 & lib. 2. Retract. c. 7. t. 1*

II. Argum. aduersariorũ.
Deut. 25.
Qua ratione suscitaret aliquis semen fratri suo.

Deinde obijciunt: Etsi demus, primogenitum eiusmodi duos patres sortitũ esse: adhuc tamen nihil efficiet, vt Euangelicæ discrepantiæ scrupulus eximatur. Nam legalem filium nemo poterat ex vxore defuncti procreare, nisi frater fuisset defuncti germanus, simulque cum eo habitasset: quemadmodum Deuteronom. 25. euidentissimè traditur. Illud autem non contingit nisi ex eodem patre natis: nam qui diuersos habent patres, hi diuersas etiam capiunt hæreditates, atque adeò non habitant simul. Nunc autem Iacob, & Heli nec fuerunt ex eisdem patribus auis, aut proauis: nec simul habitare potuerunt, cum alter recenseatur in posteris Nathan, alter in posteris Salomonis.

Solutio.

Respondetur, satis dici cohabitare, qui eodem tempore viuũt, etiamsi non in eisdem ædibus. Atque ita esse intelligendum, docet exẽplum Booz, qui, vt suscitaret semẽ Mahalon propinqui sui, accepit Ruth in vxorem. Nec enim diuersa lex est illa, qua Booz cõiunctus est Ruth, ab illa, quæ habetur Deuteron. 25. vt somniat Osiander hæreticus, vt ex multis circunstantijs, quę eædem sunt, colligi potest.

Contra Osiandrum hæreticum.
Scriptura consanguineos de more fratres appellat.

Fratres etiam in illa lege Deuteronomij, non germani modò intelligendi sunt, verum etiam consanguinei, qui Scripturarũ vsu fratres appellantur. Vnde Booz Mahalonis non frater germanus erat, sed propinquus.

III. Argum.
Africanus veteri autor.

Nec obstat rursus quod Africanus in epistola ad Aristidem, post recitatem hanc traditionem, adiecit: *Siue itaque ad hunc modum, siue aliter habet res ista, non poterit quisquam, meo iudicio, clariorem (illius scilicet, quæ obiecta erat Euangelistarum discrepantiæ) expositionem reperire. Quisque autem æquo animo præditus est, idem quod nos curabit, etiamsi certum desit testimonium: ob id videlicet, quod meliorem, ac veriorem expositionem proferre non poterit, Euangelium sanè per omnia, quæ vera sunt, tradit.*

Solutio.

Hæc ille, quæ modestiæ potius gratia dixit, quàm infirmando traditionis propositæ: quę ita nodum Euangelij dissoluit, vt planè nulla sit ad alias solutiones confugiendi necessitas. Atque hactenus de hac quæstione sit dictum.

Matthæi atq; Lucę genealogiarum inter se quę sit ratio differentiæ.
Ezech. 1.
Ibidem.

His igitur vtcunque declaratis, rationem discriminis inter has genealogias assignare aggrediemur. Radix autem istius discriminis est: quia Matthæi partes in facie hominis designati erant, Christi infirma secundum carnem exponere: ideo primum parentes eius secũdum corpus descripsit. Lucas verò, qui vituli, & Pontificis personam magis enarrare studuit, idcirco Christi generationem secundum spiritum, qua ille nos Deo, & sibi genuit, exprimere curauit: quare patres legales, vt Heli, & Nathan, ne scilicet in carne vt Iudæi, sideremus, exposuit.

Marcus nullã Christi genealogiam cur scripserit.
Ezech. 1.
Chrysost. tom. 2. in princ.

Marcus verò in facie leonis adumbratus, nullam genealogiam descripsit. De quo Chrysostomus homilia 4. in Matthęũ ait: *Ego igitur existimo primum omnium Matthæum Euangelium edidisse: propter quod etiam generationum catalogum diligenter enumerat, & plenè cuncta atque instanter exequitur. Marcus autem compendiosa post illum cucurrit via, vtpote qui iam ab alio dicta, & manifestata replicaret. Lucas sanè non modo texit generationum catalogum, verum etiam pluribus eum texit extendendo nominibus, quippe qui Matthæi scriptione præuentus, amplius aliquid docere nos studeat. Suum enim quisque diuerso modo est imitatus magistrum. Marcus quidem Petrum, verborum parcitate gaudentem; Lucas verò Paulum, fluminum copiam vbertate loquendi superantem.* Hæc ille.

Qua ratione Marcus Petrũ præceptorem suum in docendo, Lucas vero Paulum sit imitatus, teste Chrysostomo.

II. Ratio discriminis inter Matthęi & Lucę genealogias.
Rom. 3.
1. Tim. 2.
Gen. 38.
Iosu. 2. & alibi.
Ruth. 4.
2. Reg. 11.

Secundò Matthæus peccatores & peccatrices, & captiuos in Babylone recitat, vt Hebræos atque omnes Christo egere significet, in quo sunt omnes saluandi, & nullum hominum genus exclusum est à salute, si velint. Quamobrem congressus in primis incestuosos, deinde turpes cum meretrice, adhæc vituperabiles cum alienigena, & scelestos cum adultera proposuit; vt nulli quouis modo de scelesto, & illicito atque nefario coitu venienti, claudatur salutis aditus. Lucas verò iam per Christum regenitos narrans, abhorret à peccatoribus, & captiuis, ac mulierculis, vt locum faceret intellectui, per baptismum illos iam fuisse purgatos. Nihil enim coinquinatum, nihil molle, aut fœmineum mittebat ad Deum. Hinc scriptum est: *In Christo Iesu neque circuncisio aliquid valet, neque præputium, sed noua creatura.*

Gal. 6.

III. Ratio.
Isa. 53.
1. Pet. 2.
Actor. 10. & alibi.
Gen. 1. & 2. & seq.
Infrà 3.

Tertiò Matthęus ait, *Genuit*, quia describit generationem ex carne, qua peccata vt onera quædam descendunt, vt reponantur super CHRISTVM, ea in se ipso delentem. At Lucas inquit, *qui fuit*: quoniam generationem legalem patris, qui non gignit, cum obierit, declarat: & vt innuat, homines olim fuisse dæmonis descendentis in abyssum: nunc autem esse alterius, nempe CHRISTI ascendentis in cœlum, qui eos baptismo sanguinis sui acquisiuit: qui quidem Christus semper fuit Dei verissimus filius, & per quem Adam, qui olim fuit Dei, peccato verò & se ipsum & nos simul perdidit; ac propterea dæmonis vt essemus, perfecit, iterum Dei est per CHRISTVM restitutus, & nos in eo. Quanquam ne quid dissimulem, hæc for-

Hanc locutionem: Qui

ma lo-

fuit Heli, qui fuit, &c. vnde sumpserit B. Lucas.

ma loquendi: *Qui fuit*, non negat filium naturalem vera generatione natum. Hinc Herodotus libro septimo introducit Xerxen ad Artabanum ita loquentem: *Nec enim fuerim Darij, qui fuit Hystaspis, qui fuit Aramnis, qui fuit Ariamnis, qui fuit Tispei, qui Cyri, qui fuit Cambysis, qui fuit Achmenis filius; nisi Athenienses vltus fuero.* Hæc ille: à quo fortassis Lucas linguæ Græcæ eruditissimus illam phrasin loquendi mutuatus est. Nam etsi Heli fuerit filius legalis Ioseph: reliqui tamen naturales parentes Heli extiterunt. Idem etiam comprobatur ex eo, quod constat in progressu genealogiæ Lucæ, vbi dicitur: *qui fuit Dauid, qui fuit Iesse, qui fuit Obeth, qui fuit Booz*, & tamen erant filij naturaliter geniti, & Iudith 8. Iudith *quæ fuit filia Merari, filij Idox, filij Ioseph, filij Oziæ, &c.*

IV. ratio, discriminis inter Matthæi & Lucæ genealogias. *Ephes.4.*

Quartò, Matthæus descendendo, Lucas verò ascendendo ad Adam, & ad Deum, genealogiam scribũt: quia natura est principium propagandi, sicut gratia hominis reducendi. Vt ostendatur etiam quod ait Paulus: *Quod ascendit, quid est nisi quia & descendit primum in inferiores partes terræ?* Vel potius Matthæus descendit ab Abraham; Lucas verò vsque ad Adam ascendit. Nam Lucas Gentibus scripsit Euangelium, vt ostẽderet Iesum Christum, non Iudæis tantùm natum, sed & Gẽtibus: ideò ad Adam ascendit, qui pater est omnium, & ad Deũ, de quo Apostolus: *An Iudæorum tãtùm Deus? nonne & Gentium?* at Matth. scribens Iudæis, ab Abraham incipit, cuius memoria celeberrima erat apud Iudæos, cuique facta Messiæ promissio primum fuit.

Lucas quare Gentibus scripsit Euangelium. *Rom.3.*

V. Ratio. *Matth.2.* *Marc.10.*

Quintò, Matthæus incipit à Christo nato, & in cunis vagiente propter nos, vt indicaret iam tunc Christum peccata nostra accipere, proque illis satisfacere, quoad expleret opus per crucis Baptismum desideratum: Lucas autem à Christo tricenario, & baptizato exorditur, nempe quia non reducimur ad Deum, nisi per Baptismum sanguinis sui.

VI. Ratio. *Luc.3.*

Sextò, terminat Matthæus genealogiam in *Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.* Lucas verò ab eo exordium sumit. *Erat*, inquit, *Iesus annorum triginta, vt putabatur filius Ioseph.* Et ratio Lucæ est, vt colligas, non solùm non fuisse verum patrem Christi secundùm carnem, verùm etiam ipsum fuisse Christi filium secundùm spiritum, vt cum cæteris renatus ad Deum reduceretur. In quo Christi meritum etiam insinuatur, ad nostram superbiam deprimendam, qui cùm esset verus filius Dei, tulit putari filius hominis, & filius fabri, ac quasi peccator cum cæteris; cùm tamen patri nostro Adæ non fuerit satis, filium Dei fuisse, & in sapientia multa conditum, sed adhuc maiora & sublimiora ambiuerit, atque affectauerit. At contra Matthæus, in Ioseph terminat virum Mariæ, vt & Virginis humilitas, & meritum significaretur: nam & ipsa haberi se subiectam viro etiam in opere carnis, quasi vnam è damnatione Euæ, modestissimè tulit, cùm reuera filij nomine, gratiæ dono excellenti esset præseruata.

Christi exemplum humilitatis. *Eccles.17.* *Gen.3.*

VII. ratio. *Gen.12.*

Septimò, Matthęus facit stipitem Abraham, quia primus, cui promissum hoc semen propter fidem, & vsque ad Christum venit, quòd sola fide peruenitur ad Christum salutem nostram. Lucas facit stipitem Iesum, vt omnes in se recipiens, quasi pater & Pontifex eueheat ad Deum.

VIII. ratio. *Matth.1.* *Gen.3.*

Octauò, Matthæus Christo Mariam adiungit, vt segregatam à linea peccatorum, in quam peccata nostra etiam recidisse, aliquo modo potest dici, vt ipsa reijceret omnia crimina in filium, qui solus ab illis saluare poterat: vt sicut fructum illum dulcem prima Eua comedit, & dedit viro suo in mundi exitium: ita hunc amarum fructum secunda mulier propinaret secundo Adæ, vnde mundi sequeretur instauratio. Lucas verò de Virgine nihil dixit, quoniam ad Adam reducebat generationes, vt hinc sumeret rationem mysterij, quòd ipsa non pertineret ad Adam, quæ singulari munere esset à filio suo præseruata.

IX. ratio. *Gen.2.*

Nonò, Matthæus ab Abraham incœpit, ob tres quaterdenas conficiendas, licet satis esset à Dauide exordiri: Lucas verò ab Adam nouo ad Adam veterem ascendit: quia omnia ex ordine tradere est pollicit', tametsi satis fuisset ad Noe peruenire, ibi sistendo. Vel sanè difficilis creditu erat natiuitas Christi, si absq; semine fuisset homo factus. Volens ergò Euangelista ostendere, quòd & alius sine semine sit homo factus, ascẽdit ad Adam, & ad Deum, vt non miremur secundùm Adam nullo semine factum, cùm idem acciderit & primo Adæ.

X. ratio.

Decimò, Matthæus ponit statum in Abraham, at Lucas in Deo: nam Matthæus instituit generationem secundùm carnem, Christus autem minimè est filius Dei secũdùm carnem. Lucas verò in Deo, quia nos sumus filij Dei adoptiui.

XI. ratio.

Vndecimò, Matthæus multos Reges nominat temporales & carnales, at Lucas vnũ tantũ regẽ Dauid, qui typus est veri & spiritualis regni Christi ex verbo Prophetæ;

Isai. 9. Luc. 1.

Super solium David, & super regnum eius sedebit: & ex sententia Angeli: *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius.*

XII. ratio.

Duodecimò, circa numerum generationum aduerte apud Matthæum inueniri ter quatuordecim generationes, in Luca septuaginta duas; & à Dauid vsq; ad Christum in Luca sunt quadraginta duæ, at in Matth. vigintioĉto. Siquidem iuxta consuetudinem coniugij, aut legem Moysi, pauciores personæ recitatæ in genealogia Matthæi longæuam vitam transigere potuerunt, plures autem apud Lucam immatura morte decesserunt. Est quę hæc ratio è litera ducta: quia cùm Matthæi mens sit probare Christum esse filium Dauid & Abrahæ, à quo ad Christum generationes sunt quadraginta duæ, omissis tribus illis Regibus, qui ex caussa supprimuntur; ideò non poterat plures ponere, vel pauciores: Lucas verò proponens plenissimam Christi generationem texere, necessario debuit ipsam ad Adam, & ad Deum vsque deducere: neque sunt nisi septem & septuaginta, & si fuissent plures vel pauciores, id est, centum vel quinquaginta, totidem posuisset: & tūc nos inquireremus rationes mysticas numeri alterius cuiuscunq;. Existunt ergò in Matthæo 42. generationes; etsi Augustinus lib. 2. de consensu Euangelist. cap. 4. excluso Christo, & Iechonia, qui censetur in secūda tesseradecade, dicat esse quadraginta: qua in re apertè loqui videtur contra Matthæum, qui ait, iustas ac plenas fuisse tres quaterdenas, nimirum quadraginta duas.

August. lo. 4.

Quaterdenarij Sacramentum numeri.

Per hunc autem numerum pulchra mysteria repræsentantur: numero enim quatuor elementorum vita nostra, quæ in decem mandatorum Dei per quatuor Euangelia perfectorum obseruatione consistit, significatur: duo verò significant, quòd in duobus præceptis charitatis in Deum scilicet, & in proximum tota lex & Prophetę cum Euangelio consummantur, quodque à solis Christo & Maria perfectè implenda sunt propter nos. At in genealogia Lucæ excepto Deo & Christo, per Septuaginta, Spiritum sanctū intellige perfectè nos adoptantem, & clamantem Abba pater, perfectamque nobis requiem donantem. Etenim in septem diebus omnia consummata sunt. Additur quinarius, vel propter Christi vulnera quinque, quibus nos regenerati sumus: vel numerus quaternarius vitam hanc laboriosam & ærumnosam ad umbrat; vnum verò vitam futuram indiuisam, de qua Propheta: *Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini, &c.* Christus etiam: *Porrò vnum est necessarium: Maria optimam partem elegit, &c.* Vel si annumeremus Deum & Christum, numeremus septuaginta, perfectam peccati dimissionem significat, ex verbis Domini ad Petrum: *Non dico tibi vsq; septies; sed vsque septuagies septies* Est namq; infinita dimissio per Christum Sacerdotem ac Deum infinitę transgressionis nostræ per septuagesimum septimum numerū significatæ. Vnde Genes. 4. *De Lamech* (scilicet vltio dabitur.) *septuagies septies*: qui numerus insurgit ex ductu 7. in 11. nam septies vndecim efficiunt 77. per 11. verò transgressio decalogi denotatur. Hæc autem pulchrè explicat B. Augustin. lib. 2. de quæst. Euangel. cap. 6. *Vndecim, inquit, transgressionem denarij significant: at si in denario perfectio beatitudinis significatur, vnde est etiam illud, quòd omnes conducti ad vineam, denario remunerantur, quod fit, cùm septenaria creatura Trinitati creatoris adiungitur: manifestum est quòd transgressio denarij peccatum significat per superbiam plus aliquid habere cupientis, & integritatem perfectionemque amittentis. Hoc autem septies propterea ducitur, vt motu hominis facta significetur illa trāsgressio: ternario enim numero incorporea pars hominis significatur. Vnde est quòd ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente iubemur diligere Deum, &c.*

Exod. 20. & seq. Matth. 22. Rom. 13.

Numerus Septuagenarius quid mysterij contineat. Gen 2. Rom. 8. & Gal. 4. Quinarij, Quaternarij ve numeri mysterium.

Psal. 26.

Luc. 10. Quid item Septuaginta per septē Lucæ generationes insinuent. Matth. 18.

Gen. 4.

August. lo. 4.

Matth. 22.

XIII. ratio discriminis genealogiarum Matthæi atq; Lucæ.

Decimotertiò, Matthæus quadraginta duas ponit generationes; hic autem numerus surgit ex numero septies septiē ducto, in quo præsentis status temporis designatur: & quadraginta duæ sunt mansiones filiorum Israel, Numeror. 33. quas pulchrè beatus Hieronymus in epistola ad Fabiolam explicat. Vita autem præsens varios ac diuersos status habet, quemadmodum genealogia Matthæi Iudices, Reges & Pōtifices: Lucas verò non secat, vti Matthęus, genealogiam suam; siquidem in beatitudine, vbi omninò perfecta est peccati dimissio, omnis statuum cessabit diuersitas, & euacuabitur omnis potestas & principatus, vt Apostolus ait, & omnes erunt beati sicut Angeli Dei. Quidam tamen sunt parum periti diuinorum mysteriorum, cumque sint ipsi phantastici, putant has de numero rationes esse phantasmata: vel quia non intelligunt: vel quia non degustant: cùm tamen sacræ Scripturæ plerunque & patres Orthodoxi magna in his numeris asserant Sacramenta delitescere. Ex quo vel hic ipse Matthæus se procurasse trium numerū quaterdenarum (omissis quibusdam) apertè ostendit.

D. Hieron. epist. 127. to. 3.

1. Cor. 15.

Matth. 22. Luc. 20. In eos qui genealogiarum Christi de numero rationes aiunt esse phantasmata.

XIV. ratio.

Decimoquartò, Matthæi generatio recta est, Lucæ verò per circulum, quia à Deo incipit,

Luc. 3.
Gen. 28.

incipit, & item in Deo desinit: & sicut Adam dicitur filius Dei nō propriè, sed quia ex Deo fact⁹ est de limo terræ quasi ex matre: ita Ioseph dicitur filius Heli non propriè & naturaliter, sed per viam legis & seriem genealogiæ ad Adam vsque perduxit, vt intelligamus ad Adamum quoque pertinuisse redemptionem, cui facta fuerat amplior promissio, Gen. 3. & Sapien. 11. traditur Adam à delicto suo erutus & redēptus per sapientiam. Ex Ruperti sententia igitur B. Mattheus describit genealogiam rectam ab Abraham ad Christum, quæ quasi longa est piscatoris linea, vel arundo, cui ferreus hamus subligatus est, nimirū deitas: qui quidem hamus carne tegitur, nempe vt piscis edulio prouocatus seipsum ferro strangulet. Ad hunc modum dæmon homicida ab initio, carnem Christi appetiuit, & ferro deitatis captus est, ac foras extractus, iuxta illud: *Nunc princeps huius mundi eÿcitur foras:* de qua mystico in sensu ait Iob 40. cap. *An extrahere poteris Leuiathan hamo, & fune ligabis linguam eius?* Illa verò Lucę genealogia, quę à Iesu tendit in Deū, quasi circulus est, quoniam Christus Deus est & homo. Hic ergò circulus siue annulus, siue armilla est, de qua mysticè etiam ibidem inquit: *Nunquid ponet circulum in naribus eius?* (vt fatuus scilicet ostentetur vbique) *aut armilla perforabis maxillam eius?* Maxillam vocat, vt quod auidè momorderat, retinere non valens, remittat per foramen ab armilla confectum. Est præterea Matthæi genealogia scala à Iacob in somnis visa, stans super terram, & cacumen illius tāgens cœlum: & Dominus innitebatur scalæ, Genes. 28. Huius scalæ duo latera sunt, Abraham, & Dauid parentes Christi, quibus sub iuramento à Deo promissus fuit: reliqui gradus sunt generationes aliorum. Supremus, cui Dominus innixus est gradus, Ioseph vir Mariæ est, cui Dominus nititur, vt pupillus tutori, vt nutrici infantulus. Ad pedem huius scalæ dormit Iacob, quia Patres de promissione Abrahæ facta securi quiescebant. Angeli ascendunt, ac descendunt per hanc scalam. Cùm enim cognoscimus Christum Deum, ascendimus: cùm cognoscimus hominem paulò minoratum ab Angelis, vt loquitur scriptura, egentemque ministerio & consolatione Angelorum, descendimus. Nostrum ergò est, per imitationem virtutum, quibus patres nostri & maiores excelluerunt; ascendere, & per agnitionem criminum atq; defectuum, in quos parentes prolapsi sunt, per humilitatem descendere: considerantes, nullum esse flagitium ab alio

Rupert. Tuit.

Qualis Matthæi, qualis verò Lucæ genealogia Saluatoris.
Ioan. 8.
Infrà 21.
Iob 40.

Matthæi quoque genealogiæ elegans, sanè in scala Iacob delineatio
Gen. 28.

Supra 21.
2. Reg. 27.
Psal. 88.
Matth. 1.
Luc. 1.

Psal. 8.
Luc. 22.
Matth. 4.
Vtriusque patres genealogiæ, ascendentes, scilicet & descendentes, nobis quomodo imitandi.
Gen. 3.

quolibet admissum, in quod nos non possimus facilè prolabi, nisi Deus impediret. Atque hæc sunt, quæ mihi de differentia inter vtramque genealogiam occurrerunt.

Ad completam Matthæi genealogiam intelligendam, nodus alius dissoluendus nobis succurrit: Cur scilicet B. Matthæus texuerit genealogiam Ioseph, qui Christi non fuerit verus pater, sed tantùm putatiuus? Et cur non potius B. Virginis ac parentum eius genealogiam siue progeniem posuerit, cùm ex Virgine Christus genitus sit secundùm carnem? Quidque etiam est in caussa, cur parentes B. Virginis nullum Euangeliū, vel sacra Scriptura, maximè hoc loco vbi texebatur Christi genealogia, prodiderit?

Cur Ioseph, non Matris veræ Christi genetricis Matthæus genealogias texuerit.

Respondet B. Chrysostomus ex Patrum atque insignium virorum traditione, nempe Matthæum conatum fuisse Iudæis ostendere, Christum esse de semine Dauid atque Abrahæ, quemadmodum Prophetæ prædixerant. Nam si dixisset Euangelista conceptum de Spiritu sancto, & natum de Virgine, haud constaret, quomodo esse posset ex semine Dauid. Imò putassent Iudæi Christum de adulterio natum, cùm nondū esset tempus propalandi Sacramentum incarnationis in Virgine peractum. Ideò ait, Matthæum voluisse innuere eis, Christum esse filium Ioseph, ac per consequens ex semine Dauid. Sed certè hic si animus Euangelistæ fuisset, falsum in primis asserere videretur, cùm Christus nō sit filius Ioseph. Et quanquā faceret ad probandum, Christum esse de semine Dauid; non debuit tamen illud per falsum innuere, quia verum nequit probari ex falso probatione recta, sicut nec facienda sunt mala, vt inde veniāt bona.

1. solutio.
Chrysost. ho. 3. in Matt. to. 2. in princ.

Refellitur multis argumētis.

Rom. 3.

Deinde, Nihil proderat ostēdere, Christum esse filium Ioseph, cùm immediatè subdat: *Antequam conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto:* quod si tacuisset, credi poterat, voluisse Euangelistam insinuare, quòd Christus esset filius Ioseph quoniam tamē mox expresit oppositum, non potest illud affirmari.

II. argum.
Matth. 1.

Item, expresè demonstrat Matthæus, Christum non solùm non esse filium Ioseph, sed etiam ad eum non pertinere: nam cùm de alijs omnibus dixisset: *Nathan autem genuit Iacob, Iacob autem genuit Ioseph:* De Christo nō dixit, Ioseph genuit Iesum, sed dixit, virum Mariæ, quasi dicat: virum Matris, & non patrem Christi. Et, *De qua natus est:* non, de quo Ioseph. Quod si velis scire, quomodo Christus de illa sit natus,

III. argum.

subdidit

ſubdidit Matthæus: *Chriſti autem generatio ſic erat.*

IV. Argum. Præterea, hoc locum haberet in Matth. narrante prius genealogiam Chriſti, quàm eius conceptionem de Spiritu ſancto: ſed in Luca non haberet: nam prius Lucæ c.1. dicitur, conceptus de Spiritu S. & cap.3. deſcribitur genealogia per Ioſeph, ſicut apud Matthæum: & tamen Lucas non poterat hoc intendere, cùm prius dixiſſet contrarium: & maximè quòd in principio genealogiæ ait: *Vt putabatur filius Ioſeph,* indicans illis verbis hanc eſſe vulgi opinionem, minimè tamen veram.

Luc.1. & fra 3. & ſeq.

V. & vltim. Poſtremò, id facilè perſuaderi poſſet, ſi Euangelium Iudæis incredulis fuiſſet conſcriptum, quibus primò conſtare debuerat eum eſſe de ſemine Dauid, poſito quòd ſit filius Ioſeph, & tamen Matthæus non ſcripſit, niſi Iudæis iam credentibus, eaque de ipſo tenentibus, quę de eo credenda erant, ne memoria exciderent, quæ fide fuerant complexi, vt Hieronymus in Prologo docet ſuper Matthęum. Fidelibus autem haud oportebat Chriſtum innui eſſe filium Ioſeph, cùm ipſi eum crederent de Spiritu S. natum, & conceptum de Virgine.

Hieron. to. 9. in princ.

I. ſolutio communis. Alia ergò, ſecunda ſententia & communis eſt, propterea genealogiam Mariæ virginis prætermiſſam, quòd non ſit conſuetudo ſcripturarum texere genealogias mulierum, vt Hieronymus ſuper Matthæum docet, & Ambroſius Lucæ 3. fere initio ſic ait: *Dubitare poſſemus; niſi conſuetudo nos inſtrueret ſcripturarum, quæ ſemper viri originem quærit.* Idem docet Auguſtinus, Damaſcenus lib.4.cap.15. & Theophylactus, atque alij, qui omnes communi conſenſu tradũt, quòd ſi Ioſeph probetur de tribu Iuda, & familia Dauid, illud conſequi, & virginem eiuſdem eſſe tribus & familiæ, iuxta legem Numer.36. Erat autem B. Virgo hæres vnica parentum ſuorum. Accedit ad hoc, quòd vt de vna ſtirpe geniti deſcripti ſunt, Luc.2.

Ambroſ. to.5. Auguſt. lib.1. de conſenſ. Euang. ſub init. Ioan. Damaſ. Theophyl. Num.36. Luc.2.

I. pars illius ſolutionis aſſerens nõ ſolere ſcripturas genealogias texere mulierum, quadrupliciter impugnatur. Exiſtunt autem in hac ſententia tria dicta, quorum primum eſt, moris non eſſe genealogias texi mulierum. Contra quod quod facit; Primum, quia Saruia filia Ieſſæ genuit Abiſai, Ioab, & Azaelẽ, 1. Paralip.2. quod eſt texere fęminæ genealogiam. Deinde etſi non ſit conſuetum texere per fœminas, minus eſt conſuetum texere per virum, qui non eſt pater prolis. Item, quia cùm ſingularis cõceptus hic eſſet, non mirum ſi ſingulari genealogia eſſet per Mariam deſcribendus. Adhæc, quoniam per viros potuiſſet deduci genealogia ad Ioachim vſq; patrem virginis: nam etſi vtrũque eſſet inſolens, tam per virum matris, quàm per patrẽ matris, minus tamen recta videbatur per virum, quàm per patrẽ matris. Poſtremò, hæc per virũ Ioſeph inſueta eſt, quia genealogia nomen à fine accipit, non à principio, vt omnes aliæ in ſcripturis: dicitur enim, hæ ſunt generationes Abraham: hę generationes Eſau, vel generationes Iacob; & Ruth cap.4. vbi præcipuè traditur genealogia Dauid, ita incipit: *Hæ ſunt generationes Phares, &c.* & tandem terminantur in Dauid. Atque hæc ſunt, quæ occurrunt contra primum dictum.

1. Paral.2. Ruth. vlt.

II. pars ſolutionis, Ioſeph & Mariã tradens eiuſdem tribus ex lege fuiſſe, tripliciter confutatur. Contra ſecundum verò, quòd Maria & Ioſeph eſſent ex lege eiuſdem tribus, nonnulla occurrunt. Et primum quòd lex illa Numeror.36. tantùm præcipit, vt fœminę viros de ſua tribu accipiant, & non præcipit, vt de eadem familia vel domo. Ratio enim legis id videtur euincere, vt ſuæ tribus hominibus mulieres nubant, quibus voluerint, ne poſſeſſiones filiorum Iſrael de tribu in tribum deuoluantur: poſtea verò, etſi familiam nominet, intelligit tamen tribum: quoniam ſubdit, quòd nupſerunt filijs patrui ſui de familia, id eſt, de tribu Manaſſe: & cognatio ſæpè ſignificat tribum. Vnde Numerorum 1. Principes cognationum, id eſt, tribuum, appellantur.

Cognatio pro tribu more ſcripturæ. Adhæc, inconueniens non erat, hæreditates tranſire de familia in familiam; alià idem etiam propoſuiſſent filiæ Salphaath, quod non fecerunt, ſed tantummodò de translatione tribus in tribum mentionem fecerunt.

Filię Salphaath cur filij patrui ſui nupſerint. Præterea, lex parum vtilis eſſet, ſi tantùm de familia ſua mulier deberet virum accipere: nam interdum familia tota extinguitur, non autem tota tribus. Quod verò filiæ Salphaath nupſerint filijs patris ſui, id caſu accidit, neque vlla neceſſitate cogente: nam poterant aliunde accipere, quàm de familia, quemadmodum Epiſcopus Abulenſis, & Paulus Epiſcopus Burgenſis egregij ſcripturarum interpretes, illo loco docent. Ex quibus colligitur, Beatam Virginem fuiſſe quidem eiuſdem tribus cum Ioſeph, non tamen euinci, fuiſſe familiæ eiuſdem.

Num. vlt. Alfonſ. Toſt. qu. 28 in c.1. Matth. Paul. Burg.

Vnde conſtat, olim fœminas de aliena etiã tribu viros accepiſſe. Secundò contra hoc eſt, quòd illa lex quocunque modo intellecta, non ſeruabatur: nam Aaron accepit vxorem Eliſabetham filiam Aminadab principis Iuda, vt habetur Exod.6. Item Ioiada Pontifex accepit vxorem Ioſabetham filiam Regis Ioram de Iuda, 4. Regum 2. vbi vides hic admiſceri inter ſe tribus. Quãquam autem dici poſſet, quod Leuitæ, viri vel fœminæ.

Exod.6. 4. Reg.2.

quia

quia non habebant hæreditates, aut sortes terræ, ex Iosue, capite 13. & Numer. 18. propterea poterant omnes aliæ tribus vxores de Leuiticis accipere: & contrà, viri Leuitæ poterāt accipere vxores de alijs tribubus, modò non succederét vxores in bonis immobilibus ac fixis, parentibus suis; secus si succederent, vt habes Numer. 27. quia sic non fiebat vlla deuolutio possessionum ex vna in aliam tribum: quæ est huius edicti ratio omnimodis absoluta, quæ solet esse velut anima & vita legis. Tamen quid dici possit ad hoc, quòd Michol filiam Saulis de tribu Beniamin, accepit Dauid in vxorem; & vndecim tribus dederunt filias suas in vxores Beniamitis, ne tribus Beniamin omninò extingueretur: & Dauid accepit vxorem filiam Gessuri: & Mahalon, & Chelion, Orphan, & Ruth Moabitidas, & Booz ipsam Ruth: & Iudæis in bello licebat accipere quam vellent vxorem, Deuteronom. 21.

Hæc promiscua tribuum connubia, quando illicita. Num. 27. 1. Reg. 18. 2. Reg. 3. Iudic. vlt. 1. Paral. 3. Ruth 3. & seq.

Contra tertium dictum: quòd Ioseph & Maria simul cēsiti & professi sunt, illud est, quod historia Scholastica refert, non esse consuetudinem vt mulieres profiterétur, sed viri tantummodò, neque omnes viri, sed capita tantùm domorum & familiarum, vt constat ex solutione drachmatis, Matth. 17. quæ pro Christo & Petro tantummodò, non autem pro alijs Apostolis facta est. Et licet daremus fœminas professionis lege teneri, tamé non sequeretur, Mariam fuisse de familia Dauid: siquidem fieri poterat, vt descenderet non ex Dauide, sed ex vno reliquorum sex fratrum Dauidis, & filiorum Isai, quorum filij profitebantur, & ipsi in Bethlehem. Vides igitur quot arietibus impetere conati simus communem illam & peruulgatam sententiam, nō ob aliud equidem, nisi vt illustrior magisque perspicua veritas reddatur.

III. pars solutionis, Ioseph & Mariam affirmans simul fuisse censitos, reijcitur. Luc. 3. Histor. schol. cap. 4. Matth. 17. 1. Reg. 16.

Dicendum ergò Messiam futurum filiū Dauid, vt omnes Prophetæ cecinerunt. Cùm igitur Ioseph suffectus esset à Deo in Christi patrem: in omnibus alijs officijs, præter actum generationis, & ad tempus existimādus erat à cunctis mysterium partus virginei nescientibus, verus & naturalis Christi pater, non vt innueret, sic enim falsum innueret, per eum texenda fuit genealogia, non autem per Ioachim patrem Virginis, duabus de caussis.

III. solutio, ceteris probabilior.

Inprimis, quia, vt rectè Hieronymus dixit, non est consuetudinis scripturarum, per fœminas texere genealogiam, sed per mares. Cuius dicti non est sensus, quòd in genealogijs non nominentur fęminæ, cùm alibi sæpius enumerentur, & hic præsertim Thamar, Rahab, Ruth, & Bersabæa nominentur: sed verus intellectus illius sententiæ est, in describenda progenie alicuius non esse curandos parentes fœminarum: nam sic non esset genealogia, quæ non enarraret parentes generantes secundùm principia actiua: sed maximè enumerandi sunt parentes secundùm lineam masculinam, quorum est per actionem generare: ita texitur genealogia Iudithæ, Iudith 8. & aliarum fœminarum, sed per parentes masculos. Ideò genealogia Ioannis Baptistæ non censeretur, quæ texeret parentes Elisabethæ matris eius, & non Zachariæ, sed reuera quæ describeret parentes Zacharię: nec Christi genealogia esset, parentes Mariæ assignare, etiam si Christus ortus sit ex Maria, in qua non fuit principium generationis actiuæ.

I. ratio pro illa sententia. Hierony. in Matt. c. 1. to. 9 in princ. Qui verum sit dictum Hiero. Non est consuetudinis scripturarum per fœminas texere genealogias, sed per mares. Luc. 1.

Confirmatur etiam hæc ratio, quod fœminarum non sit texenda genealogia: nam fœmina antequam nubat, patris est: postquam verò nupsit, mariti est, & proinde etiam suæ tribus: quia etsi fœmina sit pars cōgregationis naturalis ad generationem necessaria; & pars congregationis œconomicæ ad officia domestica: non est tamen pars congregationis politicæ, nisi ex accidenti, in quātum mater virorum efficitur. Ideò mulieres non numerantur, Exod. 12. *Sexcenta*, inquit, *millia peditum absque paruulis, & mulieribus*: nec numerantur, Num. 1. & 6. nec 2. Reg. 24. nec Ioan. 6. & Marc. 8. Deinde opponi posset, opus fuisse præter illam genealogiam Ioachim, describere alterā per Ioseph, vt Iudæis, ac humanæ consuetudini satisfaceret.

II. ratio. Exod. 12. 2. Reg. 24. Ioan. 6. Marc. 8.

Ex his itaque perspicuum euadit, non esse Matthæi propositum, aut mentem, Christum ostendere filium Dauid, ex vi solius genealogiæ. Primùm quidem, quia non euincitur, Mariam esse de familia Dauid, cùm duci solitæ essent vxores de alijs tribubus, vel saltem de alijs familijs in eadem tribu. Deinde, quoniam id satis constabat apud omnes, quòd de Iuda ortus esset Dominus, vt significatur Hebræorum septimo. Et quod vicit Leo de tribu Iuda, Apocalypseos quinto. Et quod esset semen, & filius Dauid secundùm carnem. Vnde vel alienigenæ ipsum filium Dauid vocabant, vltra Iudæos, qui vel inuiti id fateri cogebantur. Hinc Chananæa clamauit: *Fili Dauid, miserere mei.* Ad hæc, quia credentibus & fidelibus id satis declarauit, dicendo: *Liber generationis Iesu Christi, filij Dauid, &c.* Generationis, inquit, non adoptionis, vel communis famę: non enim est in Scripturis vllum admittendum

III. ratio Quòd Matt. consilium nō sit, Christum filium Dauid ostendere ex vi solius genealogiæ. Heb. 7. Apoc. 5. Matth. 15.

tendum

tendum mendacium. At Iudæis incredulis tota extensa genealogia nō sufficeret: tametsi enim illam reciperent vsque ad Zorobabel, cæteras generationes, vt suspectas, reijcerent, cùm instrumenta, testes ac scribæ interdum deprehendantur errasse, sitq; calumniæ, quæ per illos probantur, exposita. Veram siquidem generationem filij (quæ à remotis parentibus traditur) à nemine circa errorē cognosci posse, nisi per diuinam patefactionem, vt certum accipimus: nam vix pater certò agnoscit suū esse filium, mater autem certiùs cognoscit, nō tamen habet omninò perfectam notitiam de viro, cuius filius sit, siquidem publica fama in huiuscemodi rebus fallere potest: multi enim habentur alicuius filij, qui reuera eius non sunt, succedunt tamen in bonis fortunæ, atque nobilitate.

Quid hæc genealogiæ Christi descriptio fidelibus conferat.

II. Vtilitas.

Iuuat insuper hæc genealogia tam latè porrecta & extensa ad consolandum fideles, & ad instruendum eos, vt sciāt, qui sint illi, per quos Christus descenderit, & quis ille, qui fuerit Christi pater æstimatus, & ad tempus vocatus, & de quo scriptum est: *Nonne hic est fabri filius?* Et iterum: *Non cognouerunt parentes eius.* Rursus: *Ecce ego & pater tuus dolentes quærebamus te.* Rursus etiam: *Quem scripsit Moyses in lege, & Prophetæ, inuenimus Iesum filium Ioseph à Nazareth.* Cognitio fidelium namque ab imperfecto statu ad perfectum progreditur, prius quidem sub ratione filij Dauid & Saluatoris, posteà verò sub ratione Dei.

Matth.13. Luc.2. Ibidem. Ioan.1.

III. Vtilitas.

Valet hæc quoq; genealogia plurimum ad conuincendū infideles & Iudæos, quandoquidem nisi ex cōmuni fama & æstimatione Iesus fuisset ostensus filius Dauidis (etiamsi aliàs esset naturalis filius eius habitus) non fuissent Iudæi redditi inexcusabiles non recipiendo Iesum in Messiam, cùm illa esset ex primis & notissimis Messiæ conditionibus, & olim per Prophetas explicata: at illo posito probatoque, excusationem non habent de peccato suo.

Ioan.15.

IV. Vtilitas.

Item, hęc genealogia conuincebat æquè homines temporis illius, ac nostri: illius quidem, quoniam genealogia ponit Mariā fuisse de tribu Iuda, & de familia Dauid; quod Iudæi non ignorabant, qui nouerant Ioachim parētem Virginis Bethleemitam esse, & de familia Dauidis: neque ignorabant, Mariam esse eiusdē familiæ cum Ioseph, quodque patruelis esset soror eius, quàm vt propinquiorem acceperat de more: nouerāt etiam ob id quòd de eadem essent familia, simul censitos fuisse in Bethleem. Hinc Hieronym. lib. 1. in Heluidium ait: *Si cui* (inquit) *scrupulus commouetur, quare desponsata, & non potius sine sponso, siue vt scriptura appellat, marito, virgo conceperit; sciat triplicem fuisse rationem. Primò, vt per genealogiā Ioseph, cui Maria cognata erat, origo quoq; Mariæ monstraretur:* & reliqua. Sic ille. Ad hæc, etsi illi, qui erant tempore Matthæi, scirent Ioachim & Ioseph, hoc est, patrem & virum Marię; non tamen cognoscebāt progeniem cuiuslibet vsque ad Dauid, vel Abraham; ideò vtiliter extensa fuit hæc genealogia. Homines prætereà nostri temporis dupliciter conuincit hęc genealogia: nam cùm dicatur Christus filius Dauid; necessarium est, Mariam, de qua sola venit Christus, esse etiā de familia Dauid. Quare Augustinus libr. 2. contra Faustum Manichæum rectè scribit: *Nos ergò credimus,* inquit, *etiam Mariam fuisse in cognatione Dauid, quia scripturis eis credimus, quæ vtrumque dicūt, & Christum ex semine Dauid secūdùm carnem, & eius matrem Mariam non cum viro concubendo, sed virginem.* Deinde, etsi nobis directò non constet, patrem & virum Mariæ eiusdem esse cognationis & familiæ, quemadmodū illis, qui Christi tempore fuerunt, constitit: probatione tamen indirecta illud intelligere possumus. Etenim cùm ad probandum Christum filium esse Dauidis hęc genealogia sit edita eo tempore, quo permulti sciebant veritatem, & poterant repugnare, & omnino repugnassent, si falsum dixisset Euangelista (cùm Christus omni tempore multos capitales hostes habuerit) sequitur, cùm non restiterint vel contradixerint, sed acceptauerint, reuera verissimum esse, Christum filium esse Dauidis. Vnde si infideles, vel hæretici modò negarent, Iesum verū esse Messiam, ob id quod nō sit de semine Dauid, nos efficacius illos per hanc genealogiam euinceremus: quam vt veram, & libris publicis genealogiarum conformem, Iudæi non potuerunt non acceptare, vt doctè ratiocinantur Burgensis, & Abulensis Episcopi. Et hæc satis de hac quæstione.

Luc.1. & Infrà 2.

Hieron. sub init. tom. 2. in princ.

V. Vtilitas genealogiæ Saluatoris.

VI. vbi & duplic. ratione ostendatur Mariam ... de familia Dauid; & proinde etiã Christum esse filium Dauid.

S. Aug. lib. 23. cont. Faust. c. 9. in prin.

II. ratio.

Burgens. Abulens. q... in c. Matth.

Ad posteriorem verò dubitationis propositæ partem, cur scilicet neque Euangelium, neque vlla diuina scriptura Virginis parentes prodat, vllove in loco mētionem faciat, mirari meritò possumus; maximè cū aliorum inferiorum hominū in sacris voluminibus parentes explicentur: siquidem Ioānis Baptistæ enarratur pater Zacharias, mater Elisabetha; Petri, & Andreæ parens Ioannes; Iacobi & Ioannis pater Zebedęus, & mater Salome, & aliorum trium Apostolorum mater Maria Cleophe, pater verò Alphæus; atque alij permulti sunt, quorum parentes recensentur. Prætereà, cùm Ioachim,

Quare ob... sus Ma... ginis pa... in Euang... nom... fuerint.

Luc.1. Ioan 1. Matth. 4. Infrà 10. Luc.6. & alibi.

Ioachim, & Anna [illegible] præ[illegible], [illegible] erant [illegible], quorum nomina in sacra [illegible] scriberentur, si non [illegible] filiam in gloriam & [illegible] beatæ Virginis matris Christi, qui arcanum Dei [illegible], & sacrarium sancti Spiritus digni fuerunt generare. Ad hæc, id videtur [illegible] studiosè factum, [illegible] nomina penitus supprimerentur, [illegible] præcipuè illa [illegible] opus erat; [illegible] dum est [illegible], ad honorem beatæ Virginis [illegible] pertinuisse: nam si hoc aliquo modo ad gloriam eius spectasset, [illegible]. Imo quod fuerint [illegible] parentes, id maiorem eiusdem Virginis honorem ac decus spectat, si quis [illegible] literarum [illegible] color, & [illegible]. [illegible] quinam est honor iste? [illegible] virginem Mariam sub [illegible] conceptam, eo maxime [illegible] argumento, quod ex viri semine, [illegible], processit: qui vero [illegible] illo [illegible], illud maxime [illegible] quid fuerit mater [illegible] Christi, [illegible] generationis [illegible] scilicet præseruationis [illegible] promereretur. Vt [illegible] Spiritus sanctus [illegible] illam alienam [illegible] crimine, cum parentes subtici[illegible], [illegible] eam non fuisse à Deo respectã, vel [illegible] respiciendam tanquam filiam [illegible] peccato eius comprehensam, sed [illegible] Iesu Christi clamoso quodam [illegible]. Noli prudens scripturarū [illegible], & [illegible] patrem vel matrem virginis quærere, ne forte vnicam, [illegible], tu tamen [illegible], datam peccato putes. Considera partum & fructum eius, id est, Iesum, propter quem [illegible] ab omni pro[illegible] [illegible] immunem agnosces. Sic enim Melchisedech, *Hebr. 7. sine patre, & matre, &* [illegible] introducitur [illegible] habuerit, quos tamen scriptura [illegible] Christum, qui [illegible] genealogia est, secundum [illegible] significaret. Ob id [illegible] Mariæ parentes, ne perpetuæ gratiæ puritati eius derogaretur. Atque ob eam [illegible] genealogia in Ioseph, & Maria cum Iesu [illegible] ponitur, quod [illegible] delicto Adæ geniti, vt redimendi à Christo ponuntur; Maria verò cum redemptore [illegible], tanquam ea quæ singulari Christi gratia & munere in redemptione mundi [illegible] debebat, & [illegible]. Hinc [illegible] dixit: [illegible] *Christi [illegible] Cum esset desponsata, &c.* Quasi dicat: [illegible] hanc [illegible], & immaculatam.

est, & [illegible] operá [illegible], tanquam ad hanc generationem [illegible] nihil attineant superiores personæ, [illegible] Christi patres dicerentur secundum [illegible] generationis [illegible], sed solum secundum carnem propter Mariam eorum filiam. Atque ad eandem rationem Lucas quia ascendit ad Adam, non meminit B. Virginis, ne quoquo modo filius eius à nobis existimetur. Hæc sunt, quæ à magno quodam viro accepi circa silentium parentum B. Virginis, quæ mihi mirificè placuerunt, atque ideo huic loco inserenda meritò esse duxi.

Rursus alij serio interrogãt, quinam parentes extiterint B. Virginis? Respondent hæretici Centuriatores centu. 1. ca. 10. Qui fuerint Mariæ parentes certum non est, quia disertè in sacris literis expressum non legimus. Et Pomeranus in cap. 44. Hieremiæ ambigit, qui fuerint parentes Virginis. Sed familiare est, & leuissimum argumentandi genus apud Hæreticos ab eo, quod non est expressum, argumentari, quasi ex scripturis omnia peti possint. Et si duorum hominum testimonium verum est, & recipiendum in iudicio; quanto magis quod per tot Patres omni exceptione maiores acceptum est & decantatum? De Ioachim, & Anna eius sanctissimis, & verissimis parentibus traditionem abunde hoc præstare, exploratum est, etiamsi scriptura non exprimat: quòd sciret Spiritus sanctus hæc à traditione sine scripto esse petenda.

Quod verò Augustinus lib. contra Faustum sic scribit: *Quod de generatione Mariæ Faustus ponit, quod patrem habuerit ex tribu Leui Sacerdotem quendam nomine Ioachim, quia Canonicum non est, non me constringit.* Hic [illegible] Non enim dubitat bonus pater, Ioachim verum esse Virginis parentem: sed illud [illegible] dubium vocabat, an esset de tribu Leui sacerdos &c.: apocryphum librum vocat eum, qui est extra Canonem sacrorum librorum, quanquam nihil vetet in libro etiam propriè apocrypho aliquam veritatem contineri. Vnde Iudas Apostolus citat ex libro apocrypho Enoch veram historiã de corpore Moysis. Sed & alij testes fide digni non desunt, inter quos Damascenus lib. 4. Orthodoxæ fidei: *Ioachim ergo, [illegible] randam, & dignam laude Annam [illegible] uxorem duxit. Sed quemadmodum [illegible] Anna [illegible] facta per votum, & [illegible] Samuelem, hunc in modum & hæc per supplicationem & [illegible] promissionem [illegible] ferre [illegible] posterum habeatur [illegible].* [illegible] parentes [illegible] Ioachim & Annã, [illegible]

Matthæo [illegible] ratio [illegible] pertineat.

Lucas in genealogia sua, [illegible] B. [illegible] fecit mentionem.

Mariæ virginis [illegible] Ioachim, & Annam ostenditur.

Contra Centuriatores.

Deut. 19. [illegible] 14. [illegible] sanctoris [illegible] fuerunt.

August. li. 23. contra Faustũ c. 9. propè [illegible] tom. 6.

Libri Augusti[illegible] apocrypha.

[illegible] constet [illegible] contine[illegible] veritatem. [illegible] 4. [illegible]

[illegible] R g. 1. [illegible]

Annæ Mariæ [illegible] cap. 7.

[illegible] Idem [illegible] probatur exemplis, & [illegible], qui sunt B. Ioachimo, cum B. Anna dicata [illegible] Dei genitricis parentes [illegible] Iacobi [illegible] [illegible] B. Epiphanius [illegible] [illegible]

[illegible] & foeminam natura, [illegible] gloria [illegible] [illegible]

[illegible] Anna, & Ioa[chim] [illegible] *ommi ul [illegible]* [illegible] de Maria in templo [illegible]. *Cum [illegible] Ioachim, ac piae preces [illegible], Anna vero [illegible] implora [illegible]* Idem habet Andreas in [illegible] beatae Virginis, & omnem [illegible] Annam & Ioachim, vt Virginis parentes. Et Sergius Agiopolita, in Canticis [illegible] *Generatur:* inquit, [illegible] *germen, [illegible] proles Annae & Ioachim.* [illegible] quod Bullingerus in [illegible] Lucae, docet Mariam modicis & tenuibus parentibus ortam, & Lutherus in Postilla Euangelij Annunciationis, tradit illam plebeiam, & vilis conditionis, & parentes habuisse [illegible] natos, & non [illegible], quod dici solet de parentibus eius, quod cum essent diuites, & opibus abundarent, in tres partes dispertirent bona sua, nempe in templum, & egenos, & in vsum Mariae. Quae sane omni [illegible] dicta sunt, nulla Scriptura, aut Traditione Patrum, aut ratione solida, sed ex [illegible], & [illegible] contra [illegible] illud: *Quia respexit humilitatem ancillae suae*, [illegible] non [illegible] & Lya, quae Ge-

[illegible] *humilitatem meam*, quod [illegible] Rachel [illegible] *humilitatem meam [illegible] patris mei.*

[illegible] ad genealogiam Lucae [illegible] generatione Cainan [illegible] a Luca [illegible] & [illegible]. [illegible] *Cainan, qui fuit* [illegible] Hebraea [illegible], vbi genealogia [illegible] nulla fit mentio Cainan. [illegible] Caietanum, excusandum [illegible] Lucam, [illegible] Septuaginta [illegible] [illegible] Hebraeo [illegible] [illegible] ritum sanctum, qui [illegible] libeatum Lucam hominem [illegible] deceptum; ac si Scriptura [illegible] diuina authoritate [illegible]. [illegible] tus Lucam [illegible] Hebraea [illegible] non extant, & quod [illegible]. Praeterea dicimus, Lucam [illegible] ignarum: at nunquid hoc Apostoli ignorarunt, qui eius Euangelium primo [illegible] dem legerunt, [illegible] emendarunt? Nonne [illegible] Paulus de Luca comite ipsius [illegible] *in Euangelio per omnes Ecclesias?* [illegible] intelligat, [illegible] re Euangelistas [illegible], & [illegible] in Euangelijs [illegible] Beda [illegible] Actuum Apostolorum [illegible] est valde [illegible] *minor, & propter [illegible] que ad Abraham decem generationes [illegible] Lucas, qui [illegible] generationes [illegible] Septuaginta Interpretes [illegible] Cainan, in Euangelio [illegible]* Sic Beda.

Dicendum ergo est, quod [illegible] in Catalogo generationum Christi [illegible] fit, qui mysterio numeri non [illegible] & Moyses fecit. Vt vero mystico numero septuaginta septem Lucas [illegible] illum [illegible] Cainan [illegible]

[illegible]

Georgius. Ced en[illegible] Anna q[illegible] aetas [illegible] no [illegible] migr[illegible] Epiphan. [illegible] haeresin 78. [illegible]

Germanus Patri. Constantinop. Ibidem.

Ifai. 4[illegible] B. Virgo [illegible] Ibidem. [illegible] Ioachim [illegible] Dan [illegible]

Andreas [illegible] Sergius Agiopolitan.

Isai. 11. B. Virgo [illegible] & honesti [illegible] vindicata.

Luc. 1.

Genes. 29.

[illegible]

Beda [illegible]

termissum: qua ratione etiam Paulus addit quædam de Ioãne & Mambre, qui in sacris literis nusquam inueniuntur. Non ergo omnes iuxta seriem positi, patres sunt, sed aliquando medijs omissis, adiunctus est nepos, vel pronepos. Alij verò legunt, vt sunt Lipomanus, & Ioannes Nauclerus, & Ioannes Lucidus: *Qui fuit Sale, qui & Cainan.*

2. Tim. 3.

III. sensus; qui reijcitur. Lipoman. Ioan. Naucl. Ioan. Lucid.

Sed hoc in primis durum videtur, exemploq; caret, neq; ab errore excusat Septuaginta Interpretes, qui in Genesi hanc apertè ponunt generationem: nec etiam probatur vllo scripturę, Patrumue testimonio, quod fuerint binomines. Nicolaus de Lyra aliter soluit: namque asserit, Sale fuisse filium Arphax ad naturalem, & Cainã legalem. Nam lex suscitandi seminis in vsu fuit etiã ante legẽ, vt in Genesi dicitur. Sed certe merè voluntarium videtur, & nulla ratione niti, quod fuerit vnus & idem filius, vnius quidem legalis, alterius verò naturalis. Episcopus Abulensis in Eusebium scribens Cæsariensem, & Albertus Magnus ca. 3. in Lucam, & glossa, aliter soluunt hunc hunc modum: nempe quod in secunda ætate erat Cainan, in Hebręo codice, vnde sumpserũt Septuaginta Interpretes: at post dictos Septuaginta, & ante Hieronymum (cùm interfluxerint ferè septingenti anni) potuit Hebræus codex corrumpi, & ita in versione sua omisit illam Cainan Hieronymus. Similiter etiam, ne glorientur Hebræi libros suos esse integros & incorruptos, legant Exodum, cap. 2. vbi tam in vulgata editione Hieronymi, quàm in editione 70. Interpretum legimus duos versus, quos tamen in Hebræa lectione omnino desideramus.

Gen. 11. IV. Item incongruus. Nicolaus de Lyra. Deut. 25. Gen. 38. V. Episco. Abul. Albert. Mag. in Luc. c. 3. Glossa. Duo quidam alij defectus Hebrææ lectionis notantur Rabbinis incogniti. Exod. 2.

Hi verò sunt: *Alterum verò peperit, quem vocauit Eliezer, dicens: Deus enim patru mei adiutor meus, & eripuit me de manu Pharaonis.* Quæ verba necessariò in lectione Hebræa esse reponenda, testantur Septuaginta, & Hieronymus, & quod maius est, ipse textus Exod. 18. vbi nominantur duo filij Mosis, Gersan, & Eliezer.

Primus. Infra 18.

Nihil dicam de altero loco Iosu. vigesimoprimo, in quo post ciuitates Leuitis filijs Merari datas, proximè dicendum erat: *De tribu Ruben, Bosor, Iassa, Cademoth, Mephaath, ciuitates quatuor cum suburbanis suis.* Et statim subiungit: *De tribu Gad ciuitates confugij, &c.* Quæ verba cum in editione septuaginta, & in Chaldæa paraphrasi eo loco ponantur, supplenda omnino sunt, quia alioqui nõ essent quadragintaocto ciuitates Leuitis dandæ, vt paullò post dicitur: nec duodecim ciuitates datæ Meraritis: nec tribus Ruben aliquid dedisset Leuitis, contra id quod habetur, Nume. trigesimoquinto, & primo Paralipomenon sexto, vbi habetur: *Filijs autem Merari per cognationes suas de tribu Ruben, & de tribu Gad, & de tribu Zabulon dederunt sorte ciuitates duodecim.* Ex quo loco euidenter colligitur deficere codicẽ Hebræum in Iosue, capit. vigesimo primo; cùm tamen Rabini inter Iudæos insignes, nimirum Auen-Esra, & Dauid Kimhi affirmatè testentur illos duos versus non esse de sacro Bibliorum textu: quare nec tẽpore Hieronymi extabant illa verba in codicibus Hebræis.

Alter. Iosu. 21. 37. Num. 35. 1. Paral. 6. Consule Andream Masium. c. 21. Iosue. Auen-Esra. Dauid Kimhi.

Quæ verò inferius dicuntur in nostra editione: *De tribu Ruben vltra Iordanem contra Iericho ciuitates refugij, &c.* illa planè accepta sunt ex versione Septuaginta Interpretũ, nõ ex fonte Hebręo, in quo nulla mentio Ierichũtis, aut Iordanis, aut Asyli, &c. fit, vt constat si consulas hodiernum codicem Hebręum. Illa tamen verba Ierichuntis, & Iordanis, & ciuitatem refugij Septuaginta, vt paraphrastæ de suo addiderunt, declarãtes situm illarum ciuitatum, & priuilegia.

Additio quædam LXX. Interpretum ad textum Hebræum.

Ita ergo olim in Hebræis voluminibus, Genes. vndecimo, & primo Paralipomenon primo legebatur, Arphaxad genuisse Cainan, & Cainã genuisse Sale, vnde & Septuaginta duo Interpretes acceperunt, & Chaldaica Thargum: & tamen vitiatis Hebręis codicibus tempore Hieronymi non extabant illa verba, nec modo; idcirco nec ab eo transferri potuerunt: habuerunt tamen olim, vnde Lucas, & Septuaginta acceperunt, atque illam lectionem probare poterant ex genealogiarum libro. Sicut secũdum Auen-Esra, & Rabbi Kimhi Iosue vigesimo primo, non erant duo versus in Hebræo, complentes ciuitates refugij datas à tribu Ruben Leuitis, sunt tamen hodie additi in correctiore vulgata editione, sed erant tempore Septuaginta duo interpretũ: & in Hebręo erat apud Genesin, & in libro Paralipomenon, quòd Arphaxad genuit Cainan, Cainan genuit Sale, & ab illo acceperunt Septuagintaduo Interpretes: & tamen tempore B. Hieronymi erat de libris Hebræis abrasum: idcirò Hieronymus suppressit, quod in Hebræo non inuenit: at Septuaginta, & B. Lucas tradiderunt. Atq; id quod dicunt, probare poterant ex genealogiarum libro, qui erat publicæ probatęque fidei, vt habetur apud Esdram.

Iosu. 21. Gen. 11. 1. Par. 1. Luc. 3.

Ideo per eum conueniebantur Iudęi de genealogijs à Zorobabel, & infra scriptis: quia si non fuisset probatæ fidei & autoritatis Iudæis, non fuisset Iesus, vt Messias accep-

1. Esdr. 2. & seq.

Iosephus historicus generationem Cainan, quare suppresserit.

acceptatus. Hebræa tamen veritas, & Iosephus, qui solet in numeris sequi Septuaginta interpretes, tacet hanc genealogiam Cainan, quia non facit lineam distinctam, vt fecerunt alij, quos ibi ponit. Atque hæc inter alias solutio, & quę priori loco est assignata, cęteris præstare videtur.

Genealogiæ superius explicatæ fructus, & vtilitas.

Habes ergo ex præsenti genealogia ita explicata, qua ratione concilianda sint, & in concordiam redigendę contradictiones ac dissonantiæ permultæ inter illam Lucæ, & Matthæi genealogiam, quæ sanè in multis inter se differre videntur.

De legali Christi sacerdotio libelli cuiusdã Iudęorum cõfutatio.
Suidas notatur.
Hentem. grauis autor.

Secundò, habes confutatum librum de legali Christi Sacerdotio, quem Suidas suis illis lucubrationibus inserere voluit, à Iudæis quibusdam Tybarenis confictum, quẽ nos alio loco confutauimus, vt falsum, & Hereticum, & Hentenus quidam (qui Euthymium nobis in Euangelia Latinum reddidit) doctè refellit: ita vt iam ille libellus in Indice librorum prohibitorum à Concilio Tridentino edito contineatur. Sacerdotium enim Leuiticum, siue legale, ad virum in tribu Iuda natum pertinere non poterat, imò nec ad omnes, qui erant de tribu Leuitica, sed tantum ad eos, qui descendebant ex linea, & genere Sacerdotali: nemo autem, qui esset de tribu Leuitica, præsto fuit altari. Manifestum est enim quod ex Iuda ortus sit Dominus noster, vt Apostolus scripsit.

Hebr. 7.

III. Fructus prædictæ genealogiæ, de mundi inconstantia & vanitate.
Matth. 13.
Plato.

Tertiò ex hac serie generationum contemplari potes mundi inconstantiam, & volubilitatem. Cœpit hæc Matthęi genealogia à Patriarchis, Regibus, ac Principibus, finem accipit in opificibus, & fabris lignarijs. Rectè proinde dictum est à Platone, omnes Reges ex seruis ortos, & omnes seruos ex Regibus natos, nullumque vnquam Regem extitisse ligonis expertem, nec è conuerso ligonem, ad quem non aliquando sceptrum regni pertinuerit. Hinc mundus rectè assimilatur statuæ per regem Nabuchodosor in somnio conspectæ instar colossi ex ære, quæ exterius quidem numinis alicuius speciem præ se ferebat, interius verò saxis, trabibus, telis quoque aranearum, ac ruderibus plena erat. Illa statua habebat caput aureum, pectus argenteum, pedes denique luteos, siue fictiles, id est, finem illorum sine honore: quia mundus totus in maligno positus est: quia vana est hæc colossi figura, quæ præterit.

Vnde orti reges, & serui, teste Plato.
Dan. 2.
Mundus cui nam statuę persimilis.
1. Ioan. 5.

1. Cor. 7.
In eos, qui mundi ęternitatem commenti sunt.

Quod si mundus foret æternus, vt quidam malè philosophantes dixere, satis erat ad euocandos mortalium animos ab eius amore, vitę præsentis breuitas, quæ illum nobis momentaneum reddit: nam est omne, quod finem habet. Quare Dauid rectè ait: *Ecce mensurabiles posuisti dies meos, & substantia mea tanquam nihilum ante te.* Vox Hebræa, quæ redditur per nomen, mensurabiles, exiguã mensuram quatuor digitorum, id est, palmum minorem denotat. Cùm ergo Deus liberalissimus extiterit in opibus suis nobis communicandis, in hac tamen vna re, id est, producenda vita parcissimus extitit. Cætera namque omnia veluti effuso copiæ cornu munificentissimè, id est, maxima vlnæ mensura metitus est, vitam verò parca manu, imò quatuor digitis, vt diximus. Quis tamen dedit spiraculum vitæ, vt mortalitatis quidem multum, vitæ verò minimum tribueret spatium, dedit enim, vt sic dicam, vitæ halitum, vel flatum: *Quid enim est vita nostra, nisi vapor ad modicum parens, & deinceps exterminabitur.*

Psalm. 38.
Expenditur illud regij Prophetę: Ecce mensurabiles posuisti dies meos.
In quo se Deus ergo homines minus liberalem & munificum præstare voluerit.
Gen. 2.
Iacob. 4.

In eos, qui nullis propriis nobilitati meritis, ipsi de parentum tamen suorum nobilitate gloriantur.

Damnat denique hæc Christi genealogia ex gentibus, & peccatoribus ducta, nimiam quorundam confidentiam, & arrogantiam, qui cum nihil præclari ediderint, eo tamen nomine gloriantur, quòd nobili genere orti sunt; vt illi, qui Christo dixerunt: *Semen Abrahæ sumus, & nemini seruiuimus vnquam.* Cum ex eodem seminis grano diuersę pullulent spicæ, hæc elegans, & plena, illa horrida, & vacans. Consolatur quoque peccatores, qui si ab errore resipiscant, habent locum apud Christum, qui *peccatores recipit, & cum eis manducat, & bibit*: & ab eis descendere voluit, vt eorum onera in se susciperet, in cuius humeros omnium hominum peccatorum pœnitentiam agentium onus reijcit Deus, iuxta illud ad Dauidem adulterum, & homicidam Nathan dictum: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum*; & Isaias veluti id interpretans, dixit: *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrorum.*

Ioan. 8.
Luc. 15.
Quare Christus ab omnibus peccatoribus traxit genus suum.
Isa. 53.
Luc. 1

Ioseph virgini Deiparę sponsus, quare vir ille.

Expeditis omnibus quęstionibus ad genealogiam spectantibus, pauca illa verba Matthæi expendamus: *Virum Mariæ, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.* Ait ergo, virum Mariæ, & intellige, in omnibus, excepta carnis copula, quæ suppleta est per Spiritum sanctum. Intellige etiam eum virum fortem, castum, & sanctum, quemadmodum illa fortissima erat, castissima, atque sanctissima: propter quam, & propter eius eius prolem, quibus ipse sedulò ministrare debuit, verè fuit Ioseph, id est, donis Dei auctus, ac cumulatus.

Ioseph quid sonet ex pendimus hoc verbum: de qua natus est, &c.
Luc. 1.
Gen. 3.

De qua. Inter omnes electa, & benedicta, atque ab vniuersis desiderata. De qua etiam, sola, non, de quibus: vnde semen mulieris vocatur Gen. tertio, vt pondera

uit Epi-

uit Epiphan. in Antidicomarianitas. Propterea Angelus ei dixit: *Ecce concipies in vtero*; non autem, Concipies ex viro. Et rursus Propheta dixit in singulari: *Fœmina circundabit virum.* Item significatur vera caro ex Maria, non ex cœlo, vel elementis, vel phantasmate. Nam sanguis verum corpus ponit ex semine Abrahæ, & Dauid, aliàs verus homo non esset.

Epiphan. in hæresin 78.
Luc. 1.
Hier. 31.
In eos qui Christum negant verum corpus habuisse.

Adhæc in illo verbo: *De qua*, innuitur vera mater Dei, & hominis; non tantum hominis Christi, vt Nestorius cõfitebatur, sed etiam Dei: nec tantùm Dei, vt admittebat Eutyches, sed etiam hominis, quod ille negabat: vt testis est Rusticus in Acephalos. Ac sicut Adam visa Eua, quæ ex ipsomet erat desumpta, dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea*: propterea que meritò Eua subdita fuit Adę, quia ex illo sumpta est, sic Maria Christo dicere potest: *Hoc est os ex ossibus meis, & caro de carne mea*; per hoc meritò Christus Mariæ parenti subditus fuit, & de illo scriptum verè: *Descendit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis.*

Mariam virginem, veram Dei matrem, & hominis extitisse, contra Nestor. & Eutychen.
Rusticus auctor.
Gen. 2.
Eua Adę cur subdita, Christus verò contra, cur subditus Virgini matri.
Luc. 2.

Natus est Iesus. Id est, Saluator, qui primus matrem saluauit, non corrupit; qui omnes corpore, & animo venerat saluare. *Qui vocatur Christus.* Hebręis vocari, idem est quod esse, ac cognosci, siue potius quod ad rem magis facit, cognominari. Iesus ergo est, & cognoscitur, & cognominatur Christus. Ita dicitur: *Et hic mensis, sextus est illi, quæ vocatur* (id est,) *sterilis*. Rectè verò ait de præsenti, vocatur, quia quo tempore scribebat Matthæus, iam palam, & in ore omnium versabatur Messias, non olim ita à principio. Vnde Angelus dixit Virgini: *Quod nascetur ex te sanctũ, vocabitur filius Dei.* Christus autem cognomen est dignitatis, non personæ, & significat *vnctum*. Est enim Christus vnctus, mansuetus, ac lenis: nam per Isaiam dixit: *Spiritus Domini super me, eò quod vnxerit me*: declaransque quorsum vnctus sit, subdit: *Ad annunciandum mansuetis misit me.* Oleum autem quo copiosè vnctus est, Spiritus sanctus est, de quo Ioannes Euangelista: *Non enim ad mensuram dat Deus spiritum.* Ex quo fit, vt oleum eius in capite descendat, non solum vsq; ad barbam, sed etiam vsque in vltimas oras vestimẽti eius: quia nemo mortalium est, qui si velit, olei & vnguenti Christi sentire suauitatem nõ possit. Est enim in omnes pius, qui pro omnibus ex charitate incarnari, cruorem fundere, & mortem sustinere libenter voluit. Ita vt olim qui Deus exercituum, & Deus vltionum vocabatur: nunc præ mansuetudine vocari velit lenis, & vnctus: præ quo lenitas Mosis omnium hominum mitissimi, & Dauidis mansuetudo, si cum Christi clementia, & lenitate conferantur, nonnisi paruæ scintillæ sint comparatę ad ignem ingentem. Si in extremo orbis angulo aliquis medicus sapientissimus, ac mitissimus esset, qui seruare posset vitam naturalem incorruptam, sine dubio terra hominibus destitueretur, ac nudaretur, vniuersis ad illum concurrentibus: quanto ergo ardentioribus desiderijs, ac votis amplectendus Iesus, qui vitam promittit æternam atque immortalẽ? Et considera pulchram istam nominum connexionem, Iesus & Christus, mirificè cũ rebus coniunctam. Saluát enim nos vnguentis, oleo leniẽte, mollibus emplastris, suauissimis pharmacis. Nihil in hoc medico, chirurgoue sapientissimo durum, vel austerum: non ferrum, non cauterium, non ignis, non dolor, non vllum tormentum. Vnguentum est fides: oleum Sacramenta: emplastrum ingens amor in Incarnatione, ac morte acerbissima declaratus. Tantummodo à te exigit, vt tuam salutem sitias; obedientem te præstes medico sananti: vt illi, qui pro te mortuus est, te totum, penitusque committas, ac tradas: vt assiduas illi preces offeras, vt sic in dies salutem eius pretioso sanguine partam accipere promerearis, quasi à Propheta audieris: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.* Quas vt frequenter, & largè hauriamus, præstet nobis idem Christus Iesus Dominus noster, cui cum Patre & Spiritu sancto tribuatur ab vniuersa creatura omnis laus, honor, gloria, & imperium in secula seculorum, Amen.

Iesus quid.
Vocari Hebręis, quid sit.
Luc. 1.
Quare de præsenti dictum: Iesus qui vocatur Christus.
Ibidem.
Christus quid sonet.
Isa. 61.
Luc. 4.
Quo Christus oleo fuerit vnctus.
Ioan. 3.
Psalm. 123.
Oleum Christi cur descendat vsque in oram etiam vestimenti eius.
1. Reg. 1. & sæpè aliàs.
Psalm. 93.
Num. 12.
Psalm. 131.
Mosis, & Dauidis pr ę illa Christi lenitas, & mansuetudo qualis.
Messias Dei filius, quàm rectè Christus nominetur Iesus.
A nobis quid exigat Christus Iesus.
Isa. 12.

TRACTATVS XXIX.

In illa verba: *Cùm esset desponsata mater Iesu Maria Ioseph, antequam conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto.*

Matth. 1.

HActenus Euangelista Iesum esse filiũ Dauid, probauit rectè quidem per patrem putatiuum Iesum, obliquè autem per matrem ipsam veram, quæ erát eiusdẽ domus, familiæque cum Ioseph: modò verò in his, quæ sequũtur, vsq; ad finem huius primi capitis, ostendit Iesum de matre & Virgine simul conceptũ, vti Prophetæ prędixerant. Et ait: *Christi autẽ generatio sic erat.* Quasi dicat: Superiores generationes non ita spectabant ad Christũ, quod non essent eius parentes secundum vim actiuam, sed tantummodo, quia genuerunt Virginẽ, & ministrarũt carnem, ex qua ortus est Christus. *Sic.* Id est, lõgè aliter, & sine viro: nam

Scopus Euangelistæ.
Isa. 7.
Qualis Christi fuerit secundũ carnem generatio.

Vbi præfigurata.

de alijs dicitur, *genuit*, at de hoc tantùm dixit, *virum Mariæ*, ne putares Christum communi lege naturę, vt reliquos omnes, ex patre, & matre natum. Hæc autē natiuitas sine viro fuit, ideo significata, vt annotauit Rupert. Tuitiens. per septem ortus filiorū ex matribus sterilibus, quarum sacræ literę meminerūt: nempe Sarę, quæ peperit Isaac: Rebeccæ, quæ Esau, & Iacob, Rachelis, quę Ioseph & Beniamin: & matris Samsonis, quæ Samsonē: Annæ vxoris Helcanæ, quæ Samuelem, Bersabee, quæ Salomonem: Elisabethæ, quæ Ioannē Baptist. progenuit. Verùm in hoc Ruperti dicto miratus sum, quòd Salomonem asserat natum de sterili, cùm illius matris tot enumerentur filij 1. Paral. 3. præter illum, qui primò natus fuit, & statim extinctus, & nullibi scriptura Bersabee sterilem vocet. Atque omnes isti de sterilibus geniti, excellentissimi viri extiterunt, fide & precibus magis, quàm vi carnis & potestate progeniti. Sic Christus de virgine, qui flos est campi, & liliū conuallium. Est enim Christus decus humani generis, quia cōceptus de Spiritu sancto in Virginis vtero, vt flos campi sola cœli virtute, nulla hominis cultura proseminatus. Est etiam lilium conualliū, id est, fructus humiliū parentū. Ait verò generatio, Gręcè, γέννησις, id est, natiuitas distincta à voce superiori, quia dixit *Liber generationis*, quæ ibi accipitur pro genealogia, & dicitur γένεσις. Et cū dicitur, omnes itaq; generationes, alia voce vtitur, nempe γενεαί, & accipitur ꝓ genere vel progenie. Et licet γέννησις, interdū sit natiuitas: hic tamē non id significat, vt Chrysost. Origen. & Hierony. interpretantur. Etsi aliter vertat Erasmus: nam post textā generationis Christi seriem Euāgelista resumit ordinem ac modum enarrare, quo genitus, & cōceptus est Iesus ex Spiritu sancto, & intemerata virgine.

Rupert. Tuit. in Matt. lib. 1
Gen. 21.
Infra 25.
Infra 30. & 35. cap. 4.
Iudic. 13.
1. Reg. 1.
2. Reg. 12.
Ibidem.

Salomonem de Bersabee sterili natum, vt quidam dixit, id minime verum ostenditur.

Cant. 2.

Flos campi, & lilium conuallium quare Christus dicatur.

γέννησις, & γένεσις, & γενεαί differunt.

Chrys. hom. 4. in Matt. to. 2.
Orig. in Matt. tom. 2.
Hiero. ibid.

Erasmi hæc interpretatio reijcitur. Christi autē generatio sic fuit pro, erat.

Subdit Euangelista: *Erat*. Non fuit, vt aliorum, etsi Erasmus de pręterito verterit, fuit, cùm Græcè de præterito imperfecto dicatur ἦν quoniam eius virtus atq; meritū ab eius incarnatione nunquam effluxit: & ante illam in mente diuina prima erat ante alias creaturas. Neque potest enarrari quomodo fuit, ne ab ipso quidem Archangelo Gabriele à Virgine interrogato: *Quomodo fiet istud, &c.* qui quidem eam ad Spiritū sanctum delegauit: sed tātùm quomodo erat, postquam facta est: *Cum esset desponsata*, adnotat Chrysostomus his omnia contigisse post reditum virginis ab Elisabetha in domum suam. Quorsum miscet desponsationem, quæ non videtur attinere ad Christi generationē, cum non de viro processerit?

Luc. 1.

Tria proponuntur disputanda.

Dicemus hoc in loco, primū, cur de desponsata matre Christus prodire voluerit: Deinde qua ratione fuerit desponsata, an per verba de futuro, vt quidam putāt, an verò per verba de præsenti. Postremò quomodo salua sit summa in Dei matre virginitas, & voto confirmata cū consensu de ineunda maritali copula ad coniugis arbitrium. Ad primū respondemus, multis de caussis consultò factum esse: quarum quædam ex Christo, quędam ex Virgine, quædā verò ex nobis desumi possunt. Ex parte quidem Christi, in primis propter Iudęos, & infideles, ne tanquā spurius, & illegitimo ex toro natus sine honore abijceretur; atq; propterea eius lex, prædicatioq; contemneretur. Vnde Ambrosius in Lucam ait: *Quid Iudæis quod Herodi posset adscribi: si natum viderentur ex adulterio persecuti?* Deinde, vt Christus in parua ætate nutricium, & defensorem atque custodem haberet. Multis siquidem eget illa infirma ætas, quæ sola mater conuenienter præstare non potest. Præterea, vt ex B. Ignatio Hieronymus tradit; vt Marię coniugium ac desponsatio falleret principem mundi. Quam sententiam comprobat Basilius homil. de humana Christi generatione; ait enim: *Adfertur & alia ratio à quodam ex antiquis: vt Mariæ virginitas seculi huius principem diabolum lateret, nupta Ioseph fuit; vt nuptiarum nomine suspensus facilè deciperetur. Virgines namque in primis obseruabat, è quarum vna parituram ex Prophetа cognouerat, dicente; Ecce virgo concipiet, & pariet filium. Virginitatis igitur insidiator, obseruatorq; sub matrimonij specie factus ignorans; à malignitate abstinuit. Sciebat enim suum imperium ob dominicam carnis generationem perditum iri.* Hæc ille: quę similiter ab Origine, ac multis alijs patribus asseruntur.

Cur de desponsata Virgine Christus prodire voluerit.
I. Ratio.

Ambr. lib. 2. in Luc. to. 1. prope init.
II. Ratio.

III. Ratio.

Hieron. in ca. Matt 1. to 9.
B. Ignat. epi. 8. paul à med.
Basil. hom. 11. paulo à prin. to. 1. à med.
Isa. 7.

Sed in hanc sententiā, saluo honore, qui tantis patribus debetur, nōnulla obijci possunt. Nam etsi B. Virgo virū haberet, semper poterat Satanas cognoscere claustra inuiolatæ virginitatis; & idcircò nosse ex illa Virgine natum Messiam. At quidā ex sententia Augustini, ita tuentur illud dictum. Asserit enim Augustinus, multa dęmonem posse cognoscere vi naturæ suæ, à quibus cognoscendis diuina virtute prohibetur: itaque prohibitus fuit à partu illo Virginis cognoscendo. Sed hæc ratio non premit: quia tāetsi sanctissima Deipara viro caruisset, poterat à Deo prohiberi, ne cogitaret quomodo concepisset, de Deo ne, an de viro; & sic occultabatur partus. Deinde non videtur miracula esse sine necessitate ponēda, seu multiplicanda: nam esto, diabolus Mariā cognouisset in virginitate peperisse,

Dæmonem minime ignorasse mysterium incarnationis.

Aug. lib. 3. de Trinit. cap. 8. in princ. to. 3.

I. Argum.

II. Argum.

non

non sequeretur filium Deum esse, nisi ex scripturarum positione. Poterat enim, & potest Deus facere, vt purus homo de Virgine nascatur: & natum ex non virgine, & viro assumere potest cóceptum, vel in ea, licet non fecerit, nec facturus sit. Item habebat dæmon argumenta maiora Christi deitatem comprobantia, quæ illi occultata minimè fuerunt: vt fuit stella ducens Magos in Bethleem: & Angelus annuncians pastoribus, vt ad eum venirent adorandú: & vox de cœlo: *Hic est filius meus dilectus*: & testimonium Ioannis Baptistæ: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*: tot etiam alia, quæ edebat signa atque prodigia: & tamen Matth. 4. accessit ad tentandum, dubitando (secúdùm communem expositionem) an esset filius Dei. Prætereà B. Ambr. in Lucam, caussam istam cùm retulisset, refellit, his verbis: *Sed tamen magis fefellit principem seculi. Diabolus enim etsi aliquando dubitauit, cùm diceret: Si filius Dei es, mitte te deorsum: tamen vel serò cognouit, & discessit ab eo. Cognouerunt & Dæmones, qui dicebant: Nouimus quia es Iesus Dei filius. Quid venisti ante tempus torquere nos? Et ideò venisse cognouerunt, quia præcognitum habebant esse venturum. Dæmonum enim malitia, facilè etiam occulta deprehendit.* Hæc ille: quæ idcircò volui adferre, vt docti cogitent illud B. Ignatij dictum: quáquam eius sanctitati ac doctrinæ verè Apostolicæ his nostris rationibus nihil velimus esse detractum: qui tantus in Ecclesia Dei fuit, vt sanguinem pro Christo fundere promeruerit.

III. argum. Matth. 2. Luc. 2. Matth. 3. & 17. Ioan. 1. Matth. 4. IV. argum. B. Ambros. li. 2. in Lucam. c. 1. circa med. tom. 1. Matth. 8.

Fuit ergò desponsata Virgo, vt eius virginitas principem mundi falleret: vel, vt Christus margarita, porco Herodi atque alijs carnalibus per matrimonium ad tempus celaretur, quomodo vnctio Dauidis in Regem per Samuelem celata fuit per vitulum, quem ad offerendum ac immolandú adduxerat in Bethleem. Quod ad Virginem verò attinet, conueniens fuit, vt Christus de desponsata prodiret: tum vt Maria infamiam fornicationis effugeret, si esset innupta, vt ait Ambros. super Lucam: *Desp̄osata est*, inquit, *ne temerata virginitatis adureretur infamia, cui grauis aluus corruptela videretur insigne præferre.* Hæc ille. Tum ne à Iudæis, concipiens sine viro, lapidaretur, iuxta legem Deuteron. 22. quanquam illa lex de traducta in domum, & cognita primum à viro suo loquatur, quæ non inueniebatur Virgo, nec expanso vestimento ostendebat signa virginitatis: tunc enim erat lapidibus cædenda puella ob fornicationem factam, antequam desponsaretur, q̄ contingere B. Mariæ nequaquam poterat.

Matt. 13. Suprà 7. Virgini matris expediens fuisse, vt viro desponsaretur, dupliciter. 1. Reg. 16. Quibus de caussis Christo cóueniens fuerit Virginem matrem habere desponsatam. Ambros. loco prædicto in princ. Deut. 22. Ioan. 8. Hieron. hoc loco tom. 9. initio. Idem tom. 2. initio.

Tum vt B. Virgo haberet ministrum & adiutorem in laboribus ex rebus ad vitam necessarijs, ac comitem in fuga Ægypti quemadmodum Hierony. in Matthæum testatur. Tum denique vt per generationem Ioseph, origo quoque Mariæ Virginis eius cognatæ ac propinquæ demonstraretur, vt docet in Heluidium idem B. Hieronymus. Postremò, quod ad nos attinet, decuit in primis, vt testimonio Ioseph insignis pudicitia, ac B. Virginis puritas nobis clareret, testibus Basilio & Ambrosio super Lucam, qui sic ait: *Locupletior testis pudoris maritus adhibetur, qui posset & dolere iniuriam, & vindicare opprobrium si non agnosceret Sacramentum.* Deinde ob mysterium: quia sicut origo peccati ex coniugata Virgine inobediente extitit: ita origo iustitiæ per virginem desponsatá & obedientem. Prætereà, vt hac ratione honorabile connubiú & sanctum matrimonium agnosceretur: & Manichæi solos Virgines saluari asserentes confunderentur.

Nobis quoque operæpretium fuisse, Christus vt de desponsata Virgine nasceretur, propter tria. B. Basi. hom. 25. tom. 1. Ambros. lib. 2. c. 1. propè initium tom. 5. Gen. 3. Heb. vlt.

Quod ergò ait autor operis imperfecti in Matthæum homil. 1. Coniunctio maritalis quantum ad naturam rei ipsius peccatum est: concessione autem Dei facta est licentia, licentia, autem dico, facta est, non iustitia. Nam etsi propter necessitatem rei peccatum esse delijt, tamen iustitia etiam non meruit. Ideò vtentibus se, etsi pœnam non infert, mercedem tamen non præstat: & similia multa, quæ ad errorem Marcionis, & Montani nuptias damnantium, spectare videntur, planè falsa sunt. Ideò prudens lector sibi caueat. Idem etiam ferè docet hom. 28. in cap. 19. Matthæi, vbi secundas nuptias vocat veram fornicationem in se, sed Deo permittente fieri honestam fornicationem. Item ad significationem: nam per hoc coniugium, sanctæ matris Ecclesiæ, quæ Virgo est, & despósata vni Christo, connubium repræsentatur, de quo Paulus: *Desp̄odi vos vni viro, Virginem castā exhibere Christo.* Postremò, Christus non nascitur nisi è desponsata Virgine: quia nunquā nascitur ex anima, quæ virum, hoc est, diuinum semen non habuerit. Vnde vt nasceretur in anima Samaritanæ, ei dixit: *Vade, voca virum tuum.* Decebat ergò ob has caussas, vt Dominus prodiret de immaculato coniugio, in quo viri opus iam redditum ex peccato minus honestum, suppleretur ab Spiritu sancto, vt sic inueniretur mulier non sine fructu, quæ viro tamen nó subijceretur, iuxta maledictum antiquum: *Multiplicabo ærumnas tuas, & có. eptus tuos: in dolore paries filios, & sub viri potestate eris*: quæ omnia Virginem hanc nó attigerunt. Quod i

Autoris operis imperfecti in Matth. de nuptijs opinio damnabilis. Tom. 2. operũ D. Chrysost. Vltima ratio, cur nisi de desponsata Virgine natus sit Christus. Ioan. 4. Virginis viro desponsatæ priuilegia. Gen. 3.

non fuisset desponsata, vix apparuisset exceptio hæc ab illo maledicto: quæ omnia persuadent, Christum, nō vt ex matrimonio esset, sed vt non sine illo prodiret, nasci voluisse. Et hactenus de primo.

An B. Virgo viro nupserit per verba de præsenti, vt dicitur, an per verba de futuro.

Ad secundum dubium, quoniā desponsata dicitur, quæ promissa est, vt sit futura vxor, & in hoc differt à coniuge, quod cōiux sit iam actu per verba de præsenti promissa, meritò dubitatur an esset vxor per verba de præsenti an de futuro. Quidam enim negarunt fuisse verum matrimonium inter Mariam & Ioseph, & hunc non magis extitisse Virginis virum, quàm Christi patrem, vt docent Cyrill. Hierosolymitanus Catechesi 10. & Gregor. Nyssen. serm. de sancta Saluatoris Natiuitat. & Epiphan. in hæres. 78. B. Hilarius super Matthæum, B. Hieronym. serm. de sancta Mariæ Natiuitate (si tamen sit eius sermo, certè eius nomine circunfertur) B. Bernard. hom. 2. super missus est, alijque nonnulli, quos enumerare non est operæpretium. Sed dicendum, quod reuera non fuit desponsata per verba de futuro. Primum, quia Ioseph vocatur vir Mariæ, quod idem est ac dicere, maritus Mariæ. Rursus B. Maria appellatur coniux Ioseph, ex quo illud: *Noli timere accipere Mariā coniugem tuā:* Dicitur quoque vxor, iuxta id: *Vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore prægnante:* constat autem coniuges & vxores non dici nisi eas, quæ per verba de præsenti contraxerunt. Deinde, cùm constet non licuisse Ioseph dimittere coniugem suam, argumento est, illam sibi coniugatam fuisse per verba de præsenti: non enim tanta illi religio fuisset in dimittenda ea, quæ sibi per verba de futuro coniuncta fuisset, cùm similes coniunctiones multis de causis sæpè dissoluantur. Præterea, vix satis consultum fuisset famæ ac pudicitiæ Virginis; ipsa grauida apparente in ædibus paternis, nec virum nisi sponsum de futuro habente, qui tantùm futuras spopondisset nuptias, necdum tamen cœpisset conuersari cum sponsa: neque etiam cōsultum fuisset generationi legitimæ Christi. Erat enim illi tali modo maritus aptandus, vt ex eo filius susceptus, legitimus credi posset, atque ipsam non nisi ex viro suo cōcepisse: sic enim honori vtriusque prospectum erat.

Cyrill. Hierosolym.
Greg. Nyss.
Epiphan.
Hilar. can. 1. in Matth.
Hieron. to. 4.
Bernard.

Ostenditur B. Virginem non fuisse desponsatam per verba de futuro.

Luc. 2.

II. Argum.

III. Argum.

Quod verò desponsata in Euangelio hic dicitur, & Luc. 1. ac 2. nequaquā tollit perfectum de præsenti matrimonium, etiamsi Patres ad vim vocis respicientes, aliter senserint. Desponsata enim vel sponsa, à verbo despondendi vel spondendi, id est, aliquid in futurum promittendi, deducitur. Quod si quis futurum matrimonium promittat, mas sponsus, & fœmina sponsa dicuntur, non autem vxor vel maritus. Si verò matrimonij rem promittant, scilicet futuram copulam; iam coniux efficitur fœmina, sponsaque dicitur non respectu matrimonij iam initi, sed respectu copulæ futuræ. Similique ratione vir dicitur coniux & sponsus. Maria ergò coniux vocatur ob consensum in matrimonium, & sponsa ob copulam, quam promisit, si Deus præciperet, quæ tamen nunquā intercessit. Et quoniam in hoc matrimonio nulla fuit celebritas nuptiarum, in qua de more solet consummari matrimonium: propterea ad hāc distinctionem exponendi sunt Doctores, qui aliud scripserunt. Siquidem verum & perfectum matrimonium inter Mariam & Ioseph intercessisse testātur Patres, qui rem hanc penitius discusserūt, vt B. August. lib. de nuptijs & concupiscentia, B. Hierony. super Matthæum, & B. Ambros. super Lucam lib. 2. c. 1. vbi habet: *Nec te moueat,* inquit, *quod frequenter scriptura coniugem dicit. Non enim virginitatis ereptio, sed coniugij testificatio, nuptiarum celebratio declaratur. Denique quam nemo accepit, nemo dimittit: & ideò qui nolebat dimittere, fatebatur acceptam.* Hæc ille. Nolo plura verba in hoc articulo comprobando profundere, tantum circa voces aliquid adnotabo.

Perfectum cū desponsatione Virginis matrimoniū consistere.
Matth. 1.
Luc. 1.
Infrà 2.

Maria a Ioseph cur coniux appellaretur: & quo sensu id prædicti partes negauerint.

B. Aug. to. 7.
Hieron. to. 9.
Ambros. to. 5.

Et si B. Virgo & Ioseph dici possit vxor & maritus: verecundius tamen & honestius sponsa & spōsus vocantur, & vir & mulier, & coniux vterque, vt scriptura loquitur, quia nulla intercessit copula coniugalis: nā ille consensus in futuram copulā, verè constituit matrimonium, ac coniuges efficit, nondum tales tamen, qui dicantur vxor & maritus, quoniam hæ voces magis quadrāt ijs qui iam matrimonium per commixtionem corporum consummauerunt, quibus Græca vocabula aptè respōdent. Nam maritus dicitur ἀκοίτης à cubili, & vxor, ἄλοχος à pariendo: secus verò voces magis generales, ἀνὴρ καὶ γυνή, quibus vtitur Euangelista. Lucæ etiam 2. dicitur: *Cum vxore sibi desponsata.* τῇ μεμνηστευμένῃ αὐτῷ γυναικί: vbi non absolutè vxor, verùm desponsata vocatur, licet Virgo desponsata vxor dicatur Deut. 22. Quare immeritò Erasmus reprehendit interpretem vostrum, quòd non verterit illas voces generales ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς in maritum & vxorē, cùm alia sint & veritati & proprietati Græci sermonis, honestatique magis apta & accommodata. Atque vt magis veritas huius matrimonij concipiatur percipiaturque, perpende, prudens lector, matrimonij essentiam naturamve cōsistere

Maria & Ioseph sponsa & sponsus cur potius, quā vxor & maritus appellari debeant.

Maritus & vxor vnde nominentur.
Luc. 2.

Deut. 21.

Ratio matrimonij in quo sita est.

re in mutuo cōsensu expresso per verba de præsenti, vel per æquipollentia signa. Cuius primus actus, primaq; perfectio est animorum indiuisa vnio, id est, vis ad cohabitandum petendumq; debitum cóiugale: non quòd actu semper sit illa indiuidua animorum coniunctio, cùm interdum sit discordia, sed quod per mutuum cōsensum efficitur quoddam indissolubile vinculū, quo deuincti coniuges manēt ad vnitatem animorum in his, quæ spectant ad actū matrimonij, nempe in consortio coniugali commanendi, ac ius sibi inuicem cóiugale petendi atque reddendi. Vt enim ait Paulus: *Mulier sui corporis potestatem non habet: sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestate non habet: sed mulier.* Secundus vero actus, seu perfectio secunda, quæ manat à prima (cùm omnem formam sequatur aliqua actio) nihil aliud est, quàm communis mansio, & studium prolis gignendę per corporum cōmixtionem, sine qua non habetur. Ea verò quæ matrimonium consequuntur effecta, tria sunt, nēpe proles, fides, hoc est, mutua fidelitas inter ipsos, & Sacramentū, scilicet inseparabilis vnio, ex qua matrimonium in nouo Testamento habet proprie, quod sit res sacra, & vnum è septem Sacramētis. Nam significat indissolubilem vnionem verbi cum humana natura, & Christi cum Ecclesia, vt Paulus ad Ephes. docet. Si ergò consideretur perfectio prima, certè inter Mariam & Ioseph perfectum matrimonium fuit, eo quòd legitimū habuerūt consensum. Vnde indissolubilis nexus dictus fuit consecutus. Si autem sermo sit de secunda perfectione, quatenus dicta bona matrimonij cōsequitur; non solùm perfectum, sed perfectissimum fuit, vt Aug. docet lib. de bono coniugali: Omne nuptiarū bonum impletū est in illis parētibus Christi, proles, fides, Sacramentum. Prolem cognoscimus, ipsum Dominum Iesum: fidē, quia nullum adulterium: Sacramentū, quia nullum diuortium. Rursus si cōsideremus secundam perfectionem, quod attinet ad simul habitandum, ac mutua colloquia, & obsequia, sanè completissimum extitit matrimonium: solus coitus absuit, quia non erat necessarius ex vi actus matrimonij. Nā coniugium directè instituitur ad procreādam sobolem, quę si posset haberi sine coitu, honestius multò fieret, velut hic contigit, dicente Aug. lib. 2. de serm. Domini in monte: *Hæc enim beatiora coniugia iudicanda sunt, quæ siue filijs procreatis, siue ista etiam terrena prole contempta, continentiam inter se pari consensu seruare potuerunt.* Verum ergo est matrimonium etiam ante copulam carnis: nam aliàs fornicationem tantummodò, nō adulterium committeret, qui ante cōsummatum matrimonium sui corporis alteri, quàm coniugi potestatem faceret, quod falsum est. Cōfirmatur hoc autoritate B. Ambrosij lib. de institutio. Virginis, vbi habet: *Cùm initiatur coniugium, tum coniugij nomen adsciscitur. Non enim defloratio virginitatis facit coniugium, sed pactio coniugalis. Deniq; cùm iungitur puella, coniugium est, non cum virili admixtione cognoscitur.* Quod ergò B. Hieron. scribens in Heluidium dixit: Ioseph custos potius Mariæ fuit, quàm maritus: sic intelligendum est, prout maritus includit actum consummati matrimonij. Sicut etiam id quod idem autor asserit in hūc eundem locum: *cùm virum audieris, suspicio tibi non subeat nuptiarum, sed recordare consuetudinis scripturarum, quod sponsi viri, & sponsæ vxores vocentur.* Hęc ille. Vbi per nuptias ne intelligas contractum matrimonij, qui substantiam coniugij efficit, sed nuptialem cōcubitum, qui non spectat ad eius substantiam. Ambrosius verò in Lucam, vt paulò ante citatus est, celebrationem nuptiarum vocat ipsum contractum matrimonij, vt eius verba indicant, cùm affirmet per eam non esse ereptam Virginitatem. Ad hunc sensum referendum est, quod Ecclesia canit in B. Virginis laudem: *Beata mater, & innupta Virgo gloriosa,* per innuptam intelligens incorruptam: nam constat fuisse desponsatam Iosepho. Quanquam ad huius amphibologiam verbi tollendam, iam in emendatioribus breuiarijs legamus: *Beata mater, & intacta Virgo gloriosa, &c.* Beatus tamen Augustinus sermon. 18. de sanctis, innuptam vocat B. Mariam Virginem vocat innuptam peperisse, hoc est, incorruptam & intemeratam: nam moris erat in celebritate nuptiarum consummari matrimonium.

Ad tertium, quærūt nonnulli rationem ac modum, quo B. Virgo in coniugium potuit consentire, cùm virginitatem vouisset ante, vt in alio tractatu abūdè explicauimus ad quem lectorē mittimus. Nam vt Augustinus lib de nupt. & concupi. scripsit: *Vouentibus Virginitatem non solùm nubere, sed velle nubere damnabile est.* Quod Augustinus ex Paulo accepit, dicente de quibusdam mulierculis: *Quum enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt: habentes damnationem, qui primam fidem irritam fecerunt.* Deinde ratio suffragatur, siquidem vxor non habet potestatem corporis sui, sed vir, vt Apostolus testatur, & flagitante viro, ius coniugij cogebatur reddere. Ad perfectionem verò virginitatis Deo dicatæ, requi-

1. Cor. 7.
Tria matrimonium consequuntur.
Matrimonium Christianum esse Sacramentum: quid significet.
Ephes. 5.
Aug. lib. 1. de bono cōiugali, c. 9. tom 6. à med.
Omne bonum coniugale in Christi parentibus, quod secundum Augustinum.
Ambros. in instit. Virgin. c. 6. inst. 10. 1
Hieronym. illud dictum: Ioseph custos potius Mariæ fuit, quam maritus, quē sensum habeat.
Sponsi viri, & sponsæ vxores in scripturis de more vocātur.
Ambros.
Innuptam Ecclesia cum Virginem vocat, intelligit incorruptam.
Aug. tom. 10. Quomodo B. Virgo virginitatem cum vouisset, in nuptias potuerit consentire.
Aug. lib. de nupt. & concupi. tom. 7.
1. Tim. 5.
1. Cor. 7.
1. Opinio.

requiritur integritas mentis & corporis:at mentis illa per cōsensum in matrimonium tollitur. Quidam respondēt, B. Virginem habuisse propositum seruandæ Virginitatis, sine voto tamen. Sed iam hæc non esset summa Virginitas, quæ voto Deo non esset dicata.

II. Opinio.

Alij verò, votum simplex virginitatis emisisse asserūt; verùm potuisse reuocari per parentes virginis præcipientes nubere, vt in Numeris habetur. Sed hoc votum Virginis irritum factum, virginitatis eius excellentiam imminuisset: quæ profectò minor extitisset, quàm si ex voto ab ipsa nuncupato, & per parentes confirmato custodita fuisset.

Num. 30. & seq.

III. Opinio.

Rursus alij docent votum emisisse sub conditione, nempe nisi Deo aliter videretur, seu vt alij sacri Theologi loquuntur melius, ambo hi coniuges votum Virginitatis conceperant, antequam in matrimonium consensum præstarent: postmodum autem certo oraculo cœlitus cognouisse, vt consentirent in copula, de qua fierent certi nunquam futuram: atque ita contraxerunt, ac postmodum redierūt ad prima vota. Ex quo iam despōsata Virgo dixit Angelo: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* quę verba illustrem sensum nō admittunt, vt supra disputauimus, nisi votum includerent, Dei etiam voluntate firmatum; ac proinde ipsius Ioseph sponsi arbitrio ac voluntate, votoque proprio cōprobatum. Nec enim clam, aut eo renitente, aut non consentiente in idem id fieri iure, ac decenter poterat, cùm omne votum sponsę & vxoris à proprio viro suo irritum fieri possit, cùm primum illi innotescit, iuxta legem Numer. 30. Adde quod de hoc cōiugio maximè intelligitur illud: *Quos Deus coniunxit, homo non separet.* Non enim humana voluntate, sed Dei cognito beneplacito, inuiti primò, deinde verò gaudentes conuenerunt; non expresserunt tamen in contractu matrimonij conditionem permanendi sine copula coniugali, vt egregiè docet D. Thomas & Episcopus Abulensis. Namque talis consensus non efficeret vinculum matrimonij, imò aduersaretur illi: tamen, postquam verum matrimonium contractum est, & facultas adest coniugibus petendi, reddendique inuicem sibi coniugij debitum, coniugibus mutuo ex consensu licet cum voto, vel sine voto perpetuam castitatem seruare, & permanere in cœlibatu. Quod si in cōsensu reciproco, dum contrahunt, implicitè saltem incidat carnis copula, vel ius illam exigendi ac reddendi: eiusmodi tamen ius Virginitati non repugnat ex se, cui tantum verus in copulam aduersarij potest consensus, qui tamen in Virgine fuit nunquam. Atque hæc de tertio dicta sint, ad stabiliendam B. Mariæ summam Virginitatem, & ad probandum illam per matrimonium nequaquam fuisse læsam.

Mag. in 4. dist. 30. B. Thom. ibid. q. 7. ar. 1. B. Virg. lib. 7. c. 25.

Luc. 1. Vnde etiam Mariam & Ioseph Deo virginitatem vouisse.

Num. 30. Illi deinde quomodo conuenerint. Gen. 2. Matth. 19.

Thom. in 3. p. q. 28. ar. 52. Abul. in 1. c. Matth. Coniugibus quando integrum sit cœlibes permanere.

Ex his colligere potes, Ioseph cœlibem, imò & virginem extitisse (tametsi Hilarius Canon. 1. in Matthæum abductus ab historia Eusebij, aliter definierit) nam B. Virgo non dixisset: *Quoniam virum non cognosco*, nisi cognito ante proposito Iosephi sponsi sui, atque idem cum B. Virgine in corde suo seruare statuentis. Deinde, si Dominus Iesus B. Virginem iam natu grandiorem non nisi Ioanni virgini commendare de cruce voluit: minus certè adolescentulam matrem suam cōmisisset, nisi viro magna tum sanctitate ac prudentia, tum castitate conspicuo, quòd esset in illo coniugio parium & voluntatum vnio, qua ratione Ouidius dixit:

S. Ioseph virginis sponsum semper virginem fuisse. Euseb. l. 2. hist. eccle. c. 1. tom. 1.

II. argum.

Si qua voles aptè nubere, nube pari.

Ouid. epist.

Præterea idem confirmat, quòd Ioseph perpetuò Messiæ virginea castitate prædito hærere, illum sequi, pascere & custodire debebat, canente Ecclesia:

III. argum.

Qui pascis inter lilia,
Septus choreis Virginum.

Noluit ergò pasci nec educari nisi à Virginali puritate, imò nō Virgo fuit modò, verum etiam in eo omnem concupiscentiæ ardorē restinxerat Deus, vt sic honestissimè sanctissimeque cum B. Virgine puella pulcherrima conuersari, dieque noctuque conuiuere familiarissimè posset, velut Dauid cum Sunamitide, quam nunquam cognouit, vt rectè docuit Gerson. Item hoc donum in sponso suo ipsa B. Virgo promerebatur, vt vndique esset plena gratia, non tantùm in se ipsa, sed etiam in sponso suo: vt quæ per matrimonium vna caro, id est, vna persona cum eo fuerat effecta, ita per gratiam insignis castitatis suis precibus ac meritis à Deo obtentæ fieret cum ea vnus spiritus. Nam (bone Deus) quot viri & adolescentes, aut quot puellæ se Virginis matris excellentissimis meritis, precibusque commendantes, gloriantur per eam Virginitatis donum à Deo Opt. Max. impetrauisse, atque illi (secundùm Deū) eiusmodi gratiam acceptam ferunt? Fit ergò maximè probabile, vt sanctissima Deipara nō solùm hoc Virgineæ castitatis prærogatiuum & munus, quin etiam multa alia, quæ ad sponsi sui sanctitatem, prudentiamque spectabant, illi promeruerit. Ait enim Paulus, *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem:* nec tantùm sanctificatur à peccato, sed etiam per mulierem fidelem multis di-

Ioseph virginei sponsi mira puritas.

3. Reg. 1.

IV. argum pro eiusdem virginitate comprobanda.

1. Cor. 6.

Maria Virgo plerisque donum ob virginitatis.

Infrà 7.

uinis

V. Argum. [illegible] cœlestibus [illegible] & cum [illegible] Valeria- [illegible] virginitatem [illegible] à Deo, [illegible] sanctissima Dei- para [illegible] viro [illegible] A [illegible] [illegible] Vide Hieronymum in Heluidium [illegible]: [illegible] Mariam [illegible]: e- [illegible] Ioseph [illegible] [illegible] vt [illegible] [illegible] Maria [illegible], [illegible] maritus. [illegible] Augustinus [illegible] quod a [illegible] Bernardus, vt Thomam, [illegible] plures [illegible] [illegible] quosdam [illegible] Ioseph [illegible] de- [illegible] [illegible] cum Maria [illegible] [illegible] quæ est Epi- [illegible] Ioseph, cu [illegible] Mariam in vxorem, octoginta an- [illegible] fuisse, [illegible] ex priori vxore [illegible] filios [illegible], de qui- [illegible] crebra [illegible] fieri in Euang [illegible] [illegible], qui fratres Domini appellantur. [illegible] vt dictum [illegible] pro- [illegible], atque absurda videntur. [illegible] ex su- [illegible] vxore [illegible] [illegible] [illegible] ex ipso Euan- gelio [illegible].

Quod [illegible] decrepitam il- lam [illegible] primus [illegible] virginitatem [illegible] & pudicam cũ Virgine [illegible], illi tot annos [illegible] in eo potue- [illegible] quam gratia Spiritus Sancti, [illegible] maritum [illegible] [illegible], cum plures [illegible] [illegible], vt semper illi ten- [illegible], de quibus tale elogiũ est: [illegible] de Babylone a senioribus iu- [illegible] regere populũ, &c. quo- rum alteri [illegible] Semen Chanaan, & non Iuda, [illegible], & concupiscentia [illegible]: [illegible] non inuenti [illegible] plures [illegible] D[illegible] nu- [illegible] virgines, quæ pro virginitate [illegible] mortem [illegible]. [illegible] vix [illegible] & [illegible] B. Vir- ginis [illegible] apud [illegible] [illegible] decrepitus [illegible] [illegible] potuisset, [illegible] de [illegible]: Maria quoque [illegible] [illegible], quod esset multo [illegible], [illegible] concepisset ac peperisset [illegible], [illegible] tantũ [illegible] potuis-

set. Præterea, [illegible] ratione existimari po- tuisset Christus [illegible], neque ex legitimo natus matrimonio, contra sententiam Euan- geli. Luc. 3. *Vt putabatur filius Ioseph.* Adhęc, inutilis fuisset & impotens ad labores, & ob- sequia infanti matrique præstanda, cum es- set eundum in Bethleem, redeundum Na- zareth, fugiendum in Ægyptum, atque in- de remeandum, & laboribus proprijs vi- ctus illis suppeditandus. Si enim tantæ se- nex fuisset ac impotens, vt [illegible], alieno ministerio eguisset potius, quam [illegible] ve- leret ipse ministrare. Quare cum ratione [illegible] videntur ij, qui [illegible] quinqua- gesimum, & quadragesimum annum æta- [illegible], vt ita [illegible] robu- sto [illegible] [illegible] pleno [illegible] Virgini [illegible] in coniuge [illegible]. [illegible] pare[illegible] tes Virginis [illegible] Ioseph [illegible], [illegible] mo, vt ex ea filios [illegible] is erat, qui idoneus esset [illegible] mini- strare & [illegible] are, sed etiam liberos pro- creare; hinc est, vt semper vir, nunquam senex in Euangelio nominetur, vt [illegible] vir- tutem, quæ illi inerat, atque vt in ætate flo- renti Deo Christique ac sponsæ Virginis ministerio commodius se dicare posset. Neque obstant picturæ, quæ illum senem canescentem & curuum exprimunt; vt e- nim ille dixit,

Pictoribus, atque Poetis
Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.

Vt [illegible] [illegible] senex, ad castitatem [illegible] & virtutem [illegible] a- dam: [illegible] vt Salomon dixit, *Cani sunt sen- sus hominis: & ætas senectutis, vita [illegible].* Insuper, in primitiua Ecclesia [illegible] egerat radices perpetua Mariæ Virginitas: ideo ne quid indecorũ cogitaretur, ea for- ma illum effingebant: in quibusdam tamen prouincijs, vt vir fortis, & robustus depin- gitur, vt in Germania.

Subditur: *Mater Iesu Maria.* Quandoqui- dem nasci, concipi atque ali, actiones sunt non naturæ, verum hypostasis & personæ: ideo recte Maria dicitur mater Iesu. Nam illi omnia ea quæcunque ceteræ matres fi- lijs suis, tribuunt, nempe materiam fœ- tus, locum, alimoniam, qua cibari fœtus consueuit: quare ergo non vendicaret sibi nomen matris, quæ vniuersum officium im- pendit, quod ceteræ suis præstare consue- ueruut. Quod si forte obijcias, Mariam di- uinitatem non genuisse: Respondet Igna- tius martyr, quod nec vlla mater generat humanitatem, siquidem anima hominis à Deo creatur, & de foris aduenit, & corpori infunditur: & tamen hominum matres vo- cantur. [illegible] sunt, qui cum Iesu &

Chri-

Marginal notes (left): [illegible] | [illegible] | De [illegible] | II. Argum. | Ios. & [illegible] | I. Argum. | Dan. 13. | Ibidem. | II. Argum.

Marginal notes (right): III. Argum. | Luc 3. | IV. Argum. | Supra 2. | Matth. 2. | Ibidem. | Ibidem. | Quamnam [illegible] Ioseph. | V. Argum. | Matth. 1. & alibi. | Ioseph quibus de causis pingitur senex, & canus. | Horat. in arte | Sapient. 4. | Maria, cur mater Iesu nominetur. | [illegible] quomodo mater [illegible] | [illegible] ad Philip. [illegible]

Christi eam matrem admittant, Dei autem genetricem negarent, cum [illegible] Christum [illegible] Deum esse concederent. Vnde Concilium Ephesinum contra Nestorium proclamauit, Virginem non tantum Χριστοτόκον verum etiam Θεοτόκον nominandam: ipsa etiam Elisabeth exclamauit: *Et vnde hoc mihi vt veniat mater Domini mei ad me?* Mariam matrem Domini appellans, seu, vt ipsa Hebræo sermone pronuntiauit, mater Iehouah, quod inter alia nomina Dei præcipuum est, & soli Deo conueniens: & Lucas cum articulo dixit, [illegible] id est [illegible], illa mater illius summi Domini: alias certe causa non erat, cur tantopere admiraretur, propterea quod a puella cognata, & fabri vxore visitaretur.

Ephesina synodus prope init. Luc. 1.

Maria qualis mater Christi teste Luca.

Sequitur: *Antequam conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu Sancto.* Duplex est huius verbi [illegible] [illegible], & acceptio: altera quidem pro congressu coniugali, & sic ex hoc loco [illegible] sequenti, nempe: *Non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum*, vsum accepit Heluidius contra Mariæ Virginitatem debacchandi: arguebat enim sic, non minus inepte: *Si antequam conuenirent*, inquit, *inuenta est in vtero habens de Spiritu Sancto, ergo postea per coitum conuenerunt.* Ad hæc respondent patres veteres & orthodoxi, prauam esse deductionem affirmantes. Nam illæ particulæ excipientes: antequam, priusquam, vsque, ad, donec, ac similes, non in scripturis id significant. Id enim [illegible] rationibus & exemplis perimitur. Namque de coruo narratur: *Quod ibat & non reuertebatur, donec siccarentur aquæ*: non significat quod post aquas exsiccatas reuersus sit. deinde ait Propheta: *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*: & Dominus: *Ecce ego vobiscũ sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi*: non est sensus, quod, vbi posuerit inimicos sub pedibus, non debeat amplius sedere ad dexteram: vel, quod post seculi consummationem non sit futurus Christus nobiscum. Simili ratione scriptum est Genes. 35. *Hic est titulus monumenti Rachel, vsque in præsentem diem.* & Deuteron. vltim. *Non cognouit homo sepulchrum Moysi, vsque in præsentem diem*: non significant, post illum diem notum esse sepulchrum Moysis: aut illum titulum Rachelis amplius non extitisse.

Heluidius [illegible] Antequam conuenirent [illegible] locutus est, & c. Primogenitum [illegible], Heluidius [illegible] nimium, & impius.

Hunc sensum [illegible] testimonia scripturarum

Gen. 8.

Psal. 109.

Matth. vlt.

Quoniam vero non satis est Hæreticis obiicere instantias scripturarum, & oportet non solum confirmare nostra, sed etiã destruere ac refellere aliena: ideo diligenter aduerte, has particulas taxantes, siue excipientes significare rei conditionem ante, vel post id, quod dicitur, vel [illegible] tantum significat rem non factam esse, cum fieri posset, [illegible] fieri [illegible] significant [illegible], & [illegible] multo [illegible]. Exemplum [illegible] Christi [illegible] prædicauit [illegible] Abrahæ, [illegible] consequuturum [illegible] fieri voluit. Exemplis [illegible] antequam moreretur, [illegible] non significant, quod post [illegible] abstinuerit se furto, vel [illegible] rum pœnituisse. [illegible] habetur 2. Reg. 6. *[illegible] filius vsque in diem mortis suæ* [illegible] quod post mortem filios [illegible] bene, quod cum potuerit [illegible]. Tale est exemplum Hieronymi [illegible] quam pranderet, in portu [illegible] est sensus, quod post [illegible] derit in portu, sed quod [illegible] vel cum prandere decreuerat, [illegible]. Eiusmodi prope innumera [illegible] possent produci, [illegible] miret, fugit, id est tempore [illegible] 4 Reg. 19. *Arefacta est* [illegible] *quam veniret ad maturitatem*, [illegible] tam ægritudinem medici [illegible] & occidit: non est sententia, [illegible] tum cognita sit ægritudo [illegible] dices damnarunt ipsum ante [illegible] cognoscerent, non significat [illegible] cognouisse caussam iudicasseque [illegible] non est ei locutus, non [illegible] mortem locutus sit. Simile id [illegible] Reg. 3. de Heli exemplum est: *Heli [illegible] culo suo, & oculi eius caligauerant, [illegible] videre lucernam Dei, antequam [illegible].* Quorum verborum intellectus non est, quod extincta candela cerneret, sed quod, antequam extingueretur, præ [illegible] caligine cernere non valebat. [illegible] nere sermonis vsus est Euangelista [illegible] xit: *Antequam conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu Sancto*: & illud: *Non cognouit eam, donec peperit filium suum primogenitum*: non enim significatur postea conuenisse, vel quod partu edito eam [illegible] cognouerit, imo fortius innuit non conuenisse post inuentam illam prægnantem de Spiritu Sancto, & in [illegible] re. Qui enim [illegible] cebat Sacrarium Spiritus Sancti & Messiæ matrem, tangere? [illegible] tur, quòd cum esset tempus, [illegible]

2. Reg. 6.

4. Reg. 19.

1. Reg. 3.

Dictionum illarum excipientium [illegible] ac [illegible] significatus traditur.

Conue-

cognoscendi eam, non cognouerit, multò minus vbi facultas ac tempus opportunum abfuit, quod abesse cognouit, vbi resciuit eam de Spiritu sancto cócepisse, Messiamque peperisse. Hinc Hieronymus in Heluidium:

Hieronym. loco dicto.

Ad summam illud, inquit, *requiro, cur abstinuerit Ioseph vsque ad partus diem? Respondebit, quia Angelum audierat dicentem: Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est. Qui ergò somnio tantùm credidit, vt vxorem non auderet tangere, is, postquam pastorum voce cognouerat, Angelum Domini venisse de cœlo, & ad eos dixisse: Ecce Euangelizo vobis gaudium magnum: & gloria in excelsis Deo: & Simeonem iustum, nunc dimittis seruum tuum Domine: Annam prophetissam, Magos, stellam, Angelos viderat: Qui, inquam, miracula tanta cognouerat, Dei templum, Spiritus sancti sedem, Domini sui matrem audebat attingere?* Hæc ille in sensu. Similia ferè scribit Chrysostomus homil. 1. vel potius Autor operis imperf.

Matth. 1. — Luc. 2. — Ibidem. — Ibidem. — Matth. 2. — Ibidem. — Autor oper. imperf. in Matth. tom. 2. operũ B. Chrysost. in princ.

Quod ergò dicitur de coruo Gen. 8. iuxta Hebræum habetur: *Ibat, & reuertebatur, donec siccarentur aquæ:* significans, quod postea verè non sit reuersus: quia siccata aqua habebat, vbi pedibus consisteret: quamdiu autem aquæ erant super terram, cogebatur reuerti ad arcam, in qua posset quiescere. Illud etiam: *Ego vobiscum sum, &c. vsque ad consummationem seculi;* verè significat, Christum amplius nobiscum non affuturum, illo scilicet assistendi modo, quo nunc dirigit ac gubernat Ecclesiam militantem, quasi sit amplius futurus nobiscum viator, quo de existendi modo ibi est sermo.

Superius producta in hanc sententiam explicantur testimonia scriptu- — Matth. vlt.

Illud prætereà: *Sede, &c. donec ponam inimicos tuos*, hunc habet sensum: Regna in Ecclesia militanti: quod genus regnandi euacuabitur, teste Apostolo 1. Cor. 15. Siquidem euacuabitur Ecclesia, vt militans est. Tamen, quemadmodum Ecclesia militans transibit in triumphantem; ita regnum Christi, quod finem accipiet ratione militantis, permanebit in triumphanti.

Psal. 109. Christus quãdiu est in Ecclesia regnaturus. — 1. Cor. 15.

Eadem ratione Propheta, dum ait: *Oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri:* oculos quidem lachrymosos & supplices habere vult ad Dominum, quousque misereatur; at vbi, venia impetrata, misertus fuerit, non tales deinceps, sed hilares & lætabundos oculos vult habere. De Moysis sepulchro tantùm significatur, quod eousque non fuerit inuentum, non autem quod post sit inuentum, vel inueniendum. Id quoque, *Donec transeat cælum & terra, iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege, &c.* & rursus: *Non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem:* tale est, quale si dixisset, nunquam: quia impossibile est legem Dei vel in vno iota non impleri; quemadmodum impossibile est damnatum ad gehennam soluere quod debet. Et hactenus dictum sit in Heluidium: qui verborum proprietates ex scripturis nolens venari, in fœdam hæresim incidit.

Psal. 122. Oculi nostri quousque habendi ad dominum Deum nostrum, more Prophetæ. — Deut. vlt. — Matth. 1. — Ibidem.

Alter sensus, quomodo videlicet Ioseph & Maria conuenerint. — S. Remigius.

Alio modo accipi potest verbum, *Conuenire*, nempe pro deductione à domo paterna ad proprias ædes, & conuictum, siue familiaritatem, vt S. Remigius notat. Nam coniuges tunc conuenire dicuntur, quando simul viuunt & conuersantur. Atque vt verum fatear, hic sensus mihi mirificè placet (etiamsi Euthymius & alij sensum priorem magis probent & ponant, eam in domum Ioseph traductam) in primis, quia verbum Græcum συνέρχεσθαι, siue συνελθεῖν, Act. 1. & 2. non pro matrimonij congressu accipitur, sed pro conuictu & collectione. Ait etiam Apostolus: *Conuenientibus vobis in vnum, iam non est dominicam cœnam manducare;* & iterum: *Cùm conuenitis, vnusquisque vestrum psalmum habet, doctrinã habet, &c.* Deinde quia Angelus ad Ioseph dixit: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam:* hoc est, noli timere domum ducere: iam enim acceperat quantum ad matrimonij contractum, si eius erat coniux. Præterea, quia idcircò dici potest desponsata, quòd nondum in viri domum esset traducta. Et ad rem maximè facit illud de generis Loth, qui eius filias duxerant, quæ tamen manebant in domo parentis Loth. Item, notatur inuentio non tactu, nec visu tumoris vteri, sed auribus tantummodò audito Angelo; vel audita Maria, quę id retulerat, vel auditis Elisabetha & Zacharia, apud quos manens Virgo prudenter ac rectè mysterium declarauerat. Ideò, antequam conuenirent, intellige, in ædes proprias Ioseph ad habitandum vna, & conuersandum, & antequam posset esse vllus tumor ventris. Nam traductio ad domum viri nõ fuit dilata, ne oriri posset vlla suspicio, sed statim vt Euthymius docet, post desponsationem, cùm iam in domo viri esset prægnantior facta, vt verisimile fieret ex ipso cócepisse; & ita periculum euadere. Sicq; sumpto vocabulo conueniendi, hoc est, deducendi in proprias ædes vxorem, benè posset, ac deberet argumentari Heluidius, quòd postquam cognouit eam concepisse de Spiritu sancto, postea deduxerit domum, & cum ea ad communem mensam, & conuictum conuenerit: *Inuenta est.* Non explicat à quo sit inuenta: sed vt frequentia verba indicãt, supplendum est ab ipso Ioseph viro suo, quo pacto Basilius hom. de humana Christi generatione, & B. Hieronym. in Heluidium

Euthym. — I. Ratio pro huius sensus confirmatione. — 1. Cor. 11. — Infra 14. — II. Ratio. — III. Ratio. — Gen. 19. — IV. Ratio. — Luc. 1. — Ibid. — Ioseph & Mariæ quando conuenerint. — Euthym. c. in Matth. 1. — A quonam sit Virgo inuenta in vtero habẽs de Spiritu sancto. — Basil. hom. 25. de human. Christ. generatio. tom. 1 à medio. — B. Hier. tom. 2. initio.

Quid significetur hoc verbo: inuenta est, &c.
Chrysost. in Matth. hom. 4 aliquanto ante med to. 2. ini
Quomodo inuenta virgo Maria.
Prouerb. 31.
Matth. 13.
Supra 1.

dium exponunt. Nam Ioseph licentia maritali, & curiosis oculis omnia lustrabat. Ex Chrysostomi verò sententia significatur hoc verbo res insperata, neque cogitata præter omnium expectationem, maximè suam, quoniam non se putabat fore virum matris Messiæ. Inuenta est autem tanquam mulier illa fortis ad concipiendum sine viro, de qua loquebatur Salomon: *Mulierem fortem quis inueniet?* Inuenta est rursus vt ager cum thesauro, pro cuius magnitudine non tam initio spe possessionis gauisus (ad quod Angelo hortanti postea obediuit,) quàm suam agnoscens indignitatem, timuit accipere: omnes tamen optabant vt inueniretur hic thesaurus, & Ioseph inuenit: *In vtero habens:* P. o :o quod est, in vtero habere: secutus est enim interpres phrasin Græcam: Erasmus non tam fideliter vertit: *Deprehēsa est grauida de Spiritu sancto.* Sed præstat verba Spiritu sancto dictante conscripta habere, quia significantissima sunt: & familiare est Græcis medicinæ scriptoribus, præsertim Hippocrati, vti ea forma loquēdi, in vtero habere, pro eo quod est, grauidam esse, siue gestare vterum. *In vtero habens.* Non in corde tantùm, sed in vtero, vt Angelus Virgini dixit: *Ecce concipies in vtero.* Beatus venter qui talem fructum tulit: qui texit Filium Dei domo, vestiuit carne, cibauit, & potauit sanguine & lacte: & cibando visitauit, & pariendo redemit, & intus habendo sepeliuit. Huiusmodi enim venter liberabitur à corruptione & dolore partus, à labore gestandi, à multiplicatione conceptum, à miseria incinerationis. Liberatus antea à rebellione in spiritum, ab immunditia gulæ, ab omni contactu libidinoso. Deus autem ante incarnationem replebat ventrem Virginis: sed post incarnationem, humanitatem existentem in ventre sustentabit, Deusq; & omnes beati sibi complacebant in eius aluo, & penetrabant mente, hunc pudicissimum ventrem tanto fructu fuisse repletum: atque etiam nos eius vterum respicientes, non nisi puritatem & sanctitatem, modumque quo Christum in mente nostra concipiamus, atque gestemus, addiscimus. Ecclesia autem admirata tantam Christi dignationem & humilitatem, non immeritò dixit: *Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti Virginis vterū.* Quæri posset; nonne honestius dixisset Euangelista: inuenta est prægnans de Spiritu sancto, quàm, in vtero habens de Spiritu sancto? Dicendum est: Euangelistam alludere voluisse ad verba Prophetarum, vbi mentio vteri fit, cùm Dauidi Messias promitti-

Qualis hæc phrasis. Inuenta est in vtero habens.
Erasmi hæc versio reiicitur, deprehensa est grauida de Spiritu S.
Vterus Mariæ quàm felix.
Luc. 1.
Infrà 11.
Vteri Mariæ prærogatiuæ.
Cur potius Euangelista nō dixerit: Inuenta est prægnans de Spiritu sancto, quàm, in vtero habens de Spiritu S.

tur. Ait quippe Psalm. 131. *Iurauit Dominus Dauid veritatem, &c. de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Iterum: *In te confirmatus sum ex vtero:* item, *In te protectus sum ex vtero. De ventre matris meæ Deus meus es tu.* Rursus: *Ex vtero ante Luciferum genui te,* & alibi: *Ecce, hæreditas Domini filij: merces, fructus ventris:* vbi ex quorundam patrum sententia fructus ventris dicitur Christus. Quibus verbis significabatur, Messiam futurum ex sola matre, atq; ex eius vtero proditurum. Et ita promittitur Dauidi: de fructu ventris tui ponam super sedem tuā, quo significaretur ex filia Dauidis, non ex filio fore generandum, vt rectè quodam loco annotauit Irenæus. Allusit fortassis Euangelij scriptor ad verba Angeli annūciantis Virgini: *Ecce concipies in vtero.* & ad vocem Elisabethæ: *Benedictus fructus ventris tui,* tum ad alterius elogium, quæ Christo concionanti dixit: *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti.* Vt interim omittam quod LXX. Interpretes verbum Prophetæ Isaiæ *Concipiet,* verterunt, γαστρὶ λήψεται, id est, in vtero accipiet. Ait autem Matthæus: *In vtero habens*, non exprimens quid habeat; vt innuat incomprehensum quid, & inenarrabile esse etiam ipsi menti Angelorum, & linguæ. Quamobrem Lucas illud non verbis, sed silentio expressit, & Spiritui sancto per Mariam atque Elisabetham loquenti enarrandum reliquit. Vt autem rectè docet Chrysostomus: *Si nullus nostrum,* inquit, *dicere potest, vel intelligere modum, quo humanus & communis conceptus formatur in vtero: quomodo hic singularis, & planè diuinus cognosci vel explicari poterit? Sola ergò fide ad illum possumus peruenire.* Hæc ille ferè.

Psal. 131.
Psal. 70.
Psal. 21.
Psal. 109.
Psal. 12[illegible]
Fructus ventris cur Messias passim appelletur.
Irene. lib. 3. c. 27.
Quo[illegible] interpres. in vtero habens de Spiritu sancto
Luc. 1.
Ibidem.
Infra 11.
Isai. 7.
Quid in vtero haberet Virgo benedicta, cur suppressit Euangelista.
Luc. 1.
Chrysost. hom. 4. in Matth. aliquanto a princ. to. 2. cuit.

Subiungitur: *De Spiritu sancto.* Non quasi Spiritus sanctus ex substantia deitatis suæ aliquid deciderit vt semen: siquidem natura diuina immutabilis est: Neque est semen ab aliquo viro decisum, & infusum virtute Spiritus sancti in aluum genitalē; nam hoc faciunt spiritus illusores, ac maligni, qui incubi & succubi appellantur: & in eius materiæ effusione Virginitas læderetur, Christusque esset filius illius viri, vnde esset semen decisum, nam qui sic generantur, non malignorum spirituum, verùm illorum, è quibus semen desumptum est, filij nuncupantur. Non autem decuit Christum ex viro nasci, tum quia habebat patrem cœlestem, cui non debuit addi alius pater: tum quia, cùm sit verbum sine corruptione mentis conceptum, haud debuit Christus innocens & incorruptus matrem corrumpere: tum quia nos de Vir-

Christus quomodo conceptus de Spiritu sancto.
Spiritus [illegible] & succubi [illegible] dicantur.
Cur minimè decuerit Christum de viro generari.
1. Ratio ac II.
III. ratio.

Autor operis imperf. hom. 1 tom. eod.
IV. Ratio.

gine nascimur Ecclesia, nec congruum erat (vt ait autor operis imperfecti in Matthæum) vt dignius nascerentur serui, quàm Dominus. Item Spiritus sanctus non creauit nouũ semen, ex quo formaretur Christi corpus, sic enim magis diceretur ad illud semen Christus pertinere: plus enim tribuitur filius patri ob vim agentem, quã matri. Adhæc si ex semine à Spiritu sancto de integro creato productus esset Christus non esset Christus de progenie Adæ: nec conuenienter peccatores ab Adam descendentes redimeret: meliusque fuisset, ac nobis conducibilibus, vt domina nostra esset cognita à viro, & Christum naturaliter cõciperet, vt aptè nos posset redimere. Accedit his, verum non esse id, quod quidam antiqui Rabbini fabulantur, partem videlicet nobiliorem massæ illius, ex qua factus est Adam, seruatam fuisse intactam in eo, & postea in Seth transfusam, & per descendentes omnes vsque ad Ioachim parentem Virginis, ex qua B. Virginis conditum sit corpus. Sed hæc sententia reprobatur à B. Thoma in 3. sententiarum distinct. 3. art. 2. Quoniam si sic res haberet, Christus Virginis, vel Dauidis filius non esset, sed Adæ tantùm. Deinde opus erat prius illam partem assumi, quàm sanari: quod Filio Dei esset indecens. Postremo igitur, de Spiritu sancto dicitur, ceu artifice supra naturam operante, digerente, & formante menstruum sanguinem (qui est materia fœtus) quod virile semen efficere solet. Autor super Matthæum hom. 1. operis imperf. *Spiritus sanctus, inquit, in Sanctificatione præcessit, diuinitate ingrediente pro semine.* Damascenus quoque lib. de Orthodoxa fide ait, quod obumbrauerit super Mariam Dei virtus & sapientia, velut diuinum semen. Negat tamen B. Augustinus serm. XCI. de tempore, vllum fuisse semen, his verbis: *Non vt quidam sceleratissimi opinantur, Spiritum sanctum dicimus fuisse pro semine, sed potentia & virtute creatoris operatum.* Hæc ille. At hoc facilè componi potest. Negat Augustinus, semen ibi fuisse, scilicet corporeum allatum aliunde, vel recens creatum, vel diuinitatem fuisse materiam decisam pro semine: adfuisse tamen Spiritum sanctum diuinitùs supplentem in conceptione, quod semen masculum in communi cæterorum conceptu solet præstare. Nulla ergò in illa cõceptione fuit seminis resolutio, aut menstrui; quemadmodum nonnulli haud satis mundè, neque sanctè cogitantes affirmarunt, salua virginitate, & sine iniuria Filij Dei, B. Virgini contingere potuisse, contra Beati Thomæ doctrinam in tertia par-

V. Ratio.
Si de virili semine Christus esset progenitus, quid inde?
Rabbinorũ de Christi conceptu inane quoddam figmentum refellitur.
B. Thom. to. 4
Vltima ratio. Vetus sensus statuitur.
Autor operis imperf. tom. 2 operum D. Chrysost.
Damasc. lib. 3. Orthod. fidei. c. 2.
Aug. tom. 10.
Quo sensu neget Augustin. in conceptu Christi vllum semen fuisse.
Caiet. in 3. par. q. 31. ar. 1.
B. Thom. to. 12

te, & Beati Damasceni. Quemadmodum enim è limó terræ Adæ corpus formatum fuit, & illi spiraculum vitæ infusum, nimirum anima rationis particeps à Deo creata: ita ex purissimis sanguinibus B. Virginis Spiritus sanctus Christi corpus formauit, suis partibus distinxit, creatamq; animam illi coniunxit, diuinæque verbi hypostasi vniuit.

Damasc. lib. 3. c. 1.
Gen. 2.

Et si verò tota Trinitas ad hoc opus altissimum efficiendũ simul operata sit (cùm integra, vniuersaque Spiritus sancti virtus communis sit illi cum Patre & Filio: non secus ac si tres vnam eandemque manum ad agendum communem haberent, vel vnum & eundem oculum ad videndũ, quicquid vnus illa manu operaretur, vel illo oculo cerneret, dicerentur alij duo & efficere, & videre:) tamen, cùm Spiritus sanctus per viam amoris consummantis & perficientis vias productionis æternas procedat; meritò opera quæ amoris sunt & beneuolentiæ, Spiritui sancto tribuuntur: qua ratione Patri, quæ autoritatis & potentiæ, & quæ artis filio attribuuntur. Cùm ergò opus incarnationis immensi diuini amoris erga homines argumẽtum sit, vt Christus dixit: *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret:* meritò illi adscribitur, vt opus quod merè gratuitum est, nullisque meritis mundi debitum. Ideò nomen Spiritus sancti absolutè hic primò ponitur, vt notat Rupertus: nam antea Spiritus Dei, vel Spiritus Domini, vel spiritus oris eius in scripturis nominabatur. In Psalmo autem quinquagesimo, post spiritum principalem, & spiritum rectum ponitur Spiritus sanctus non absolutè, sed cum pronomine tuus. Ait enim: *Spiritum sanctum tuum ne auferas à me.* A Christi autem tempore cœpit dari in sanctificationem, hinc illud: *Nondum erat spiritus datus; quia Iesus nondum erat glorificatus*: & in die Resurrectionis: *insufflauit in eos, & dixit, accipite Spiritum sanctum.*

Cùm opus incarnationis æquè trium personarũ sit cur vni potissimũ Spiritui sancto attribuatur.
Qualis indiuisa operatio personarum trium.
Ioan. 3.
Rupert. Tuit. Matth. 13 & alibi sæpius.
Gen. 1.
Psal. 132. & sæpè aliàs.
Psal. 50.
Post Christi ortum cur detur Spiritus S.
Ioan. 20.
Infrà 20.

Dicendo ergò de Spiritu sancto absolutè, innuitur in primis operis sanctitas, propter quod Angelus dixit: *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Nam facit Spiritus sanctus sanctè id, quod spiritus seminis virilis non sanctè facere solet. Deinde operis benignitas ac suauitas insinuatur: quemadmodum enim manna ex rore minutum de cœlo descendebat ad pascendum filios Israel; ita hoc verum manna, quod Christus est, dulcior omni manna, & in veteri illo figuratus de cœlo ad nos venit. Vnde ipse dixit: *Non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis*

In eo quod Virginem habere dixit in vtero de Spiritu S. quæ illa insinuanerit Euãgelista.
Exod. 16.
Ioan. 6.

Quam Virgo sancte conceperit.

panem de cœlo verum. Insinuatur insuper, Mariam purissimo amore cōcepisse, ideò Angelus dixit: *Spiritus sanctus superueniet in te. & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Id est: Non solùm non comprimet, vel vexabit, vel Virginitatem lædet, vel ab æstu libidinis præseruabit, verùm etiam ineffabili gaudio implebit, atque refrigerabit.

Cùm Christus sit de Spiritu S. conceptus, an eius filius idcirco dicendus sit.

Sed quæret quispiam, an Christus propterea sit Spiritus sancti filius dicendus; & ipse Spiritus sanctus Christi pater vocandus? Respōsio est, vt quis sit pater alterius, opus est vt de sua sua substantia gignat, & sibi similem in natura, & naturaliter, id est non voluntariè producat: quorum in hoc opere nullum inuenitur. Nam puro amore & voluntate operatus est Spiritus sanctus: neque similem sibi in natura progenuit, cùm ipse sit diuinæ naturæ, Christus humanæ, quatenus ab ipso processit: nam secundùm diuinam potius Spiritus sanctus à Christo procedit, quàm cōtra. Nihil præterea de substantia sancti Spiritus decisum est, vt inde formaretur Christus; sicut Hæretici contendunt ob præpositionem illam ❡ de ❡ quæ substantiam, vel materiam significat: sicut cùm dicimus, de ligno fit cathedra. Nec enim licet dicere, de nocte fit dies, sed ex nocte, quia non est noctis materia. Tamen istæ subtiles vocum differentiæ & proprietates, etsi conferant nōnihil ad intelligentiam Scripturarum; interdum tamen à magnis viris negliguntur, easque mordicus tenere, & putidè seruare, periculosum est. Nam omnibus in rebus modus, & sal est adhibendus: Græcè tamen hic dicitur, ἐκ πνεύματος ἁγίου, id est, ex Spiritu sancto. Non est ergò Spiritus sanctus pater Christi, vt Augustinus in Enchiridio ait: Natus est Christus de Spiritu sancto, cuius non est filius: & de Maria Virgine sicut filius. Vt ergò nos Spiritum adoptionis accipientes efficimur filij Dei, non filij Spiritus sancti: ita Christus ab Spiritu sancto fictus atque formatus est, Deique Patris filius dicitur, nō autem Spiritus sancti.

Ad rationem patris tria requiruntur.

Hæretici nouitatis amantes Spiritum sanctum Christi patrem dicere audent.

Aug. in Enchirid. cap. 38. init. tom. 3. sub initium.

Rom. 8.

Gal. 4.

Notandum verò ex B. Ambrosio lib. de Incarnatione, multa in hoc mysterio supra naturam inueniri, multa etiam secundùm naturam. Quia enim B. Virgo in hac conceptione præstitit, quicquid cæteræ matres in concipiendis filijs suis præstare consueuerunt: nam naturaliter disponunt materiam, ex qua formandus fœtus, illamque ministrant, vt formari queat. quod est virtutis passiuæ, formatamque intus alunt ac nutriunt: meritò Christipara ad hæc officia sine vllo miraculo in Christi conceptione concurrit. Quod verò ad vim actiuam attinet, formantem sanguinem menstruum, totum id est tribuendum diuinæ virtuti: nam solus Spiritus sanctus illud effecit. Et cùm res de more à forma denominetur, & vis illa agens habeat se respectu materiæ vt forma: rectè conceptio absolutè dicitur supra naturam. Siquidem actio vt naturalis sit, ac dicatur, oportet vt quod agit, sit naturale, & materia naturaliter disposita, id est, non resistens vltra vires agentis. Supra naturam verò actio illa dicitur, quam agens supra naturam, ac diuinum, vel in materia inepta efficit, vt in formatione corporis Adæ ex luto, quod in se ineptum erat, ac rude ad corpus humanum. Vel alio modo, vt materia sit quidem naturalis, & naturaliter apta atque disposita, agens verò non sit naturale, sed diuinum, ac supra naturam: vt si homo febricitans miraculo, ac repentè sanetur à febri: nam homo est subiectum natura sua dispositum, vt curetur. Eadem ratione menstruum Mariæ natura sua aptum erat ad formam humani corporis suscipiendam virtute seminis virilis, formans tamē fuit virtus diuina. Ac proinde conceptio ipsa Christi verè fuit diuina atque prodigialis; quanquam B. Virgo Christi fuit mater naturalis. Et formatio quidē Adæ prodigiosa fuit ex agente supra naturam, & materia inepta, nempe luto: at formatio corporis Christi tantùm ex primo supra naturam extitit, ratione tamen vnionis cum diuina Verbi hypostasi, & gratiarum plenitudinis, ad quam terminata est Christi conceptio, multò est admirabilior & excellentior, quàm illa Adæ.

Ambros. lib. de incarna. Dom. Sacramento, c. 6. per tot. to. 2. in fin.

Quænam supra naturā quæ rursus secundùm naturam contineat mysterium Incarnationis secundùm Ambros.

Rem forma denominat.

Actio quæ naturalis sit, quæ supra naturam.

Gen. 2.

Adæ formatio ab illa Christi, in quo differat.

Contendamus igitur, quantum in nobis est, vt plena fide hoc mysterium amplectamur: nam ex hoc digni erimus, quibus Deus donet oculos spirituales, vt quoquo modo illud intelligamus, & contemplantes ineffabili gaudio repleamur. Sic enim fiet, vt aliquando habere in corde de Spiritu sancto inueniamur, Christum in mente nostra concipientes per sanctioris vitæ votum, quem suo tempore per fructum bonorum operum in lucem edamus, præstante ipso Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre ac Spiritu sancto viuit ac regnat in secula seculorum

Amen.

Qua ratione participes Dominicæ Incarnationis esse valeamus.

TRA-

TRACTATVS XXX.

In illa verba : *Ioseph autem vir eius, cùm esset iustus,& nollet eam traducere; voluit occultè dimittere eam. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei dicens: Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam,* &c.vsque ad: *Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.*

Matth.1.

Iustitia quàm generalis virtus.

Aristot.lib. 4. Ethi.c.1.tom. 3.in princ.

Gen.7.

Act.7.

De laudibus sanctiss. Dei genitricis sponsi.

QVoniam Ioseph sponsus Virginis in his primis verbis iustu absolutè vocatur,quod magnum est virtutum suarum argumentum:nam iustitia,Philosopho teste,omnem virtutem amplectitur: & iustus in Scripturis,perfectus, & omnib. virtutibus cumulatus significatur : vnde ad Noe Dominus dixit:*Te vidi iustum coram me in generatione hac*. Et Christus absolutè nomine iusti significatur : vnde Stephanus ait de Iudæis,quòd occiderunt Prophetas,qui prænunciabant de aduétu iusti, id est,Messiæ : ideò meritò aliquid de excellentia,& virtutum eius præstãtia hoc loco breuiter disserédum est. Non enim sine caussa,mysterioque vocatus est Ioseph, nempe Domini augmẽtum: duplici enim nomine auxit eum Dominus,quantum augeri potuit. Primùm quidem in eo , quòd fuit electus in sponsum sanctissimæ Virginis Deiparæ. Legitur enim Deus Opt.Max.tria per se ipsum matrimonia conciliasse. Primũ quidem illud inter Adam & Euam in paradiso celebratum:deinde illud Oseæ, cum vxore fornicaria,quod Dei mãdato initum fuit:tertium Iosephi cum Maria,quod singulariter etiam edito miraculo à Deo perfectum fuit.Et vt ait Salomon:*Domus & diuitiæ dantur à parentibus; à Domino autem propriè vxor prudens*.Et in alio loco:*Mulieris bonæ beatus vir: numerus enim annorum illorum duplex.Pars bona,mulier bona , in parte bona timentiũ Deum,dabitur viro pro factis bonis.* Fuit ergò fortunatus,& verè beatus Ioseph, cui tam sancta mulier obtigit, ac de qua canit Ecclesia:

Ioseph quid sonet.

Tria legitur Deus matrimonia per se ipsum conciliasse,& quænam illa.

Gen.2.

Oseæ 1.

Prouerb.19.

Eccli.26.

Quam fuerit fortunatus Ioseph.

Sola sine exemplo placuisti fœmina Christo.

& singularia virtutum opus est præcessisse merita, quibus tantum bonum quasi præmij loco repensum fuit.Cumque ratio naturalis dictet, paritatem conditionis & ætatis,ac morum similitudinem exigendam ad matrimonium fœliciter ineundum, & ad iam initum iocundè conseruãdum: profectò probabile valdè est, maximam propinquitatem,ac morum cõiunctionem Ioseph inter & beatam Virginem extitisse, tametsi par & æquale meritis Virginis quicquam inuenire sit impossibile. Deinde auctus fuit ex consequenti,in eo, quòd pater Christi filij Mariæ Virginis, ac cõiugis suæ habitus est : atque hoc donum sanè priori est excellentius, vt Christus vocatus filius eius putaretur. Quemadmodum enim racemus vitis naturam nescienti, quæ vlmo sustẽtatur, vt fructus vlmi existimari posset, & ab eo veluti parente profectus : sic Christus Iesus, qui Virginis Mariæ solius filius erat,Iosephi tamen,cui illa nupserat, cuique,vt viro sponsa nitebatur, filius est existimatus. Fuit autem Ioseph Christi pater legalis,quia natus est in fundo suo, hoc est,in vtero vxoris suæ : quemadmodum quod nascitur in vinea mea,meum est. Vnde Iustinus martyr in responsione ad quæstionem 133.tractans quomodo Iesus dicatur Iosephi filius,pulchrè ait : *Quemadmodũ namq; Ioseph vocatus est Eli filius, non autem ex eo genitus,quia diuinæ legi ita placitum fuit, ex vxore Eli dare eidem Heli filium:ad eundem modum Deo visum est,ex coniuge Ioseph filium dare eidem Ioseph,naturaliter ex eo non genitum. Ioseph,ait,fili Dauid,ne metuas adiungere tibi Mariam mulierem tuam. Nam id quod ex muliere quapiam,absque stupro & fornicatione progignitur,necessariò viri & vxoris filius est; cuiusmodi ratione Deus dare vult filium viro per copulationem videlicet,vel citra copulationem.* Hæc ille. Præterea si adoptio,quæ hominum est inuentum,verè facit filium eius, quem quis adoptauit,apud homines;ita vt in eũ transferat non solùm nomen familiæ,verùm etiam hæreditatem: quidni ergò Deus potuerit Ioseph patrem Christi constituere ? Adhæc,si verba Christi pendẽtis in cruce, ad matrem, Ioannemque discipulum eius loquentis expendantur,nempe :*Mulier ecce filius tuus,*&;*Ecce mater tua,*quandam matris rationem in Maria Virgine effecerunt respectu Ioannis,& aliquam filij rationem in Ioanne respectu Mariæ, & fortiorem quidem,quàm natura, ac proinde amorem,curam,obedientiam, ius adeundi hæreditatem, si qua fuisset in bonis, operata sunt: nihil mirum videri debet, si aliquam verã rationem patris, ac ius in Christum quasi in filiũ Ioseph habuerit. His accedit,quòd si in filijs miraculo habitis, vt in Isaac filio Abrahæ, Ioanne Baptista Zachariæ filio, non tollitur quin sint veri filij, alter Abrahæ,alter verò Zachariæ, etiamsi animam non dederint, ac vim generandi filiorum diuinitùs à Deo acceperint, atque illi filij mores,ac naturam parentum referebant:

Ioseph inter & Mariam quanta propinquitas fuecit, morumque coniunctio.

Ioseph Christi parentem fuisse,quantum beneficium.

Quomodò Ioseph Christi pater potuerit existimari.

Ioseph vt fuerit pater Christi legalis.

Iustin. martyr.tom.3.

Luc.3.

Matth.1.

II.ratio,ab adoptionis natura,quod Ioseph fuerit Christi pater.

III. Ratio.

Ioan 19.

Ioannes Euangelista qualis meruerit Mariæ Virginis filius à Christo constitui.

IV.Ratio.

Gen.21.

Luc.1.

eadem ac fortiori ratione Chriſtus filius Ioſephi habere potuit, quanquam vim gignẽdi per Spiritum ſanctum fuiſſe ſuppletam, aliquo modo dici poſſit per conſenſum interpretatiuum ſcilicet, ſi cognoſcere potuit myſterium Incarnationis. Vereque Ieſus Chriſtus Ioſephi ingenium, ac proprietates, poſt illas B. matris Mariæ referebat: quia ſimiles effectus à cauſſa ijs, qui itẽ à ſecũda producuntur. Atque hæc quidem duo eminentiſſima, præexcelſaque priuilegia, ex decentia quadam multa alia ſingularia dona illa præcedere, & alia conſequi debuerunt.

Ioſeph cur debuit eſſe Chriſto conſanguineus.

In primis enim quod attinet ad corpus, debuit eſſe Chriſti conſanguineus: vt Chriſtus expectatus filius Dauid, meritò Ioſeph filius putaretur. Vnde Angelus toties ait illi: *Ioſeph fili Dauid:* verè enim de domo Dauid, & regia de ſtirpe deſcendit: nobilis carne, ſed fide nobilior: quem, tanquam alterum Dauid, Dominus inuenit iuxta cor ſuum, cui tutò cõmitteret ſecretiſſimum atque ſacratiſſimum ſui corporis arcanum.

1. Reg. 13.

Idem cur vir eſſe debuit.

Deinde quod ſpectat ad ætatem, vir eſſe debuit, non adoleſcentulus, seniculuſve, vt omnis laſciuiæ ſuſpicio tolleretur, & vt in robuſta & media ætate ad miniſterium Chriſti, Virginique impendendum eſſet idoneus.

Idem quare virgo fuit.

Adhæc virgo fuit, quia virginis Chriſti pater habitus, & maritus item Virginis. Quoniã enim B. Virgo mater Dei fuit, decens erat, vt ea puritate, (vt Anſelmus ait) qua maior ſub Deo nequit intelligi, illa niteret.

B. Anſelm. de conceptu Virgin. ca. 12. & 13. tom. 3.

Simili propemodum ratione Ioſeph, qui Chriſti parens habẽdus erat, & Virginis Mariæ exiſtimandus maritus, profectò conueniens fuit, vt ea prærogatiua polleret, quæ talis ac tanti ſponſi ad talem ac tantam ſpõſam, *de qua natus eſt Ieſus*, ſimilitudinem exprimeret. Vt enim laus ſanctæ Deiparæ ad Chriſtum filium ſpectat: ita commendatio Ioſeph, laudatio eſt vtriuſq; tam filij, quàm matris.

Matth. 2.

Et quẽadmodum *filij dedecus eſt pater ſine honore*, ſic dedecus ſponſæ, ſponſus inglorius, ac ſine honore.

Eccl. 3.

Mira Ioſeph pudicitia & integritas.

Neque tantùm fuit Virgo, ſed etiam vt quidam tradunt, omnis concupiſcentiæ fomes extinctus in eo fuit, vt dignius cum ſponſa ſua valeret conuerſari.

Virginei aſpectus Mariæ quanta vis.

Nã ſi Mariæ Virginis aſpectus tam benignus erat, vt in quolibet in eam intuẽte omnem concupiſcentiæ reprimeret ardorem, vt quidam traditione à Iudæis accepta ſcripto prodiderunt: quanto magis in ſponſo ſuo id efficeret, vt poſſet conuenienter ac ſanctè, vt Sunamitis cum Dauide conuerſari, quam nũquam tetigit, vt Scriptura docet?

3. Reg. 1.

Atque hæc quidem tria priuilegia, ſi corpus ſpectes, Ioſeph habuit. Quod verò ad animum pertinet, fuit in primis fidelis ad accipiendam promiſſionem, vt eſſet pater Chriſti.

Ioſeph animi prærogatiuæ percenſentur. Quam fidelis extiterit.

Nam vt Abraham pater fuit Meſſiæ, ſed hominis, Dauid verò, Regis: ita ipſe Saluatoris de Spiritu ſancto cõcepti, nempe Dei. Ex quo ait illi Angelus: *Pariet autẽ filium, & vocabis nomen eius Ieſum.*

Matth. 1.

Quare vt Maria fidelis fuit, & beata fide, ſic Ioſeph per fidem beatus.

Luc. 1.

Eiuſdem fidelitas.

Fuit etiam alio in ſenſu fidelis, id eſt, fidelitatem ſeruans illi, qui talem ſibi ac tantum theſaurum, tanto tempore ſeruandũ commiſit, Ieſum nimirum, & matrem. Vnde auſim affirmare, fideliorem fuiſſe priori Ioſeph, qui pluries ſollicitatus vxorẽ domini ſui noluit tãgere, quo ſe fidelem exhiberet Deo ac Domino ſuo.

Gen. 39.

Ioſeph vir prudentiæ ſingularis.

Deinde fuit ſingulari prudentia præditus, quæ neceſſaria eſt in miniſtro, & magnam in eo commendationem habet. Nã vt Dominus ait: *Fidelis ſeruus & prudens; quem conſtituit Dominus ſuus ſuper familiam ſuã.*

Matth. 24.

Supra 2.

Prudenter enim fugit Herodem & Archelaũ, qui necem Chriſti Ieſu meditabãtur. Prudentior etiam fuit multò quàm Ioſeph Ægypti Princeps, qui frumentum pro futuræ ſterilitatis annis prouidè conſeruauit: hic autem verum granum frumenti, quo iuſti omnes & beati ſatiantur, ſeruauit, ac cuſtodiuit.

Gen. 41. & ſeq.

Ioan. 12.

Matt. 15.

Pſal. 147.

Quod pulchrè indicat B. Bernar. cõparando antiquum Ioſeph filium, cum Ioſepho B. Virginis ſponſo. Sic. n. ille hom. 2. ſuper Miſſus eſt, philoſophatur:

B. Bernard.

Eiuſdem cum patriarcha Ioſeph comparatio B. Bernardi.

Conijce iam, inquit, *ex hac appellatione, qua, licet diſpenſatoria, meruit honorari, adeò vt pater Dei & dictus & creditus ſit: cõijce & ex proprio vocabulo, quod argumentum non dubitas interpretari, quis & qualis homo fuerit iſte homo Ioſeph. Simul, & memento magni illius quondam Patriarchæ venditi in Aegypto, & ſcito ipſius iſtum non ſolùm vocabulum fuiſſe ſortitum, ſed & caſtimoniam adeptum, innocentiam aſſecutum, & gratiam.*

Gen. 37.

Ioſeph patriarcha a fratribus ſuis venditus quid præſignauit.

Siquidem ille Ioſeph fraterna ex inuidia venditus & ductus in Aegyptum, Chriſti venditionem præfigurauit: iſte Ioſeph Herodianã inuidiã fugiens, Chriſtum in Aegyptum portauit.

Matth. 26.

Suprà 2.

Ille domino ſuo fidem ſeruans dominæ noluit commiſceri: iſte dominam ſuam domini ſui matrem virginem agnoſcens, & ipſe continens fideliter cuſtodiuit.

Gen. 39.

Illi data eſt intelligentia in myſterijs ſomniorum: iſti datum eſt, conſcium fieri atque participem cœleſtium ſacramentorum.

Infrà 41.

Ille frumenta ſeruauit, nõ ſibi, ſed omni populo: iſte panem viuum è cœlo ſeruandum accepit, tam ſibi, quàm toti mundo.

Ioan. 6.

Hæc ille.

Ioſeph quàm fortis & patiens.

Item fortis fuit, & patiens in cruce cum Ieſu & Maria perferenda, eundo in Bethleem, fugiendo in Aegyptum, laborando proprijs manibus, & Chriſtum cum matre nutriendo.

Luc. 2.

Matth. 2.

Elucet ergò eius fortitudo in incommodis paupertatis, & labore

manuum,

manuum,in periculosa peregrinatione ad gentem hostilē,in iniurijs propter Christū tolerandis. Ex contemptu enim, Pharisæi dicebāt de Christo: *Nonne hic est fabri filius?* Sed ille nimirum in his omnibus augebatur. Adhæc fuit verè obediens, tum Deo in præceptis legis: nam ascendebat ad stata festa de more Iudæorum ; tum Angelis, quorum monitis promptè,& alacriter obtemperabat;tum Cæsari, proficiscendo in Bethleem cum sponsa sua, vt profiteretur. Nec in ijs modò,qui leuia erant, ac facilia factu,obedientem,ac morigerum se præstabat,verùm etiam in duris,asperis,atque laboriosis:vt in solutione sensus , in fuga in Aegyptum, in reditu cum metu Archelai Regis. Præstabat etiam obedientiam cœcā, non respondens,neque se excusans: ideo ab Euangelista inducitur semper silens ac taciturnus,atque re quod imperatū est, præstās.Idcirco mirificè auctus à Domino est.

Matth.13 — Ioseph verè obediens,& legis obseruantissimus. — Luc. 2. — Matth. 1. — Infra 2. — Luc. 2. — Ibidem. — Matth. 2. — Ibidem.

Fuit insuper insigni temperantiæ virtute, & puritatis præditus,& ornatus: non enim eligeretur in maritum virginis antè corruptus,vel incontinens:quoniam virga in manu eius effloresciit, ad significandum Mariā virginem (quæ virga dicitur de radice Iesse)sine humano humore concepisse.Quod si virgo continens fuit, vt probatū est,quia pares cum paribus Deus facilè congregat: ergo temperatus in cibo fuit , sobrius in potu,in aspectu, oculisque pudicus, in verbis, & gestu sanctus, atque modestus;asperitatemq; corpori suo adhibebat, qua sine castitas non custoditur.

Ioseph temperantiæ,& honestatis virtute conspicuus. — Isa. 11. — Quid quod virga in manu eius effloruit.

Præterea, humilitate conspicuus fuit: nam si iustus erat , iustitiæ præcipua pars est,Deo se humilem exhibere: talique humilitate opus illi erat,ne de tātis donis elatus,insolesceret,& superbiret: tum etiam, quia cum humilibus Christo,& Maria erat conuicturus.Eratque,vt existimo, durissima sibi humillimo prouincia, quòd præcipiēdum sibi esset verbo æterno incarnato, cui parent dominationes, & subiectæ sunt cum timore potestates: similiter quod matri verbi, Angelorumque Reginæ erat imperandum. Vterq; enim sibi subditus erat, Iesus quidem vt filius,de quo est scriptum: *& erat subditus illis*; Maria verò lege matrimonij:quare grauissimū sibi, & planè molestum videbatur, talibus,ac tātis dominis præcepta dare.Nam & ille magnus Ioannes Christo ad se venienti ex humilitate dixit: *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* & Petrus:*Domine tu mihi lauas pedes?* Et Elisabetha ad Virginem:*Et vnde hoc mihi , vt veniat mater Domini mei ad me?* Deinde illustris & conspicua redditur eius humilitas ex eo, quòd occultè voluit dimittere Mariam cōiugem suam,cuius conuictu,& consuetudine prorsus se iudicabat indignū. Atque ita intelligo hoc verbum: *Ioseph autem vir eius cum esset iustus*, id est, humilis, ac demissè modestq; de se sentiens. Veluti cùm Christus Ioanni respondit : *Sic nos decet implere omnem iustitiam*: per iustitiam, humilitatem intellexit, illamque , quasi deliquisset,vt cæteri peccatores,in actu suscipiendi baptismi,manifeste indicauit.

Humilitate Ioseph quanta polleret. — Qua ratione Christus, & Maria Ioseph paruerint. — Luc. 2. — Matth. 3. — Ioan. 13. — Luc. 1. — Item quam humilis Ioseph. — Matth. 3.

Sed vt propius ad Euangeliū accedamus, penitiusque hanc Ioseph humilitatem perspiciamus, ardua quæstio hoc loco discutienda est , nempe quæ fuerit caussa,cur Ioseph cogitauerit de dimittenda B.Virgine vxore:& an sinistrum aliquid de B. Virgine sit suspicatus. Nam inter patres etiam veteres haud satis constat,quāobrem illam dimittere decreuerit , alijs atque alijs varia variè opinantibus & sentientibus.Triplex est igitur sanctorum patrum sententia. Prima, atque illa quidem cōmunior,& quam prima facie textus Euāgelij videtur porrigere, asserit Iosephum dubitasse de Virginis castitate, valdeque excruciatum fuisse, quod illam videret prægnantem,quā sciebat se non attigisse. Huius sententiæ est in primis Iustin. Martyr in dialogo suo cum Tryphone contra Iudæos,Ioachimo Perionio interprete: *Iosephus etiam is, qui Mariæ sponsus erat,cum vellet spōsam suam principio eijcere,quod eam ex viro grauidatā esse existimaret, id est,ex stupro,in visu & somno ei præceptum est , ne vxorem suam repudiaret, cùm ei dixisset Angelus , qui se ei patefecerat , ex Spiritu sancto esse id,quod in vtero haberet.* Hæc ille. Deinde Augustinus, qui epist.54.scribens ad Macedonium,ait: *Ioseph,cui virgo Maria Domini mater fuerat desponsata; cùm eam comperisset esse prægnantem , cui se nouerat non esse commixtum , & ob hoc nihil aliud quam adulteram credidisset:puniri tamen eam noluit, nec approbator flagitij fuit.* Idem sermone 14.de Natali Domini : *Nescit*, inquit, *interea Ioseph Mariæ sponsus, quid cum Maria ageret Angelus,subitoque Ioseph intuitu familiari , & licentia maritali aspicit Mariam coniugem suam. Vidit eam gressibus grauari, intellexit Mariā vterum grauidari. Turbatur Ioseph homo iustus, quòd Mariam nunquam de templo Domini acceperat , & nondum cognouerat , & grauidam sentiebat, & quam non meruerat in coniugij honorem,iam haberet in confusionem. Secumque diu æstuans disputat, dicens : Vnde hoc contigit quod euenit? Non cognoui , non noui,non tetigi non violaui,non grauidaui. Heu heu quid contigit,&c.Quid ergo faciam? quid agam ? Anxior , gemo , doleo , curro, consilium quæro. ni*

Quæ fuerit Ioseph caussa cogitandi de dimittenda B. Virgine coniuge sua. — 1.Opinio. — Iustin. Mar. to.1. — August.to.2. — Idem tom.10.

penitus inuenio Prodo adulterium, aut taceo opprobrium? Si prodidero, adulterium quidem non consentio, sed naeuum crudelitatis incurro: quia secundum libri Moysis sententiam, lapidandam esse cognosco. Si tacuero, malum consentio, & cum adulteris portionem meam pono. Quoniam ergo tacere malum est, adulterium prodere peius est: nec per me fiat homicidium, dimittam eam coniugio. Hæc ille, qui similia in alijs locis tradit, præsertim sermon.16. de verbis Domini. Idem docent, Chrysostomus in proprio opere super Matthæum, & autor imperfecti operis super eundem, Euthymius, & alij multi. Eidem sententiæ subscribunt Hilarius Can.1. in Matthæum. Theophylactus etiam testatur quod Ioseph prę multa benignitate nolebat esse in eam crudelis.

[Deut. 17. Psalm. 49. Idem eodem tomo. Chrys. ho. 4. in Matt. to. 2. Author oper. imperfect. in Matt. to. eod.]

[I. Argum. pro illa opinione.] Atque hanc quidem sententiam confirmãt ex illis verbis: *Cum esset vir iustus, & nollet eam traducere:* vbi verbum Græcum est, παραδειγματίσαι, quod ad literam significat exemplificare, vel in exemplum ponere [August. to. 2.] Augustinus epistol.59. qu.7. ad Paulinum vertit, exemplare: & epist.54. ad Macedó. vertit, & nollet eam diuulgare, & Latinè dicitur, & eleganter, traducere, hoc est, in publicum sermonem vulgi efferre, vel populi fabulam reddere: trãslatum ab ijs, qui [Traducere quid.] ignominiæ caussa, vt damnati & malefici per celeberrima vrbis loca perducuntur, quales ferè sunt lenæ, & polygami, cùm mitellati per ciuitatis publica loca efferuntur, vt catamidientur, ac derideantur. [Qui soleant ferè traduci.] Et ponderat Chrysostomus, quod non solùm noluit eam κολάσαι, id est, punire, sed nec παραδειγματίσαι, id est, publicare, & in iudicium tradere. [Chrysost. loco supradicto. Hilar. can. 1. in Matth.] Hilarius interpretatur, legum exemplar edere in aliquempiam. [Theophyl.] Theophylact. exponit παραδειγματίσαι, τουτέστι φανερῶσαι ἢ κολάζεσθαι: hoc est, traducere, & manifestare, siue punire crimen. Ea est vis huius verbi apud Salomonem, [Sap. 4.] Sapient. 4. *Traducent, inquit, impios ex aduerso iniquitates ipsorum.* Et cap.12. [Colos. 2.] *Horum qui te nesciunt, audaciam traducis.* Et ad Paulum Colos. secundo, vbi dicitur traduxisse confidenter [Hebr. 6.] principatus & potestates. Et ad Hebræos [Propert.] sexto: *Rursum crucifigentes sibimet ipsis filium Dei & ostentui habentes.* Et Propertius lib.2.

Nec sit infamis totam traduceret vrbem.

Atque ita traducere, non significat, in domum ducere, vt quidam exponunt, etiam si interdú ea sit vis Latini verbi illius. Vnde [Callimach.] Callimachus de vxore æquali ducenda in quodam Epigrammate dixit:

Atque parem paruus latus traduxit in ædes.

[II. Argum.] Deinde huic opinioni fauet verbum Angeli dicentis: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est:* quibus verbis illum pacatum, & quietum reddere conatus est, ne adulterium suspicetur, indicando eam de spiritu sancto concepisse. Addunt prçterea, quòd [III. Argum. Ioan. 20.] quemadmodum Deus per dubitationé B. Thomæ Apostoli de resurrectione Christi hæsitantis, & vacillantis, curauit plagas dubitationis, certissimosq; de tanto nos mysterio reddit: Simili ratione Iosepho de castitate Beatç Virginis dubitante, certissimos nos reddidit Spiritus Sanctus tum de matris virginitate, tum de Christi per Spiritum Sanctum facta conceptione. Docuitque Ioseph suo exemplo, quid coniugati, quibus misera hçc sors cótigit vxoris adulteræ, in ea calamitate atque aduersitate facere debeant, videlicet vt potius ad clemétiam, quàm ad crudelitatem inclinét. [Quid viris faciendum cum vxoribus in adulterio deprehensis, exemplo Iosephi.] Hinc Ambrosius in Lucam: *Pulchrè autem docuit sanctus Matthæus Euangelista quid facere debeat iustus, qui probrum coniugis deprehenderit, vt incruentum ab homicidio, castum ab adulterio* [Ambr. lib. 2. in Luc. cap. 1. sub fin to. 5.] *præstare se debeat.* Et Augustinus de verb. Domini: *Si solus nosti quia (aliquis) peccauit in te, & eum vis coram omnibus arguere, non es correptor, sed proditor. Attende quemadmodum vir iustus Ioseph tãto flagitio, quod de vxore fuerat suspicatus, tãta benignitate pepercit, antequã sciret vnde illa conceperat, quia grauidam senserat, & se ad illam non accessisse nouerat. Restabat itaque certa adulterij suspicio, & tamen quia ipse solus senserat, solus ipse sciebat. Quid de illo ait Euangelium? Ioseph autem cum esset vir iustus, & nollet eam diuulgare, mariti dolor non vindictam quæsiuit. Voluit prodesse peccanti, non punire peccantem.* Hæc ille. [Aug. ser. 16. de verbis Domini, cap. 7. in prin. to. 10.]

[Qua ratione noluerit Ioseph dimittere Mariam cõiugem suam.] Voluit ergo dimittere eam non per fugam occultam, vt serui fugitiui dimittunt dominos suos, sed tantum nolens caussam separationis, vel dimissionis in vulgus efferre: quia non cogebatur quispiam in lege caussam diuortij coram iudicibus, vel in vulgus indicare, sed satis erat vxori dare libellum repudij in manus, iuxta id Deut. 24. [Deut. 24.] *Si acceperit homo vxorem, & habuerit eam; & non inuenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam fœditatem; scribet libellum repudij, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua.* Hæc ille. Cùm autem, vt docet [Modestin. Iuriscon.] Modestinus Iurisconsultus, diuortium inter virum & vxorem fiat, repudium verò sponsæ ab sponso remittatur: hæc dimissio potius repudium sponsæ, quam nondum attigerat, quàm diuortium vocandum est.

[II Opinio.] Secunda sententia est eorum, qui opinantur nihil mali fuisse suspicatum Ioseph de beata Virgine, sed tantummodo latuisse illum Incarnationis peractum mysterium,

atque

Hiero. to. 9. in princ.

atque huius ſententię eſt Hieronymus, qui ſuper Matthæum ita ſcribit: *Sed hoc teſtimonium Mariæ eſt, quod Ioſeph ſciens illius caſtitatem, & admirans quod viderat, celat ſilentio cuius myſterium neſciebat.* Hæc ille. Cuius ſententiæ ſubſcribit Haymon in homilia huius Euangelij: Quęritur ſi inuenta eſt à Ioſeph habens de Spiritu ſancto, cur dimittere eam voluit? Ideo ſcilicet, quia nec totum ſciuit, nec totum ignorauit. Nouerat in vtero habentem non de carnali concubitu, ſed ſpiritali virtute: de quo verò Spiritu conceperit, ignorabat, quod ei aperitur quaſi neſcienti de Spiritu, dum inducit, ſancto, & reliqua.

Haymō in vigilijs natiuitatis Domini, in parte Hyemali, ſub init.

III. Opinio.

Tertia ſententia eorum eſt, qui longius progreſſi ſentiunt Ioſeph ſanctum, & humilem non ignoraſſe myſterinm Conceceptionis filij Dei; ſed ſe tanto honore præ modeſtia, tantæque Virginis conſortio indignum exiſtimaſſe, ius ſuum videlicet, honorem, ac reuerentiam, iuſtitiæ debitum, Verbo incarnato, ac Matri ſanctiſſimæ reddere volentem, ac de ea dimittenda cogitaſſe, memorem eius, quod dictum eſt Moyſi: *Ne appropies huc: Solue calceamentum de pedibus tuis, locus enim, in quo ſtas terra ſancta eſt.* Petrus ſimili ſpiritu humilitatis inductus, emiſit hanc vocem: *Exi à me quia homo peccator ſum Domine:* Et Centurio cogaita Chriſti diuinitate, prorupit in hæc verba: *Domine noli vexari: Non enim ſum dignus, vt ſub tectum meum intres: propter quod & me ipſum non ſum dignum arbitratus, vt venirem ad te: ſed dic verbo, & ſanabitur puer meus.* In eodem ſpiritu Eliſabetha dixit: *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me?* Et filius eius Ioannes Baptiſta; *Venit fortior poſt me, cuius non ſum dignus procumbens ſoluere corrigiam calceamentorum eius.* Vides itaque, quemadmodum omnes, qui ab initio cognouerunt Chriſti magnitudinem, ac diuinitatem, ſe ipſos illi humiliaſſe, ius ſuum reuerentię, honorificentiæque quaſi iuſtos illi tribuiſſe. Atque hac mente, & ſpiritu beatum Ioſephum hinc agnita ſua paruitate, indignitateque, inde verò præſtantia atque eminentia coniugis ſuæ, quæ effecta erat mater Meſſiæ pariter, & Dei, ex mera modeſtia, & animi ſubmiſſione vt illam dimitteret ſubdeliberaſſe, dum veretur ne illius conuictu, & conſuetudine, Deum fortaſſis offenderet. Cuius quidem ſententiæ ſunt in primis multi veteres Patres, ac recentiores: magnæ etiam & efficaces rationes ad idem perſuadendum exiſtunt. Quæ verò producuntur in contrarium, facili negotio diſ-

Exod. 3.

Luc. 5.

Infrà 7.

Supra. 1.

Marc. 1.

Ioſeph humilitas profunda.

Sanctum Ioſeph humilitatis ſtudio, non ſuſpicione Mariam coniugem ſuam dimittere tantùm voluiſſe.

ſolui poſſunt. Et in primis Origenes homilia in hoc Euangelium: *Quærendum, inquit eſt nobis, nunquid cogitauerit, vt occultè eam dimitteret: & ſi cogitabat, vt eam dimitteret: & ſi ita ſuſpicionem in eam habebat, quomodo iuſtus erat? Si ergo eſt ſuſpicatus, vel tale aliquid cogitauit cur eam dimittere volebat, vt immaculatum, & ſanctam vellet dimittere? Iniuſtum enim & hoc erat. Sed ſimplicitatem ſenſus audi huius orationis. Iuſtus erat Ioſeph, & illa virgo immaculata erat: ſed ideo eam dimittere volebat, quoniam virtutem myſterij, & Sacramentum quoddam magnificum in eadem cognoſcebat, cui approximare ſe indignum exiſtimabat. Ergo humilians ſe ante tantam, & tam ineffabilem rem, quærebat ſe longè facere. Sicut & beatus Petrus Domino ſe humilians, aiebat: Secede à me Domine, quoniam ego peccator ſum: vel ſicut ille Centurio ad eundem Dominum mittens dicebat: Non ſum dignus vt intres ſub tectum meum, quia neque me ipſum dignum exiſtimaui ad te venire: vel ſicut ſancta Eliſabeth ad ipſam beatam Mariam locuta eſt dicens: Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Sic & Ioſeph iuſtè humilians ſeſe in omnibus cauebat, & timebat ſibimetipſi, tanta ſanctitatis comunctionem adhibere. Idcirco occultè volebat eam dimittere: Dimittam eam, dicens, & à me longè faciam eam, & à cognitione mea. Maior eſt enim eius dignitas, ſuperexcellit eius ſanctitas, nec meæ congruit indignitati. Ideò volebat occultè dimittere eam.* Hæc ille. Deinde Baſilius homilia de humana Chriſti generatione. *Inuenta eſt*, inquit, *grauida de Spiritu ſancto: ambo inuenit Ioſeph: & conceptionem, & cauſſam, quòd de Spiritu ſancto. Quapropter timens eiuſmodi mulieris vir nominari, clanculum ipſam dimittere voluit; non auſus publicare, quomodo res ipſius haberent. Cùm autem eſſet iuſtus, aſſecutus eſt myſteriorum reuelatione: nam dum hæc ipſa animo verſaret, Angelus Domini apparuit ipſi per ſomnium dicens: Ne timeas accipere Mariam vxorem tuam; nec illud cogita, quod ſuſpicionibus abſurdis obumbrabis peccatum. Iuſtus enim appellatus es, non eſt viri iuſti, iniquitates ſilentio contegere. Ne timeas accipere Mariam vxorem tuam: oſtendit quòd non moleſtè tulit, neque faſtidiuit, ſed timuit ipſam velut Spiritu ſancto repletam.* Idem etiam tenet Theophylactus, qui etſi priorem ſententiam attulerat, vt ſupra diximus; in hanc tamen ſecúdam magis propédet, dicens: *Deinde quia & ipſe cognouit de Spiritu ſancto eam concepiſſe; propterea noluit traducere, & affligere eam, quæ à Spiritu ſancto, non ex adultero conceperat. Vide enim quid dicat: Quoniam inuenta eſt in vtero habens. A quo inuenta eſt? A viro: hoc eſt, Innotuit ei, quod ex Spiritu ſancto concepit.* Hæc ille, aſſerens

Orig. hom. 1. in diuers. ante med. tom. 2.

Luc. 5.
Infrà 7.
Matth. 8.

B. Baſil. hom. 25. tom. 1.

Theophyl.

Ioseph inuenit ille Mariam grauidam, & cognouisse, quod de Spiritu sancto esset grauida: idcircò dixit, inuenta, non reperta, & alludit ad illud: *Mulierem fortem quis inueniet?* solus Iòseph inuenit, qui pro reuerentia eam dimittere cogitabat. B. Bernardus, homil. 2. super Missus est, hanc sententiam confirmat his verbis: *Ioseph autem vir eius,* inquit, *cum esset iustus, & nollet eam traducere; voluit occulte dimittere eam. Bene, cum esset iustus, noluit eam traducere, quia sicut nequaquam iustus esset, si cognitam ream consensisset, sic nihilominus iustus non esset, si probatam innoxiam condemnasset. Cùm ergo iustus esset, & nollet eam traducere, voluit dimittere eam. Quare voluit dimittere eam? Accipe & in hoc non meã, sed Patrum sententiam. Propter hoc Ioseph voluit dimittere eam, propter quod & Petrus Dominum à se repellebat, dicens: Exi à me Domine, quia homo peccator sum: propter quod & Centurio à domo sua eum prohibebat, cum diceret: Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum. Ita ergo & Ioseph indignum & peccatorem se reputans, dicebat intra se, à tali & à tanta non debere sibi vltra familiare præstari contubernium, cuius supra se mirabilem expauescebat dignitatem. Videbat & horrebat diuinæ præsentiæ certissimum gestantem insigne: & quia mysterium penetrare non poterat, volebat dimittere eam. Expauit Petrus potentiæ magnitudinem: expauit Centurio præsentiæ maiestatem. Exhorruit nimirum & Ioseph sicut homo, huius tanti miraculi nouitatem, mysterij profunditatem: & ideò occultè voluit dimittere eam. Miraris quod Ioseph prægnantis sese cõsortio Virginis iudicabat indignum, cum audias & sanctam Elisabeth eius non posse ferre præsentiam, nisi cum tremore quidem & reuerentia? Ait namque: Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Ideo itaque Ioseph voluit dimittere eam. Sed quare occultè, & non palam? Ne videlicet diuortij caussa inquireretur, exigeretur ratio. Quid enim vir iustus responderet populo duræ ceruicis, populo non credenti, & contradicenti? Si diceret quod sentiebat, quod de illius puritate comprobauerat; nonne mox increduli, & crudeles Iudæi subsannarrent illum? lapidarent illam? Quando namque veritati crederent tacenti in vtero, quam postea contempserunt clamantem in templo? Quid facerent necdum apparenti, cui postmodum impias manus iniecerunt etiam miraculis coruscanti? Meritò ergo vir iustus, ne aut mentiri, aut diffamare cogeretur innoxiam, voluit occultè dimittere eam.* Hęc ille. Postea tamen subiungit aliam communem sententiam de suspicione adulterij, atque, illa posita, ostendit qua ratione, cum esset iustus, vellet eam occultè dimittere. Nolebat quidem, vt iustus, habitare cum ea propter suspicionem adulterij: nec tamen, quia plus erat, illam voluisse traducere: & ideo voluisse occultè dimittere. Subscribit istis B. Remigius in Matthęum: *Videbat enim,* inquit, *grauidam, quam nouerat castam. Et quia legerat: Egredietur virga de radice Iesse, vnde nouit Mariam duxisse originem: & legerat etiam: Ecce virgo concipiet, non diffidebat hanc prophetiam in ea esse implendam.* Sic ille.

Luc. 5.
Infrà 7.

Luc. 1.
Ioseph cur occulte, & non palam voluit dimittere Mariã coniugem suam.
Victor. 7.
Isa. 65.
Rom. 10.

Ioseph quare vir iustus.

Remig. citatus in Catena aurea B. Thomæ, 10. 11.
Suprà 2.

Secundum etiam Euangelium Nazaræorum potius credebat Ioseph virginẽ sine viro posse concipere, quam eam posse peccare. Atq; idẽ auctor super Matthæum cõfirmat in homil. 1. operis imperfecti: *O inæstimabilis,* inquit, *laus Mariæ. Magis credebat castitati eius, quam vtero eius: & plus gratiæ, quam naturæ. Conceptionem manifestè videbat, & fornicationem suspicari non poterat. Possibilius esse credebat, mulierem sine viro posse concipere, quam Mariam posse peccare; & quod maius est, videre, vt sponsus de sponsa sua haberet.* In eandẽ sentẽtiam descẽdunt Ricardus de sancto Victore, Bernardo ęqualis, Ioannes Gerson, Ioannes Ekius sermone de Natiuitate virginis, Ambrosius Catharinus: quin etiam reuelationes huic opinioni fauẽt. Nam inter alias B. Brigitta, lib. 7. ca. 25. ita scribit: *Sed postquam consensi nuncio Dei, Ioseph videns vterum meum virtute Spiritus sancti intumescere, expauit vehementer, non suspicatus contra me aliquid sinistrum, sed recordatus dicta Prophetarum prænuntiantium filium Dei nasciturum de virgine, reputabat se indignum tali seruire matri: donec Angelus in somniis præcepit sibi non timere; sed cum charitate mihi ministrare.* Eadẽ B. Brigitta libro 6. cap. 59. idem testimonium de beato Iosepho perhibet. Pro hac etiam sentẽtia nonnullæ atq; illę quidem graues suppetunt rationes.

Auctor oper. imperfect. in Matt. tom. 2. oper. D. Chrysost. inut.
Inæstimabilis laus Mariæ.

Ricard. de S. Victor.
Ioan. Gerson.
Ioan. Ekius.
Amb. Cathar.
B. Brigitta.

Prima est, quia, vt textus ait: *Inuenta est habens de Spiritu sancto:* simul & coniunctim lege inuentam de Spiritu sancto; alioqui diuidendo, vis manifesta literę fieret: quẽadmodum Basilius & Theophylactus exponunt. ait. n. Theophylactus: *Vide enim quid dicat, quoniam inuenta est in vtero habens. A quo inuenta est? à viro; hoc est, innotuit, quod ex Spiritu sancto concepit: Vnde clam voluit eam dimittere, audebat & non habere vxorem, quæ tantam habebat gratiam.* Hæc ille.

I. Ratio pro eadem opinione.
Basil. loco prænotato.
Theophyl.

Secunda ratio est: quia debile argumentum erat, paruus ventris tumor, qui ex alijs caussis poterat prouenire. Etsi verũ est quorundam dictũ, post Angeli annunciationẽ, & cognitam Messiæ in ea conceptionem, statim voluisse dimitere illam: certè nullu

II. Ratio.

tunc

tunc fuisset tumor ventris. Et cur non potius ab illa flagitabat, quid hoc rei esset? atq; illa rogata ab eo, cui iam ratione matrimonij subiecta erat, reuelasset arcanum, suasq; laudes, quas non rogata cecinerat in domo Zachariæ, nempè: *Magnificat anima mea Dominum, &c.* ante virũ suum apertè pronuntiasset. Ioseph verò, qui prius & fidelis erat, prorsus credidisset, alioqui in iudicium temerarium leui ex coniectura incidisset, flagitium tam insigne constituens: atque ita ab ea recedendo, quæ erant incerta, certa reddidisset, id quod opus minimè iusti est.

Luc. 1. & seq.

III. Ratio, à varijs coniecturis, & signis.

Tertia ratio habebat multa in oppositũ, atque illa quidem fortissima argumenta: & in primis natiuitatem eius præter omnium expectationem admirandam, quam magna & excellentia signa & maiora, quàm illa præcursoris consequi debuissent: nimirum maiori cum luce decebat auroram oriri, quàm Luciferum, de quibus de ortu virginis, qui Hieronymo tribuitur, liber sic habet: *Siue*, inquit, *hæc vera sint siue ab aliquo cõficta; illud libere confiteor, sacrosancta Maria initia magna miracula præcessisse, maxima consecuta fuisse.* Hæc ib. Ad hæc præsentationis in templo: siquidem magna cum omnium admiratione, ob insignem eius prudentiã, & sanctitatem, qua se ipsam perpetuò Deo optimo maximo dedicarat, fuit oblata & exhibita, triennis cùm esset: deinde consuetudinis & mansionis in tẽplo, quæ mirifica suarum virtutum fragrãtia, omnes, qui aderant, respersit, & in admirationem rapuit. Desponsationis præterea confirmatæ miraculo: nam arida virga in manu Ioseph floruisse traditur; quo signo conciliatum est illud matrimonium, vt Ecclesiasticis picturis ostenditur, & liber de ortu Virginis tradit: atq; hic dicti illius Isaiæ intellectus est: *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* Virga illa Mariam refert, quòd in manu esset Ioseph, significat, quòd illi lege matrimonij esset addicta: quod arida esset, indicat eam ex lege coniugij infœcundam: quod sine humore refloruit, ostẽdit non oportuisse excoli opera viri, vt inde Nazarenus prodiret, id est, flos agri pleni, cuius odore tota flagraret Ecclesia. Qui hæc non credunt, non cogitant illam Dei matrem. Nam si virga Aaron pro Sacerdotio illo temporali, & vmbratili floruit, Num. 17. cur non virga Iessæ in testamento gratiæ, quod in maiori gloria debuit ministrari?

Hieron.

Mirifica B. Virginis exordia, & progressus.

Isa. 11.

Quid illud: Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.

Num. 18.

II. Coniectura.

Huc etiam accedit argumentum eorum omnium, quæ in domo Zachariæ acciderunt: nam quæro, Quando Ioseph inuenit tumidum ventrem, vt isti aiũt, ante salutationemne Elisabeth fuit, an postea? Certè ante salutationem dici non potest: quia cùm tunc nullus tumor vteri esset, nulla poterat subesse suspicio. Constat autem ex Luca, cap. 1. statim post annuntiationem in illis diebus ascendisse in montana cum festinatione, vt visitaret Elisabeth: Ergo post salutationem accidisse asserendum est: nam post exactos illos tres menses in domo Zachariæ, poterat vterus intumescere.

Ioseph quando grauidam Mariam coniugem suam inuenerit.

Luc. 1.

Ibidem.

III. Coniectura.

Sed rursus quæro: fuit ne virgini Mariæ Ioseph comes in illa profectione, an non? Et videtur quòd omninò illam sit comitatus. Cùm enim potissimum nec ob aliam caussam magis diuino consilio fuisset vir illi assignatus, nisi vt custodiret illã, essetq; ei perpetuus & indiuiduus comes & minister, adde etiam electus inuiolatæ eius pudicitiæ testis: quomodo ergo potuisset nouus sponsus virginem puellam ac teneram ad iter agendũ alteri committere, cum ipse ad eam curam esset delectus? Quemadmodũ cum profecta est in Bethleem, & fugit in Aegyptum, illam perpetuo associauit. Si ergo profectus cum illa est in domũ Zachariæ, vt est rationi & pietati consentaneum, certè audiuit illa verba Elisabetæ exclamãtis: *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? quomodo igitur Ioseph eiusmodi verba audiens sinistrũ aliquid de Virgine cogitasset? vel nunquid surdus erat vel stupidus, aut incredulus ad hęc in spiritu dicta, vel ad Cantic. sponsæ suę, vel Zacharię?

Virginis Iosepho desponsandę caussę.

Luc. 2.

Matth. 2.

Luc. 1.

IV. Cõiectura

Amplius, si subitò post incarnationem visitauit Elisabeth, vt textus Euangelicus asserit: opus fuit Ioseph fuisse cum illa, ne, cum mãserit mensibus tribus iuxta cognatam, parum honori Christi & Mariæ cõsuleretur. Nam cum notũ esset cum illa non conuenisse Ioseph, existimassent eã ex alio, quam ex proprio viro prolem suscepisse, filiumque eius spurium, neque de legitimo natum coniugio. Quod si his non interfuit Ioseph, saltem hæc, quæ erant diuulgata in omnia montana Iudææ, referentibus cęteris accepisset, & si pius esset, ipse credidisset, vel quæsisset de virgine, quæ illam non cęlasset hanc veritatem.

V. Cõiectura

Et vbi, quęso, tantum facinus patratum est? In templone, quando cum alijs virginibus morabatur, vbi sanctitatis incredibilis nomen est adepta? Vbi ergo? in domo paterna? vbi conciliatis sponsalibus mox ad visitandum recessit? In domo Zachariæ & Elisabeth prophetarum? vbi diuina mysteria, quæ omnem superant admirationem peracta sunt? vbi infantes euangelizabãt, &

euangelizabantur? Vos ergo tantum flagitium admissum?

IV. Ratio. Quarta: si sciebat Ioseph Mariam voto virginitatis addictam: quomodoq tam citò, tam leuiter tanti sceleris ream valuit suspicari? & sacrilegam ex fracto voto, perfidã, & inconsideratam, quę, quod viro erat negatura, soli stupratori concederet? Si item nihil audierat, vel viderat ex ore, nutu, gestu virginis, non summè sanctum, nõ summè pudicum. & venerandum: quo pacto in talem cogitationem venire potuit? Certè bona opinio atque amor neutiquam illum sineret ad tumorem ventris respicere.

V. Ratio. Quinta ratio: Si cum esset iustus, comperto scelere à turgido ventre voluit eam dimittere, & nolebat traducere; quę iustitia est ista, quæ iudicat re non comperta, & explorata, sed ex cõiectura facilè expugnabili? quæ hæc iustitia, quæ antequam expostulet, damnat? imò etiam, quod damnat, non punit, nec puniri vult? imò impunem censet dimittendam sacrilegam?

Inepta aduersariorum iusti ab Euangelista appellati Ioseph ratio reijcitur. Sed respondent quidam: largè (inquiũt) capitur iustitia ꝑ misericordia, & pietate. At prodigiosa est & importuna, vt aiunt Iurisperiti, pietas, quæ contra prudentiã militat atque iustitiam. Si enim non constaret crimen, non esset iustitię dimittere, sed illi quoddammodo consentire: nec iniustitiæ diffamare vxoré adulteram. Quando enim quis in prosequendo suo iure, vel in actione à iure, vel iudice alterius occulta crimina detegit, nõ peccat, nec traducit infamia. Verùm infamia cum notatum, & illa notãtem se tantùm ostendit, secus esset, si sine his cuiusquam occulta crimina proderet.

Vera traditur atque legitima. *Hier. & Bernard. locis iã citatis.* Cùm igitur Euangelista affirmet Ioseph fuisse iustum, atque ob id Mariam non traduxisse; innuit quod de castimonia vxoris non dubitauerit, vt affirmant Hieronym. & Bernardus. Et si Christus noluit Iudęos de matris suę pudore sinistrum aliquid cogitare: probabile quoque est, noluisse iustum Ioseph de tanta Virgine adulterium suspicari.

IV. Ratio *Deut. 24.* Sexta: Impiè, ac sine vlla misericordia ageret, dimittendo vxorem absque libello repudij contra legis mandatum: in quo si caussam exponeret, vt lege tenebatur, & coram testibus, vt mos erat, ne confictus liber posset existimari; quomodo verũ est, eam ipsum noluisse traducere & publicare? Si caussam tacebat, quomodo non semetipsum traducendum exponebat, qui sine caussa, & propria temeritate adolescentulam de ipso grauidam existimatam repudiasset?

VII. Ratio. Septima ratio: Non poterat Ioseph iure iacere, vt B. Virgo lapidibus petita interiret: quod tamen contendunt, qui oppositũ sentiunt, quia nesciretur an ante matrimonium fuisset grauida, an verò post: nam lex solum loquitur, quando puella in domo paterna flagitium admisisset, nec testes producere potuisset, vt probaret, quòd eam ipse non cognouisset, illa hoc negante: ipsaque suæ virginitatis signa potuisset ostendere, quibus probaret se à nullo homine cognitam fuisse. Etsi ergo accusare ei minimè liceret, habebat tamen potestatem adducendi eam ad Sacerdotem pro sacrificio Zelotypiæ: quanquam ex præcepto id facere nequaquam cogeretur: & satis erat ei dare libellum repudij. *Deut. 22.* *Num. 5.*

VIII. Ratio. Octaua ratio: Angelus ad Ioseph dixit: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* non ait: *Noli suspicari.* Quod profectò dixisset, si animo suo adulterij suspicio aliqua insedisset: Ergo timor reuerentiæ plenus, non autem adulterij suspicio caussa erat vxorem non accipiendi suam.

IX. Ratio. *B. Remig.* Nona: Sciebãt Iudæi vaticinia de virgine Messiam paritura breui fore complenda: ergo illa nouerat Ioseph, vt autor est Remigius in Matthæum, cum esset filius Dauid, & fidelis non tantum carne, sed multò magis fide, ac spiritu.

X. Ratio. Decima: Non repugnabat vllo modo ęquitati, habitare cum vxore adultera, modò id fieret ad corrigendum erranté, eamque à scelere ad meliorem frugem reuocãdam. Nam id officium esset charitatis, & eminentioris perfectiorisque iustitię: vt enim Apostolus inquit: *Sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem:* & è contrario, nulla lex sacra, vt existimat B. Augustinus, serm. 26. de verbis Domini, & epist. 54. ad Macedonium, cogebat virum ad deferendam coniugis impudicitiam, nec Leuit. 20. nec Deuter. 22. iustorum est benignitas, & clementia, non mirantur, nec detegũt aliorũ lapsus: nec sæuior in peccantes, ita Christus dixit ad mulierem adulterij ream: *Nemo te condemnauit mulier? Nemo* (inquit) *Domine. Nec ego te condemnabo:* quod verò habetur Prou. 18. *Qui expellit mulierem bonam, expellet bonum: qui autem tenet adulteram stultus est & insipiens:* non quia tenet, sed quia illam non corrigit; alioqui qui dimittit vxorem propter fornicationem, debet manere innuptus, aut vxori suæ reconciliari, vt habes 1. Cor. 7. *1. Cor. 7.*

XI. Ratio. *Luc. 1.* Vndecima: Nõ videtur verisimile, quod si Ioseph ignorasset mysterium incarnationis, Maria virgo, etiam non quęsita, ei non patefecisset: Tum quia sponsa secreta sua cum sponso communicare debet, maxime

vt v ret

vt vitet omnem zelotypiam atque suspicionem; tum quia Elisabethæ à se visitatæ, mysterium omne apertis verbis explicauerat, cui tamen minus debebat quàm proprio sponso; tum quia Virgo non putasset Ioseph fore incredulũ, cùm mysteriũ hoc à Prophetis fuerit prænuntiatum, & eius complendi tempus immineret: & signum virgæ suæ reflorentis in desponsatione visum, satis illũ ad fidẽ præstandã inuitasset.

XII. Ratio.

Duodecima: Adeò solicitus de Mariæ pudore & pudicitia Dominus fuit, vt Ioseph ab Angelo non fuerit reprehensus: quemadmodũ Thomas Apostolus dubius de resurrectione reprehẽditur, cui dictum est à Domino: *Noli esse incredulus, sed fidelis.* &vt Abraham de risu in Sara reprehensus, & Apostoli de tarditate fidei, in resurrectione Domini increpati: *Quia ijs, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt.* Iosepho enim Angelus non dixit: *Noli esse incredulus.* Et nonnisi per fidem accepta est reuelatio Christi in initio. Vnde *responsum acceperat Simeon à Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini.* Et Anna Prophetissa: *Loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Israel.*

Ioan. 16. Gen. 18. Marc. vlt. Luc. 2. Ibidem.

XIII. ac postrema ratio ab incommodis opinionis aduersæ.

Decimatertia, & vltima ratio: Prima illa sententia in iniuriam Virginis cedit, quod taliã sponso adultera existimetur: cedit & in dedecus ipsius Ioseph viri iusti & prudentis: cedit postremò in ignominiam ipsius Christi, cuius gloria est habere matrem gloriosam, & patrem putatiuum pium, prudentem & gloriosum. Secunda verò sententia declinat à suspicione mali; sed non peruenit ad meditandam in spõso Virginis tam profundam humilitatẽ. Quare cùm hæc opinio cæteris præstare videatur, & maioribus rationibus confirmetur, & maximè ad Christi, virginisque, ac spõsi eius gloriam faciat, proculdubiò cæteris anteferẽda, meo quidem iudicio, videtur.

Aduersę partis argumenta diluuntur.

I. Argum.

Superest, vt argumenta contrariæ partis dissoluamus. Inprimis ergò Doctores proponunt, qui aliter interpretantur. At Doctoribus, Doctores illustres, veteres & orthodoxos opponimus, fortioribus fortassis rationibus instructos atque munitos.

II. Argum.

Deinde ex textu argumentantur: nam dicitur: *Cùm esset iustus, & nollet eam traducere.* Sed satis certè traduxisset, vel ante tempus rem euulgando, detegendoque, vt docent Basilius & Athanasius libro de vnicâ Deitate Trinitatis: quæ ludibrio exponeretur & risui. Leontius quoque in Matth. *Vir*, inquit, *propter desponsationem iustus, quia legem à Moyse datam obseruare videbatur, sciuerat occulta in arcanis habere, voluit occultè Virginem dimittere, proptereà quòd noluit eam palàm ludibrio exponere, postquam cognouit de Spiritu sancto virginem concepisse. Profectò, quia seipsum indignum esse censuit cum ea habitare, cognoscens de Spiritu sancto conceptionem, decreuit eam clàm à suo consortio dimittere, nolens eam detinere potius, quàm se periculo exponere, hoc est, palàm traducere.* Δειγματίσαι *enim, siue traducere, est, simpliciter à consortio dimittere;* παραδειγματίσαι *verò, siue palam traducere, est, propter malitiam patefacere.* Hæc ille.

Basil. hom. 25. de humana Christi generatione. Athanas. lib. vlt. tom. 1. de vnica Deitat. Trinit. to. 4. Leontius Episcop.

Quomodo Ioseph cũ Maria coniuge manendo de Spiritu S. grauidam eam traduxisset.

Præterea Ioseph manendo cum ea, putabat se verè eam traducere, quòd existimaretur necessariò corrupta, & à se cognita, quæ tamen Messiam de Spiritu sancto conceperat: traducere etiam se Christum existimabat, quoniam omninò futurum erat, vt filius eius haberetur & vocaretur, atque vt Euangelium testatur, fabri filius, qui filius Dei erat.

Matth. 13.

III. Argum.

Objiciunt præterea ex textu verba Angeli: *Noli*, inquit, *timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Quibus verbis videtur innuere, caussam turbationis Ioseph, ignorationẽ fuisse mysterij opera Spiritus sancti peracti. Respondemus, hoc non euinci ex textu. Nam vt Hebraicus quidam codex Matthæi habet: *Ne timeas*, inquit, *vt accipias Mariam coniugem tuam: quia id quod natum est intra eam, de Spiritu est.* Id est: Ne timeas accipere eam in coniugem tuam ob hanc caussam, quia quod natum est de ea, de Spiritu sancto est: sed cognosce in hac re necessariam esse operam tuam, vt ei officia patris exhibeas. Vnde Theophylactus exponens, ait: *Ne timeas, hoc est, Tu quidem times adiungi illi, quia ex Spiritu concepit: sed ne timeas accipere*, hoc est, domi, & intus tenere. Cogitatione enim & mente iam amandauerat eam. Græcè etiam illa particula γὰρ, quam vertit interpres, *enim*, interdum asserentis est, tantundemq; valet, ac equidem, sanè, certè: atque ita sensus esset, certè, quod in ea natum est, de Spiritu sancto est. Estque confirmatio eius, quod ipse inuenerat, & existimauerat. Necessariò autem hoc dixit Angelus; *Ne*, propterea quod præciperet sibi cum illa permanere, ne secum fortè colligeret; Ergò falsus sum, qui putaui illam gestare sanctum Dei, postea iubeor accipere illam: alioquin ego homunculus, atque indignus nequaquam permitterer habitare cum ea. Ergò certè de Spiritu sancto est, vt putasti: sed noli relinquere, quia vxor tua est, & propter hanc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ. Et ratio manendi subditur: *Pariet*

Quid est propriè Ioseph nõ timere accipere Mariam coniugem tuã.

Theophyl. in Matth. c. 1.

Cur Angelus B. Virgini dixerit: Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est.

Gen. 2. Matth. 19.

Ioseph Christi pater, in quib. tantummodo.

autem filium, & vocabis nomen eius Iesum. Id est, Pater eris in omnibus, præterquam in copula coniugali, quam scilicet suppleuit Spiritus sanctus. Per vnum enim actū imponendi nomen, significatur integrum officium paternum: sicut per actum pascendi plena potestas & iurisdictio Petri, cui dictum est: *Pasce oues meas*: & per infusionem aquæ in manus Heliæ, integrum Elisæi ministerium significatur. Quod si cui durum videatur illa, quæ videntur disiuncta, componere: sciat etiam non minus durum videri ea, quæ sunt coniuncta, diuidere. Nam superius cùm dicitur: *Inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto*: quidam contendunt distinguendum inter ista, & inuenta est in vtero habēs; inuenta est de Spiritu sancto, quasi tantùm inuenerit eam prægnantem, non prægnantem de Spiritu sancto. Ita hic necessariò coniungimus illa: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam*, ob eam caussam quòd conceperit de Spiritu sancto. Nunc aliqua verba textus expendamus, vt finem huic tractationi imponamus. Ait igitur: *Hæc autem illo cogitante.* Nihil adhuc deliberauerat, tantùm apud se cogitabat: verbum cogitandi indicat prudentiam Ioseph, quia *vir in multis expertus multa cogitabit*: vt habes Ecclesiastici trigesimoquarto: non præcipitauit sententiam, nec rem tanti momenti, quia lędere aut denigrare posset bonam beatæ virginis famam, contulit cum alijs. Sed bonæ menti assistit semper Deus, vel Angelus eius, non sinens eam errare. Notatur etiam animus sapientis, qui nihil temere incipere vult; ac simul mansuetudo eius, qui nulli significauit suas cogitationes.

Ioan.21.
4.Reg.3.

Animi sapientis proprium.

Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph. Propter aliquot caussas apparuit. Tum ne homo iustus ignorans faceret rem iniustam ex animi proposito iusto. Deinde honoris gratia ipsius matris: nam si dimissa fuisset apud infideles, tunc suspicione non careret: maritique cura & solatio destitueretur. Adhæc vt intelligens Ioseph ab Angelo ipso sanctam conceptionem, tum matri, tum filio inseruiret, officiaque ministerij sine scrupulo propriæ indignitatis præstaret accuratius. Et dum audit ab Angelo Ioseph, quę intra se cogitauerat, eum à Deo missum intelligeret (qui ex sententia Augustini, Gabriel erat, qui est minister verbi) cuius solius est scire cordis secreta. Præterea, vt eleuaretur humilitas Ioseph: Nam vt superbi, ac de se nimium pollicentes, iustè à Deo deprimuntur: ita humiles, & sibi ipsis diffidentes, subleuari merentur.

Cur Angelus Ioseph apparuerit.

Aug. ser.14. de tempo post med. tom.9.

Gabriel minister verbi.

Qui merentur à Deo subleuari, qui nō.

Apparuit autem in somnis: non tantùm quia nocte, & tempore somni ei visus est, vt quidam volunt; sed etiam quia reuera dormiebat, & dormiēti Angelus apparuit. Legimus enim paulò post: *Exurgens autem Ioseph à somno.* Vbi Græcè dicitur, Excitatus à somno Ioseph. Dormienti itaque Ioseph apparuit, aut Mariæ virgini vigilantissimæ & perfectissimæ laboranti in vigilia. Ita verò Angelus persuasit, vt nec in vigilia nonnullis apparens in veteri Testamento, tam fortem persuasionem ab omni hæsitatione alienam ingenerauerit: per vehementem enim immutationem phantasiæ, formatis à Deo, vel ab Angelo nouis speciebus, vel antiquis compositis ita persuadetur cuipiā somnianti, ac si ei vigilanti Angelus videretur. Ideò Prophetæ tutò prųnunciabant, quæ in somnis viderant: & rex Geraræ Abimelech, diuinis somnijs parum assuetus, visa tamen in somnio executus est. Et quoniam in somno, quem ad quietem animalis & alimenti concoctionem natura tribuit: quòd ex vaporibus in cerebrum ascendentibus sopiuntur sensus, & phantasmata offuscantur ac confunduntur; intellectus nequit in eis benè legere (ceu nec vigilans in mendoso libro) quanquam minus incommodè initio, & fine somni: his tamen non obstantibus, potest Deus imprimere dormienti quā velit notitiam atq; scientiam.

Cur in somnis apparuerit.

Qualis fuerit hæc Angeli apparitio.

Gen.20. & seq.

Somnus animanti à natura cur datus.

Apparet autem Angelus, quoniam species, quam Angelus potest formare, vel etiam formata esset à Deo, Angelum repræsentabat: videbaturque sibi Angelus loqui, seque illum audire, cùm Angelus extra nō loqueretur, nec ipse extra eū audiret. Neque tamen propterea est deceptus in eo, cuius caussa facta apparitio. Nam in primis res non dicitur vera vel falsa, nisi ratione eius, ad quod significandum vel agendum introducitur: sicut columna ignis verè est dicta, nō ad calefaciendum, sed ad illuminandum. Deus autem nō efficit apparitiones in aliquo, vt iudicet se videre, sed vt reuelet mysteria. Ideò tam verè data est Sapiētia Salomoni in somnio, ac si vigilasset. Quòd verò homo se vigilare putet, id casu accidit, & in vigilia deprehendit se somniasse, vti Salomon cognouit.

Hæc Angeli apparitio, quomodo facta.

Cur Ioseph mandata Angeli sibi in somnis loquētis perficiendo, non errauerit.

Exod.13.

3.Reg.3.
2.Paral.2.

Deinde nec in eo, quòd præter mentem Dei faciētis visionem homo cogitat, propriè est deceptio, vel veritas: quia in somnis nulla est actio animalis, quòd sopita sit, nec ratiōis naturalis vsus. Nam Petrus cùm vigilaret, videbatur sibi dormire; at cōtra Salomon. Quæ sunt autem à Deo cōstituta insomnia, & quia Deus desuper infundit species sine conuersione ad phantasmata, somnū non impediunt. Sicut nec visionem

II. Ratio.

Act.12.

in Christo somnus impediebat, qui de se ait: *Ego dormio, & cor meum vigilat*. Zacharias in vigilia hæsitauit. Ioseph etiam dormiēs non hæsitauit: quia cor hominis etiam dormientis in manu Domini est, & nemo ei dormit; vt sciamus à Deo donari firmam fidem reuelationum: rudibus autem pastoribus euigilantibus apparuit Angelus.

Cant. 3. Luc. 1. Fidem firmam reuelationum quis donet. Infrà 2.

Dicens, Ioseph fili Dauid, &c. Notus est ex nomine Dei, & Angelo Ioseph: & filius Dauid appellatur, cui Messias promissus: & Ioseph, vt eius filius aptus ad suscipiendam promissionem, quam per fidem expectabat; atque etiam aptus, vt Messiæ pater secundùm communem vulgi existimationem diceretur. Te etiam cognosco, imò cor tuum, timoris sancti affectu perturbatum. Est autem Ioseph propheta Dei, quēadmodum Abraham & Dauid. Nam sufficit ad rationem prophetæ, res quæ supra naturam sunt, nec tantùm ad se pertinēres intelligere, & cognitas alijs reuelare: signis autem confirmare prædicta, ad ornatum solummodò spectat.

Ioseph cur filius Dauid nominetur. Gen. 20. Ioseph quomodo Propheta.

Noli timere: Non loquitur de timore retinendę adulterę, vel de adulterij suspicione: aliàs grauiter fuisset ab Angelo obiurgatus; verùm de sancto, plenoque reuerentiæ timore, quo timebat Deum offendere, si apud eam maneret, quam de Spiritu sancto concepisse cognouerat. Simili enim timore affectos fuisse multos sanctos viros, ex Scripturis cognouimus, vt Moysen, Eliam, Petrum, Ioannem Baptistam, Elisabetham, Centurionem, vt supra diximus. Timebat namq; verè humilis Ioseph, verbum tanto plus reuerēdum, quo magis abbreuiatum, si Oza, quòd tenuerit arcam inclinantem, tam seuerè percussus est.

Cur Ioseph timuerit accipere Mariam cōiugem suam. 2. Reg. 8.

Nouerat autem hoc ex audita annunciatione per Angelum facta ex desponsatione, & signis, quæ in ea acciderunt: ex vultu Virginis splendido ac glorioso, vt quidam ex Patribus tradunt: denique ex Spiritu præsagiente, & tempus conceptionis Messiæ de Virgine instare cogitante, & ex virginis detectione. ¶ *Accipere Mariam*, id est, ducere in ędes proprias, vt superius declarauimus: iam enim illi erat per matrimonium coniuncta. Vel, *accipere*, hoc est, retinere, quam iam amandare cogitauerat. ¶ *Coniugem tuam*. Nam quos Deus speciatim coniunxit, homo separare nō debet. A scende superius in sanctum amorem ex sancto timore. ¶ *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* In neutro ait, quod nimirum quia ineffabile & admirabile: & in ea sola, totaque factum est, non tantum in vtero, quia mente & corpore Messiam concepit.

Vnde scierit Ioseph virginem de Spiritu S. concepisse. Quid, Noli timere accipere Mariam coniugem tuam. Matth. 19. In neutro cur dictū sit: Quod in ea natū est.

Natum autem dicit, quasi partu editum in oculis sanctissimæ Trinitatis, atque initio cōceptionis perfectum, organisque distinctum, sicut & cæteri infantes in lucem prodeuntes. Hoc enim priuilegium est huius conceptus, vt supra tradidimus ex B. Basilio, & alijs, quod in momento ita corpus fuit formatum & perfectum, vt in illud statim anima rationalis fuerit infusa, & vtrumque hypostasi verbi vnitum.

Cur Angelus dixerit: quod in ea natū est, non conceptū. Basil. supra dict. lo. 9. Christus vbi conceptus, statim natus, id est, perfectus homo fuit.

De Spiritu sancto est. Hoc est, humile est, mite, ac proinde non timendum. Dicitur verò de Spiritu sancto, non de eius substātia decisum: neque de eo vt patre, quia non est similein natura; sed de eo vt figulo & artifice. Hinc Ambrosius libro de Spiritu sancto: licet plerique habeant de Spiritu, Græcus tamen, vnde transtulerunt Latini, ἐκ πνεύματος ἁγίου dixit, hoc est, ex Spiritu sancto. Et subdit: *Quod ergò ex aliquo est, aut ex substantia est, aut ex potestate eius.* Et concludit, Christum de Spiritus sancti substantia non esse, sed ex virtute & operatione.

Christus quomodo sit de Spiritu S. Ambr. lib. 2. de Spiritu S. c. 5. to. 2.

Adhæc, ne furori adscribatur conceptio hæc; dicitur, de Spiritu sancto. Nam Christus regnare debebat per bonitatem & charitatem: sicuti dæmon sedem primam affectans, quod Patris est, voluit sibi vsurpare: Adam vero, qui consilio Dei factus est, dum ait Scriptura: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, & sapientiam affectauit sciendi bonum & malum, id quod Filij est, arripere tentauit: at Christus regnans per charitatem, accepit, quod Spiritui sancto attribuitur, & libēter communicatur: ideo Spiritus Domini super Christum requiescere perhibetur.

II. ratio, cur Iesus fuerit de Spiritu S. Isai. 14. Gen. 1. Infrà 3. Isai. 61. Luc. 4.

Amplius, si ex Spiritu sancto, non ex peccato originali; vt esset omnis peccati expers ille, qui ad peccata humani generis tollenda in mundum venerat. Et Christus vt granum ex rore cœli natum, cœpit maturari calore Spiritus sancti: qui etiam flumen est, Mariam irrigans, de quo: *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei: sanctificauit tabernaculum suum altissimus.* Est etiam Christus velut margarita ex rore Spiritus sancti in concha Mariæ clausa per virginitatem, & in mari tribulationis progenitus.

III. ratio Christi de Spiritu S. concepti. Ioan. 1. Infrà 12. Psal. 45. Christus granum & margarita qualis sit.

Pariet autem filium. Non quidem tibi, vt Zachariæ dixit: *Et vxor tua Elisabeth pariet tibi filium*: quia non ex te concepit, vt Elisabeth ex Zacharia concepit. Ideò non tibi tantùm, sed toti mundo: quanquam peculiariter etiam tibi, qui vocandus es eius pater, quia natus in fundo tuo, hoc est, in vtero Virginis, quæ iure matrimonij tua facta est. Etsi ergò ex te non concipitur, ne

Quibus Christum pepererit Virgo. Luc. 1. Infrà 2. Quomodo ipsi Ioseph.

que tibi vt patri naturali pariet: eris tamen partui necessarius ob honorem vtriusque; & ob matrimonium & ministerium, & tuã exaltationem.

Idem quo iure & autoritate Christum Iesum nominauerit.
Ibidem.

Et vocabis: Quoniam pater caput est in œconomica administratione, eius est nomen indere: nam ob id expectata fuit Zachariæ de nomine Præcursori filio suo imponendo sententia: significatur itaque in primis ratio patris; deinde quod peculiari ratione foret saluandus: sed post conceptum in peccato. Nam creditur à quibusdã in vtero sanctificatus: Maria verò, cui ante conceptionem nomen Iesu est reuelatum, excellenti priuilegio in sui conceptu à peccati labe fuit præseruata. Quod etiam alia ratione factum est. Mariæ siquidem maternitas, vt ita dicam, conceptionis illius comes fuit & administra, non Ioseph pater: ideò matri, & non Ioseph fuit ab Angelo reuelata. Ioseph autem post cõceptionem mysterium deregitur; quoniam post illam adiutor fuit in impositione nominis, ac Christi & matris ministerio.

Aliam Maria virgo, aliam Ioseph eius sponsus in vtero sanctificationem sortitus est.

Nominis Iesu appellatio, vbi præfigurata.
Luc. 2.
Gen. 16.
Infrà 12.
Iudic. 13.
Luc. 1.
Gen. 16.
Tract. 36. huius libri.
Luc. 2.
Gen. 32.

Nomen eius Iesum. Quod vocatum est ab Angelo, priusquam in vtero conciperetur. Ortus, & nomen Ismaelis, non autem conceptio, ab Angelo prænunciata fuere matri Agar, quo modo huic ipsi Ioseph natiuitas reuelatur & nomẽ: Isaac verò tum conceptio, tum natiuitas patefacta fuit, nõ autem nomen, quod Abraham imposuit. Simile de Samsone: at Iosue nomen, non ab Angelo, nec suis prædictum fuit, sed per Prophetam, & non suis. Præcursoris verò illa tria patri Zachariæ cœlitus significata sunt. Ioannes ergò assimilatur Christo, cuius mysteria patefacta matri sunt omnia, Ioannis verò patri. Ismaelis porrò facta prænunciatio ad matrem Agar, similis est huic, quæ facta est Iosepho. Verùm de sacrosancto nomine Iesu cõmodius alio loco dicẽdum erit, cùm de mysterio circumcisiõis agetur. Angelus solet tacere aliqua, quia tardior, & minus capax auditor est: vnde ad Iacob dixit: *Cur quæris nomen meum, quod est mirabile?* Incarnationis autem modum non explicat, quia rudis auditor fuisset: ipse etiam parum aptus ad exponendũ, qui ad Spiritum sanctum Virginem misit, cùm ab ea interrogaretur.

Cur Angelus incarnationis modum non exprimat.
Luc. 1.

Iesus vt saluet populum suũ a peccatis eorum.
Isai. 63.
Infrà 63.
Psal. 112.

Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Ipse, inquit, solus ipse per sese, quia Deus est, & homo innocens de Spiritu sancto conceptus, & solus torcular calcãs, potens, mediator, ac redemptor, de quo intelligere possumus illud: *Quis sicut Deus noster, qui in altis habitat?* id est, Deus est: *& humilia respicit*, id est, homo est in cœlo, & in terra, videlicet in anima & corpore mortali, quæ assumpsit. Hac etymologia nominis Iesu per Angelum explicata, apertè indicatur falsum esse, quod quidam nostri seculi Hebraicæ linguæ peritè imperitè dixerunt, nomen Iesu esse idem quod nomẽ Iehoua, interposita & addita litera Schin, vt idem sit ישוע quod יהוה. Si enim descẽderet à Iehoua, cùm careat litera Hain; non significaret Saluatorem (vt Angelus dixit) à radice ישע, id est, Saluauit. Deinde corruit sententia B. Cyrilli Hierosolymitani formantis nomen Ἰησοῦς à verbo futuro ἰάσω, α in η verso, quod mederi significat: ita vt Ἰησοῦς verum medicum significet. Sed hæc etymologia vocis Hebrææ ab aliena lingua petita, id est, à lingua Græca, impropria est, & à ratione vocis aliena: quãquam laudanda Patrum diligentia sit, qui hęc piè excogitarunt, & tradiderunt. Hinc loco dicto Cyrillus ait: *Iesus itaque apud Hebræos Saluatorem, in lingua verò Græca medicum sonat: quandoquidem corporum medicus est, & animarum curator.* Sic ille. Populum suum vocat populũ Israel. Etsi enim Deus sit Gentium; tamẽ quia per se venit ad oues, quæ perierunt domus Israel, & quia non erat promissus Gentibus, & quia imperfectus populi Israelis status id ferre nõ potuisset; idcircò in exhibendo promisso tantùm de eo fit mentio. Hinc ad Virginem dixit Angelus: *Regnabit in domo Iacob in æternum.* Et in Cantico suo eadem virgo pronuntiauit: *Suscepit Israel puerum suum.* Zacharias verò ait: *Visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ:* & statim infra: *Et erexit cornu salutis nobis in domo Dauid pueri sui:* Simeon quoque cecinit, *Lumen ad reuelationem Gentium; & gloriã plebis tuæ Israel:* item populus clamauit: *Quia Propheta magnus surrexit in nobis: Et quia Deus visitauit plebem suam.* Hæc autem eo consilio dicta sunt, vt sic Israel ablactaretur à carnalibus cogitationibus. Nam reuera populus eius sunt omnes electi & fideles, qua non tantùm creationis iure, sed etiam redemptionis, atque voluntariæ electionis ad Christum spectant. Gratis enim sumus populus Dei, de quo Isaias: *Omnem, qui inuocat nomen meum, in gloriam meam creaui eum, formaui eum, & feci eum.* Et Israel, antequam Messiã negasset, eius populus erat. Verùm illam dignitatem, Christum abnegando perdidit, iuxta illud Danielis: *Non erit eius populus, qui eum negaturus est.* In illorum autem locum ingressi sunt gentiles, de quibus Oseas ait: *Vocabo non plebem meam, & nõ dilectam dilectam: & non misericordiam consecutam misericordiam consecutam.* Et erit in loco, vbi dictum est eis: *Non plebs mea vos:*

Osiander hæretic.
Aduersus eos, qui nomen Iehoua idem cum nomine Iesu esse putãt.
Cyril. Hieros. catech. 10.
Iesu nomen non Græcum, vt quidam volunt, sed Hebræum esse probatur.
Qualis sit medicus Iesus, teste Cyrillo.
Populus Iudæorum, & populus Christi.
Rom. 3.
Matth. 5.
Luc. 1.
Ibidem.
Ibidem.
Infrà 2.
Infrà 7.
Popul. Christi vere quis.
Isa. 43.
Israel quando amplius non populus Dei.
Dan. 9.
Oseæ 1.
Rom. 6.
1. Pet. 2.

ibi vo ca

ibi vocabūtur filij Dei viui. De quo etiam Dauid: *Quoniam tu populum humilem saluum facies; & oculos superborum humiliabis*: & alio loco: *Quia beneplacitum est Domino in populo suo, & exaltabit mansuetos in salutem.* Ergò populus saluandus est, populus humilitate & mansuetudine præditus, & gloriam Dei enarrans, quique demum patitur se regi à Deo, iuxta illud: *Ex te exiet dux, qui regat populum meum Israel.* ¶ *A peccatis eorum*, inquit. Omnibus scilicet, non solùm ab originali, sed à personalibus etiam, quæ nostra, non Dei sunt. Nec tantùm à perpetratis, imò & à perpetrandis. Intellige autem saluare ab omnibus peccatis, quod ad ipsum attinet: quia pretium iustum pro omnibus pendit, & quia Saluator est omnium hominū, maximè fidelium: siquidem multi perditissimè viuentes, quæ suæ salutis sunt, negligunt. Magnum præterea lumen per sanctum Ioseph aperitur Iudæis, nimirum ne secundùm carnem Christum agnoscant, expectantes ab eo temporalia, non spiritalia beneficia. Arguitur & mira cæcitas nostra, qui crimina, ac Dei offensas nihili pendimus, cùm tamen solū hoc nomine Christus glorietur, atque hunc vt honorificum titulum Saluatoris à peccatis seruantis, ac gloriosum sibi asciuerit. Nam à captiuitate, paupertate ac infirmitate, cæterisq; corporis calamitatibus & laboribus per homines, quos Saluatores voluit nominari, sæpius liberauit, cùm à peccatis prӕterquam per seipsum in sanguine suo seruare decreuerit: à quibus dum liberauit, simul à misera seruitute dæmonis, & à dānatione mortis æternæ seruauit, ex Apostoli sententia, dicentis: *Nihil ergò nunc damnationis est ijs, qui sunt in Christo Iesu, qui nō secundum carnem ambulant. Lex enim spiritus vitæ in Christo Iesu, liberauit me à lege peccati & mortis.* Ita vt meritò huic puero canat Ecclesia illud Psalmi: *Secundùm nomen tuum Deus, sic & laus tua in fines terræ.* Nomen enim eius Saluator est: Nec incassum hoc nomen habet, quo à triplici pessima captiuitate & miseria potēter eripit omnes nos, qui terram colimus à solis ortu vsque ad occasum. Adhęc aduerte, Christum in primo aduētu caussam pœnę, nempe culpam sustulisse, non pœnam, quē admodum in seipso ostendit innocente: nā omnis culpæ fuit omninò expers: & tamen omnes scelerib. nostris debitas pœnas luit. In secundo vero aduentu mortem inimicā destruet, omnesque culparum maculas ab electis suis propulsabit, iuxta illud: *Abstergēt Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: & mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra, quæ prima abierunt.*

Psal. 17.
Psal. 149.
Populi à Christo saluandi proprietates quæ.
Mich. 5.
Matth. 2.
Ioan. 7.
Iesus à quibus soluet peccatis populum suum, & quatenus.
1. Tim. 4.
Iudæi Christū qualem non debent agnoscere.
Quo nomine Christus glorietur solum.
Rom. 8.
Psal. 47.
Christi nomē quod, quam potens atque efficax.
Quid venerit primum tollere Iesus.
1. Cor. 15.
Apoc. 21.
& 7.
Isai. 25.

Tanto igitur medico, ac tam potēti Saluatori nos, qui quotidie cum morbis spiritualibus confligimur, atq; in continuis periculis versamur, prompto atque alacri animo subijciamus: cogitatusq; omnes nostros in illum iactemus, eique grati per omnia esse contendamus, quoniam illi cura erit de nobis, tutioremque in illius manib. nostram incolumitatem habebimus, quam in nostris: Nam vt rectè dixit Propheta: *Deus noster, Deus saluos faciendi.* Et perditio nostra ex nobis est: in illo tantummodo auxilium nostrum, & salus in vtroque hōmine, quam neque dæmones, neque scelera nostra impedient, pręstante eodem Domino nostro Iesu Christo, cui cum Patre & Spiritu sancto deferatur omnis laus, honor, gloria, imperium, & gratiarum actio, in secula seculorum, Amen.

Iesu si nosmetipsos tradiderimus, quid ille nobis proderit.
Psal. 54.
1. Pet. 5.
Psal. 67.
Oseæ 13.

TRACTATVS XXXI.

In illa verba: *Hoc autem totum factum est, vt adimpleretur, quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem: Ecce virgo in vtero habebit, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel; quod est interpretatum, Nobiscum Deus*, & cætera vsque in finem Matth. cap. 1.

VErba hæc duplicem sensum habere possunt. Alterum, vt sint dicta ab Angelo ad persuadendum, vel de scripturis Iosepho matrem Messię virginem futuram fuisse, nihilque propterea se noui videre in eo, quòd cognosceret virginem grauidam. Atque hanc expositionem producit Irenæ. li. aduers. Valentinianos: Nam cum verba Angeli allegasset: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam*, subdit: *Et adiecit suadens ei: Hoc autem totum factum est, vt adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetā dicentem: Ecce virgo in vtero accipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel: per sermones Prophetæ suadens ei, & excusans Mariam, hanc eandem esse ostendens, quæ ab Isaia esset prænuntiata virgo, quæ generat Emmanuel. Quapropter sine dubitatione suasus Ioseph, & Mariam accepit, & in reliqua vniuersa educatione Christi gaudens, obsequium præstitit.* Hæc ille. Idem asserūt Theophylactus, & Euthym. Confirmaturque hic sensus, quia finitis his verbis, sequitur in textu: *Exurgens autem Ioseph à somno, fecit sicut præceperat ei Angelus Domini, & accepit coniugem suam.*

Alter verò sensus est: vt hæc non sint

I. sensus horū verborum historicus.
Irenæ. lib. 4. c. 40 aduers. hæres. inst.
Isai. 7.
Theophyl. in Matth.
Euthy. ibid.
II sensus.

Angeli verba, verùm ipsius Euangelistæ per parenthesin legenda, quo indicaret vaticinium Isaiæ in hoc mysterio Virginis de Spiritu sancto in vtero habere inuentæ, fuisse adimpletum: ac finita parenthesi, sequitur: *Exurgens autem Ioseph à somno fecit sicut præcepit ei Angelus Domini, & accepit coniugem suam. Et non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum: & vocauit nomen eius Iesum.* Et siue dicta sunt ab Euangelista, siue ab angelo ad Ioseph; nobis profectò indicant, mysterium incarnationis ab Isaia prædictum in virgine matre fuisse completum.

Cur Matth. Messiæ mysteria ex veteri Testamento cõfirmare consueuerit.

Potissimùm verò Matthæus solitus est ex veteri Testament. confirmare mysteria Messiæ propter Iudęos, ad quos scribebat, qui in Christum crediderant, vt cognoscerent ea quæ de Christo prænuntiata essent, fuisse in Christo consummata; & propter Iudæos incredulos, vt eos reuinceret, ac redderet inexcusabiles.

Vt illud Isaiæ impleretur: Ecce virgo cõcipiet. &c. quid opus fuerit coniugio Ioseph. *Isai. 7. Matt. 1.*

Sed occurrit dubium; quamobrem dixerit Matth. Vt adimpleretur prophetia illa: *Ecce virgo concipiet*; cùm superius solum conceptum narrauerit, ad quem minimè opus fuit Ioseph? Potuit ergò impleri sine illo coniugio: & tamen dicit textus: *Hoc totum factum est, vt adimpleretur, quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem: Ecce virgo in vtero habebit, & pariet filium: & vocabunt nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus.* Respondeo: Si acutè attendas, probabis prophetiam illam impleri non potuisse absque hoc facto. Ibi enim non solùm conceptus, & partus pueri exprimitur, sed & quæ circumstant. Additur enim iuxta Græcam veritatem καλέσουσι, siue, vocabunt nomen eius Emmanuel: quod certè de Maria, & Ioseph iuxta Prophetæ complementum intelligitur. Illi enim, quibuscum tantopere conuersatus est vna domo, mensa, cõtubernio, in summo gradu potuerunt dicere: Nobiscum Deus.

Quibuscum fuerit maximè Christus.

Vt ergò impleretur in vniuersum prophetia; oportuit Ioseph virum Mariæ non derelinquere suam vxorem, sed illi conciliari. Necessarium quippe fuit ex diuino consilio, quo pudori & famæ Virginis consuleretur, vt Christus haberet, qui paterna munia in eum obiret; vt socius, & comes indiuiduus itinerum & ærumnarum Virginis prouideretur, & puero putatiuus pater adesset propter rudes & minùs capaces mysterij.

Cur decuerit B. Virginem omnem statũ experiri.

Decebat etiam Virginem omnem statum subire, vt per omnia in omnibus tentata disceret omnibus misereri, & subuenire: virgo virginibus, coniugata coniugatis, vidua viduis, mater vnigeniti matribus familias, orphana orphanis; vt omnes ad eam pro auxilio auderent accedere, ipsaque iure posset dicere:

Non ignara mali miseris succurrere disco. *Virgilius 1. Aeneid.*

Neque verò prudens lector turberis: quòd (vt Hieronymus admonuit) in Hebręo nõ habetur, vocabunt, sed vocabit in fœminino genere, iuxta literam Hebrǽam, scilicet ipsa virgo, vel vocabis in secunda persona: noli, inquam, ex his turbari, sed potius doctrinam capere: nec statim corruptas scripturas clamites, vt multi nostra ætate incõsideratè fecerunt. Est enim mirificus in tãta varietate consensus, idemq́; explicatum pluribus modis.

Verba beati Hieronymi libro tertio, capite septimo, suorum Commentariorum in Isaiam, si quis forte ea desideret, hæc sunt: *Quodq́, sequitur: Et vocabis nomen eius Emmanuel: & Septuaginta, & tres reliqui similiter transtulerunt: pro quo in Matthæo scriptum est, vocabunt: quod in Hebræo nomen non habetur. Ergò iste puer qui nascetur ex Virgine, O domus Dauid, nunc à te appelletur Emmanuel, id est, nobiscum Deus, quia rebus ipsis probabis à duobus inimicis regibus liberata, Deum te habere præsentem: qui postea vocabitur Iesus, id est, Saluator: eò quod vniuersum hominum genus saluaturus sit: nunc à te Emmanuelis appelletur vocabulo. Verbum* וקראת; *quod omnes interpretati sunt, & vocabis: potest intelligi, & vocabit: quod ipsa, scilicet virgo, quæ concipiet & pariet, hoc Christum appellatura sit nomine. In multis testimonijs, quæ Euangelistæ, vel Apostoli de libris veteribus assumpserunt, curiosius attendendum est, non eos verborum ordinem secutos esse, sed sensum. Vnde & in præsenti loco, pro concipiet in vtero: Matthæus posuit, in vtero habebit: & pro vocabis, vocabunt.* Sic beatus Hieronymus.

B. Hierony. in Isa c. 7. lib. 3. tom. 5.

Hęc lectio Hebræorum: & vocabis nomẽ eius Emmanuel, exprim.

Si enim legas, vocabis, vel vocabit, Virgini matri competit secundùm quandam eminentiam: nam illa excellenter dicere poterat Emmanuel, cui Angelus iuxta singularem significationem ait: *Dominus tecum.* *Luc. 1.* Et vt Augustinus quodam loco hanc excellentiam explicans dixit: *Dominus, inquit*; (scilicet Angelus Gabriel) *tecum, sed plusquam mecum*, & cum quauis alia creatura. *In me enim licet sit Dominus, per te autem genitus est Dominus. Ita est Dominus tecum, vt sit in corde tuo, sit in vtero tuo, adimpleat mentem tuam, adimpleat carnem tuam; procedat formosus de vtero tuo, tanquam sponsus de thalamo suo: egrediatur Rex de cubiculo suo, procedat Princeps ex aula regali; ita vt virginitatem tuam non faciat violari*, & cætera, quia illum gestauit in vtero, in vlnas suscepit,

Aug. serm. 18. de temp. ante med. tom. 10.

Quam verè B. Virgo de Christo dicere potuerit, Nobiscum Deus.

ſcepit, ſinui applicuit, lacte pauit, cui maiuſculo facta eſt comes, & ſocia indiuidua laborum, dolorum, infirmitatum, ac mortis.

Lectio LXX. & vocabunt nomen eius Emmanuel, quem ſenſum habeat.

Si verò iuxta Græcum legatur, vocabunt, quod tacitè, & implicitè in verbo illo continebatur Emmanuel, id eſt, Nobiſcum Deus, non tantum, mecum Deus: ideo plures dicere id poſſunt, & prius in Ioſeph, cum Virgine complebatur, deinde verò ſecundum pręſentiam corporis in his, qui tunc digni habiti ſunt conſpicere eum, & noſſe; ſecundum ſpiritum verò, in omnibus fidelibus in quibus perficitur verbum Domini: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſeculi.* Hinc rectè dicitur per imperſonale *vocabitur nomen eius Emmanuel*; quò plures intelligas.

Matth. vlt.

In quibus rebus locum habeat: Vt impleretur quod dictum eſt, &c.

Rurſus hic diligenter annotandum eſt, quæcunq; fiunt ſub Sole, ea ab æterno præuiſa à Deo Opt. Max. fuiſſe: quorum quædam ſunt, quæ ſuis cauſſis dimittuntur, ſiue neceſſarijs, ſiue contingentibus, pro natura rerum: quædam verò peculiari ratione adminiſtrantur, vt certo modo fiant iuxta conſilium ſuum: quę vel non fierent, vel aliter fierent, ſi à præfixis cauſſis ea diſponi permitteret, neque ſigillatim curaret mouendo, aut prohibendo inferiores cauſſ

In quibus verò locum non habeat eadem particula: Vt impleretur, &c.

In ijs ergo, quæ prænuntiantur, vt à Deo ſtatuta, & præordinata vt certo modo fiãt, rectè dicuntur ideo facta eſſe, vt impleretur quod prædictum erat, id eſt, vt diſpoſitio Dei & conſilium, ſuum ſortiretur effectum. Ac proinde illa coniunctio, vt, propriè dicitur per modum cauſſæ, ſiue efficientię: quandoquidem in his intelligitur nõ ſolùm Dei præuiſio, ſed etiam prouiſio vt ſic eueniat. In alijs vero factis quæ prænunciantur vt pręuiſa tantummodo, non etiam vt præordinata, non ita dicendum eſt idcirco facta, vt impleretur præuiſum, ſed potius quia ita facta ſunt, vel futura erant, ideo fuiſſe præuiſa. Atque ita huiuſcemodi coniunctio, vt, conſecutiuè, non efficienter accipitur: cui rei innumera ſunt exempla.

Dan. 9.

Nam quæcunque prædixerunt Prophetæ de Iudæis, qui Chriſtum negaturi erant, & in crucem acturi, illa dicuntur impleri in nouo Teſtamento, non quia adeo præfinita, ſed quia tantum præuiſa, & præcognita.

Duo hinc elareſcunt Scripturarum loci.

Similique ratione accipitur particula, vt, cũm dicitur: *Lex ſubintrauit, vt abundaret delictum.* Et: *Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci; vt iuſtificeris in ſermonib. tuis.* Quia e go

Rom. 5.
Pſalm. 50.

matrimonium Ioſephi vt ſic adiungeretur Beatæ Virgini, atque puero, non ſolum præſcitum fuit, ſed etiam ante definitum: nec ſuis inferioribus cauſſis derelictum, ſed peculiari Dei inſtinctu, ac ſignis, atque Angelorum ſuffragijs conciliatum: ideo rectè dicitur totum hoc factum, vt adimpleretur, quod dictum eſt à Domino, id eſt, voluntas, & conſilium Dei. Vocat ergo totum, id eſt, deſponſationem, caſtitatem Mariæ, inuentionem eius grauidæ, timorem Ioſeph, Angeli miſſionem, &cæt.

Quod ſit illud totum, quod iuxta Iſaiæ vaticinium erat implendum.

Subdit: *A Domino per Prophetam:* Scriptura enim Sacra è Deo dictante profecta eſt, & loco eius à Propheta populo diſpenſata: hæc enim erant ferè verba Prophetarum: *Hæc dicit Dominus exercituum.* Verbo autem, ſiue ſcripto tradita per excellentes, atque omni exceptione maiores Prophetas, qui organa Dei erant iuxta illud: *Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis.* Eſt autem ſpiritus, ſcriba velox, Propheta verò eius lingua. Atque hoc loco Iſaiam citat Prophetæ nomine, qui principem inter Prophetas locum ſortitur, & qui proximè ad Euangeliſtas accedit: tam manifeſtè, diſtinctèque Meſſię myſteria explicauit, & tradidit.

Sacra Scriptura vnde profecta.
2. Pet. 1.
A quibus tradita.
Pſalm. 44.

Iſaiæ Prophetæ excellentia.

Ac illud quidem dignum conſideratione, cæteros tres Euangeliorum ſcriptores, quoniam Græcis, & Romanis ſcripſerunt, tantùm citata ex Prophetis à Chriſto ſcriptitaſſe; Matthæum verò, quia Iudæis ſcribebat, frequenter geſta CHRISTI Prophetarum dictis confirmaſſe: quod etiam Gentilibus conducibile erat, ad intelligendam Euangeliſtarum cum Prophetis conſonantiam: quemadmodum docet Beatus Auguſtinus contra Fauſtum Manichęum: capite primo, & ſequentibus, tom. 6. & alibi.

Alia tres alij Euangeliſta, alia Matthæus referunt teſtimonia ſcriptitatum.

Ecce Virgo concipiet. Hic locus ex capite ſeptimo Iſaiæ Prophetæ deſumptus eſt. Euſebius Cæſarienſis libro de pręparatione Euangelica notauit, caput 6. Iſaiæ, & ſeptimum ſimilia eſſe initio Euangelij Ioannis: cùm enim dixiſſet, *In principio erat Verbum*, quo Verbi diuinitatem aſtruxit, ſubiunxit poſtea de Verbi Incarnatione: *Et Verbum caro factum eſt.* Ita cùm cap. 6. Iſaias deſcripſiſſet Chriſti diuinitatẽ, & maieſtatem, quam Seraphini adorant vnà cum Patre, & Spiritu Sancto, ad illud tandem deuenit: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.* Præterea eſt ille pulcher canon intelligendi Scripturas à Procopio Gazęo in Iſaiam, & ab Hippolyto Epiſcopo Martyre in capite vige-

Vnde hoc teſtimonium ſumptum ſit: Ecce Virgo concipiet, &c.
Euſeb. lib. 7. de demonſt. Euangel. ſub initium.
Iom. I.
Iſa. 6.
Intelligendi ſcripturas pulcher canon.

Procopius. Hippol. ma. Epiſcopus. Ammonius Alexand.

ſimo, & trigeſimo ſexto Iſaiæ, & ab Ammonio in Danielem aſſignatus: ſolitos eſſe Prophetas, quò ſibi ad res magnas longo poſt tempore futuras de Chriſto, & Eccleſia præſtruant fidem, prędicere res paullò poſt euenturas, vt Prophetarum ſibi nomè comparent. Et ita quę longè poſt euentura prędicunt, fide acceptentur. Et ita Daniel ſomnium Regis Nabuchodonoſor & prædicit, & interpretatur capite ſecũdo, & explicat capite quinto viſionem manus ſcribentis in pariete, inſpectãte Rege Balthaſſar; liber de lacu leonum eripitur non ſine miraculo; vt ita quæ longè poſt euentura prædixit de rerum mutatione capite ſeptimo, & de œconomia aduentus Meſſiæ credantur. Ita Iſaias hoc loco ante magnum Incarnationis myſterium longè poſt futurum, prædicit vrbis obſeſſę liberationem pręſentem, & Regnorum Syriæ, & Regni Iſraelis poſt 65. annos futuram euerſionem. Ita olim Samuel vt præſtrueret ſibi fidem ad ea, quę de Regno Saulis prædixerat de aſinis, prædicit inuentas eſſe, & de cæteris, quæ ei in itinere acciderunt.

Proprium Prophetarum quid.

Dan. 6. Infra. 14. 1. Reg. 9. Iſa. 10. Infra 11. Supra. 9.

Quibus rationibus Iudæi hunc locum Iſaiæ de Chriſto nequaquã intelligendum eſſe contendant: quæ ſoluuntur.

Simili modo cùm Iſaias prædicit Sennacheribi exercitum delendum ab Angelo, vt credant ijs, quæ ſubiunxit: *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice, &c.* Et, *Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis.* Mirum eſt autem, quanta pertinacia, atque ignorantia Iudæi hunc locum ab Euangeliſta allegatum peruertere contendant, tanquam ad rem non facientem. His igitur parum firmis ratiunculis nituntur probare, de Chriſto hunc locum non poſſe intelligi.

I. Ratio. Prima ratio eſt: Quia Ieſus Nazarenus, inquiunt multis ſeculis poſt Achaz Regem fuit, cui tale ſignum minimè erat à ſapientiſſimo Deo donandum.

II. Ratio. Secunda: quoniam in Hebræo legitur; *Ecce alma concipiet.* Eſt autem alma, adoleſcentula, ſiue puella, non virgo.

III. Ratio. Tertia: quia dicitur; *Vocabitur nomen eius Emmanuel:* Mariæ autem filius non ſic eſt vocatus, ſed Ieſus tantum.

IV. Ratio. Quarta ratio: quoniam dicitur: *Antequam ſciat puer vocare patrem ſuum, & matrem ſuam:* ergo aliqua fuit in Chriſto ignorantia.

V. Ratio. Iſa. 8. Quinta: quod ſcribitur de puero: *& acceſſi ad Propheti ſſam, & concepit, & peperit filium,* vt videatur loqui de aliquo infante ex viro nato.

VI. ac poſtrema. Sexta & poſtrema ratio eſt. Fingunt enim intelligendum eſſe de Ezechia filio Achaz, ex quo grauidam aiunt fuiſſe factam quandam Virginem; ſed diuinatum fuiſſe ſexum maſculinum.

Quod hic locus Iſaię de Ezechia filio Achaz minimè poſſit intelligi. B. Hieron. ſu pra citatus. Euſeb. l. b. 7. de demonſt. Euangel. demonſt. 2. to. 1. Orig. tom. 2. II. Argum. 4. Reg. 16. 2. Par. 28. Ibidem. 29.

Sed certè, & ab hoc vltimo exordiamur, de Ezechia minimè id poteſt intelligi: vt Origenes lib. 1. contra Celſum, & B. Hieronymus, & Euſebius lib. de præparat. Euangel. & alij patres docent. Tum quia dæmones, ac excellentes medici diuinare poſſunt ſexum futurum: & vxor Achaz non erat ſterilis, vt ſignum poſſet in eius partu promitti. Deinde quia Ezechias iam natus erant ante hanc prophetiam: nam Achaz regnauit ſexdecim annis, Ezechias verò cœpit regnare, cùm eſſet annorũ viginti quinque. Ergo initio Regni Achaz iam Ezechias filius Achaz nouem annos compleuerat.

Quod neque de alio fratre Ezechię veniat intelligendus hic locus. Iſa 8.

Quod nec de Iſaię filio ſub hæc verba ſint accommoda multis rationibus oſtenditur. Plin. lib. 7. cap. 6.

Præterea nec intelligi poteſt de alio fratre Ezechiæ eodem tempore nato, ob eaſdem cauſſas: nec poſt illum, quoniã ad ſolum Ezechiam pertinebat terra promiſſionis. Nam dicitur infra: *Et erit extenſio alarum eius implens latitudinem terræ tuæ O Emmanuel.* Quibus rationibus Iudęi conuicti, confingunt, Prophetam habere ſermonem de filio quodam ſuo ſecundo poſt alium nomine Iaſub, qui eſſet vocandus Emmanuel. Sed in primis ignoratur, an talem filiũ habuerit Iſaias; & an eo nomine ſit vocatus, vt dicunt. Deinde, non erat vxor Iſaiæ vel virgo vel puella, vel ſterilis, vt fieret in ea ſignum. Adhęc nihil eſt diuinare ſexum: nam ſigna maſculini conceptus, vel fœminini traduntur à Plinio libro naturalis hiſtoriæ, & ſæpe mulieres expertę hæc nouerunt, cum ſupra naturam non ſint: ideo nec ſigna ſunt. Item non quadraret ei quod dicitur de nomine: *Voca nomen eius, Accelera ſpolia detrahere, Feſtina prædari:* nihil enim ille legitur deprædatus, neque aliquem ſpoliaſſe. Amplius non habebat terram, aut ditionem, cui dominaretur; cùm tamen ſcriptum: *Implens latitudinem terræ tuæ O Emmanuel.* Adde quod non eſſet verum dictũ illud: *Quia antequam ſciat puer vocare patrem ſuum, & matrem ſuam, auferetur fortitudo Damaſci, & ſpolia Samariæ coram Rege Aſſyriorum:* nam hoc anno ſexto Regni fuit, vt habes quarto Regum volumine: iſte autem puer, vt fertur, conceptus fuit anno quarto, vel quinto Regni Achaz, qui regnauit annis ſexdecim. Ergo quando ablata eſt fortitudo Damaſci, erat puer annos natus decem & ſeptem, & puer ſciebat vocare patrem ſuum, & matrem ſuam, & cæt. ¶ Poſtremò, quod quæſo ſignum erat Dei maieſtate, & amplis eius promiſſis dignum, non Virginem concipere, & vocare eum eo nomine, quo ipſe Propheta Ie-

Iſa. 8. Ibidem. Ibidem. Cap. 18. Ibidem. 2. Paral. 28. À traditione Patrum.

volebat? Confirmantur hæc autoritate Patrum. Origenes enim lib. 1. contra Cellum: *Age super hac dictione quod sacris literis demandatum Achaz dominum affatum hunc in modū fuisse. Pete signum à Domino Deo in profundum vel in sublime. Quod autem deinde datum est signum, istiusmodi fuit: Ecce virgo in vtero habebit, & pariet filium. Quod igitur eius erit rei indicium? Iuuenculam scilicet non Virginem pepe-risse? Vel vt congruerit magis Emmanuelem hunc genuisse, hoc est, nobiscum Deum: an fœmina cum viro coeunti, & ex muliebri vitio concipienti, an ei quæ adhuc integra sit & pura virginitate? Hanc nimirum potius decet filium huiusmodi generare, qui vbi est editus iure nobiscum dicitur Deus.*

Orige. ante libri dimi. tom. 2. à med.

Et Eusebius lib. 7. demonstr. Euang. *Si dixerint non Virginem, sed puellam apud Scripturam nominatam esse (sic enim aiunt apud ipsos haberi) cuiusmodi tandem signum hoc futurum dicemus, quod diuina promissione sit dignum, si vsitate, quemadmodum cæteræ omnes mulieres, vbi ex viri coniunctione prægnans euaserit, puella quæpiam fuit paritura? Quomodo præterea Deus erit, qui ex illa nascatur, neque simpliciter Deus, sed nobiscum Deus?* Hæc illi. Solent enim præclara, & illustria esse signa, quæ Deus promittit: vt quæ Moyses aduersus Pharaonē patrauit, & Helias contra Prophetas Baal, & quod Gedeon de vellere, & area à Deo accepit.

Euseb. cap. 1. ante medium tom. 1.

Qualia ferè signa à Domino promittantur, ac fiant. *Exod. 7. & seq. vsque ad 15 exclusiuè. 3. Reg. 18. & seq. Iudic. 6.*

Reliquum est igitur, vt intelligatur de Messia ex Virgine prodituro quomodo in Targum, & in Talmud antiqui in Hebræorum expositores annotarunt. Tum quia alteri quadrare minimè possunt: quemadmodum docent Petrus, & Paulus in Actis Apostolicis de verbis illis Prophetæ: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*: quæ, cum in Dauidem minimè conueniri possint, necessariò esse intelligenda de Messia confirmant. Tum denique, quoniam beatus Matthæus, cuius autoritas est sacrosancta, illam prophetiam ad mysterium Verbi de Virgine incarnati spectare nos docuit: idemque deduceretur, si Angelus ad Ioseph loquens, illud Prophetæ testimonium, vt dixit Irenæus, attulisset. Corroboratur rursus hic sensus ex his quæ scribunt Nicephorus libr. 1. cap. 12. & Gregorius Cedrenus in compendio historiæ de Simone iusto Euangelico. Nam cum hic incidisset in locum Isaiæ, & humani aliquid passus, & offensus fuisset, quòd Virginem parituram diceret: Deus pro sua bonitate pollicitus illi est, quòd diem extremum non clauderet, nisi Prophetæ vaticinium completum videret: quod & illi accidit, dum Virgo filium suum in templo obtulit, quem ipse suis vlnis accepit. Quid autem incredibile continet hæc historia, nisi illud idem, quod accidit Iosepho viro Mariæ, qui ventris tumore conspecto in sponsa dubitauit; & vt multi credunt, ob id voluit occultè dimittere eam?

Doctum Isaiæ testimonium ad Messiam pertinere, inuictè demonstratur. Act. 2. Infra 13. Psalm. 15.

Iren. li. 4. aduer. hær. c. 11. Niceph. Calist. Georg. Cedrenus Græcus auctor. Traditio quædam de Simeone Christi susceptore. *Matth. 1.* Pariture Virginis vaticinium

Neque valet argumētum de signo quod præcedere debet ea, quæ ad credendum prędicuntur: quemadmodum Gedeoni in vellere sicco madente tota terra, datum est signum ad iudicandam, & probandam suam de hostibus victoriam; & ab Isaia in signum adiectorum quindecim annorum, datum est signum, quod vmbra in horologio Achaz reuerteretur per decem lineas retrorsum, per quas iam descenderat. Sed dare signum liberationis præsentis per Virginem concepturam, & parituram Emmanuelem post septem vel octo secula, præposterum videtur.

quomodo signum appellatur, cum id antecere non subsequi debeat rerum prædictionem. *Iud. 6. Isa. 38.*

Ad quod duplex adhibetur solutio. Prima est, quòd cum per impietatem Achaz peccasset, & quia Iudæi in Dominum deliquerant, vt habetur libro 2. Paralip. & Phacee filius Romelīæ, Rex Israel, cæcidisset ex Iuda centum viginti mille bellatores, vrbes vastasset Iudęæ, & agros excidisset, & Regi Syriæ fœdere iunctus esset ad debellandum Hierosolymam, & Achaz Regno spoliandum, & præficiendum in Regem eius Tabeel, iam penè Achaz animum desponderat, & putabat nullam esse reliquam spem, conscius idololatriæ; & putabat imminere tēpus, quod prędixerat Moses in Deuteronomio, & de quo Iosue meminerat: *Sicut ergo*, inquit, *impleuit opere quod promisit, & prospera cuncta venerunt; sic adducet super vos quicquid malorum comminatus est, donec vos auferat atque disperdat de terra hac optima, quam tradidit vobis; eò quòd prætericritis pactum Domini, Dei vestri, & seruieritis dijs alienis, & adoraueritis eos.* Et lib. Regum 3. *Auferam Israel de superficie terræ, quam dedi eis, & templum quod sanctificaui nomini meo, proyciam à conspectu meo: eritq; Israel in prouerbium*, & reliqua. Cum sic ergo metueret Achaz: missus est ad eum Isaias, prædicens nihil esse periculi ab illis duobus Regibus, etiamsi illos permiserit vastare terram, vt puniret crimen Idololatrię, sed infecta re redituros. Prædicit quoque Regnū Israel intra breue tempus periturum, atque adeo Regem Syriæ: neque illud tempus prædictum à Mose, Iosue, & Salomone, quo vniuersæ vrbes Iudææ dicuntur euertendæ, nunc aduenturum. Et iubetur à Deo petere signum huius temporis quando subuersurus erat Iudæam, & omnino deleturus: & illo recusante vt in-

Prima responsio. *Cap. 28. Isa. 7. Deut. 29. Iosu. 23. Cap. 9.*

fideli

fideli & hypocrita, datur signum domui Dauid de Virgine conceptura, & paritura: & post Domini aduentum, quando Iudæi non recipient missum ad eos Messiam, veniet flagellum illud delendæ, & destruendæ Iudææ. Hæc est summa huius vaticinationis.

Canon intelligentiæ Scripturarum.

Est ergo canon intelligendæ Scripturæ, vt quæstionem interpretemur ex ipsa responsione: dicit non vastandam omnino, atque destruēdam Iudæam, nisi postquam Virgo conceperit, & pepererit. Ergo interrogatio de illa est intelligenda, quam tunc affore putabat. Verùm etsi hęc sit doctissimi cuiusdam viri solutio, & prima facie speciem veritatis præ se ferre videatur: quædam tamē in illam obijci possunt. Primum est: quod animus impius & incredulus Achaz nō credebat instare illam extremam Iudaicæ terræ, & Hierosolymorum vastationem: quia si illam futuram credidisset, euadere se illam non posse cognouisset: & Prophetę signum à Deo suo sibi offerenti minimè recusasset, vel ad idola sua, & humana perfugia Assyriorum, vt illam euaderet, nequaquam confugeret.

Quos scrupulos patiatur hic sensus.

II. incommodum illius intelligentiæ.

Secundum est: quòd etsi maximè demus, illum canonem Scripturarum verum esse, & interrogationem esse ex ipsa responsione accipiendam, & declarandam, cùm nihil legatur Achaz interrogasse, sed tantùm oblatum signum respuisse, & nihil de extrema vastatione locutum, nō est quod ex ipsa responsione possit declarari.

III. incommodum.

Tertium est: quia responsio Prophetę nihil de exterminanda, & euertenda Iudęa loquitur, sed potiùs de euertendo Regno Syriæ, & regno Israel paullò post dissipando, & in captiuitatem abducendo fit mentio: *Quia antequam*, inquit, *sciat puer reprobare malum, & eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu detestaris à facie tuorum Regum.*

IV. incommodum.

Quartum est: præposterum esse, & valde inconueniens, vt aduentus filij Dei in mundum in omnium hominum salutem dicatur signum vastandæ, & exterminandæ ciuitatis Hierosolymorum, & totius Iudææ, cum ex se salutaris fuerit, & gloriosus toti mundo, sed præsertim fidelibus: Nam etsi scriptum sit: *Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicetur*: ex se tamen in salutem, & resurrectionem omnium est positus, vitio autem hominum, & culpa est in ruinam, & in signum cui contradicitur, quia nolunt credere: Et vt explicauit Petrus: *Vobis igitur honor credentibus: nō credentibus autem lapis, quē reprobauerūt ædificantes, hic factus est in caput anguli & lapis offensionis, & petra scandali, his qui offendunt verbo, nec credunt in quo & positi sunt*, scilicet à seipsis, non à Deo, qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Vbi declarat, Christum esse electum & honoratum lapidem credentibus: non credentibus verò lapidem offensionis.

Quomodo Christus dicatur positus in ruinam, & in resurrectionē multorum in Israel.
1. Pet. 2.
Psalm. 117.

Matth. 21.
Act. 4.
Rom. 9.
1. Tim. 2.
2. Pet. 3.
1. Pet. 2. & alibi passim.

Omissa ergo hac solutione, sequitur secunda, quam plurimi Doctores sequuntur. Hi autem duplex constituunt signum, alterum quod Theologi vocant rememoratiuum, alterum verò prognosticum. Achaz ergo quia incredulus, dignus non fuit signo prognostico; ideo qui de domo Dauid erant, acceperunt signum rememoratiuum: sicut olim immolatio post exitum de Aegypto, data est in signum illius visionis. Dicitur enim: *Ego ero tecum: & hoc habebis signum, quod miserim te; Cum eduxeris populum meum de Aegypto, immolabis Deo super montem istum.* Et Isaias dedit Ezechiæ Regi simile signum, de quo: *Tibi autem O Ezechia hoc erit signum; Comede hoc anno quæ reperens: in secundo autem anno quæ sponte nascuntur: porrò in tertio anno seminate & metite: plantate vineas, & comedite fructum earum.* Et infra: *Factum est igitur in nocte illa. Venit Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octoginta millia.* Ecce in his duobus signis prius veniunt promissa quàm signa data, quia ad rememorandum sunt data. Ita hic: nam veniente Christo Iudæi recordati sunt illius antiquæ liberationis sub Achaz. Non ergo signum accepit Achaz, qui indignus erat, nolēs signo clarificare Deū: ex hypocrisi enim ait: *Non petam, & non tentabo Dominum*: vel vt alij vertunt ex Hebræo: *Non exaltabo, ne per illud confunderetur cultus idolorum.* Sed domui Dauid, non quidem in pręsentibus, sed in posteris, ac successoribus, velut Abrahę in filijs suis data est terra promissa. Est autem verum signum duobus modis. Primò quidem, quia si liberare mundum à peccato, vt dæmone potuit Messias; ergo multò magis ciuitatem Hierusalem, & terram illam propter se toties olim à Deo defensam, liberare valuit. Ideo mirificè accelerauit spolia detrahere. Et Propheta propterea incredulis dixit Iudæis: *Nunquid parum vobis est, molestos esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum*, &cæt. Molestos vocat, non credentes minorem liberationem à Deo, cum possit maiorem, quam & promittit. Etsi potuit pręstare rem figuratam, quod maius est, id est, salutem omnium spiritualem: poterit

Altera solutio.

Achaz impius quo signo dignus non fuerit, quo fuerit.
Exod. 3.

4. Reg. 19.

Isa. 7.
In primis Achaz cur noluerit petere signum à Deo.

Infra 8.
Supra 7.

Iudæi increduli, quare molesti extiterint Domino Deo suo.

terit & quod minus est, id est, figuram liberationis illius temporalis olim exhibere.

I. Ratio.

Secundò, quia non erant digni accipere signum prognosticum, quod indicaret illam liberationem vrbis mox futuram, datur rememoratiuũ, quòd videlicet in recordationem illius liberationis à se olim factę prædixit Mariæ Virginis de Spiritu sancto conceptionem, & partum filij illibatis eius virginitatis claustris: ita vt si Iudæa puella & virgo talem edidisse partum inueniatur, agnoscatur non interijsse obsessam illam Regis Achaz ciuitatem, ex cuius Regis sanguine ipsa virgo Maria ortum acceperat.

III. sensus.

Sed his expositionibus addi potest tertia, & fortè simplicior, nec opus est distinctione signi pręcedentis, vel subsequentis liberationem. Ad quam melius accipiendam præmittendum, quòd non solùm illa liberatio vrbis tempore Achaz, typus erat liberationis spiritualis per Messiam adducendæ, sed etiam omnes, quotquot illi populo datæ sunt siue tempore Iudicum, siue Regum, siue Esther, & Iudith, siue tempore Machabæorum. Et vt iudices, quos excitabat ad liberandam Rempublic. Iudæorum, vocabantur saluatores in typum veri Iesu liberantis: & Assyrijs, vel Aegyptijs, vel Babylonijs, & alijs gentibus adducentibus populum in captiuitatem, significabantur summi, & veri hostes nostri, dæmones, & peccata: ita in reddita per illos salute, & incolumitate repręsentata est redemptio filij Dei, qui spiritualem salutem attulit mundo. Quamobrem vates in medio cursu prophetiæ, & rei bellicę narratione, cùm prædiceret illius obsessæ vrbis liberationem, nec crederetur, nec peteretur signum, vti Deus volebat, vt moris est Prophetis, inuolucris, & integumentis futura mysteria inuoluere, saltat ad liberationem, & redemptionem mundi spiritualem adducendam per Messiam, non Iudæis incredulis, vt Achaz, sed domui Dauid, id est, credentibus dandam, qua ipse (velint, nolint impij illam agnoscere) glorificatus est, & omnibus hominibus quod ad se spectauit, de salute æterna prospexit. Proinde sub Rege Achaz, populum Iudæorum delineauit: sub duobus bellantibus Regibus, pulchrè dæmonem, & mundum repræsentari voluit: sub vxore Isaiæ, & filio eius, Virginem & Iesum eius filiũ denique sub imagine illius liberatæ ciuitatis ab obsidione, spiritualem à peccati iugo, & dæmonis tyrannide redemptionem adumbrauit post ferè 800. annos futuram.

Veri hostes nostri qui, & in quibus adumbrati.

Messias filius Dei in quibus delineatus.

Mos Prophetarum.

Domus Dauid, Achaz, duo Reges bellantes, Isaiæ vxor, & filius Isaię, liberatio demum ciuitatis ab obsidione, quid myst. cc.

Nolentibus ergo oblatum signum *in profundum inferni, siue in excelsum supra*: quod est, ac si diceret: Si verbis meis nudis non credis, pete tibi aliquod veritatis signum. Vis vt scindatur terra, & grandi hiatu inferi pateant? an vis vt aperiantur cæli, & inspiciantur, quę clausa sunt? an vis sisti solem, vel ab inferis mortuum resurgere? Respuentibus hoc signum quo Deus poterat glorificari, datum est signum Incarnationis filij Dei, qui summa humiliauit descendens de cœlo, & humilia exaltauit, quia à morte resurgens in cœlum conscendit. Fuerunt etiam per Incarnationem summa imis coniuncta, & quod plus est, dixit Propheta: *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum, &c.* Id est: *Quia molesti estis non tantum hominibus*, id est, Prophetis, sed etiam incredulitate vestra molesti estis *Deo meo*, & illi resistitis: & voco meum, quia cum vos non agnoscitis, & glorificatis, vt par erat; propterea ipse Dominus per se ipsum immediatè operans salutem mundi, dabit signum quod non vult à vestrâ fide, vel incredulitate pendere. Et est signum quod impleat gloriam suam, & potentiam, & sapientiam, & misericordiam mundo ostendet, vt agnoscat Deum non solum à miserijs temporalibus & corporalibus posse & velle liberare, sed ab æternis, & spiritualibus calamitatibus, quas peccata promerentur. Incarnatio ergo non datur vt signum ipsi impio, & incredulo Achaz, cui nihil hic promittitur, sicut egregiè exponit Theodoretus, sed domui Dauid, in qua erat Ecclesia Dei illo tempore, & multi pij, atque fideles expectantes Messiam, quorum posteri siue carne, & fide, siue fide tantum Dominum Iesum in Messiam receperunt. Atque huic dicitur: *Audite ergo domus Dauid.* Auditum fidei exigit à Domo Dauid; quò ostendat hoc signum dandum non esse Achaz, sed longe post domui Dauid, de qua dixit Zacharias: *Et erexit cornu salutis nobis, in domo Dauid pueri sui.* Dicendo etiam propter hoc, videtur Spiritus Sanctus carnalibus Iudęis offendiculum ponere; vt tam sanctum mysterium indignis, & canibus expositum non maneret: Dicit enim: *Propter hoc*, Id est, incredulitatem vestram, propter quam potius debebat impediri tanti mysterium: vel propter incredulitatem vestram bonitate Dei, & beneficentia eius vincendam, & de vobis Iudæis propulsandam. Quanquam dici possit Prophetæ ista proponenti, & ex persona Dei promittenti, domum Dauid eandem habuisse, & per eam fidem ab eo quod eis tunc imminebat periculo obsid

Petere signum a Domino siue in profundum inferni, siue in excelsum supra quid sit.

Effectus Incarnationis filij Dei.

Colos. 1.

Parituræ Virginis signum à Deo datum, quid significet.

Theodor. in Isaiam.

Hoc signum quibus tantum fuerit datum. Domui Dauid cur dicitur, vt audiat.

Luc. 1.

Propter quid datum sit à Domino Deo signum Virginis pariturę.

Alter sensus.

Signum hoc loco quid.

nis liberatam ciuitatem fuisse. Et nomen signi, quod propriè pro rei alterius significatione, & indicio sumitur, nempè אות, absolutè tamen sine vlla relatione ponitur, vt miraculum, & rem præter cursum, & ordinem naturę significet: hoc tamen loco ponitur pro mysterio incarnationis, & miraculum signat stupendum, signum certum indicans mundi redemptionem, & restaurationem. Est ergo signum, quod promittit reparationem à peccato Adæ, & ex consequenti omnium aliorum criminum, & calamitatum, quæ illud sunt consecutæ. Et propterea in hoc signo contraria perditionis nostræ inueniuntur. Fuit enim Eua corrupta: Et cum dolore pariens filios, quia ex libidine conceperat: at hic Virgo cum gaudio peperit, quia ex Spiritu sancto concepit. Ibi infirmior ex fortiori sine matre; hic contra firmior ab infirmiori absq; patre. Et sicut status peccati, naturæque lapsæ inferior est illo innocentiæ, & naturę integræ, ita hic est status gratiæ inferior illo gloriæ. Ibi infirma perdidit per occasionem, hic fortior seruauit per seipsum iuxta illud: *Saluauit sibi dextera eius; & brachium sanctum eius.* Ibi fuit appetitus scientiæ fallò promissæ, hic verò veræ sapientiæ dissimulatio. Ibi Adam eiectus est è Paradiso; hic verò, nobiscum Deus. Signum etiam liberationis à morte ex conceptione in peccato prodiens; Christus verò ex conceptu de Spiritu sancto ex Virgine. Ibi homo d similis Deo; hic Deus similis nobis. Ibi purus homo, & peccator; hic puer comedens mel: quia plenitudo deitatis in eo fuit. De quo melle nos multum comedere prohibemur: *Nam qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria*: cui deitati fit sacrificium. Ideo mel non erat in lege offerendum in sacrificijs. Non enim diuinitas est hostia, vel oblatio, sed potius cui offerenda est hostia. Comedit etiam butyrum: quia innocens humanitas, suauis, & omnis peccati expers: *Vt sciat reprobare malum, & eligere bonum.* Dando perfectam legem, non, vt Moses, imperfectam: qui fuit nutritus à filia Pharaonis: *Butyrum & mel comedet*, hoc est, cibum muscarum. *Comedet*: vt exul homo reducatur ad delicias paradisi, & edamus, & bibamus in mensa Domini. Vel illius verbi: *Butyrum, & mel comedet*, sensus est: vescetur cibis infantilibus; ac propterea hic puer erit verus homo. Aluntur pueri pinguibus, & dulcibus: quæ sunt amica naturę. Veritatem ergo ostendet humanæ naturę, eamque infantiam, quę dulcia, & lactea appetit, acria, & acetosa abhorret. Estque periphrasis pueritiæ. Et illud: *Vt sciat reprobare malum, & eligere bonum*: Significat, & noto & consueto puerorum more respuet ea, quæ offendunt gustum; & ea, quæ sentiet naturæ amica, appetet. Et herba hęc non finem, siue caussam, sed consecutionem atque euentum designant. Non enim significat: quod ideo *butyrum, & mel comedet; vt sciat reprobare malum, & eligere bonum.* Atque ita Propheta his verbis vtramque naturam, & diuinam, & humanam significare voluit. Nó mireris igitur, ô domus Dauid, Virginem parituram, & filium talem, qui priusquam nascatur, te liberet inuocatus: ac licet butyrum, & mel comedat, hoc eius sapientiã non impediet, & fortitudinem: ac proinde solutum est, quod obiectum erat de ignorantia Messię.

Quale sit hoc signum datum domui Dauid. — *Gen. 3.* — *Euæ matris cum B. Virgine pulchra contentio.* — *Adæ cum Christo comparatio.* — *Psalm. 97.* — *Gen. 3.* — *Ibidem.* — *Mel quid mystice signet: cur vetitum olim adoleri in sacrificio.* — *Prou. 25.* — *Luc. 2.* — *Emanuel Christus appellatus, butyrum vt comederit, & mel.* — *Exod. 2.* — *Luc 22.* — *Alter sensus.* — *Pueri quibus alantur potissimum.*

Illud: vt sciat reprobare malum, & eligere bonum, quid significet. — *Falsa horum verborum sefellitur intelligentia.*

Nunc ad Matthæi verbi redeundum est, quæ in media huius historię parte sunt inserta: & argumẽtum vocis illius: *Alma*, dissoluendum: *Ecce*, inquit, *Virgo concipiet*, Ad uerbio illo ecce, res noua & inaudita, verũ maximè opportuna insinuatur. Iustinus martyr in oratione ad Antonium Pium, citatis verbis Prophetę, ait: *Nam quæ incredibilia, & impoßibilia habita apud homines erant, ea Deus per spiritum propheticum futura præmonstrauit; vt cum facta essent, in dubium per incredulitatem non vocarentur, sed propter prædictionem certa per fidem haberentur. Ne autem aliqui prophetiam, quam produximus, non intelligentes (per cauillationem) nobis ea obijciant, quæ Poetis nos rectè obiecimus, Iouem rei venereæ gratia ad mulieres ventitasse dicentibus, declarare verba ista visum est. Itaque quod dictum est: Ecce Virgo vterum gestabit, significat, Virginem absque consuetudine venerea concepturam fuisse. Si enim cum quocunque consueuisset, non iam Virgo fuisset.* Hæc ille. Nulla mentio de patre, quia Christus conceptus est de Spiritu Sancto. Est enim lapis ille Christus, qui apud Danielem dicitur abscissus de monte sine manibus. Vocem illam Virgo, Hebręi impudentissimè reijciunt, pro qua in Hebræo codice est, עלמה alma, & LXX. Interpretes, παρθένος. Vbi aduerte, prętatam dictionem partim Hebræam esse, partim Latinam. Et Latinè quidem almus & alma, adiecta ad nomen sunt, & ab alendo dicuntur, & significant sanctum, vel sanctam, vt Hieronym. docet in Isaiam, benignum, vel benignam; pulchrum, vel pulchram. Vnde Poeta,

Alma Venus;

& alibi:

Liber, & alma Ceres;

item:

Natis Venus alma creandis;

rursus:

Aduerbio ecce, quid notet scriptura. — *Iustin. Mart. tom. 1.* — *Poetarum figmentum.* — *Hoc dictum Ecce Virgo in vtero habebit, quid Iustino.* — *Dan. 2.* — *Almus vel alma Latine quid, & vnde dicatur.* — *Hiero. lib. 3. in Isa. c. 7 to. 5.* — *Virg. 1. Aeneid.* — *Idem. 1. Georg.* — *Idem lib. 10. Aeneid.*

Alma cur tellus, Virgilio.

rursus:

Alma parens Idea Deum.

Vbi tellurem almam vocat, ex eo quòd nos alat: Qua etiam ratione alma dicitur Ecclesia, id est, sancta, & nos alens. Oratq; in hymno:

Alma Redemptoris mater.

& alibi:

Vt huius alma gratia,
Nobis remittas debita;

videlicet ob merita, & preces sancti istius confessoris. Et per metaphoram dies almus vocatur, clarissimus, & sacer, siue natalis eius. Hinc Martialis:

Martial. lib. Epigram.

Cæsaris alma dies, & luce sacratior illa,
Conscia Dictæum qua tulit Ida Iouem.

Alma apud Hebræos quid. B. Hieron. tom. 3.

Alma verò apud Hebræos, vt in lib. quæstionum Hebraicarum in Genesim Hieronymus docet; Virginem absconditam, & secretam significat, quæ virorum nũquam aspectibus patuit, sed magna parentum diligentia custodita est. Et talis fuit Maria, quæ dicitur: *Hortus conclusus, & fons signatus.* *Cant. 4.* Et lingua Punica (quæ, vt ait D. Hieronymus de Hebræorum fontibus manare dicitur) *Almah* Virginem significat. Idem Hieronymus lib. aduersus Iouinianum ita habet: *Scio Iudæos opponere solere, in Hebræo verbum alma non virginem sonare, sed adolescentulam. Et verè virgo propriè Bethula appellatur, adolescentula autem, vel puella, non alma dicitur, sed naara. Quid est igitur, quod significat alma? Absconditam virginem, id est, non solùm virginem, sed cum ἐπιτάσει virginem: quia non omnis virgo abscondita est, nec ab hominum fortuito separata conspectu. Denique & Rebecca in Gen. ſi ob nimiam castitatem, & Ecclesiæ typum, quem in sua virginitate signabat, alma scribitur, non Bethula. Sicut manifestum esse poterit ex sermonibus pueri Abraham, quos loquitur in Mesopotamia, & dicit: Domine Deus domini mei Abraham, si tu dirigis viam meam per quam ego ingredior, ecce dum stetero super fontẽ aquæ, virgo, quæ egredietur, vt hauriat aquam, & dixero ad eam: Da mihi paululum aquæ, vt bibam de hydria tua, & responderit: Et tu bibe, & camelis tuis hauriam, hæc erit vxor, quam præparauit Dominus filio Domini mei. In eo enim loco, in quo ait: Virgo quæ egreditur vt hauriat aquam, in Hebraico scriptum est alma, id est, virgo secreta & nimia parentum diligentia custodita. Aut certè ostendant mihi, vbi hoc verbo appellentur & nuptæ, & imperitiam confitebor.* Hæc ille.

Idem in Isaac 7. & alibi. Idem lib. 1. aduer. Iouin. inter med. & finem, to. 2.

Bethula Hebræis propriè quid.

Gen. 24. Rebecca qualis virgo, cuius rei typus.

Alma Hebræis, vnde descendat.

Ducitur autem alma, quatenus est Hebræa vox, è verbo עלם halam; quod est, abscondere, & latere: vnde eam virginem significat, quæ, vt Hieronymus est autor, interpretantur ἀποκρυφος, id est, abscondita: Aquila non puellam, vel adolescentulam, sed absconditam conuertit.

Hieron. loco præscripto.

Aquilæ interpret. Adolescens alam quid Hebræis.

Quare adolescens quamdiu priuatam vitam agit, nec in politico officio administrationeue existit, eadem voce dicitur *Alam*, quod absconditum esse significat, vt habetur. 1. Reg. volumine iuxta Hebræam literam: sunt enim iuuenes cœlibes, quasi absconditi, & ignoti: & alma dicitur adolescentula innupta, quæ statum publicum matrimonij nondum attigit. Cum autem in scripturis ponitur hæc vox, semper pro incorrupta accipitur: quę tamen sit in ætate puellari. Non ergo alma, virginem tantummodo absconditam viro significat, verum etiam quæ puella sit: sicut nupta dicitur, cognita viro. Vnde Rebecca puella, & virgo soror Laban, alma dicitur: Et quasi exponens ait: *Et vir non cognouerat eam.* Soror etiam Moysi, quę paruula erat (hoc est, quatuor annos nata, vt testatur Rabbi Salomon) & virguncula, alma vocatur. In Deuteronomio, almæ, id est, proculdubio virginis puellæ pœna statuitur. Et Hebraicè non simpliciter habetur alma, sed cum articulo haalma, & hic, & Genes. 24. & Exodi 2. vt non quamuis virginem denotet Isaias, sed eximiam, & excellentem, quæque virgo sit virginum ante partũ, in partu, post partum. Quare meritò LXX. Interpretes cum articulo verterunt ἡ παρθένος: articulus autem, vt docuit Epiphanius in hæresin Samarit. & Hieronym. in Matth. 21. & Cyrillus in Ioan. 4. & August. quæst. 115. & 116. in Genes. nunquam præponi solet, nisi ad declarandam notæ rei excellentiam, & dignitatem: & articulus dicitur haiediah, ab Hebræis. nam alioqui quid fuisset signi, si adolescentula, puellaque, & non virgo, vt Iudæi volunt, pareret? Irenæus lib. aduersus Hęreses grauiter insectatur Theodotionẽ: *Ephesium, & Aquilam Ponticum, Iudæos proselytas, qui locum Prophetæ verterunt: Ecce adolescentula in ventre habebit, & pariet filium: quos secutati Ebionæi, ex Ioseph generatum eum dicunt; tantam dispositionem Dei dissoluentes, quantum ad ipsos est, frustrantes Prophetarum testimonium, quod operatus est Deus. Prophetatum est quidem, priusquam in Babylonem fieret populi transmigratio, id est, antequam Medi, & Persæ acciperent principatum: interpretatum verò in Græco ab ipsis Iudæis multum ante tempora aduentus Domini nostri, vt nulla relinquatur suspicio, ne fortè morem nobis gerentes Iudæi, hæc ita sint interpretati.* Hæc ille egregiè in sensu pro nostra versione. Non itaque Prophet. dixit: *Ecce Bethula*, id est, virgo sine respectu adolescentię: nã ea vox etiam virginem corruptam significat, vt apud Ezechielem: Fractæ sunt mammæ pubertatis earum.

1. Reg. 20.

Alma in scripturis ferè denotat incorruptam.

Gen. 24. Rab. Salomõ. Exod. 2. Deut. 22.

Maria Christi qualis virgo.

Iren. lib. 3. cap. 24.

Rabbinorum quorundam hæc lectio damnatur: Ecce adolescentula in ventre habebit.

Bethula mulierem interdum corruptam significat. Ezech. 23.

pro qua voce Hebraicè est B. thula; & signat scortum, siue meretricem. Et apud Ioelem: *Plange quasi virgo accincta sacco super virum pubertatis suæ:* Vbi virgo, quæ luget maritum mortuum, dicitur Bethula. Nec rursus inquit; *Ecce nahara*, id est, puella, & adolescentula sine vllo respectu virginitatis; sed alma, id est, puella virgo abscondita, & intacta, vel virguncula. Interdum tamen Latinus interpres adolescentulam vertit, quemadmodum in Canticis, cum dicitur: *Adolescentulæ dilexerunt te nimis*, & infrà: *Adolescentularum non est numerus*: vbi in Hebræo codice est alamoth, & in commentario hebraico exponitur B. thuloth, hoc est, virginum. Et in illud, quod habetur in Psalmo: *Præuenerunt principes coniuncti psallentibus, in medio iuuencularum*, pro vltima voce Rabbi Dauid Kimhi legit, alamoth, id est, virginum. Epiphanius in Ebioneos, & Basilius non laborant, quod legatur virgo vel adolescentula: quia adolescentulam exponunt, id est, virginem. Vnus tantùm est locus, quem Iudæi vrgent, vbi contendunt almam pro corrupta accipi. Legitur enim in Prouerbijs: *Tria sunt*, inquit, *difficilia mihi, & quartum penitus ignoro; Viam Aquilæ in cælo* (vel quod iuxta rationem grammaticæ dicendum erat: *Via aquilæ in cælo*) *viam colubri super terram, Viam nauis in medio mari, & viam viri in alma*, siue in virgine, vt etiam Chaldæus Paraphrastes explicauit, *siue in adolescentula*, vt noster textus habet. Subdit Salomō: *Talis est & via mulieris adulteræ: quæ comedit, & tergens os suum, dicit, Non sum operata malum:* quæ comparatio adulteræ indicat, alma accipiendum pro corrupta fœmina.

Ioel. 1.
Nahara Hebræis quid.
Cant. 1.
Quibus locis Virgo pro adolescentula accipitur.
Infra 6.
Psalm. 67.
Rab. Dauid Kimhi.
Epiphan. in hæresin. 30. paulo à med.
Basil. hom. 25. de humana Christi generatione circa medium to. 2.
Prou. 30.

Ad cuius loci pleniorem absolutionem, ne vllum sensum intactum relinquamus, statuēdum est, triplicem illis Sapientis verbis tribui sensum, & quisque illorum suas patitur angustias, ac proinde ille venit præferendus cæteris, ac magis retinendus, qui minori negotio illas dissoluit, & plenior est. Est autem primus sensus eorum, qui legunt: *Viam viri in adolescentia*, non in adolescentula, & volunt hanc esse LXX. Interpretum versionem, qui habent ἐν νεότητι, & eam secutus est Beda, atque alij. Docent verò scopum esse; indicare instabilitatem vitæ adolescentium. Ad quod ponit tres vias, primam auium, quæ in cœlo vagantur, inter quas Aquila primatum tenet: secundam colubri tortuosi super petram, qui nunc huc, nūc illuc progreditur, nullo viæ suæ relicto vestigio: tertiā viam nauis, quæ nullo ordine in mari mouetur sine vllo vestigij indicio in aquis relicto. Et prima via, est in cœlo; secunda, in terra; tertia in mari. Et non est sermo de via pro illo tempore, quo aquila, vel serpens graditur, vel nauis transit: quia illa via cernitur, & sensibus hauritur; sed de via post volatum aquilæ, post gressum colubri, post transitum nauis.

Eius loci Salomonis: tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro &c. triplex est intelligentia.
I. Sensus.
Beda.
Sap. 5.

Deinde aduerte, quòd hę tres vię adducuntur ad ostendendum, cognitu difficillimam esse viam viri in adolescentia. Et ita via viri, id est, ratio hominis in adolescentia varia est, instabilis, & in diuersa rapitur, & per omnes horas mutatur, vt difficile sit apprehendere quò tendat. Modò enim appetit terrena bona, modò fertur cupiditate gloriæ, & famæ mundi huius, modò verò in expetendis carnis voluptatibus versatur, in quibus homines quasi in aquis volutantur, & immerguntur. Hoc sensu ergo describitur varius & inconstans adolescentis animus, de quo Poeta Lyricus dixit:

Cereus in vitium flecti, monitoribus asper.
Vtilium tardus prouisor, prodigus æris,
Sublimis, cupidusque, & amata relinquere pernix.

Via viri in adolescentia, mysticè quid.
Vita iuuentutis propria quæ sit.
Hora. in arte, ante medium

Sed in sensum hunc est fons Hebræus, in quo alma habetur, id est, virgo, vt Chaldæus habet, vel vt alij adolescentula. Deinde vix cohæreret cum sequentibus: *Talis est & via mulieris adulteræ.* Quia etsi dici possit, quòd etiam mulieris adulteræ mens sit cæca, instabilis, & vaga; non tamen quadrat quod ait: *Quæ comedit, & tergens os suum dicit: Non sum operata malum.* Alter sensus est: si legamus, *in adolescentula*, vel *Virgine*; non videtur significari, ignotum esse, & difficile cognoscere congressum viri cum puella virgine, vt quidam interpretantur: ita vt eius non remaneant vestigia, sicut necauis volantis in cœlo, vel colubri incedentis super petram, vel nauis motę in aquis, etiamsi sequenti clausula de tali congressu sermo esse videatur, cum ait: *Talis est & mulieris adulteræ.* Sed certè huic sensui obstant multa. Primum, quod hoc non sit mysterium quod excederet sapientiam Salomonis, qui tot Reginas, concubinas, & adolescentulas habuit, & id expertus erat. Deinde congressus viri cum puella alma, id est, virgine intacta, maximè vestigium ex se relinquit, vnde possit cognosci: nam ablato semel per congressum illum humanæ virginitatis signaculo, congressus ille facilè deprehenditur, etiamsi maximè arte repararetur. Proinde Caietanus & alij nudam literam sequentes, dixerunt hoc loco, vocem *alma* non pro virgine puella accipienda, sed pro virgine corrupta, quæ si cognoscatur, amplius non relinquit vllum congres-

Huic sensui quid repugnet.
Alter sensus.
In hunc sensum quę facere videantur.
Cant. 6.
Caietan. in prou.

congressum sui indicium. Et ponderat, sub nomine almæ, id est, abscondita mulieri: describi, ad insinuandum, quod de concubitu clādestino loquitur. Sed certè hic sensus in primis est contra proprietatem vocis almæ, quam, vt testatur Hieronym. nūquam vidit in scripturis accipi pro corrupta. Et LXX. & Matthæus reddiderunt Isa. 7. *παρθένος*. Deinde puella etiam corrupta, si postea cum alijs congrediatur, agnosci potest vel ex eo quod remanet grauida, vel deprehensa sit ab aliquo in actu ipso. Dicēs forsitan, viam dici difficilem cognitu, viri cum puella cōgressum ex eo quod studeant illam omnibus modis occultare, & negare, vt facit adultera, quæ tergens pudenda, negat se peccatum vllum admisisse. Sed hic sensus humilis est, & Iudaicus, & vim vocis corrumpens. Adhęc quid mysterij ignoti inueniri potest in via viri cum scorto, cum hęc omnibus hominibus, nedum Salomoni plus satis constare valeant? Praterea scriptura vitiatam mulierē solēt honestè vocare à viro cognitam: ideò nomen, quod absconsionem notat, hoc est, alma sumpsit à verbo, quod cognitioni, & reuelationi opponitur, quod non nisi virginibus vsus Hebræorum applicuit: quia tales nondum sunt à viris cognitæ. Nam congressum viri cum muliere reuelandi verbo declarare solet scriptura: *Non reuelabis*, inquit, *eius turpitudinem*. Igitur his rationibus parum constare videtur hic sensus.

Refellitur dupliciter.

Hieron. supra dicto loco.

Diluitur obiectio aduersariorum.

Corruptas fœminas, à viro cognitas, honesto vocabulo scriptura vocare consueuit.

Leuit. 18. & seq.

Superest vt tertium producamus. Salomō enim hoc loco virginei cōceptus Messiæ & partus nobis mysterium referauit: quod certè est difficilius cognitu, quàm via, quàm aquila, aut serpens, aut nauis conficiunt: quia hæc omnia aliqua scindunt, & diuidunt, id est, aerem: in partu verò Virgineo nullum vestigium transitus, vel diuisionis remansit: vsque adeo, vt si ipsa mater negare vellet se peperisse, non esset vnde posset mendacij conuinci. Ad hunc autem sensum comprobandum, primùm occurrit: quod in prouerbiorum libro Salomon fidem docet diuinitatis, sapientiæ, siue filij Dei & æternitatem, & rerum omnium molitionem: *Dominus*, inquit, *possedit me initio viarum suarum, antequam quicquam faceret à principio. Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret* Et infrà: *Cum eo eram cuncta cōponens, & delectabar per singulos dies.* Mysterium incarnationis subiungit, cum ait: *Deliciæ meæ esse cum filijs hominum*, & cap. 9. *Sapientia ædificauit sibi domum*, vt exponit B. Ignatius epist. 8. ad Philippenses: de mysterio loquitur Eucharistia, nam cum dixisset: *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem.* subdit: *Immolauit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam.* Non mirum igitur de Virgineo partu, Prophetico spiritu hoc Salomonem dixisse. Et indicatur in hoc eodem cap. 30. quod incipit: *Verba congregantis filij vomentis, visio* (id est, Prophetia) *Quam locutus est vir, cum quo est Deus: & qui Deo secum morante confortatus, ait. & reliqua.* Hæc ibi. Vt ex eo colligas, non tam hominem fudisse hoc oraculum, quàm Deum per Salomonem, quo tempore Deus cum eo morabatur. Adde quod in principio cap. mentionem facit expressam filij Dei; ait enim: *Quis ascendit in cælum, atq; descendit? quis colligauit aquas quasi in vestimento? quis suscitauit omnes terminos terræ? quod nomen est eius* (Dei scilicet Patris) *Et quod nomen filij eius. si nosti?* Non mirum igitur, si de filij huius admirabili, & inenarrabili incarnatione, & partu in lucem loquatur. Fuit etiam Salomō: *Cui Deus dedit cor sapiens, & intelligens, vsque adeò, vt nullus ante eum similis ei fuerit, nec post eum futurus sit*, vt tradit Reg. lib. 3. Quod si Salomon de his altissimis mysterijs verba non faceret, videretur sibi ipsi contradicere, qui in libro Sapientię contrarium docet, & quædam ex his: quę vt ignota, & difficillima cognitu nunc profert, pro notissimis habebat: *Quid profuit*, inquit, *nobis superbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis?* Transierunt omnia illa tanquam vmbra, & tanquam nuncius præcurrens: & tanquam nauis, quę pertransit fluctuantem aquam, cuius cum præterierit, non est vestigium inuenire, neque semitam carinæ illius in fluctibus: aut auis quæ transuolat in aere, cuius nullum inuenitur argumentum itineris illius, sed tantum sonitus alarum verberans leuem ventum, & scindens per vim itineris aerem; commotis alis transuolauit, & post hoc nullum signum inuenitur itineris illius: aut tanquam sagitta emissa in locum destinatum, diuisus aer continuo in se reclusus est, vt ignoretur transitus illius. Quod si huius libri, & Prouerbiorum idē est autor Salomon, equidem sibi contradicere videretur, nisi aliqua magna caussa cōtrarietatis existeret: quia quę hic agnoscit, vt aperta & manifesta, in loco Prouerbiorū tradit sibi esse occulta ac difficilia. Propterea dicendum est, Salomonem mysterium aliquod cognouisse, quod maximum esset, & ab humano ingenio excogitari non posset: atq; hoc esse incarnationis arcanum, & partus ex virgine. Vnde cum ait: *Tria sunt difficilia mihi*, Hebraicè habetur, admirabilia siue admiratione digna; sepius ignota ve-

Tertius ac postremus sensus reliquis quam præferendus.

Huic sensui quæ plurimū fauere videantur.

B. Ignatius sub initium epist.

Infra. 9.

II. Argum.

III. Argum.

3. Reg. Sup. 7.

Sup. 5.

Bona terrena quam fluxa ac momentanea iuxta Salomonem.

Quænam illa sint, quæ omnem humanã superant intelligentiam.

ro habent ..., id est, impossibilia ad cognoscendum: Quæ sunt autem talia, quæ humanum captum excedunt, nisi fidei nostræ Sacramenta, & præsertim hoc, de quo Hieron. *Quod natura non habuit, usus nescivit, ignorat ratio, mens non capit humana: pavet cælum, stupet terra, creatura etiam cælestis miratur. Hoc totum est, quod per Gabrielem Mariæ promittitur, & per Spiritum Sanctum adimpletur*, Sic ille.

Hieron serm. de Assumptione B. Mariæ, tom. 4.

Quod si vrgeas, hoc non exprimi à Salomone ad literam; nihil refert, satis est parabolicè dictum esse ab eo, qui librum Parabolarum, siue Prouerbiorum scribebat. Considera obsecro parabolas Euangelicas, & videbis multis, etiam illis quidem vulgaribus, & familiaribus similitudinibus mysteria Messiæ repræsentata. Est ergo hoc magnum, & inscrutabile Sacramẽtum etiam Angelis, nedum hominibus: quod sola fide apprehendi potest, & illi significandæ seruiunt tres priores viæ, quarum nullum restat indicium, nec Christi in lucem editi remansit vllum vestigium. Non enim signatur congressus viri cum puella, qui est omnibus notus, sed via Verbi incarnati; & ex matre intemerata, & illibata prodeuntis in lucem. Vnde conuenit hæc sententia cum illa Hieremiæ: *Nouum faciet Dominus super terram* (hoc est quod hic ait: *Et quartum penitus ignoro*) *fæmina circundabit virum*, Hebraicè est nomen Geber, id est, vir fortis: sicut etiam hic ponitur eadẽ vox, geber. Idcirco consulto nõ dixit, viam hominis, vel adolescentis, sed viri in adolescentula. Fuit enim Christus vir fortis statim à conceptione. Præterea locus Isaiæ: *Ecce alma concipiet, & pariet filium*: explicat hunc eundem locum, & quid sit via viri in alma. Imò quod plus est, illæ tres viæ præcedentes, possunt, vt Lyranus interpretatur, ad mysteria Christi sine vlla violentia referri: vt sit sensus; abscondita sunt à me hæc quatuor mysteria; primum, Quomodo Christus in cœlum vt Aquila ascenderit, nulla ante eum ab alio via facta, sed ipse primus illam sibi faciens: *Quia nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo Filius hominis, qui est in cælo.* Deinde via colubri super petram, hoc est, dæmonis in Christum, in quem nullum aditum habuit, iuxta illud: *Venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquam.* Vel commodior erit interpretatio, si dicamus serpentem salutiferum, & in cruce exaltatum Christum esse, qui è sepulchro, quod erat excisum de petra, prodiens, non reliquit tamen signum exitus sui, sed propria virtute penetrauit saxum, & surrexit immortalem ad vitam, & postea: *Angelus reuoluit lapidem ab ostio monumenti*, vt constaret custodibus, & mulieribus non esse ibi amplius corpus eius. Tertiò, via nauis in medio mari, Christus est vt nauis, quia tempestati, ac fluctibus mundi, & mortis fuit expositus: ex quibus emersit viuus, & gloriosus, vt nos in vitæ æternæ portum perduceret. Et huius nauis viam ignorabat Salomon; quoniam non est quouis modo pollutus mundi aquis, vt alij omnes fuerunt, vt solus ipse, vt sic loquar, supramundanus extiterit. Ita miraculo plena est via viri in Virgine, id est, conceptio, & natiuitas, quæ supra naturam fuerunt, quia absque semine humano, & absque vlla Virginei violatione claustri, de quo dicitur: *Generationem eius quis enarrabit?* quod perinde est ac dicere: *Et quartum penitus ignoro.* Considera etiam hoc loco, inter omnia mysteria Christi illud incarnationis, vt tempore prius, ita etiam magnitudine, & altitudine maius, sublimiusque existere: Nã eo posito quod Deus homo factus sit, consequitur vita, mors, resurrectio, & ascensio, Eucharistię, & cetera fidei nostræ incomprehensa, & ineffabilia arcana. Atque hoc nobis indicat textus, cum ait: *Et quartum penitus ignoro.* Confirmatur etiam hic sensus verborum Salomonis autoritate Rabennu Haecadosch, qui floruit ante aduentum Christi, quo tempore vera, & legitima scripturarum intelligẽtia erat penes Iudæos. Hic ergo præsentem locum de Christi mysterio interpretandũ docuit, vt tradit Galat. li. de arcanis Sacræ Scripturæ.

Quale sit incarnationis sacramentum.

IX. Argum. Rabbin.

Via viri in alma, siue in virgine apud Salomonem quæ sit.

Hierem. 31.

Geber Hebræis quid.

Christi fortitudo.

Isa. 7.

IV. Argum.

Lyran.

Via Aquilæ in cælo, in spiritu quid.

Ioan. 3.

Via colubri super petram quænam illa.

Infra. 14.

Altera serpentis allegoria.

Supra 3.

Infra 8.

Num. 21.

Luc. 23.

Matth. vlt.

Via nauis in medio mari iuxta mysterium.

Isa. 53.

Rabbennu Haccadosch.

Galatinus lib. 7. de arcanis sacræ Scripturæ.

Vnus scrupulus adimẽdus superest. Quia Iudæi, vt hunc sensum oppugnent, obijciunt sequentem clausulam de via mulieris adulteræ, & cum illo sensu de CHRISTI cõceptu, & partu à nobis dato cõgruere non posse contendunt. Quid enim, aiunt, adulteræ cum sacrosancta, & illibata Virgine? quid commune peccanti adulteræ cum ea, quæ nunquam peccatum vel leue, & veniale admisit? Dicendum est; posse hanc clausulam non referri ad superiora, sed ad sequentia, in hunc modum: Talis est & via, & modus mulieris adulteræ: nam similis est comedenti, & extergenti os suum, & dicenti se non comedisse; ita illa facit sui copiam, quibus vult, & extergens, siue lauans se, vt 70. vertunt, excusans se ait, se iniquitatem aliquam non admisisse. Et ita Hebraicè non habetur, quæ comedit, sed, comedit, & extergens os suum negat se peccasse. Quod si demus, hanc clausulam debere necessariò respondere superioribus; maximè quia post illas dictas quatuor vias adiungit quintam de muliere adultera.

Illud; Talis est & via n ulieris adulteræ, &c. quomodo sit accipiendum.

Adulteræ mulieris ingenium.

Alter sensus.

Dicendum est: quod verbum talis, vel sic, vt habet Hebræa lectio, referendum est ad quod superius dixit; Tria sunt difficilia mihi intellectu vel ignota, vel admirabilia, siue admiratione digna; Ità admiratione digna via illa mulieris adulteræ, id est, Eua, in quam à diabolo directa est, nesciens quòd tenderet in mortem, & tristitiam sempiternam. Nam Eua comedit contra Dei præceptum de ligno scientiæ boni, & mali, & tersit os suum excusando seipsam: & dixit: Nō sum operata malum, reijciendo culpam in Serpentem.

Via mulieris adulteræ iuxta sapientem, quænam illa. I. Sensus de Eua.
Gen. 3.
Alter sensus de Iudęis.
Actor. 3.
Gen. 37.
Matt. 27.

Vel secundò referri potest ad Synagogam adulteram, quæ repudiato viro suo legitimo, hoc est, Messia, cui erat desponsa, & illo ante faciem Pilati negato, comedit panem mendacij, & vt fera pessima deuorauit Ioseph, & bibit eius sanguinem, dicens: *Sanguis eius super nos, & super filios nostros.* Et tanto scelere parricidij perpetrato, tergit os suum, excusando se quod seductorem, & pseudoprophetam interfecerit. Talis proteruia, ac pertinacia impudētissima huius meretricis admiratione digna & stupore existit, in qua Dominus dixit: *Generatio praua & adultera signum quærit,* & de qua Propheta Hieremias: *Maculata es,* inquit, *in iniquitate tua coram me, dicit Dominus Deus, Quomodo dicis, non sum polluta?* Et paullò pòst: *Ecce, ego iudicio contendo tecum, eò quod dixeris, non peccaui.* Nam quæ maior cæcitas, quam tale facinus perpetrasse, ob quod spoliata est ciuitate, templo, honore populi Dei, scripturarum intelligētia, Prophetis, & libertate, & quod vbique vilissimam seruitutem seruiat, gens olim clara, & singulari Dei prouidentia protecta; & tamen non agnoscat delictum suum? Atque est redditio caussæ in cqmparatione Salomonis. Est ergo hic sensus plenus, elegans; & penè solus dignus, qui à sapientissimo diceretur, & qui à nobis, alijs neglectis, accipiatur.

Sup. 12.
Infra. 16.
Hiere. 2.
Ibidem.
Impia Synagoga Messiam suum, sponsum verum occidendo, quas dederit pęnas, quam graues.
Exod. 19.
1. Pet. 2.

Sed redeamus ad verba Matthęi: *Ecce Virgo concipiet,* siue vt LXX. ἐν γαστρὶ λήψεται, id est, in ventre capiet, vel accipiet; quod est, grauida seu pręgnans erit: & Matthæus ἐν γαστρὶ ἕξει in vtero habebit. Explicuimus superius, cur meminerit ventris. Parum autē est Hebraicè legi, concepit, & peperit, de præterito, quanquam Rabbini quidam de futuro interpretentur. Alij verò de præsenti verius legūt: *Ecce virgo concipiens, & pariēs.* Nec est supplendum, vt Vatablus vult, erit de futuro: Est enim הרה nam de præterito dicendum הרתה, vt habetur in Genesi de Agar, quæ concepit. Neque est de futuro quia non est terminatio fœminina futuri, sed vtriusque verbi est præsens terminatio hara, & ioledeth. Hieronymus siquidem in Matthæum, indicat se legisse de pręsenti, ἔχει non ἕξει de futuro, quia iam actu conceperat, cum Angelus eam alloqueretur. Et illam mutationem futuri in præsens annotat Hieronym. fuisse olim à Paulo factam. Cum enim in Psalmo iuxta Hebræum legatur: *Ascendens in altum* (scilicet Christus) *captiuam duxit captiuitatem: accepit dona in hominibus.* Paulus, quia res erat completa, mutauit futurum in præteritum, &, quod plus est, accepit mutauit in dedit. Ita Angelus, quia Virgo iam actu grauida erat, nō dixit ad Ioseph, habebit, sed habet. Alterū verò verbum, pariet, non mutauit in peperit: quia nondum pepererat, cum hæc diceret Angelus. Proinde non est dubitandum Hieronymi verba in Matthæum esse corrupta, vt annotauit ibi Erasmus, & pro verbo præsentis temporis (habet) positum falsò (habebit) quod eius verba apertè indicare videntur. Septuaginta tamen, de futuro vtrumque verterunt, quos secutus est Hieronymus, vt etiam in Vulgata Matthæi editione modo legimus. Quod si Hebraicè cōcepit, & peperit, legeretur de præterito: At certè nouum non est in scripturis, ea quæ futura sunt, vt pręsentia, aut præterita à Prophetis prænunciari, siue ob immobilem prophetiæ notitiam, siuè quia coram Deo iam sunt facta, qui fecit, quæ futura sunt. Et Euangelista declarat verba Prophetæ explicando per futurum, quod ille per præsens tempus. Concepit autem salua virginitate, integra mēte simul, ac corpore, sine vllo prorsus actu venereo, delectationeve: quod tamen potest naturaliter fieri, vt in dormiente fœmina maligno à Spiritu dicto incubo: sine semine tamen virili, natura est impossibile: at in B. Virgine vllo absque semine fuit, quod potentiæ Dei est solius, ac soli Mariæ cōpetit: cui etiam conuenit inuiolatis virginitatis claustris parere, quæ res sine nouo miraculo etiam in ea, quæ sine viro concepit, fieri neutiquam potuit. Fuit etiam partus omnis doloris expers: quemadmodum & omnis in conceptu libido absuit: *Et vocabitur nomen eius Emmanuel.* Hic soluemus tertium argumētum Iudęorum, obijcientium Christum Iesum non Emmanuelem vocatum. Aduertendum est igitur nomina esse propria, quæ induntur aliquibus ab initio, vt his vocentur familiariter, vbi prodierint in lucem. vt Paulus, Petrus, Iesus: aliqua tamen adijciuntur ad significandas nōnullas proprietates, aut euentus, vt Baptista, Christus, & similia. Cum ergo Christus Deus, & homo esset, multa proinde nomina ratione vtr-

Illud: Ecce Virgo concipiet, &c. de præterito, an pręsenti, futurove legendum sit.
Vatablus.
Gen. 16.
Hieron. in Matt. c. 1. to. 1. in præn.
Ephes. 4.
Psalm. 67.
Hieron. ibid.
Præteriti temporis pro futuro cur frequēs acceptio.
Virgineus partus qualis extiterit.
Virgo Deipara sine virili semine sola concepit, & peperit.
Nullum in partu dolorem Virgo beata eut senserit.
In Iudæos Christum Emmanuelem vocatum qui negant, late disserit.

usque naturæ,& proprietatum,atque operum eius illi conuenientium accepit:idcirco in Theologia symbolica, nominibus penè innumeris est vocatus. Lege Epipha. in Arrianos,& in Ancorato, & Catechesin decimam Cyrill. Hierosol. in qua plurima nomina siue cognomenta, siue Epitheta Dei Filij producit ex scripturis, atque illa explicat. Dicitur enim nomine illo sacrosancto,& quadrilitero, nempe Iehouah: dicitur Sadai, id est, sufficiens: Adonai, id est, Dominus meus Eloah est, fortis, & quod os Domini nominauit, nempe Verbũ vocatur via,& veritas,& vita, virtus, sapientia, lux, lumen, gloria, splendor, character, diuinę hypostasis imago, facies Dei, manus & dextera, & brachium Domini, mõs, petra, lapis angularis, calculus, granum frumenti, vitis, botrus cypri, fasciculus myrrhę, flos, fructus, lignum vitę, fons, hortus, oleum effusum, vnguentum: Sanctus, Sanctus Sanctorum, Sanctum, Sanctificatio, redemptio, propitiatio, templum, ostium, altare, hostia, oblatio, sacrificium, holocaustum, turris, candelabrum: nauis, sagena, alpha & omega, leo, serpens, aquila, bos, vitulus, capra, hinnulus ceruorum, ouis, agnus, vermis, Angelus testamenti, magni consilij Angelus, pater futuri seculi, admirabilis, consiliarius, Princeps pacis, principium, fundamentum, caput, paries, murus, antemurale; Rex, regum cœlorum, pax, misericordia, gratia, iustitia, dilectus, pacificus, iustus eminenter, & singulariter, lex, pactum, testamentum, liber vitæ, amẽ, Oriens, dies, geber, id est, isch in primo Adam signatus, siue Adam secundus: Rabbi, magister, Dominus, iudex, præceptor, pastor, negotiator, sol, cœlum, ros, imber, pluuia, manna, rosa, lilium, germen, radix Dauid, Mazarenus, Samaritanus, primogenitus, vnigenitus. Accelera spolia detrahere, festina prædari, Israël, Iacob, Iuda, Ioseph, Dauid, Asaph, Salomon, homo, filius hominis, Deus, filius, filius Dei, filius proprius, sacerdos, Propheta, Doctor, legislator, Apostolus, Episcopus, Euangelista, Saluator, Messias, id est, vnctus, siue Christus. eo quod præ cęteris Angelis,& hominibus donatus sit gratia ad consummandũ opus nostræ salutis. Dicitur Emmanuel, quia Deus erat,& est verè nobiscum, iuxta illud: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitauit cum eis*, & iuxta illud Baruch: *Post hec in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.*

Epiphan. in hæresin 69. ante med. *Cyril. Hierosoly.*

Filij Dei in Scripturis variç appellationes.

Exod. 6. *Isa. 9.* *Infra. 62.* *Ioan. 14.* *Luc. 1.*

Apoc. 21.

Baruch. 3.

Irridenda sanè,& fugienda Arriana Erasmi expositio in hoc verbo: ait enim: *Emmanuel, id est, nato Christo, Deus erit nobis propitius.* Sed certe miser est, si Christum confitetur Deum,& cum scriptura asserit ita vocandum videlicet, nobiscum Deus, ipse id neget. Cur non ergo id primum, ac potissimum significet, maximè cum Dei sit propria,& conuenientia nomina rebus imponere? Deinde ex consequentia significatur, quod nato illo Deus sit nobis futurus propitius? Porro quod argumentabantur Iudæi filium Mariæ non vocatũ Emmanuel, sed Iesum, vanum est: Nam duplex est nomen; alterum nuncupatiuum, vt Petrus, sic enim vocabatur ex impositione, alterum verò substantiuum, siue naturale; nam Petrus est animal,& homo. In hunc modum filius Virginis appellatiuè,& ex impositione dicitur Iesus: substantiuè verò, siue ex natura est Emmanuel, hoc est, Deus & homo. Et quoniam id, quod est, dici potest, dicitur etiã Emmanuel. Simile ratione ait idem Propheta: *Voca nomen eius, accelera spolia detrahere, festina prædari.* Idem ergo est dicere: *Vocabitur Emmanuel*, ac, erit Emmanuel. Pari modo dicitur apud Lucam: *Filius Altissimi vocabitur*, id est, erit, ac propterea vocari poterit. Ita Hierem. inquit: & hoc est nomen, quod vocabunt eum: *Dominus iustus noster.* & Isai. de Ecclesia loquens ait: *Non vocaberis vltra derelicta; & terra tua non vocabitur amplius desolata, sed vocaberis voluntas mea in ea.* Dum ergo scripturæ aliquem tali vel tali nomine vocandum dicunt, significatur, eum talem & futurum, & ab hominibus agnoscendum, qualis nomine illo significatur. Est enim, teste Chrysostomo in Matthæum mos scripturę euentus rerum ponere nominum loco. Et Tertullia. lib. aduersus Marcionem latè disputat, cur potius venerit CHRISTVS nomine Iesu insperato, quam nomine Emmanuelis. Quamquam nihil prohibeat, si dicamus, Virginem domi Emmanuelem, vocasse filium, quæ vox in primitiua Ecclesia fidelibus præ lętitia nouitatis Christi gestientibus, in ore, in vsu omnium erat fortassis: vt instantibus Christi natalitijs dieb. in Galliа moris est clamitare, Noël, Noël, dimidiata voce Emmanuelis. Verba verò illa: *Quod est interpretatum, nobiscum Deus*: non sunt ipsius Matthæi, verum interpretis Græci: qui hoc addidit, siue is fuerit Ioannes Euangelista, siue Iacobus frater Domini, vt alij volũt. Quia forte in Græco idiomate nõ fuisset intellectum: Tum quia nomen est cõpositũ, & aliquid aliud poterat significare; tum etiã ne acciperetur proprie, sed appellatiuè, vel substãtiuè, vt dictum est. Quod illo etiã argumento cõuincitur, quod cũ Angelus dixisset Iosepho: *Vocabis nomen eius Iesum*

Inepta planè & ridicula, nec non & Arriana verbi Emmanuel Erasmi interpretatio cõfutatur.

Quam inepte Iudæi colligant, filium Mariæ non vocatum Emmanuel, sed Iesum.

Duplex nomẽ, nuncupatiuum, & substantiale, siue naturale.

Isa. 8.

Luc. 1.

Hierem. 23.

Isa. 62.

Solet scriptura euentus rerum ponere nominum loco.

Chrysost. ho. 5. in Matth. ante med. uns tom. 2. uxtrio.

Tertul. lib. 3. aduer. Mar. tom. 2.

Pia consuetudo Ecclesiæ Gallicanæ.

Illud: Quod est interpretatum, nobiscũ Deus, esse verbum interpretis, & quibus constet.

Matth. 1. statim Matthæus subiunxit Isaiæ vaticiniū fore implendum in ea vocatione, dicendo. *Hoc autem totum factum est, &c. Ecce virgo concipiet, &c. Et vocabitur nomen eius Emmanuel.* Hiero. in Isa. ca. 7. to. 5. siue vt Hebræa lectio habet, vt Hieron. testatur: *Et vocabit ipsa nomen eius Iesum*; vel Sion, siue Hierusalem, siue domus Dauid vocabit Emmanuel, vt sit ita locus intelligēdi, quod ait Mattheus: *Vocabunt*, vel Propheta, *Vocabitur*, vt vertit B. Hieron. Idem. Idem est ergò Iesus & Emmanuel. Cur Christus Emmanuel appellari voluerit. Saluare enim nos à peccato, atque à dæmonis tyrannide non poterat, nisi ille, qui simul Deus esset & homo: Deus quidem, vt posset, homo verò, quòd saluare deberet. Hinc Deus dixit per Prophetam: Isai. 43. *Ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.* Poterat etiam Deus esse nobiscum ad vindicādum nos, vel ad perdendum: Vt ergò intelligerent homines: Ioan. 3. *Christum non venisse in hūc mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum*, ideò noluit nomen, quod metum impijs, atque horrorem incuteret, sed illud, quod in se nomen Emmanuelis clauderet, & salutem quam cupiebat efficere, significaret, & aperiret. Salus vbi sit necesse est. Est enim manifestum, si Deus salus nostra est, nobiscum planè esse; salus enim intra saluum est, non extra eum: ita vt singuli dicere valeamus: Psal. 22. *Nam etsi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Et rursus: Psal. 123. *Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel, nisi quia Dominus erat in nobis. Cùm exurgerēt homines aduersum nos, fortè viuos deglutissent nos*: ac rursus, *ego sum pauper & dolens, salus tua Deus suscepit me.* Psal. 68. Atq; hoc modo non est cum Angelis: Heb. 2. *Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit*, vt ait Paulus. Christus ergò est Emmanuel, siue nobiscum Deus, Quàm verè Christus sit Emmanuel, hoc est, nobiscum Deus. non tantùm per essentiam, præsentiā, & potentiam, quomodo existit in omnibus creaturis: sed nouo & inaudito modo per incarnationem assumpta nostra natura ad hypostasin verbi, & tāquam caput cum membris suis coniunctum, sensum ac motū spiritualem, & regimen influēs. II. Ratio. Existit etiam modo admirabili in Eucharistia, qua nos alit & pascit, admirabiliterque sustentat, & denique per assiduam assistendi & protegendi curam ac studium cum Ecclesia, tanquam sponsus cū sponsa sua, & pater cū filijs suis. III. Ratio. Vnde ipse promisit: Matth. vlt. *Ecce ego vobiscū sum omnibus diebus, vsq; ad consummationem seculi.* Et rursus: Supra. *Vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Inter Prophetas verò solus Isaias multa nomina Messię descripsit. Messiæ nomina apud Isaiā aliquot. Meminit enim nominis Iesu periphrasticè loquens, cùm ait: Isai. 26. *Vrbs fortitudinis nostræ Sion Saluator ponetur in ea murus, & antemurale.* Infrà 49. Et alio loco: *Dedi te in lucem gentiū, vt sis salus mea vsq; ad extremum terræ.* Supr. 45. & alibi: *Verè tu es Deus absconditus, Deus Israel Saluator*: ac rursus: Isai. 41. *Aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* Infrà 61. Meminit quoque Christi nominis per periphrasin loquens Luc. 4. his verbis: *Spiritus Domini super me, eò quòd vnxerit me*: quod ad se pertinere Dominus explicuit apud Lucam. Deus Verbum vt sit cum humanitate. Vocat etiam eum Isai. 7. Emmanuel, ob incarnationem: estque Infrà 8. Deus cum humanitate non secus ac mel cum simila. Item vocatur: Cur vocetur nomen Iesu, id est, Messiæ accelera spolia detrahere, festina prædari. *Nomen eius, accelera spolia detrahere, festina prædari*, ob victoriam in morte contra dæmones partam, quos & statim spoliauit, prædam sanctorum Patrum, qui erant in Limbo, secum euehendo, vt dicitur Zachar. 9. Infrà 9. Rursus dicitur: *Vocabitur nomen eius, admirabilis*: resurgendo à mortuis, & ascendendo in cœlum, & Eucharistiam instituendo, in qua tot admiranda operatur quotidie. Christus cur dicatur admirabilis, & consiliarius, Deus & fortis. Dicitur: *Consiliarius*, eò quòd miserit Spiritum sanctum, cum quo consilium habuit vocandi Gentiles ad fidem per Apostolos, repellendi Iudæos. Ibidem. Rursus dicitur *Deus*, quia ab eo tempore Deus cognitus est, & cultus veri Dei per vniuersum orbem cœpit propagari. Ibidem. Dicitur *Fortis*, in protegenda Ecclesia sua contra tot tyrannos & hæreticos: atque hanc fortitudinem exeret maximè in iudicio vniuersali, sempiternæ gehennæ cruciatibus impios adiudicando, & bonos ad cœlestia, atque in æternum permansura præmia exaltando. Ibidem. Pater futuri seculi Christus quare dicitur, & princeps pacis. Dicitur: *Pater futuri seculi*; quia vt pater beatos post iudicium tanquam filios tractabit, non vt seruos. Ibidem. Vocatur: *Princeps pacis*; quoniam laudabitur in cœlesti regno in æternum, vt autor pacis per passionem suam partæ. Hæc autem tot, tamque varia nomina Iesu Christo conueniunt propter multas proprietates, quas habet ratione vtriusque naturæ, & actionum atque affectionum eius: Vnde tot nomina Christo conueniant. Quanquam duo sint peculiaria eius nomina: alterum est proprium *Iesus*, Luc. 2. alterum verò cognomen dignitatis, nempe *Christus*, seu Messias: de quibus alibi.

Ad quartū verò argumentum Iudæorū respondemus: Isai. 7. per illam dictionem: *Quia antequā sciat puer reprobare malum, & eligere bonum, derelinquetur terra*: Cùm dicitur: Antequā sciat puer reprobare malum, & eligere bonum, derelinquetur terra, illud quid significet infra. nulla ponitur in Christo ignorātia, vt ipsi putant. Est enim sensus: Antequā puer ad eam ætatē veniat in qua infantuli discernere inter bonum & malum sciunt, liberata erit terra Israel, hoc est, antequā per incarnationem homo fiat, & per natiuitatem puer nascatur, ob merita eius tamē à Deo præuisa liberabitur terra.

Illud: Antequã sciat puer vocare patrem suum, & matrẽ suam, auferetur fortitudo Damasci, quẽ sensum habeat.

Tertull. lib. 3. aduers. Marcio. paulò ante med. & libro aduer. Iudæos c. 8. ante med.

Autor oper. imp. in Matt. hom. 2. prope init. to. 2. operum D. Chrys.

Aug. ser. 4. in Epiphan. sub init. tom. 10.

Matth. 2.

Damasc. Augustino quid mystice.

Matth. 2.

Similiter intellige quod dicitur: *Antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suã, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ coram Rege Assyriorum.* Id est, vt exponunt Tertul. lib. aduers. Marcion. & autor oper. imperf. in Matth. & Aug. serm. de Epiphania, cuius verba referam: *Antequam per humanam carnem humana verba proferret, accepit virtutem Damasci, illius scilicet, vnde Damascus præsumebat. In diuitijs quippe ciuitas illa secundùm seculum florens aliquãdo præsumpserat. In diuitijs autem principatus auro defertur, quod Christo Magi suppliciter obtulerunt. Spolia verò Samariæ ijdem ipsi erant, qui eam incolebant. Samaria namq; pro idololatria posita est. Illic enim populus Israel auersus à Domino, ad idola colenda conuersus est. Debellaturus scilicet Christus gladio spiritali per vniuersum orbem regnum diaboli, hac prima puer spolia idololatriæ dominationi detraxit, vt ad se adorandũ Magos conuersos à peste illius superstitionis auerteret, & in hac terra nondum loquens per linguam, loqueretur de cælo per stellam.* Hæc ille.

Illud Isaiæ: & accessi ad prophetissam, & concepit, & peperit filium, quo sensu dictum sit.

Ad quintum verò argumentum illud: *Et accessi ad prophetissam,* & concepit, & peperit filium: non significat, Iesum ex congressu viri cum matre eius cõceptum, quia loquitur, vel de accessu mentis ad prophetissam illam virginem Mariam, quam diuino lumine illustratus in spiritu vidit fore, vt conciperet, & pareret integra virginitate permanente. Vel secũdùm Epiphan. in Ebioneos, intelligit de accessu & ingressu Angeli Gabrielis ad annunciandum virgini conceptum, & partum Messiæ. Euseb. lib. de præparat. Euãg. ait, Spiritum S. hæc verba esse locutum, dixisseque se superuẽturum Mariæ prophetissæ, & Mariam virginem de Spiritu S. concepturam Emmanuelem. Sed vt hæc apertius intelligas, exorditur Isa. c. 8. ex quo prædicta verba desumpta sunt, in hunc modum: *Et dixit Dominus ad me, sume tibi librum grandem, & scribe in eo stylo hominis, velociter spolia detrahe, citò prædare.* Quibus verbis virginalem partum sub alia verborum forma, quàm prius, describit. Et primis quidem illis verbis ostendit, rem hanc, quam proponit, dignam esse absque dubio, quam nulla vnquam deleat obliuio: nec enim aliàs ad tam pauca verba scribenda magno (siue nouo, vt vertit 70.) libro erat opus, nisi nouitatem & magnitudinem significare mysterij voluisset. Tale est enim mysterium incarnationis ex virgine. Atq; ob eam causam præcepit, vt scriberet stylo hominis, id est, manifesto, & humanis verbis, literisq; notis; ne res obscuris inuoluta verbis fugiat, aut lectoris animũ remoretur. Idemq; est, ac si diceret: Scribe

Epiph. in hæresi 30.

Luc. 1.

Euseb. li. 7. de demonst. Euang. demonst. 2. initio.

Stylo hominis scribere iuxta Prophetam, quid.

vaticinationẽ, eamq; planè explica, vt qui legerit, possit eam intelligere. Est autẽ prophetia: velociter *Spolia detrahe, citò prædare.* Quibus verbis citam vel velocẽ à dæmone liberationem significat. Nam ille principẽ mundi eiecit foras, & e corporibus sæpe pellebat, quo testaretur se eijcere eos de animabus, in quib. per peccatum regnabat: sanctos etiam patres, qui in carcere detinebantur, eripuit taquam gloriosa spolia. Dicitur aũt velociter, & citò prædari: quia in fide venturi Messiæ olim hominibus peccata remittebantur, & victoriæ in bello patribus propter Messiæ merita conferebantur, ne extingueretur semen. Et fortassis idcircò bis dicit, spolia detrahe, & citò prædare: quia non solùm postquam humanitatem induit, spoliauit dæmones, & infernũ, verùm etiam antequam ipse veniret.

Ioan. 12.

Dæmonum è corporibus per Christum expulsio, quid significet.

Velociter & cito prædare & spolia detrahere, cur Christus dicatur.

Subdit: *Et adhibui mihi testes fideles Vriam sacerdotem, & Zachariam filium Barachiæ.* Id est, scripsi quæ mihi præcepit Deus, & assumpsi testes magnæ fidei & integritatis, Vriam sacerdotem; qui licet impius fuerit, magni tamen nominis erat apud Iudæos, vt 4. Reg. libro perhibetur. Zacharias verò ille est, de quo Paral. lib. 2. commemorat. Vrias sonat illustrationẽ Dei; & Zacharias memoriam Dei; hi enim sunt fideles testes, qui à Deo illuminantur, eumq; memoria tenent. Hi ergò certò sciunt me sumpsisse librum magnum, in quo, quæ Deus mihi præceperat, literis mandarem. Neq; est intelligẽdus simpliciter locus, quasi Propheta adhibuerit hos duos testes, sed per tropum significare vult, certissimum esse, quod dicitur, dignumq; vt credatur ab omnib. Etsi alij velint nõ esse figuratum sermonem, & rem in imagine, visioneq; peractam. Pro quib. facit, quod sequitur: *Et accessi ad Prophetissam.* Nempe in spiritu præuidendo (vt exponit Basil. in hunc locũ) quæ de se prophetauit, dicens: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Et cõcepit, & peperit filium.* Prophetia illa simillima illi est, quæ capite superiori describitur: *Ecce virgo concipiet, & pariet:* idemque est filius, qui hic atque ibi nasci dicitur. Ac de eodem ibi dicitur, quòd antequam puer adoleuerit, & venerit ad ætatem dijudicandi inter bonũ, & malũ, auferetur, nimirũ pueri virtute nasciturі. Vnde 70. transtulerunt: *Auferet puer fortitudinem Damasci, & spolia Samariæ,* & similiter etiam habet Hebræa veritas, vbi est mentio duorũ Regum prædictorum in superiori capite. Et subdit: *Coram rege Assyriorum.* Id est, ad præsentiam regis Assyriorũ, qui illos duos Reges euertit. Est enim Hebraismus, sicut dicitur, à facie ignis, pro,

4. Reg. 16.

2. Paral. 29.

Vrias quid sonet: quid vero Zacharias.

B. Basil. in Isaiam.

Luc. 1.

Isa. 7.

Matth. 1.

Hebraismus.

Psal. 67. & alibi passim.

præsentia ignis. Et hæc satis sint pro illius prophetiæ intelligentia. Sequitur in textu: *Exurgens autem Ioseph à somno, fecit sicut præcepit ei Angelus Domini.* Græcè dicitur: *Excitatus:* quia dormiebat. Mireque facta, & nõ dicta placere docetur in Iosepho tacente, & ad literam obediente. Docetque nos in primis, haud satis esse audire verbum Dei, sed oportere factis illud exprimere. Deinde vt excitemur à negligentia, desidiaque nostra, vel à morte peccati, de qua scriptu est: *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* Excitat autẽ nos Deus per Angelos & homines, & omnia, vt afflatibus eius atq; consilijs salutaribus obediendo crescamus. Angelus Domini dicitur, quoniam totus Dei est, nunciusq; eius, ac proinde eius personam sustinens. *Et accepit coniugem suam,* Nimirum traducendo in domum suam, & vnà cum ea manendo, nihilq; de occultè ea dimittenda cogitãdo: *Et non cognoscebat eam, donec peperit filiũ suum primogenitũ.* Verbum cognoscẽdi bifariam accipi potest, vel pro simplici cognitione, vel pro ingressu viri cùm vxore sua, quæ honestè & verecũdè dicitur cognitio vxoris. Et in primo significatu accipiunt nonnulli graues & antiqui Patres. Hilar. enim in quadã homilia ita interpretatur: *Propter sanctißima Maria glorificationẽ à Ioseph cognosci non potuit, donec peperit. Dominum enim gloriæ habens in vtero quomodo cognosceretur, si Moysi cum Deo colloquentis glorificata est facies, vt nõ possent intendere in eum filij Israël: quantò magis Maria agnosci vel intueri nõ poterat, quæ Dominũ potentiæ in vtero habebat? Post partum autem à Ioseph agnita inuenitur specie faciei, non tactu libidinis.* Præterea autor operis imperf. super Matth. *Verè enim,* inquit, *nõ cognouit eam ante, cuius fuerat dignitatis, quæ vnigeniti Dei facta fuerat mater: sed post quã peperit, tũc cognouit, quòd speciosior & dignior facta fuerat, quàm totus mũdus. Nam quem totus mundus nõ capere poterat, nec merebatur accipere, quasi in angustũ cubiculum vteri sui sola suscepit.* Et infra: *Quidam ex hoc verbo secundũ Eunomiũ putant, quod Ioseph donec peperit quidem, non illum habuit in conscientia, postea autem cognouit eam, & filios peperit. Vnde & Christum primogenitum dicit, quem alij fratres sequuntur. Insaniæ nequimem intelligit esse sanũ: quia illi qui ausi sunt hoc dicere de illa, putãt, quia & Ioseph hoc ausus fuit facere: hoc enim quod fieri potuit, dicit Euangelista, quia factum non est. Illud autem quod nec fieri potuit, quid necessarium habuit dicere, factum non est? Nam sunt quædam quæ naturaliter possunt fieri: sunt autem quæ impoßibilia sunt per ipsam naturam. Volo tibi referre: Ille nescio quis cum illo litem commisit: & donec vixit, non est cum eo locutus. ex eo signaui: quia post mortem illi locutus est, quod fieri non potest. Illud enim quod fieri potest, dixi quia factum non est. Quid autem opus habui exponere, quia nec post mortem illi locutus est, quod fieri non poterat? Sic & Ioseph ante partum credibile fuit, vt cognosceret eam, quia nõdum cognoscebat mysterij dignitatem: post quã cognouit, quia facta est vnigeniti Dei templum, quomodo poterat hoc vsurpare? quod ante facere noluit vir religiosus expectans nuptias suas, quas postea facturus fuerat, vt habitationem Dei carnalibus concupiscentijs sordidaret?* Hæc ille: & ante eum ita accepit hoc verbũ Epiphanius in Hæresim 78. non ad coitum referens, sed ad cognitionem excellentiæ virginis. Glossa item ordinar. in hunc locum habet: *Dicitur quòd Ioseph Mariam facie ad faciem videri non poterat quam Spiritus sanctus à conceptione impleuerat penitus, & ideò non cognoscebat facie ad faciem, quam desponsauerat, donec vterus euacuaretur.*

Sed certè quod ad dignitatem Virginis agnoscendam attinet, non solùm Ioseph, quantæ dignitatis erat Maria, sed nec hominum aliquis alius vel Angelorum agnoscebat. Neque videtur quadrare verbis Euangelistæ: quia est sermo de accipienda vxore, & de partu, quemadmodum vsurpari solet in Scriptura: *Adam cognouit vxorem suam Euam, quæ concepit & peperit Cain: & Helcana cognouit Annam vxorem suam, &c.* Et de Dauid 3. Reg. 1. dicitur: *Rex non cognouit Sunamitidem.* Et B. Virgo: *Virum non cognosco.* Deinde fulgor ille splendentis faciei non solùm à Ioseph, sed ab omnibus etiam alijs visus fuisset, & ab ignaris mysterij operi magico fuisset tributus: vel B. Virgo cogebatur prodere mysterium Iudæis interrogantibus huius rei caussam, quod si illa detexisset, matri imminebat, & puero nascituro periculum; quia Herodes diligẽter inquirebat Messiam natum ad occidendum eum.

Non etiam conueniebat hic fulgor illi, quæ præ verecundia sexus, & ætatis potius volebat latere, quàm videri ab hominibus: illum etiam fulgorem apertioribus Euangelista verbis expressisset, & caussam eius; sicut & Mosis, caussaque eius in Exodo exprimitur.

Cùm etiam ab antiquis asseritur, quòd Maria fuit coniugata, ait Ambrosius super Lucam, quod magis hoc fuit, vt Christus falleret principes huius seculi, qui sunt membra diaboli. Nam, inquit, quòd dæmon malitia facilè occultata deprehendit: at verò qui secularibus vanitatibus & curis occupantur, scire diuina nõ possunt. Si ergò Dominus Mariã voluit habere virũ, vt partus

Ioseph exurgens à somno quid doceat.

Ephes. 5.

Cur Angelus Domini dicitur.

I. Sensus huius dicti: & non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum.

B. Hilar. citatus à D. Thoma in catena tom. 15.

Exod. 34.

2. Cor. 3.

Autor operis imperfect. in Matth. hom. 1. sub fin. tom. oper. D. Chrys.

Quanta dignitas virginis matris.

Eunomij, similiumque Mariam virginem negantium, aduersus insaniam.

Qualis eiusmodi locutio, & non cognoscebat eam donec peperit, &c.

B. Epiph. contra Antidico-marianitas.

Gloss. Ord. in Matth.

Refellitur hic sensus: Et non cognoscebat eam, id est, facie ad faciem non nouerat Maria Ioseph quadruplici ratione.

Gen. 4.

1. Reg. 1.

3. Reg. 1.

Luc. 1.

II. Argum.

Matth. 2.

III. Argum.

Exod. 34.

2. Cor. 3.

IV. argum.

Ambros. l. 2. cap. 1. tom. 5.

partus celaretur, hoc est, vt seculi princeps nō cognosceretur à principio esse Messiam illum, qui natus erat, profectò nō dedisset Mariæ vultus fulgorem, per quem oporteret aut mysteriū reuelari, aut Virginem vt maleficam traduci.

Virginei vultus splendor si vllus fuit, à fuerit ille tantummodo deprehensus, & vbi præfiguratus.

Has rationes produxi non tanquam demonstratiuas, sed vt probabiles; solui tamē possunt, dicendo, gloriam vultus Virginis ab alio, quàm à proprio viro Ioseph non esse conspectam, ne magiam suspicarētur. Vnde de isto fulgore posset intelligi verbum Apocalypsis: *Mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius.* (Apoc. 12.) Et Exod. 40. (Exod. vlt.) in typum incarnationis dicitur, *quòd operuit nubes tabernaculum testimonij, & gloria Domini impleuit illud. Nec poterat (Moyses) ingredi tectum fœderis, nube operiente omnia, & maiestate Domini coruscante, &c.* Ita nec ingredi, neque accedere audebat Ioseph ad Virginem maiestate Domini impletam.

Dionys. Carthus. Ioan Gagn. Fulgor ille quando desierit in virgine.

Hanc expositionem vocat Dionysius Carthusia. subtilem & veracem: Gagneus quoque eam probat. Nato autem Christo, desijt fulgor, & gloria vultus: estque hyperbole ad significandum mutationem faciei; aliàs si omninò eam nesciret, seruire grauidæ nequaquam posset. Iudæi etiam Moysen in facie splendidum & gloriosum benè cognoscebant. Alter sensus est, vt cognoscendi verbum accipiatur pro cōgressu familiari, quo vir vxorem suam solet cognoscere: hoc tamen non sequitur, nempe quod postquam peperit, cognouerit eam. Hinc Hieronymus in Heluidium sic ait: *In quo primum aduersarius, id est, Heluidius, superfluo labore desudat, cognoscendi verbum ad coitum magis quàm ad scientiam esse referendum: quasi hoc quisquam negauerit, & eas nuptias quas redarguit, aliquando prudens quispiam potuerit suspicari. Deinde vult docere quod, donec, siue vsque, aduerbia, certum tempus significent, quo completo fiat quod vsq; ad illud temporis, quod præscriptum est, non fiebat, velut in præsenti, & non cognoscebat eam, donec peperit filium. Apparet, inquit, cognitam esse post partum, cuius cognitionem filij tantùm differebat generatio. & ad hoc approbandum congerit de Scripturis exempla quamplurima, &c.* Et subdit: *Ad quod nos breuiter respondemus: & non cognoscebat, & donec, & ad sermonem vsq; in scripturis sanctis dupliciter intelligi. Et de eo quidem, quod scriptum est: non cognoscebat, ad coitum esse referendum ipse disseruit, nulli dubitante, quin ad scientiam sæpe referatur, vt ibi: Remansit puer Iesus in Hierusalem, & non cognouerunt parentes eius. Sic etiam donec in Scriptura, sæpè certum tempus sicut ipse disseruit significat, sæpe infinitum, vt est illud: Donec consenescatis, ego sum.*

Hieron. to 2. tract. Aduers. Heluid. perpetuā Mariæ virginitatē negantem.

Aduerbium, donec, vbi Scripturarum infinitum tempus significet.

Numquid postquam illi senuerint, Deus desistet? Et Saluator in Euangelio: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi, ergò post consummationem seculi à discipulis abscedet?* (Luc 2. Matth. 28.) & Apostolus: *Oportet illum regnare, donec ponat inimicos sub pedibus suis. Numquid postquam illi sub pedibus erunt, regnare desistet?* (1. Cor. 15.) *Intelligat ergò ea, de quibus posset ambigi, si non fuissent scripta, signari: cætera verò nostræ intelligentiæ derelinqui. Iuxta quod Euangelista illud indicat, de quo scandalum poterat moueri, non eam cognitam esse à viro vsque ad partum: vt multò magis intelligeremus cognitam non fuisse post partum.* Hæc ille in sensu. Similia propemodum tradit prædictus autor operis imperfecti in Matthæum (Homil. 1. in fi.), ait enim Paulus: *Donec venio attende lectioni:* (1. Tim. 4.) numquid significauit, dum venio quidem, attende; cùm venero autem, neglige? & cùm dixit: *Oportet eum regnare, donec ponat inimicos suos sub pedibus eius; nunquid postea cessabit regnare?* & stultè diceretur: Nam qui regnat, antequā omnia ei sint subiecta; multò magis regnat postquàm ei fuerint omnia subiecta. Sic dicitur de iusto: *Non commouebitur in æternum donec despiciat inimicos suos,* (Psal. 111.) & iterum: *Vsque in senectam & senium Deus, ne derelinquas me.* (Psal. 70.) Et: *Donec annuncietur brachium generationi omni, quæ ventura est:* (Ibidem.) non est sensus, quod despectis inimicis iusti, tunc iustus commouebitur. Nec postulat vsque ad illud tempus tantùm non deseri, donec annuntiauerit, quasi pòst sit contentus derelinqui: nec valet: nō desijt Christus pro humano genere apud Patrem esse solicitus, donec animam exhalauit: siquidem non significat illum post mortē non esse pro nobis solicitum. Simile est. Si Dauid Deo diceret: Non me dereliquisti in manibus inimicorum meorū, donec ad regnū me prouexisti: nō significatur Deum dereliquisse Dauidem, postquàm assumptus est Regnū. Nihil igitur obstat illa particula, donec, vt superius latius tractauimus. Dices: Nō debebat Euangelista ita loqui, vt suis verbis præberet offendiculū: nam eiusmodi verba innuunt Ioseph post partum cognouisse virginē. Sed certè nostrū non est Spiritū S. docere, qua ratiōe loquendū sit illi nobiscum: solùm illis verbis significatur, nō cognouisse eam Ioseph ante cōceptum Christi & natiuitatem. Cum enim omnibus constaret, qui fuerāt contemporanei illis, quibus tunc Matthæus loquebatur, Mariā non habuisse alium filium, nisi Iesum: ideò an Ioseph cognouerit Mariam post Christi ortum, non erat aliqua ratio mouens ad id explicandum, cùm post Christum Maria nullum pepererit: de Christi aūt conceptu

Quare Matthæus ita potius, quàm secus dixerit: Et non cognoscebat eam, donec peperit, &c.

iure dubitari poterat. Nam omnis conceptus non solet fieri sine virili semine. Propterea dubium resoluens asserit Mariam non fuisse cognitam à Ioseph, vsquequo pareret Christum.

Heluidij à voce primogeniti Mariam nô semper Virginem arguêtis ratio diluitur.
Ioan. 7.
Matth. 12.

Superest explicare, cur Christus dicatur primogenitus: nam ex illo verbo, quòd relationem habet ad sequentes fratres, argumentabatur Heluidius, Mariam cognitam à Ioseph post partum. Præterea in Euangelijs crebra fit mentio fratrum Domini: *Nec enim* (vt inquit Ioannes) *fratres eius credebant in eum.* Et alius Euang. *Ecce mater tua & fratres tui foris stant quærêtes loqui tibi.* Sed proculdubiò respondendum est, Mariam semper fuisse Virginem: eratque facilius Virginem esse post partum, quàm prius.

I. Ratio.

Nam si & in conceptu, & in partu esse virgo potuit, à fortiori post partum, cùm nulla necessitas corruptionis existeret. Quia, vt côciperet, necesse erat naturaliter amittere virginitatem, aut saltem saper semen: vt pareret verò, necessarium erat naturaliter fieri corruptionem. Vt tamê postea incorrupta maneret, nihil obstabat nisi voluntas, cùm iam nec parere quenquam necessum esset.

Perpetua virginitas Mariæ vbi præfigurata.
Isai. 7.
Ezech. 44.
B. Aug. ser. 18. de temp. init. tom. 10.

Ita virginitas prædicta est ab Isaia, designata in porta clausa, in domo Domini apud Ezechielem: vt pulchrè explicat Augustin. in quodam sermone: *Quid est,* inquit *porta in domo Domini clausa, nisi Maria semper erit intacta? & quid est: Homo non transit per eam, nisi quia Ioseph non cognouit eam? & quid est, quòd Dominus solus intrat, & ingreditur per eam, nisi quia Spiritus sanctus impragnauit eam? & quid est: Clausa erit in æternum, nisi quia Maria, virgo ante partum, virgo in partu, virgo post partum?* Hæc ille.

Altera figura ab Daniele desumpta.
Dan. 2.
Irenæ. lib. 3. aduer. hær. c. 28.

Præterea designata est eius virginitas in lapide sine manibus exciso apud Danielem id est, non operante in eo Ioseph, sed sola Maria, vt pulchrè interpretatur Irenæus lib. aduers. Hæreses.

Cherinthianorum, Ebionitarumq; de virginitate Mariæ summa blasphemia.

Grauiter ergò Cherinthiani & Ebionitæ errarunt, dicêtes, Mariam nec in partu, nec in conceptu, nec post partû virginem extitisse, Christumq; ex concubitu natû fuisse. Minus errarunt Heluidius & Eunomius, & eorû sectatores concedentes, Mariam ante partum, & in partu Christi virginem extitisse; & tamen Christo nato, dicunt eam à Ioseph cognitam, & alios filios peperisse.

II. ratio, ex parte Christi.

Sed certè hoc derogat perfectioni dignitatis Christi: quia sicut secundùm naturã diuinam est vnigenitus Patris tâquam perfectus filius: ita decuit vt esset vnigenitus matris secundùm humanam. Velleq; alios gignere, erat innuere, quod ille non esset perfectum bonum, ac solatiû matris.

III. ratio ab Spiritu sancto ducta.

Hoc etiam esset in iniuriam, atque dedecus Spiritus sancti, cuius sacrarium fuerat vterus virginalis, in quo Christi carnem formarit: atque ita Spiritus sanctus sanctificauerat, & peculiariter consecrauerat illam.

IV. ratio, ex parte Virginis Mariæ.

Adhæc derogaret dignitati & sanctitati matris, quæ ingratissima videretur, si hoc tali ac tanto filio contenta non esset: & si virginitatem, quam spôte ante conceptionem Spiritui sancto dicauerat, perdere vellet per carnis concubitum.

V. ratio, ab ipso Ioseph eius sponso.

Adde etiam, Ioseph si hoc attentaret, esset magnæ ipsius temeritati imputandum, cùm Angelus ei reuelasset virginis per Spiritum sanctum fœcundatæ mysterium. Et vt ait Paulus: *Si quis templum Dei violauerit, disperdet illum Deus.* 1. Cor. 3.

VI. Ratio.

Præterea si Maria post hoc ab aliquo voluisset cognosci, videretur hæc res spectare ad desiderium atque appetitum libidinis, quod proficisceretur ex incontinentia vel infirmitate carnis: qui defectus nequaquã in virgine ponendus est: nam eiusmodi matrimonium non fuit côciliatum, nisi vt proles illa diuina haberetur, sed vt per illud ad tempus tegeretur & conseruaretur. Non ergò erat alia proles procuranda per illud coniugium.

VII. ratio, ac postrema.

Postremò videretur B. Virgo recedere à suo proposito. Nam cùm Angelo inuitãti ad Messiæ matris dignitatem respôderit: *Quomodo fiet istud, quoniam virû non cognosco?* Luc. 1. vt promissam suam virginitatê declararet, neque acquieuit Angelo, nisi postquam intellexit saluam fore suam virginitatê: quomodo verisimile est, vt ad alios filios gignendos ac procreandos prostituere voluerit viro suam integritatem?

Nomen primogeniti, vt & filij nomen, & filiæ, dupliciter accipitur more scripturæ.

Quod ergò hæretici dicunt, vim facientes in voce primogeniti: Respondemus, dupliciter hanc vocem accipi: negatiuè & absolutè, id est, ante quem nemo fuit: aliquãdo verè comparatiuè, siue affirmatiuè, id est, ante quem fuit nemo, & post quem aliquis est. Idem etiam habêt alia nomina relatiua, vt filius, & filia, & tamê accipiuntur sæpè pro absolutis: filius quidem pro viro quocunq;, & filia pro fœmina quacunque: quemadmodum Cant. 2. dicitur: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias,* Cant. 2. videlicet mulieres. Nam si relatiuè poneretur, necesse erat dicere, cuius essent illæ filiæ. Ibidem etiam sponsa ait: *Sicut malus inter ligna syluarum, sic dilectus meus inter filios,* id est, inter viros. Simili ratione, inquit Salomon: *Multæ fœminæ congregauerunt diuitias,* Prouerb. 31. scilicet mulieres. Isaias quoque cùm loquitur de Eunuchis, qui custodiunt Sabbath

Domini:

Isai.56. Domini: *Dabo, inquit, eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filijs & filiabus,* nempe quàm alijs viris, vel fœminis coniugatis. Idem dicendum de hoc nomine, primogenitus. Nam ex consuetudine scripturæ in veteri Instrumento, is est, ante quem nemo nascitur, siue post eum aliquis
Exod.13. nascatur, siue non. Exodi namque 13. præcipitur primogenitum pecorum offerri, & primogenitos hominum redimi. Si tamen vocaretur primogenitus solus ille, quem alij consequerentur filij, nunquã esset compertus primogenitus, qui prius nascebatur, donec haberet alios fratres: & tamen edixit Deus octaua die offerri primogenita
Infrà 12. pecorum, Exod.22. & vt mulier cùm pareret primogenitum, post quadraginta dies
Leuit.12. & seq. offerret illum Domino, Leuit.12. cùm tamen post quadraginta dies à partu nõdum nosse posset, an mulier esset habitura alios filios, quorum respectu ille diceretur primogenitus. Sic Christus, cùm primum natus est, primogenitus secũdùm legem fuit, & in templo à beata Virgine exhibitus die
Luc.2. quadragesimo, vt dicitur Luc.2. Nec expectauit, vt haberet alios filios, quos nũquam erat habitura, vt eorum respectu primo-
B.Epiphan. genitus diceretur. Et vt expendit Epipha-
Coloss.1. nius hæres.78. in Antidicomarianitas: *Non dixit Euangelista, quòd genuit primogenitum suum; sed quòd non cognouit ipsam, donec genuit*
Eccl.24. *filium suum,* & post subdit cum articulo τὸν πρωτότοκον, hoc est, illum primogenitum, id est, filium suũ, qui erat primogenitus sim-
Primogeniti acceptio in iure ciuili. pliciter omnis creaturæ. Sic etiam accipi solet in iure primogenitus. Nam si sit lex, quæ honorem aliquem, vel possessionem ad solos primogenitos deuenire statuat, si quis vnicum filium genuerit, non est dubium quin ad illum pertineat huiusmodi
B.Hiero. in c. 1. Matt. in fin. tom.9.init. honor, vel possessio. Hinc Hieronymus in hæc verba scribit: *Ex hoc loco quidam peruersissimè suspicantur, & alios filios Mariã habuisse; cùm mos diuinarum scripturarum sit, vt primogenitum non vocent, quem fratres sequuntur, sed eum qui primò natus fuit.* Hæc ille: quæ ad verbum recitantur extra de verborum signi-
Exod.12. ficatione, cap. Ioseph.1. Exod.12. dicuntur
Israel quomodo primogenitus Dei. occisa primogenita Ægypti, & in qualibet domo erat aliquis occisus. Ergò licet vnicus tãtùm fuisset, primogenitus diceretur,
Suprà 4. quando dicebat Dominus ad Pharaonem: *Primogenitus meus Israel*, an populum alium habebat, præ quo diceretur primogenitus Israel? Si dicas; sciebat alium populum ex Gentibus sibi futurũ, quod attinet ad præscientiam suam. Sed certè secundùm præscientiãm semper duos populos habuit, qui
Ephes.2. in vnum tantùm erãt coalituri, & in Christo magis est primogenitus populus Gentilis, quàm Iudæus: iuxta illud Iudæis dictũ: *Ipse* (scilicet populus Gentilis) *erit in caput,* Deut.28.
& tu eris in caudam.

Est igitur Christus secundùm diuinitatem primogenitus, & vnigenitus Patris: secũdùm humanam naturam primogenitus & vnigenitus Virginis. Nos autem respectu beatæ Virginis filij spirituales, siue adoptiui sumus: atque inter hos primum locum sibi vendicat Ioannes Euangelista, de quo Christus in Cruce pendens dixit: *Mulier, ecce filius tuus,* & quod attinet ad creationem in anima & corpore: quod attinet ad dignitatem ipsius, dicitur à Paulo ad Col.1. *Primogenitus omnis creaturæ.* Nam primum opus in mente diuina Christus fuit, & propter illum, & per illum reliqua cõdita, nisi velis Christum primogenitum appellare secundùm Deitatem, penes illud: *Ego ex ore altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam.* Potest & alius esse sensus verbi Apostolici: vt primogenitus omnis creaturæ dicatur propter dignitatem & gloriam, ad quam assumpta est Christi humanitas, dum verbo diuino est vnita. Antecellit enim omnibus creaturis Christus, sicut finis ijs, quæ ducunt ad finem; & mediator, atque redemptor illis, quibus mediationis, vt sic loquar, & redemptionis fructum impertiuit, atque communicabit. Atque in hunc sensum dixit Dauid: *Et ego primogenitum ponam illum, excelsum præ Regibus terræ.* Nam ibi sermonem esse de Messia, testantur subiuncta: *In æternum seruabo illi misericordiam meam, & testimonium meum fidele ipsi. Et ponam in seculum seculi semen eius; & thronum eius sicut dies cœli.* Et hac ratione factus est Christus hæres vniuersorum, vt ait Paulus. Nos autem per eum sicut vocati ad filiorum Dei adoptionem, ita & ad spiritualem fraternitatẽ cum eo, & ex consequenti ad partem hæreditatis, iuxta illud: *Prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus multis fratribus. Nam si filij, & hæredes,* vt idem Apostolus ait. Ac quemadmodum proprium primogenitorum est ipso iure, qui consequuntur fratres alere licet adoptiuos; sic Christus primogenitus pastor noster est, & illi singularis est cura de nobis, ne alimenta desint, quibus tum spiritum, tum corpus sustentemus. Postremò dicitur: *Primogenitus mortuorum,* id est, Primogenitus mortis, quem primum ad vitam immortalẽ mors peperit, sed vt nos in illo moriente mortui sumus, ita in illo resurgente, ad vitam æternam reuocati sumus. Vt Christus primogenitus mortuorũ habeat multos fratres, quos mors virtute

Filij Dei nos præ Christo, & Virginis matris quales simus.
Ioan.19.
Eccle.24.
Christus dicitur primogenitus omnis creaturæ ab Apostolo dupliciter.
Coloss.1.
Psal.88.
Heb.1.
Aliter Christus aliter nos hæredes sumus vniuersorum.
Rom.8.
Qua nos ratione pascat Christus frater primogenitus noster.
1.Pet.5.
Christus quare primogenitus mortuorum.
Coloss.1.
Apoc.1.

sua

ſua in lucem edidit.

Soluitur illud: Fratres Christus habuit, ergò Maria nō fuit ſemper virgo. Matth. 13. Marc. 6.

Argumentum verò ſumptum ex fratribus Chriſti Ieſu, quaſi B. Virgo alios poſt Chriſtum pepererit, infirmum eſt, & debili nixum fundamento; cùm ex fide conſtet Mariam ſemper Virginem extitiſſe. Quòd verò fuerint fratres, eò quòd eſſent filij Ioſeph, vti ex veteribus nonnulli tradiderũt, putamus eſſe falſum, ſicut ſuo loco demõſtrabimus. Dicũtur ergò fratres Chriſti filij ſororum B. Virginis: nam ſcripturæ ſacrę mos eſt, vt fratres dicãtur conſanguinei. Imò, vt docet Hieron. in Heluidium, fratres in Scripturis dicuntur quatuor modis, natura, gente, cognatione, affectu. Natura, vt Iacob, & Eſau, Petrus & Andreas: Gẽte, ſic omnes Iudæi appellantur fratres, vnde dicitur: *Nõ fœneraberis fratri tuo ad vſuram*, id eſt Iudæo. Rurſus: *Cùm tibi venditus fuerit frater tuus Hebræus, aut Hebræa, & ſex annis ſeruierit tibi, dimittes eum liberum.* Ac rurſus: *Non poteris alterius gentis hominem Regem facere, qui non ſit frater tuus.* Et Paulus: *Optabam ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis* (& explicans ſubdit) *qui ſunt cognati mei ſecundum carnem; qui ſunt Iſraëlitæ.*

Hieron. to. 2. in princ.
Fratres quadrifariã dicuntur in ſacris literis.
Gen. 25. Ioan. 1. Deut. 23. Suprà 21. Suprà 16. Rom. 9.

Cognatione verò illi dicuntur fratres, qui ſunt de vna familia. Sic Geneſ. 13. Loth vocat Abraham fratrem ſuum: *Fratres enim*, inquit, *ſumus*. Ibidem ſubditur: *Diuiſique ſunt alterutrum à fratre ſuo*: & tamen Loth filius erat Aram fratris Abrahæ; ac proinde nepos Abrahæ. Et Geneſ. 14. ſcribitur: *Cùm audiſſet Abraham, captum videlicet Loth fratrem ſuum, numerauit expeditos vernaculos ſuos trecentos decem & octo.* Et de Iacob dixit Rachel, quòd eſſet frater Laban patris ſui; cùm tamen eius eſſet nepos. Et cùm fugit Iacob, dixit ad eum Laban: *Pone hic coram fratribus meis, & fratribus tuis*; & tamen conſtat Iacob habuiſſe neminem fratrem germanum præter Eſau. Atque in hoc ſenſu dicuntur tres Apoſtoli fratres Domini, & ſingulariter Iacob, frater Domini appellatur à Paulo in epiſt. ad Gal. Affectu verò fratres dicuntur, qui ſe inuicem amant, ac mutuis charitatis officijs ſe inuicem proſequuntur, iuxta illud: *Ecce quàm bonum, & quàm iocundum, habitare fratres in vnum. Narrabo nomen tuum fratribus meis.* (Omnis enim frater in Chriſto, proximus eſt:) *Vade ad fratres meos, & dic eis: Si peccauerit in te frater tuus*: & ſimilia multa in Scripturis deprehendimus, quæ ob id hoc loco à nobis tractata ſunt fuſiùs, & vberiùs, ne ea repetere aliàs ſit opus.

Gen. 13. Supra 11. Infra 14. Gen. 29. Infra 35. Matth. 13. Gal. 1. Pſal. 132. Pſal. 21. Ioan. 20. Matt. 18. Luc. 17.

A quo primũ quoties, & quando vocatum ſit nomẽ Ieſus.

Sequitur: *Et vocabis nomen eius Ieſum.* Angelus ipſe primus hoc nomen de cælo attulit, & primò reuelauit Virgini ante cõceptionem, deinde Ioſepho patri eius credito poſt conceptionem, & ante partum, vt hic. Rurſus in Circumciſione impoſitum eſt illi publicè hoc nomẽ ſacratiſſimum, vt Lucas teſtatur. Eſt enim ſeruator Angelorũ, & Virginis excellenti præſeruationis modo, deinde Ioſephi patris ſui ſecundùm exiſtimationem, quem in vtero ſanctificatũ ſentiunt nonnulli, & à peccato excellenti gratia præſeruatũ; vt mundè ac dignè conſeruari poſſet cum Maria ſibi deſponſata coniuge: ac poſtremò omnium hominum, qui illi vt infirmos medico ſapientiſſimo ſe ſubijciunt ſanandos, ſaluator eſt, & protector, & liberator. Igitur demus operam, vt veri fratres Ieſu Chriſti inueniamur; ſunt enim multi falſi fratres. Veri autem ſunt, & germani, qui ad Chriſtum primogenitum reſpiciunt, eiuſque opera ſibi ante oculos ad imitandum proponunt, omneſque iuuare, & ad Chriſtum inuitare, atque allicere non ceſſant, illiſque inſeruire propter Chriſtum ſibi glorioſum ducunt: qua ratione certiſſimam viam ſibi muniunt ad cœleſtem hæreditatem adeundam, gratia & meritis Domini noſtri Ieſu Chriſti, cui cum Patre & Spiritu ſancto ſit ſempiterna laus, gloria, & imperium in ſecula ſeculorum, Amen.

Luc. 1. Luc. 2. Quorum fuerit potiſſimum ſeruator Ieſus. Veri fratres Chriſti qui ſint.

TRACTATVS XXXII.

In illa verba Luc. 2. *Exijt edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis. Hæc deſcriptio prima, facta eſt à præſide Syriæ Cyrino.* In quo potiſſimùm de ratione temporum ad Chriſti Domini natiuitatem ſpectantium luculẽter diſſeritur.

Luc. 2.

SVperiori tractatu explicatum eſt, qua ratione per reuelationem cognouerit Ioſeph myſterium Incarnationis, & partũ Virginis inſtantem, & nomen, quod filio in lucem edendo imponendum erat: ideò iuxta ſeriem hiſtoriæ, meritò ſequitur myſterium natiuitatis exponendum, quod ad Lucam ſolùm ſpectauit. Primò igitur Euangeliſta deſcribit tempus, & locum, quo Chriſtus eſt natus. Deinde quibus primùm natiuitatis fuerit reuelatum myſterium. Poſtremò fructum, quem eiuſmodi annũtiatio ſeu reuelatio attulit. Quod ergò ad primo loco propoſitum de tẽpore attinet, explicãdum, quid eſt edictum: & cur illud exire dicitur: deinde quid ſibi hæc vniuerſi orbis deſcriptio velit: tertiò quis eſt iſte Cyrinus, vel Quirinus Syriæ præſes. Edictum

Ratio connexionis Euangeliſtæ ſcopus. Quid ſit edictum.

ctum, nihil est aliud, quàm præceptum, siue imperium: edicere enim propriè est voce præconis magistratum, vel Principem iubere aliquid, quod vt lex publica omnibus obseruandum proponitur. Et vt, *interdictum*, est præceptum eius rei, quę fieri vetatur, ita, edictum, eius, quæ ab omnibus effici præcipitur. Græcè edictum dicitur ἀξίωμα, vel vt Euangelista hoc loco habet δόγμα, id est, placitum, ἀπὸ τοῦ δοκεῖν, eò quòd Principi illud edicere placuerit; vt inde pulchrè dicta sint principum placita leges ab ipsis latę. Et vtplurimum solet edictum scripto prodi, ne varijs interpretationibus in illius intelligentia & obedientia sit locus. Et in hoc sensu ponitur hæc vox in Actis, cùm dicitur: *Cùm autem pertransirent ciuitates, tradebant eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis & senioribus, qui erant Hierosolymis.*

Interdictum quid.

Edictum quomodo prodi consueuerit, & quale.

Act. 16.

Vbi, vt vides, vocantur dogmata, id est, edicta & decreta, quæ paulò ante in fine, cap. 15. eiusdem libri Lucas vocauerat præcepta Apostolorũ & seniorum. Et infra: *Et hi omnes contra decreta Cæsaris faciunt*; vbi δογμάτων, decreta cõuertit interpres. Dicuntur deinde hęc edicta in scripturis exire, siue progredi, quemadmodum Esther 1. dixit vnus ex sapientibus ad Regẽ Assuerum: *Si tibi placet, egrediatur edictum à facie tua, & scribatur iuxta legem Persarum atq; Medorum, nempe de obedientia mulierum viris suis præstanda.* Apud Danielẽ quoq; legitur: *Consilium inierunt omnes Principes regni tui, magistratus & satrapæ, senatores & iudices, vt decretũ Imperatorium exeat & edictũ*: & quæ sequũtur. Et lib. 1. Esdrę: *Cyrus Rex proposuit edictum, vt domus Dei ædificaretur.* Porrò dicuntur egredi vel exire, quasi à secreto Principis corde & voluntate, in qua hæc ad tempus delitescunt, donec scripto aut voce præconis foras prodeant, & promulgata vim habeant cunctos obligandi. Et quoniam corda Regum sunt in manu Domini, & quocunque voluerit, illa cõuertit; ideò hæc edicta cùm bona & iusta sunt, à Deo ipso quasi ex occulto, & sub sensum minimè cadente principio per Reges egredi sunt cẽsenda; & propterea omni obedientiæ ratione, vt diuina acceptanda sunt, iuxta illud: *Per me Reges regnant, & legum cõditores iusta decernunt. Per me Principes imperant, & potentes decernunt iustitiam.* Vt ita mirum non sit, si Iosephus ac B. Virgo eius spõsa morigeros se ac obsequentes dicto Cæsaris prębuerint, vt par erat. Iam de descriptione ista dicendum, primò, quid sit; deinde ob quã caussam fieret; tertiò, quomodo potuit describi vniuersus orbis; quartò, an soli viri, an verò

Act. 17.

Edicta in scripturis, cur exire dicantur.

Esther 1.

Dan. 6.

1. Esdr. 5.

Prouerb. 21. Principum edicta quanti facienda.

Prou. 8.

Ordo tractationis. §

fœminæ simul cum viris censerẽtur: quintò, an illi, qui profitebantur, & nomen dabant, aliquod tributum Principi penderẽt; sextò, cur Herode pleno iure regnante in Iudæa ad censum soluendum adstringerentur profitentes; septimò, quamobrem Dauid censens populum, à Deo castigatus est, non autem Augustus; octauò, cur Christus Dominus infinita Dei sapientia sub hoc tẽpore descriptionis nasci dignatus est; nonò denique, quid est in caussa, quod cùm tot excellentes historici illo tempore floruerint, qui Augusti vitam & gesta persecuti sunt, nullam huius rei tam nouæ ac insolitæ, nempe descriptionis per vniuersum orbem factæ mentionem fecerint.

3. Reg. vlt. & seq.

Descriptio igitur, vt à primo exordiamur, quæ Græcè dicitur ἀπογραφή, nihil aliud erat quàm enumeratio quędã ciuium, qua ministri ad id deputati in actis publicis describebant capita ciuium cuiusq; ciuitatis, vel prouinciæ, illis iuratis, & profitentibus nomen, familiam, tribum, & ciuitatem, in qua nati, & facultatum quantitatem. Et quia ministri describebant, & ciues profitebantur, ideò promiscuè verbũ Grgcorum ἀπογράφεσθαι vtroque modo vertitur: nam quod interpres dixerat: *Vt describeretur vniuersus orbis.* Ambros. legit: *Vt censum profiteretur vniuersus orbis*: & interpres noster inferius vertit idem Grecũ verbum verbo profitendi: ait enim, *Et ibant omnes vt profiterentur, singuli in suam ciuitatem* Et mox: *Ascendit autem & Ioseph, &c. vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore, prægnante.* Et in Actis: *Post hunc extitit Iudas Galilæus in diebus professionis, vocans professionem; quam hic vertit descriptionẽ* Hinc Suidas antiquus, & Christianus autor, in verbo ἀπογραφή, τοῦτ' ἔστι (inquit) ἀπαρίθμησις: Hoc est, *Descriptio, est enumeratio ac subdit: Cæsar Augustus, qui vnus dominatu suo omnia tenebat, viginti viros & vita, & moribus præstantes elegit, atq; in omnem terram sibi subiectam emisit; per quos tum hominum, tum facultatum descriptiones fecit; particulam quandam ex ijs, quæ satis esset rerum publicarum administratori, deferendam mandans. Hæc descriptio prima. facta est, illorum scilicet, qui ante ipsum à possessoribus nihil auferebant, ita vt publicum crimen essent locupletibus ipsæ diuitiæ.* Verba illa alij sic vertunt: *Cùm ij, qui eum antecesserunt, qui à non possessoribus eriperent.* Hęc Suidas. Habes ergò, idem esse descriptionem & professionem, & vnam vtrunque significare dictionem: sed erat descriptio ex parte ministrorum, professio verò ex parte eorum, qui nomen dabant, & profitebantur fortunarum suarum mensuram. Nec tãtùm hæc apud Romanos de

Descriptio Cęsaris Augusti, illa quæ fuerit

Ambros. li. 2. in Lucam c. 2. tom. 5.

Act. 5.

Suidas.

Describendi censendi ve ratio an solis Romanis cognita fuerit.

scribendi, seu censendi ratio in vsu fuit, verùm etiam in sacris literis à Domino instituta quomodo sit facienda.

Exod. 30.

Quorsum autem census ageretur à Romanis, siue enumeratio fieret, quod secundo loco propositum fuit, expeditè: respondemus, duas potissimùm caussas extitisse, ob quas Romani censum agere consueuerunt, testibus Liuio, & Dionysio Halicarnasseo atq; Floro: primam quidem, vt numerus eorum, qui arma ferre possent, & in bellum proficisci, cognosceretur. Deinde vt populus iureiurando adactus fortunarum suarum æstimationem apud Censorē profiteretur: & hæc æstimatio bonorum duas adferebat cōmoditates, alteram, vt ea cognita, populus in classes & centurias pro maiori, minorive facultatum suarum magnitudine distingueretur: altera, vt tributorū pensio cuiusq; facultatib. æquaretur.

Quamobrem à Romanis cēsus ageretur.

Liuius lib. 1. Dionys. lib. 1. Flor li. 2. c. 6.

Bonorum æstimatio illa apud Romanos quid conferret

Tributum verò pendebatur: tum, ad Reipubl. onera belli, pacisque sustinenda; tum vt populus ei imperium, ac potestatē profiteretur, cui tributum numerabat. Potuit igitur hæc descriptio, quæ in Domini natalem incidit diem, ab Augusto ad illos omnes fines, vel illorum aliquē, quos diximus spectasse: vel, vt intelligeret quantus hominum numerus tot bellis, quorū ipse pars magna fuerat, esset absumptus; vel, quo acciperet, vnde homines, & in quas colonias posset distribuere; vel fortè ostentationis gratia, & superbiæ, vt fecit Dauid; vel denique lucri & auaritiæ caussa, sicut sæpè fieri à principibus solet, vt redditus ad fiscū pertinentes augere valeant. Et quacunque de caussa descriptio sit facta, diuinę voluntatis fuit administra: siquidem ab æterno constituerat Deus Opt. Max. eo tempore filium suum vnigenitum in lucē edi. Huic ergò mysterio vir Ethnicus, & harū rerum ignarus, dum aliud cogitaret, inseruiebat. *Nam sicut diuisiones aquarum*, ait Salomon, *ita cor Regis in manu Domini, & quocūque voluerit, inclinabit illud.* Multa siquidem homines atq; Principes cumprimis faciunt, quæ non ante duce Dei spiritu facta fuisse intelliguntur, quàm rerū exitus illa demonstret. Sic Caiphas ob id, quòd erat Pōtifex anni illius, prophetauit Iesum moriturum pro humano genere, dum dixit, expedire, vt vnus moreretur homo pro populo, ne tota gens periret: quamuis alia hoc mente dixisset. Sic rex Assuerus nocte quadā, quā insomnem traduxit, iussit sibi adferri annales superiorum temporum, nihil cogitās de ea caussa, ob quam demū cognitum fuit, venisse eum in illam cogitationem inspirante Deo, vt Iudæorum genti pararetur salus. Eadem ratione exijt nunc edictum à Cæs. Augusto, vt describeretur vniuersus orbis, quo tempore nasciturus erat, qui omnium Dominus totum orbem terrarum in vnius fidei monarchiam esse redacturus, regnaque omnia euersurus: vt ipse solus & legitimus Dominus agnosceretur, & ille lapis intelligeretur fuisse, qui in Daniele scribitur abscissus de monte sine manibus viri, qui statuam illam, qua superiora regna significabantur, redegit in nihilum, & ipse factus est mons magnus, & impleuit vniuersam terram: quod factis iam ipsis, rebusque cernimus declaratum.

Cur penderetur tributum.

2. Reg. 24. & seq.

Hæc descriptio vti diuinitus procurata fuerit.

Prouer. 21.

Ioan. 11

Esther 6.

Dan. 2.

Dubitatio porrò illa tertia, quo pacto vniuersus orbis describi potuerit à Cæsare Augusto; cùm & Parthi & Persæ, Scythæq; ac Germani magna ex parte, Indi quoq; & Aethiopes Rom. Imperium non agnoscerent, vt ait Ambros. Suetonius quoq; testatur in Augusto, Gothos, Armenios, & Indos Augusto non fuisse subiectos, quamuis illius amicitiam iam ambirēt: (vt taceamus infinitas propè insulas, nouumq; nostro seculo inuentum orbem) facilè expeditur, si sacrarum literarū morem in memoriā reuocemus: vbi vniuersi orbis nomine per figurā hyperboles, vel synecdoches intelligi consueuit notus orbis, vel maior & nobilior eius pars, vel vniuersus Rom. imperio subiectus orbis, vt Suidas in prædictis verbis exponit: nam simili loquēdi Esdras tropo vtitur, vbi Cyrus in edicto suo omnia regna terræ sibi Deū tradidisse asserit. Et Daniel aliquot capitib. recenset vniuersas regi Babylonis subiectas prouincias.

Quo pacto vniuersus orbis describi potuerit à Cæsare Augusto.

Ambros. supra dicto loco.

Sueton. c. 1.

Suidas.

1. Esdr. 1.

Dan. 2. 3 4.

Sequitur illud quarto in ordine loco dubitatum, num mulieres simul cum viris cēserentur, an soli viri. Certè si legem Moysi consulamus, in ea tantū viri censebantur, & non omnes, sed qui erāt à viginti annis, vt constat in Exodo, & lib. Reg. 2. probatur in illa enumeratione iussu Dauidis facta, vbi tantū viri fortissimi, qui educerent gladiū, & apti bello essent, in numerū venisse scribuntur. Verùm si Euangelistę verba & morem Romanorum expendamus, aliter nobis statuendū est. Ait enim Lucas: *Ascendit autem & Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth in Iudæam, ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethleem, eò quòd esset de domo & familia Dauid: vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore, prægnante.* Quæ verba apertè indicant beatam Deiparam professionis expertem minimè fuisse, vt docet Lyranus: ratio etiam assignata, eò quòd esset de domo & familia Dauid, indicat de vna stirpe generatos simul censeri B. Virginem, & Ioseph vt Hieron. in c. 1. Matth. docet. Ad hæc, Euthymius:

An mulieres vna cum viris censerentur, an viri tantū modo.

Exod. 30. 2. Reg. vlt. Num... & seq.

Luc. 2.

Lyranus.

Hiero. tom. 5 ait.

Euthym. in Lucam. Ioan. 14. & 12. Dionys. Halicar. lib. 4.

Censum quis primus instituerit.

thymius: *Simul*, inquit, *descriptus est Christus, vt filius Ioseph; & vt eos, qui descripti erant, in seruitutem Principis Cæsaris liberaret à seruitute diaboli, qui Princeps est mundi.* Sic ille. Atque ita habes, non tantùm matrem, sed etiam filium fuisse descriptos. Prætereà Dionys. Halicarnas. in historia sua indicat in primo censu Seruij Tullij, qui eius fuit primus autor, non tantùm viros, sed etiam mulieres, & infantes à Romanis censeri consueuisse. *Iussit*, inquit, *Romanos omnes describere, & æstimare rem suam ad argentum: iuratos ipsos legitimum iuramentum senere, & ex omni optimo æstimasse, ex quibus essent parentibus scribentes, & cuius ipsi ætatis, & vxores filiosq; nominantes, & quo vrbis habitarent loco, aut quo in pago regionis. Si quis non æstimasset, pœnam ei constituit priuationem bonorum, atq; ipsum verberibus cæsum vendi: durauitq; diu apud Romanos hæc lex.*

In eos, qui nō censebant, quæ pœna esset decreta.

Idem Dionys.

Sic Dionysius, qui etiam in septimo censu, qui actus est Coss. Spurio Cassio & Posthumo Cominio idem repetit, his verbis: *Ciuiū* ait, *qui puberes essent, supra centum decem millia erant, vt proximo censu compertum fuerat; mulierum autem & puerorum, seruorumq;, & mercatorum, & sordidas artes exercentium triplo plus quā turba ciuilis.* Hactenus ille. Quare more Romano mulieres proculdubio censebantur: sicut etiam rex Philippus in enumerationib. suis hodie nō tantū viros, sed etiam pueros, & mulieres cōplectitur.

Cur B. Virgo etiam censeri voluerit.

Etsi autem potuisset Maria absens ac legitimè impedita, quia prægnans, excusari à profectione; tamen qui moris erat, vt præsentes censerētur, propterea & ipsa adfuit. Nam Liuius, Cēsoribus Claudio Nerone, & M. Lucio Salinatore, Coss. autem P. Sempronio, & M. Cornelio seriùs lustrum conditum scribit, propter plerosque ciues Romanos absentes, qui erant in castris. Moris ergò erat, vt quolibet lustro, id est, quinq; annorum spatio dicto à luendo, id est, soluendo census ageretur: & opus erat præsentia eorum, qui censendi erant, nisi ipsi Censores aliud permitterēt; quare propter absentes, qui erant in castris, serius illo lustro census est peractus. Si ergò mulieres ad cēsum pertinebant, & non poterant nisi præsentes censeri, mirum esse nō debet, si Mariam prægnantem in ciuitatem oportuerit Bethleem proficisci, vt ibi simul cum viro suo censerētur. In Iudæa enim peculiariter ille ordo videtur obseruatus, quem innuit Euangelista, vt quisq; in sua ciuitate, in qua natus erat, profiteretur propter legem; in alijs verò prouincijs vbicunque quis esset, describebatur. Ioseph autem etsi in Bethleem natus esset, diuerterat tamen in Nazareth Galilææ habitādi gratia, propter bella continua, quibus Iudæa premebatur: post reditum etiam ex Ægypto timuit in Iudæā proficisci, propter Archelaum filium Herodis, & puerum Iesum ab eius manibus seruandum: docens nos etiam à dulci patria, & ab amicis, & carissimis cōsanguineis propter Iesum fide amplectendum, ac retinendum exulare.

Liuius Decad. 3. lib. 9.

Lustrum vnde dicatur: Quoties ageretur census, & vbi.

Quæ Iosepho Virginis sponso tot peregrina-num caussæ existerint. Matth. 2.

Quibus de caussis decuit B. Virginem in Bethleem proficisci cum Ioseph. Mich. 5. Ioan. 7.

Cōueniebat ergò, vt Maria in Bethleem veniret, atque ibi pareret Iesum: tum, vt obediret edicto Cæsaris, tum vt vaticinium prophetiæ de Christo in Bethleem nascituro, cuius ipsa conscia erat, impleret, tum vt Spiritui sancto impellenti eam, ad illam obedientiam Imperatori profano præstandam minimè resisteret; tum deniq; ne relicta in Nazareth virgine, vel mysterium partus ante tēpus alijs detegeretur, vel proles, vt spuria haberi posset; cùm tamen ad tempus pro filio Iosephi habenda esset, vel ne deniq; viri sui auxilio & ministerio in partu destitueretur.

An, qui profitebantur, & nomen dabāt, aliquod in censu peragendo tributum penderent.

Ioan. Gagn. in Lucam. Oros.

Cęterùm an, qui profiterentur, & nomē darent, aliquod in censu peragendo tributum penderēt, dubium quintum fuit. Nam Ioannes Gagnæus recēs autor id inficiatur in hac censitione, & ante eum Orosius, eò quod eius rei nulla sit in Euangelio mentio, & reprehendit Ioan. Erasmum, & alios qui verbum ἀπογράφεσθαι censendi verbo interpretati sunt, cùm potiùs, inquit, significet recensere; in recensione autem nihil aliud spectatur, quàm vt certus hominum numerus Imperatori innotesceret, sicut fecit Dauid. Addunt præterea alij, Iudæos in socios Romanorum fuisse olim sponte sua ascriptos, vt legimus in libro Machabæo. in quos nullum ius proinde exigendi census erat, maximè cùm legamus apud Iosephum, Iulium Cęsarem Hyrcano, à quo in Africam pergens auxilia acceperat, stipendia remisisse; & sub Herode, qui successit Hyrcano, & sub quo natus est Dominus, non est verisimile stipendiariam fuisse Iudęam Romanis. Vnde Ioseph. iterum scribit: etiam post Actiacum bellum cùm duo Rom. imperium regerent Cæsar, & Agrip. tertium sibi amicitijs Herodē vinxerunt prorsus vt immunitas à C. Cæsare data Iudææ sub Hyrcano in omne Herodis regis tempus integra steterit sub pari iure societatis, & æquissimo fœdere, vt apertè apud eundem Iosephum concedit Augustinus.

2. Reg. vlt. 1. Mach. 8. & 11. Ioseph lib. 14. cap. 19.

Idem lib. 15. cap. 13.

Opinio probabilior. Exod. 30.

His tamen nō obstantibus, statuendum est, hāc enumerationem sine tributi alicuius pensione perfectam nō fuisse: quod his rationibus euincitur. Nam si legem consulimus in Exodo perscriptam, enumeratio vel recensitio fieri non debebat sine certa

penſione, dicitur enim ibi: *Quando tuleris ſummam filiorum Iſrael iuxta numerum, dabūt ſinguli pretium pro animabus ſuis Domino: & nō erit plaga in eis, cùm fuerint recēſiti. Hoc autem dabit omnis, qui tranſit ad nomen, dimidium ſicli iuxta menſuram templi. Siclus viginti obolos habet. Media pars ſicli offeretur Domino.* Ex quibus habes non licere ſummam populi colligere ſine penſione dimidij ſicli ab vno quoque qui cenſebatur (qui ſiclus cōſtabat duabus drachmis) ita vt diues ad illud non adderet, pauper non minueret: & illa pecunia in vſum Domini, ſiue templi cedebat. Et minatur Dominus plagam populo, ſi ſine penſione deſcriberetur. Quamobrem tradunt Iudæi præter noſtrum Bedam, ob huius præcepti violationem punitum fuiſſe Dauidem in enumeratione populi, vt 2. lib. Reg. perſcribitur: quia non colligebat medium ſiclum ab enumeratis, nec contulit in Sanctuarium: vt docet Ioſeph. lib. 7. Antiquit. Deinde accedit lex à Seruio Tullio apud Romanos in cenſu peragēdo obſeruari ſolita: de qua Halicarnaſſeus ſic habet: *Iuſſit omnes eiuſdem pagi inſtitutum quendam nummum per capita conferre, alium quendam viros, alium fœminas, aliumq́; impuberes: ex quibus connumeratis à præſidentibus ſacrorum manifeſtè fiebat numerus, & per genus, & per ætates.* Sic ille. Ex quibus colligimus, non tantùm viros in numerum venire ſolitos, & nummū pendiſſe, ſed & mulieres & pueros, vt ex numero & diuerſitate perſoluti cenſus colligerēt numerum, & qualitatem deſcriptorum omniū. Dabant ergò aliquid tributi nomine, qui profitebātur apud Iudæos, & Romanos, in ſignum dominij, & poteſtatis eius, cui illud pendebant: ſed in lege pendebant Domino Deo, qui ſolus erat populi illius verus Rex, ac Dominus, & in quo ſolo, nō in Principe vel populi multitudine fidēdum. Apud Romanos autem penſio cedebat in vſum Cæſaris. Et cōfirmatur autoritate Dionis Caſſij, qui ſic habet: *Cùm Auguſtus alendis exercitibus Romanis, quibus imperium continebatur, viceſimam inſtituiſſet, & id tributum omnes ægerrimè ferrent, adeò vt quiduis potius paſſuri viderentur, conſtituiſſe tributum ex agris, & ædibus colligere: ac confeſtim non oſtenſo quantum, aut quo pendendum cuilibet modo foret, alios aliò miſit, qui priuatorum hominum, ipſarumq́; ciuitatum bona deſcriberent: vt cùm ſinguli maiorem iacturam vererentur, mallent viceſimam pendere. Idq́; eius conſilium res ipſa probauit.* Hæc Dio.

Beda citatus à gloſſa ordin.
Exod. 30.
2. Reg. 24.
II. Argum.
Ioſeph. lib. 7. cap 16. leu 13.
II. Ratio.
Halicarnaſſ. lib. 4.
Dio Caſſius lib. 56
Quem cenſum exigeret Auguſtus, teſte Dione.

Accedit apertiſſimè illi ſententiæ Suidas ſuperius allegatus, docens particulā quandam publico adminiſtratori pēdi ſolitam in illa enumeratione. Nam & inde Iudas Gaulonites cum Sadduco Phariſæo ſeditiosè contendebant, non eſſe populum Dei cenſendum, & alium à Deo ſuo dominum agnoſcendum. Certum autem eſt, contentionem illam excitatam in diebus profeſſionis, ſiue deſcriptionis, vt traditur à Luca in Actis: nec aliam nouit Lucas profeſſionem, quàm illam, de qua idē Lucas in præſentia dixit: Ergò in illa aliquid pendebāt deſcripti. Vnde nata etiam eſt illa ſeditioſa quæſtio, *Si licet cenſum dare Cæſari, an non?* Et reſpondit Dominus: *Oſtendite mihi numiſma cenſus.* Quare rectè ait Beda in præſens Lucæ Euangelium: *Quomodo tunc imperante Auguſto, & Cyrino præſidente ibant omnes, vt cenſum profiterentur ſinguli, in ſuam ciuitatem; ita & nunc imperante per Eccleſiæ præſides, id eſt, Doctores, imò ſuadente, & præmia pollicente Chriſto, eamus omnes, nullus excipiatur à cenſu iuſtitiæ. Veniamus ad eum, qui laboramus, & onerati ſumus; & ipſe reficiet nos. Tollamus iugum eius ſuper nos, & diſcamus ab eo, quia mitis eſt, & humilis corde, & inueniemus requiem animabus noſtris.* Et infra: *Deinde inferendum, quia iubente Domino, quæ Cæſaris Cæſari, & quæ Dei ſunt, Deo eſſe reddenda, nobis quoque ſolerter intimatur in ſimilitudinem denarij regalis Deo Regi noſtro decalogum legis offerendum, hoc eſt, amorem Dei & proximi, quorum vnus tribus præceptis, ſeptem alius complectitur, integro eſſe corde ſeruiendum. In quo videlicet Scriptura ſacra denario, decem mandatis cæleſtibus, quaſi totidem aureis nummis inſignito, vultum, nomenq́; Regis æterni, hoc eſt, agnitionem diuinæ voluntatis quiſquis intueri nouit, inueniet.* Hæc ille, piè admodum & eleganter.

Suidas prædicto loco.
Act. 5.
Matth. 22.
Beda lib. 1. in Luc c. 2. to 5.
Regi Chriſto & Imperatori quale cenſum debeamus.
Matt. 11.
Vti Deo ſeruiendum.
Exod. 28.

Quid autem penderent in cenſu, nō eſt ignotum, vel obſcurum in Euangelio. Dixit enim Dominus apud Matthæum: *Oſtendite mihi numiſma cenſus. At illi obtulerunt ei denarium*, quanquam, vt alibi probatum reliqui, reuera nō eſſet ſimplex, ſed duplex denarius, vt colligimus primo ex lege, vbi dimidium ſicli (quod duabus drachmis conſtabat) pendi iubetur. Deinde ex alio loco Matthæi, vbi pro ſe, & pro Petro Dominus iuſſit ſolui ſtaterem argēteum, qui quatuor drachmas valebat. Et publicani accedētes ad Petrum, dixerunt ei: *Magiſter veſter non ſoluit didrachma*, id eſt, duas drachmas, tantùm enim ſingulū caput numerabat. Tertiò idem colligitur ex Ioſepho, qui in libr. de bello Iudaico de Veſpaſiano agens, ait: *Stipendium verò, vbicunque degerent, Iudæis indixit: binasq́; drachmas ſingulos annis deferre in Capitolium iuſſit, ita vt antehac Hieroſolymorum templo pendebant*: vbi Ioſephus memorat tantum quotannis illos pendere ſolitos,

Quid pendi in cenſu conſueuerat.
Matth. 16.
Ibidem.
Ioſeph. lib. 7. de bello Iud. c. 26.
Iudæi quotie Romanis penderent tributum.
Exod. 30.

quantum olim templo pendebant: cum scilicet fieret recensitio, siue enumeratio, siue à Iudæis, siue à Romanis. Nec mirum est, fuisse denarios duplices, & non tantùm simplices: quia id etiam in moneta nostra argentea contingit, quod dicimus: vt quod dicitur in Matthæo numisma census fuisse denarium, intelligamus non fuisse simplicem, sed talem qui efficeret binas drachmas. Quare reprehendendi non sunt, qui verbum ἀπογράφεσθαι, verbo censendi vertcrunt. Nam & Ambrosius interpretatur, exijt edictum à Cęsare Augusto, vt censum profiteretur vniuersus orbis. Adde quòd Eusebius in Chronico, & Beda, & passim alij Doctores illam descriptionem, censum, & Cyrinum Censorem appellant: vt nulla esse debeat controuersia, quin in illa enumeratione aliquid pẽdere soliti essent censiti.

Denarius quantum valeret.

Ambr. lib. 2. in Luc. cap. 2. tom. 5.
Euseb. Cæsar. tom. 2.
Beda ibid.

Illud iam sequitur sexto loco explicandum: Quomodo Herode primo, siue magno, pleno iure regnante in Iudæa, Galilęa & Samaria, sub cuius XXXIII. anno Iesus salutis autor est natus, vt Epiphanius testatur (vel XXXII. vt Eusebius in Chronico suo ponit) potuerit Cæsar tale iugum imponere, & censum à quolibet ex subditis ei pendẽdum exigere? Quod certè perinde absurdum videtur, ac si Rex Galliarum in Hispania, aut Rex Hispaniarum tributum exigendum in Gallia instituerct. Adde quæ superiùs diximus ex Iosepho de ascito Herode in societatem Augusti & Agrippæ, & quod post Actiacam pugnã Augustus Herodem, & si Antonio misisset auxilium, non modò sua dignitate non deiecit, sed etiam amplioribus honoribus & beneuolentia fuit complexus: vt idem Iosephus est autor & Tacitus: *Regnum, inquit, ab Antonio Herodi datum, victor sanxit.*

Quomodo in Iudæa Herodis magni ditioni subiecta, iure potuerit Augustus cẽsum exigere.
Epiph. in Hæres. 22. & alì.
Euseb. in Chronic.
Ioseph. lib. 15. cap. 13.

Ioseph. lib. 15. cap. 16.
Tacit. lib. 21.

Respondendum est, Herodem nonnisi precario & seruiliter regnasse; &, vt ait Appianus in Syriaco, nonnisi φόροις τεταγμένοις, id est, tributis ordinatis, vt omninò domita Iudæa & subdita innueretur à Gentibus. Nam & si Iudæorum, & Romanorum ab initio fœdus esset æquissimum (nam æquabile ius vtriusq; partis describitur illo Romanorum decreto, quod habetur libro 1. Machabæorum) postmodum tamen Pompeius superatis Hyrcano & Aristobulo, stipendiariam fecit Iudæam, vt perhibet Iosephus lib. decimoquarto Antiquitatum. Eadem stipendia confirmauit, vel auxit Gabinius Proconsul Aristobulo deuicto: vt autores sunt Appianus in Mithridatico, Plutarchus in Pompeio. Et sicut non est absurdum, modò Regem Philippum exigere tributum aliquod, quando enumerat omnes prouinciæ suę subditos, siue illi immediatè sibi seruiãt, siue per medios alios Principes, Duces, & Comites; ita nec tunc absurdum erat Reges datos subesse in similibus ipsi Rom. Imperatori. Id enim affirmant Sueton. in Augusto, & Plinius, & ex Proœmio Dionysij Halicarnassei deducitur. Sed inter cæteros, audi quæso verba Strabonis, qui apertissimè hac de re loquitur: *Vniuersæ huius terræ,* inquit, *quæ Romanis paret; quam verò ipsi habent, prouinciam vocant, & Præfectos, & Quæstores in eam mittunt. Sunt etiam nonnullæ ciuitates liberæ conditionis, aliæ ab initio per amicitiam Romanis adiunctæ, aliæ ab ipsis honoris gratia libertate donatæ. Sunt & Principes quidam sub eis, & Phylarchi, & Sacerdotes, atque hi quidem secundùm quasdam patriæ leges viuunt. Prouinciæ persæpe aliter atque aliter diuisæ fuerunt; at in præsentia diuisæ sunt, vt Cæsar Augustus constituit. Nam cùm patria ei totius Imperij patrocinium permiserit, & pacis & belli quamdiu vixerit, potestatem habeat; totum Imperium bifariam diuisit: nam partem sibi asciuit, partem populo dedit, ac sibi quidem quæcunque militum præsidio indiget. Ea est Regio barbara, & Gentibus nondum subactis finitima, sterilis sanè & cultu difficilis, vt propter cæterarum rerum inopiam, & copiam munitionum iugum detrectent. Populo autem reliquam concessit, quæ pacata est, & facilè sine armis retinetur. Vtramque portionem in prouincias complures diuisit, quarum aliæ Cæsaris, aliæ populi dicuntur. In suas præfecturas Cæsar ipse administratores mittit, & alio tempore aliter partitur regionem, & vt res postulat, ita versatur. In populi prouincias populus Imperatores, vel Consules mittit.* Hactenus Strabo. In cuius verbis, quod ait, Romam Augusto Cæsari totius Imperij potestatem quoad viueret, permisisse, nemo mirari debet: constat enim ex Dione Cassio in Augusto, ad declinandam Regiæ potestatis siue Monarchiæ inuidiam petijsse Augustum prorogari sibi summã potestatem in decenniũ, quo trãsacto in quinquennium, mox in alterũ quinquennium, postea in decennium, postremò in tertium decennium, ita vt decẽniorum successione perpetuò imperium administrauerit. Nam Dio Cassius lib. 53. & lib. 55. ait: *Augustus eo tempore Dominus salutatus non modò prohibuit, ne quis ipsum hoc nomine compellaret, sed summoperè & id cauit, tertio quoque iam decennio computato in quartum decennium coactus, quintum imperium suscepit.* Quo factum est, vt reliqui Imperatores, quanquã non in certum tempus, sed in omnem vitam designarentur, tamen decimo quoque anno festos agerẽt dies, quasi tum

Appian. lib. 1.
Herodes sub Augusto quomodo regnauerit.

1. Machab. 8. & 9.
Ioseph. lib. 14. cap. 8.

Appianus.
Plutarch.
Exemplum.

Sueton. c. 47. & 48.
Plin. li. 6. c. 5.
Diony. Halic.
Strabo lib. 17. in fine.
Ciuitatũ Imperij Romani varia cõditio.

August. Rom. Imperium bifariam diuisit.

Augustus, & cæteri Imperatores, quando veluti Imperium renouarent.

imperium renouarent: quod in imperio Constantini magni perspicuè cernere quisque poterit.

Exemplis illustratur dictum Strabonis.

Sed vt hæc, quæ docuit Strabo, aliquot exemplis illustrentur: Ruffus in Epitome scribit; Omnis Antiochi Magni Syriç Regis filios sub tutela Populi Romani fuisse semper, vnde in eos exercebant omnia se rè imperij, & potestatis iura. Et Antiochi Epiphani Aegyptum armis vexanti imperarunt per Popylium Lenatem, vt Aegypto quamprimum excederet: vt scribunt Iustinus, Liuius, ac Velleius. Adhæc cum Rex Agrippa in Tyberiade ageret, essetque inter alios, qui aderant regis valdè conspicuus: Marcus Syriæ præses credens non expedire Romanis Reges huiusmodi habere, consensum singulis mandauit, vt quamprimum sua se ad regna reciperent, vt Iosephus scribit. Idem rursus prodit, Archelaum Iudææ Regem apud Augustum fuisse delatum, damnatumque, atq; regno deiectum. Rursus Herodes à Gadarensibus defertur apud Augustum, cùm Syriam inuiseret, eodem autore. Quinimò ipse idem Herodes, sub quo census hic est habitus, potestatem animaduertendi in filios ab Augusto accepit, & ne liberam quidem omnino, sed communicatam etiam quorundam Regum, ac Præsidum consilio; vt explicat Iosephus. Ex quo planum fit Iudçæ regnũ sic fuisse Herodis, vt magis esset Augusti, penes quem Regum omnium summa erat potestas, vt ab eo regnis omnibus indictũ esse censum mirari nullus debeat.

Ruffus, autor. Iustinus lib. 34. Liuius lib. 5. dec. 5. Velleius li. 2. Ioseph. lib. 19. c. 7. Ioseph. lib. 15. antiq. c. 18. Idem lib. 16. cap. 13.

Cur Dauid sanctus populum censendo à Deo tam grauiter punitus fuerit. 2. Reg. vlt.

Septima fuit quæstio; Cur in hac enumeratione, & censu facto punitus fuerit Dauid sanctus, & Augustus impius non sic pœnas dedisse legatur? Respondeo, huius rei iustas caussas non deesse. Et in primis constat Dauidem inanis gloriç vitio commotum fuisse ad populum enumerãdum. & nonnullam fortassis humanam confidẽtiam in multitudine virorum collocasse, contra verbum Prophetæ, dicentis: *Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor eius.* Adde quod Ioab illum à sententia sua abducere conatus est: verum sua cohortatione effecit nihil. Item, tradunt Hebræi cum Iosepho in Antiquitatibus neglectum fuisse diuinum præceptum in Exodo traditum, à Dauide: nam cùm à singulis enumeratis capitibus exigendum esset dimidiũ sicli in vsum sanctuarij: illud exigere neglexit, vnde & plaga ibidem interminata punitus est, nempe peste, qua septuaginta millia virorũ vna die desiderata sunt. Præterea, cùm esset Dauid amicus & familiaris Dei; statim castigatus est, iuxta illud: *Ego quos amo, arguo, & castigo.* Et vt habetur secundo libro Machabæorum: *Multo tempore non finere peccatoribus ex sententia agere, sed statim vltiones adhibere, magni beneficij est indicium.* Cæsar verò minimè pœnas dedit, quod fortassis non peccauerit in hoc facto; & quia Deo inspirante hanc censitionem instituerit, vt in ea inseruiret diuinæ voluntati; denique quia Dominus iuxta talentum, & lumen cuique communicatum, ab eo rationem solet exigere hinc sçpe legimus Reges fideles populos gubernantes, vel leuiter peccantes fuisse diuinitus castigatos, cùm alij potentatus, & monarchæ, qui infideles regebant, etiam grauiter delinquentes, rarò, vel leuiter puniti extiterint.

Hiere. 17. Ioseph. lib. 7. c. 10. Exod. 30. Apoc. 3. 2. Mach. 6.

Augustus populum cẽsens nullus pœnas dedisse. Matt. 25.

Cur sub Augusti Cæsaris vniuersi orbis descriptione Filium suum Deus nasci voluerit.

Consequitur octauo loco, vt illud etiam inuestigemus, cur videlicet diuina sapientia, hoc tempus descriptionis, siue enumerationis elegerit, in quo Filius Dei in lucẽ ederetur? Nam si *Sapientia*, teste Salomone, *attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter*, minimè verendum est, quin magnæ huius rei extent rationes.

Sap. 8. I. Ratio.

Id enim in primis videtur à Deo prospectum fuisse, vt B. Virgo, quæ ipsum conceperat Saluatorem, rationem, & iustam caussam veniendi in Bethleem haberet, atque ibi pareret. Hinc Theophylactus scribit: *Propterea fit descriptio, vt cum omnes in suas patrias irent, ascenderet & virgo in Bethleem, quæ eius patria erat, nasceretur*q́*, sic Dominus in Bethleem, ac impleretur prophetia, quæ dicebat, cessaturo multorum deorum cultu, vnum etiam Regem, nempe Cæsarem imperaturum.* Sic ille.

Theophyl.

II. Ratio.

Deinde voluit Deus per hanc ab Ethnico Imperatore Augusto Cæsare censitionem præceptam nasci Filium suum; vt ostenderet impletam Iacob prophetiam: *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius; donec veniat, qui mittendus est.* Tunc enim manifestè, ablato sceptro de Iuda, & Iudça plenè subiecta Augusto Cæsari, apparuit per natiuitatem Dei Filius, & Messias.

Gen. 49.

III. Ratio.

Tertiò, decreuit quoque nomen recens nati infantis adscribi Scripturis populorũ, iuxta propheticum Dauidis vaticiniũ: *Nunquid Sion dicet homo, & homo natus est in ea: & ipse fundauit eam Altissimus?* Estque sensus; Nunquid aliquis hominum hoc sufficiet ipsi Sion enarrare (est enim vox Sion dandi casus, vt indicat litera Hebræa, & Hieronymus admonet) videlicet quod homo sit natus in Sion; & quod idem ipse in ea natus eam fundauerit, seu à fundamen-

Psalm. 86.

Quid sibi velit Psalmista, cũ dicit: Nunquid Sion dicet homo, & homo natus est in ea, &c.

Hieron. in 8.

damnatis extruxerit Hebraica huius, & sequentis versiculi lectio apud Hieronymum ita habet: *Ad Sion autem dicetur, vir & vir natus est in ea: & ipse fundauit eam Excelsus, Dominus numerauit scribens populos: Ipse natus est in ea.* Prioris quidem versus intelligentia hęc videtur esse: Ad Sion multorum filiorum fœcundissimam parentem dicetur quasi congratulando: Ecce hic, & hic, & ille (demonstrando vniuersos regeneratos in Ecclesia) nati sunt in ea per regenerationem ex aqua, & Spiritu sancto.

Ioan. 3.

Alter sensus Hebræorum, scilicet.

Vel iuxta id omnia Hebraicum, quilibet spirituali natiuitate regenitus, in ea, scilicet Sion, id est, Ecclesia renasci debet: & ipse Dominus ipsam Sion, siue Ecclesiam, à fundamentis ædificauit.

Quid item illud, quod sequitur: Dominus narrauit in scripturis populorum, &c.

Secundus versus sic habet: *Dominus numerauit scribens populos, ipse natus est in ea*, vel, ibi. Et potest intelligi de Scriptura Sacra, quę est liber vitæ, & de enumeratione, qua suas oues vitæ pastor enumerat. Cognouit enim Dominus, qui sunt eius: & bonus pastor cognoscit oues suas, & eas vocat nominatim. Atque de hac Scriptura ait Dominus: *Gaudete quod nomina vestra scripta sunt in cœlis.*

2. Tim. 2.
Ioan. 10.
Luc. 10.

Explicatur etiam: & principum horum, qui fuerunt in ea.

Quod dicitur: *Et principum horum, qui fuerunt in ea*, in Hebræo non habetur, sed tantum: *Hic natus est ibi*: id est, autor tanti boni, & salutis, per quem fiet hæc electorum enumeratio, atque descriptio in libro vitæ, natus est in ea per incarnationem: & ipse ex B. Virgine sanctissimus, & sanctificator nascetur in Bethleem. Vel, quod magis ad literam videtur, Dominus in descriptione populorum per Augustum Cæsarem facta (quam de more prophetico Deo tribuit: Quia cor Regum in manu Domini, & quocunque voluerit, inclinabit illud) oriturus est, & in lucem edendus in Bethleem.

Prou. 21.

IV. Ratio, nati scilicet Christi sub Cæsare Augusto.

Et ita mirificè consonat hoc Dauidis oraculum descriptioni vniuersi orbis ab Augusto factæ. Ampliùs Euangelista meritò hoc descriptionis tempore natum Messiam enarrat: siquidem Prophetę pro signo aduentus, & natiuitatis eius tempus magnæ pacis futurum esse prædixerant. Isaias enim vaticinatur: *Et iudicabit Gentes, & arguet populos multos: & conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces: non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltra ad prælium:* Siue vt Michæas idem fundens vaticinium, ait: *Et non discent vltra belligerare:* ac rursus Isaias: *Multiplicabitur eius imperium & pacis non erit finis.* Et Dauid: *Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis; donec auferatur Luna. Et dominabitur à mari vsque ad mare; & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum.* Augustus enim per multos annos pacem habuit, cum vniuersus orbis eius imperio esset subiectus: Ferturque à magnis historicis ter ianuas tępli Iani clausisse, in eo quasi pacem includens, ne recederet, ex Numę Pompilij instituto. Et, vt testatur Paulus Orosius ex Suetonio, ter illud clausit, nempe anno 15. 16. & 41. sui imperij, in quo vltimo termino quasi annis duodecim clausum fuit: ita iam fores rubigo corripuerit. Nunc autem (proh dolor) pacem non claudimus, nec retinemus, sed per vim illam à nobis excludimus.

Isa. 2.
Mich. 4.
Isa. 9.
Psal. 71.

Quid quod Augustus ter templi Iani ianuas clausit.

Orosius lib. 6. cap. 1.

V. Ratio.

Ad hæc apertè natus est illo tempore, vt qui Rex omnium futurus erat, vnus non modò è pluribus, verum etiam ex omnibus haberi volebat, vt omnium infimus: vt sciremus venisse tempus, quo cuncta inuerterentur, & vt ipse, qui in inferiores partes terræ descenderat, mundaret, & repurgaret omnia; & vt humilitatis esset exemplū, quoniam non est difficile Deo suscitare de terra inopem, & de stercore erigere pauperem; vt collocet eum cum principibus, cū principibus populi sui. Ideò pulchre sub Augusto Cæsare natus est Dominus: nec sine caussa nomen eius exprimitur. Augustus enim idem quod sacer, vel sanctus significat: ab auium, quæ auspicijs sumendis adhibebātur, augurio: Vnde in Fastis Naso dixit:

Ephes. 4.

Psalm. 112.
1 Reg. 2.

Nomen Augusti quid significet, & vnde deducatur.

Ouid. lib. 1. Fasto.

Sancta patres augusta vocant, augusta vocantur
Templa, Sacerdotum ritè dicata manu.
Huius & augurium dependet origine verbi,
Et quæcunque sua Iuppiter auget ope.
Augeat imperium nostri ducis, augeat annos.

Christo vt quadret nomen Augusti.

Vbi vides nomen Augusti vel ab augurio, vel ab augendo deduci. Talis fuit Christus Saluator, qui sanctus, & sanctitas ipsa est, & ad sanctificandum mundum venit, & qui numerum electorum Deo auxit, & naturam humanam suæ gratiæ, & sapientiæ incremento locupletauit Cæsar dictus est, à cædendo, quo nomine finis idolorum culturæ, & omnium errorum vbique tollendorum, & solus Christus Deus verus vbique colendus, significabatur. Quanquam verò fortunatus multis de caussis Augustus fuerit: nulla tamen illius maior gloria, quàm quod quidam hoc disticho explicauit:

Cæsar vnde dictus, & quid signet.

Principe quo summo, descendens Christus Olympo,
Virginis ingressus viscera factus homo est.

Vnde Augustus omnium primus fuit Imperator: nam Iulius Cęsar, qui eum in filiū adoptauerat, non Imperatoris, sed Dictatoris humilius nomen fuit sortitus. Quare Augu-

Aug. Imperatoribus quibus dedit nomen Augusti.

Augustus magno iure nomen dedit omnibus Imperatoribus succedentibus, quem admodum etiam nonnullis ciuitatibus, vt Cæsaraugustæ, & Augustæ Vindelicorum, & Augustudono, & Sebastæ Samariæ, dedit etiam mensi Sextili, vt Augustus in posterum vocaretur, largitus est etiam cohorti primariæ, quæ apud Lucam Augusta appellatur, rebusque omnibus fœlicibus & fortunatis eiusmodi nomen indere solemus, & augusta vocamus. Ampliùs nascitur libertatis nostræ assertor sub Ethnico Principe enumerante populos sibi subditos; tum vt doceat nos Principum decretis parere: quia *Omnis potestas à Deo est*. Nam parum esse iudicauit non solùm per totam vitam vsque ad mortem; mortem autem crucis obsequentem se præbere; verum etiam ab vtero matris, antequam proderetur in lucem: sicut etiam postquam mortuus est, corpus suum nonnisi ex obedientia Pilati de cruce deponi voluit: tum denique, vt signaret, natum esse illum, qui nos describeret in libro vitæ, modo illi nomen nostrum daremus, eiusque imperium in ciuitate, hoc est, in Ecclesia profiteremur, atque censum denarij, id est, obseruantiam decalogi illi offerremus. Hinc aptè philosophatur glossa ordinaria, dicēs: *Nascitur Domino describitur mundus: quia ille apparebat in carne, qui electos suos ascriberet in æternitate: in quo nomen Augusti verè impletur, qui suos augere sufficiens, censoribus suæ professionis non pecuniæ, sed fidei oblatione signare præcepit: Quia dum professio secularis obtenditur, spiritualis impletur. Abolito autem censu Synagogæ vetusto, nouus census Ecclesiæ paratur, qui tormenta non exigit, sed aufert: quia non vno numismate, sed vna signatur fide.* Hæc ille. Eleganter etenim vniuerso orbe Cæsari Augusto subiecto significatur, mundum in vitiorum culmen deuenientem, dæmoni fuisse subiectum, cuius durum, ac ferreum erat imperium, quia illum superauerat in primis parentibus, posteaque (heu) nimis auxerat propter tenebras falsi cultus idolorum; atque peccatorum augmentum. Et rectè in Cæsare repræsentatur. Nam dæmon cæso ob inuidiam, & iram ventre matris suæ, id est, Angelorum societate, cuius in gremio alebatur, exiuit: cæsarieque sua ponderosa, quēadmodum & Absalon, id est, cogitationibus capitis ex proprio sui amore procedētibus, superbiæ, odij, & inuidiæ, suspensus est in ligno Crucis quasi in quercu: & vt Absalon, confossus fuit tribus lanceis, nempè humilitatis, amoris, & patientiæ Christi, contra eius superbiam, odium, & iram. Quando autem iste maximè regnabat, & in pace omnia, quæ habebat, possidebat, tunc conueniens fuit, vt fortior illo veniret, qui eum debellaret, atque expugnaret, & diriperet eius spolia, in quibus gloriabatur: *Nam vbi abundauit delictum superabundauit & gratia.* Censum autem, totus orbis dæmoni pendebat, noua scilicet peccata: verùm Christus cessare fecit tributum edicti, & exactoris vires confregit, iuxta illud Isaiæ, qui describens Christi natiuitatem, ait: Iugum enim oneris eius, & virgam humeri eius, & sceptrum exactoris eius superasti, sicut in die Madian: quibus metaphoris explicat Propheta tyrannidem diaboli crudelissimam, qui prius exultabat in mundo, & graui iugo seruitutis omnium colla premebat: quasi virga stimulabat vniuersos ad peccandum: & quasi exactor peccata sibi quasi tributum pendere compellebat. At victus est sicut in die Madian, nimirum absque vllo exercitu, & in abscondita manu. De hoc etiam tributo peccati liberandos fore nos prædixit Dauid per Christum, dū ait: *Ex vsuris, & iniquitate redimet animas eorum.* Rectè ergo in Cyrino Cēsore, si Græca vox sit, & significat dominantem, describitur dæmon, qui etiā in Iudæos ius, & imperium habebat, licet hoc ipsum ignorarent miseri, qui dicebant: *Semen Abrahæ sumus, & nemini seruiuimus vnquam*; cum tamē tunc tēporis seruirent Cæsari, & olim Pharaoni seruierint, & quod deterius est, tunc etiā seruiebant diabolo, atque peccato: *Quia omnis qui facit peccatum, seruus est peccati*: Et: *Si vos filius liberauerit; verè liberi eritis.*

Exijt ergo edictum, id est, decretū post hebdomadas à Daniele prædictas, incipiētes ab exitu sermonis, vt iterum ædificetur Hierusalem, siue ab Artaxerxis altero decreto, & edicto, de eadem reædificanda. Natus est autem Christus anno 42. eius imperij, vt omnes tradunt, quanquam Tertullianus asserat, 41. quia supputat à secundo eius consulatu; alij verò exordium sumunt à primo eius consulatu post mortem Iulij Cæsaris. Regnauit enim annis 57. in hunc videlicet modum: duos annos ante Triumuiratū, duodecim in triumuiratu cum M. Antonio, & M. Lepido: verùm superato M. Antonio, solus 28. annos regnauerat, quo tempore Christus natus est. Erat ergo 42. Augusti propè completus; Olympiade verò 194. anno eiusdem quarto; ab vrbe verò condita 752. C. Lentulo, & M. Messala Coss. vt ait Cassiodorus: vel vt alij tradunt Coss. Lentulo, & L. Pisone; ab orbe verò condito Hebræam iuxta veritatem Hieronymique sententiam 3959. quanquam alij ex eadē Hebræa veritate paullò

ulter-

Margin notes (left): *Act. 17.* — VI. Ratio — *Rom. 13.* — *Philip. 2.* — *Matt. 27.* — Quos describebat Christus in libro vitæ. — *Gloss. ordinar.* — Quid quod vniuersus orbis subditus fuit Cæsari Augusto. — *Gen. 3.* — In Cæsare quam aptè designetur dæmon. — *4. Reg. 54.* — *Infra 18.* — *Luc. 11.*

Margin notes (right): *Rom. 5.* — Quem olim dæmoni mundus censum persolueret. — *Isa. 9.* — *Indic. 7.* — Quando fuerit ille Imperio spoliatus. — *Psalm. 71.* — Cyrinus quoque Censor aptè dæmonem repræsentat. — *Ioan. 8.* — *Exod. 5.* — *Ioan. 8.* — *Ibidem.* — *Dan. 9. & 12.* — *2. Esd. 2.* — Quo anno Augusti imperij natus sit Christus. — *Tertul. li. aduers. Iudæos tom. 1.* — Quamdiu regnauerit Augustus variæ sententiæ. — *Cassiodor.* — *Hieron. in cap. Daniel 9. tom. 5. prope finem.*

Philo in Breuiario temporum.
Epiphanius Haeres. 78. in Antidicomarianitas.

plures addant, nimirum 3962. alij 3979. intra annum tamen quater millesimum; regno verò Herodis 32. hoc est, vt testes sunt Philo, & Eusebius in Chronico, legitimo anno primo; cum 31. annis per vim illud occupasset, etiamsi Epiphanius dicat anno 33. Herodis natum. Regnauit autem in vniuersum annis 37. atque eius quidem tempore iam Syria, Iudaeaque praesidem, & rectorem habebat.

De hoc censu Caesaris tali ac tanto, nulla externa cur meminerit historia.

Superest quaestio nona euacuanda; quid est in caussa, vt inter tot egregios historicos, qui tempore Augusti, vel paullò pòst floruerunt, & vitam eius, atque singulares actiones monimentis cõsignarunt suis, nullus tamen (quod sciam) extiterit, qui huius vniuersalis descriptionis, vel mentionem vllam fecerit: neque probabile videtur, illos iugum tam graue, & nouum atque insolitum, & in vniuersas quae Romano imperio subiacebant, prouincias ab Augusto impositum silentio suppressisse, si minima quaeque eius facta, & plerunque inania, & ridicula describebant. Nam quod Tertullianus in Marcionem scribit, hunc censum Iudaeae, fidelissimum testẽ natiuitatis Christi, sua etiam aetate in archiuis Romanorum asseruatum fuisse: vbi censum Tertullianus vocat librum continentem eiusmodi censitionem; est enim census propriè aestimatio rerum & bonorum, vt iusta penderent tributa: & significat nummum illum, quem viritim quisque pendebat, dum censeretur: vnde illud: *Licet censum dare Caesari, an non?* postremò significat tabulas, siue librum, quo eiusmodi bonorum aestimatio conseruabatur, & ita hic autor accipit hoc loco censum. Eusebius quoq; in Chronico suo: *Anno* (inquit) *42. Augusti, edicente Caesare ex Senatusconsulto, Quirinus in Iudaeam missus censum omnium possessionesq; describit*: nihil haec ad rem, quoniam illi ex nostris sunt autores, & ex Euangelio acceperunt, quanquam haec Romanis minimè ignota extitisse testentur. Neq; rursus produci potest Iosephus, vel Dio Cassius: quoniam prior lib. 18. Antiquit. scribit: *Quin & ipse Quirinus in Iudaeam venit, iam attributam prouinciae Syriae, vt percenseret facultates eius regionis ciuium, & Archelai pecunias in potestatem suam redigeret.* Sic ille. Cuius narratio, & si propter Quirinum Censorem videatur similis isti, quam enarrat Euangelium, longè tamen est ab illa dissimilis: quia illa Euangelij vniuersalem praecepit professionem, & anno 42. Augusti; illa verò Iosephi non ita apertè traditur vniuersalis, sed tantùm Syriae, & Iudaeae. & anno 35. vel 56 Augusti peracta. Quod ex eo elicitur; quia Quirinus

Tertul. lib. 4. in Marcionẽ, tom. 2.
Census multa significat.
Iose. li. 18. c. 1.
Aliam Euangelium, aliam historia Iosephi sub Quirino factam Augusti descriptionem commemorat.

dicitur missus ad publicanda bona Archelai, & ad Iudaeam iam prouinciae Syriae adiectam, quod anno penè vltimo, vel postremo imperij Augusti accidit, & post priorem professionem per 14. vel 15. annos; nam Augustus imperauit 56. vel 57. annis; & ita illa Euangelij cum Iosephi descriptione non potest conuenire. Posterior verò Dio Cassius recenset misisse quosdam in diuersas prouincias, vt tributum ex agris & aedibus colligerent: quod tamen & alienum videtur à censu, & penultimo anno regni Augusti docet contigisse. Nil ergo commune habent isti autores in sua enarratione cum Euangelica vniuersi orbis descriptione. Imò planè illi duo autores videntur de vno, & eodem censu per Augustum per annum ante mortem eius agitato scripsisse. Nam Archelaus post decem annos ab Augusto est regno pulsus, & in exilium relegatus, & à 32. vel 33. Herodis vsq; ad 37. vt testis est Iosephus, fluxerunt anni vt minimum quinque, & ita fere 15. anni ab vna ad alteram enumerationem interfluxerunt. Conueniunt etiam haec cum Eusebio in Chronico suo, qui ait: *55. anno imperij Augusti, Augustus cum Tiberio filio suo censum Romae agitans, inuenit hominum nonagies trecentena, & septuaginta millia.* Sic Eusebius.

Dio. Cass. lib. 56.
Ioseph. lib. 17. c. 10.
Euseb. to. 2.

I. solutio propositae difficultatis.

Ad hanc difficultatem tollendam duo mihi aptè responderi posse videntur: Alterum est, in genere diuina id arte esse procuratum, vt res Euangelicas nuda tantum, ac mera fide excipiamus, & nullo hominũ testimonio in illis nitamur: & vt Apostolus dixit: *Fides nostra non sit in Sapientia hominum, sed in virtute Dei.* Si enim res prae claras, & admirabiles, quas Christus gessit, contemplemur, par erat, vt omnium historiographorum litteris, & monimentis commendarentur, atq; celebrarentur: quarum tamen illorum omniũ historia muta sunt, & iciunae, & quasi res eiusmodi confictae essent, & fabulosae, mirum est apud illos silentium: & si quid fortè de illis attingunt, non nisi vt malefica, noxia, & superstitiosa appellent. Quare nemo in posterum mirari debet, si de filij Dei amplissimis ac magnificentissimis gestis, & dictis nihil attingunt, quando ne illa quidem praecepta, & edicta, quae ad ipsum Augustum spectabant, qualis erat ista descriptio vniuersi, ne meminerunt quidem.

1. Cor. 2.

II. solutio.

Alterum verò in specie responderi potest, generalem hunc orbis censum à scriptoribus Ethnicis fuisse praetermissũ, quod ea res, quae ad tributorum, vel annuorum stipendiorum rationes ineundas pertinebat,

bat, non tam digna videretur illustribus historijs, quàm Imperatorum diarijs, vel archiuis, in quibus hunc Augusti censum asseruatum fuisse tradit Tertullianus; & Eusebius in Chronico suo ponit duas censûs celebrationes, alteram anno 42. Augusti, alteram anno 55. eiusdem. Hinc Cornelius Tacitus apposite: *Ex dignitate*, inquit, *populi Romani compertum est res illustres annalibus, cætera diurnis actis mandari, in quæ referebantur imperatorum negotia, ratiocinia redituum, gentium legationes; annonæ importatio, & id genus alia, inter quæ non ineptè refertur & census, quia ferme totus in tributis, vectigalibus, & exactionibus situs erat: quarum rerum tam insolens mentio apud autores, vt nihil magis parcè ab illis pertractatum, nihil proinde nobis cognitu difficilius videatur, quàm Romanorum, veterumque, vectigalium ratio.* Hæc ille. Liuius antiquitatum Romanarum diligens obseruator, censûs, & lustra multa prætermittit: prætereà in quibus noui aliquid euenisset: neque fortassis Iosephus in Antiquitatibus suis meminisset census acti 37. anno post victoriam Actiacam, aut Dio Cassius attigisset censum prouinciarum omniũ habitum ferè postremo anno mortis Augusti, nisi in illo eueni sset regni mutatio quædam, populi à censu auersio, quamquam leuis, & in primis Iudæ Gaulonitis seditio (si tamen in illa accidit) in hoc autem vigesimæ detrectatio per omnes prouincias. Quare censuum horum exactiones non magno æstimatas ab historicis id argumento est, quod generalem illum censum, quem nouissimo ferè imperij sui anno egit Augustus, solus Dio attigit ex tam multis autoribus, qui Augusti res gestas literis consignarunt: Et si Liuius vrbanos census præterit, quanto magis & ipse, & alij externos? imò si quis nunc historicus Imperatoris Caroli V. nostræ memoriæ res gestas conscriberet: prætériturus censum videretur, quem sæpè ante aliquot annos in regno vtriusque Siciliæ habuit: imò qui vitas Imperatorum conscripserunt, luculenti esse solent in rebus vrbanis, in externis breuissimi. hinc tam longam Augusti administrationem per 56. annos Tranquillus tribus tantum capitibus, nempe 46. 47. & 48. quæ breuissima sunt, complectitur; reliqua verò, quæ & plurima, & longissima sunt, in rebus vrbanis, & quæ ipsius Augusti propria erant, consumit. Et hactenus sit de ea re nobis dictum.

Tertullian. ibid. — Tacitus lib. 3. — Liuius. — Ioseph. lib. 18. Antiq. c. 1. & 3. — Sueton. in Augu.

Tertio loco disputare proposuimus de verbis illis, *Hæc descriptio prima facta est Præside Syriæ Cyrino.* In quæ verba sic scribit Ambrosius: *Vt quasi consulem quendam signigratia huic libro Euangelista adscripsisse videatur. Nam si consules adscribuntur tabulis emptionis quanto magis redemptioni omnium debuit tempus adscribi? Habes ergo omnia quæ in contractibus esse consueuerunt. Vocabulum summam illic potestatem gerentis, diem, locum, caussam testes quoque adhibere solent. Hos quoque natiuitati suæ, & generationi secundum carnem Christus adhibuit, qui signarent Euangelium, dicens: Vos eritis mihi testes in Hierusalem.* Hactenus ille. Quis ergo fuit iste Quirinus, vel Cyrinus, quid item prima descriptio, & quis fuit numerus censitorum? Ad primum dices: Ille idem, de quo multa loquitur Cornelius Tacitus lib. 3. & de quo sic præfatur Iosephus lib. 18. Antiquitatum: *Interea Quirinius senator Romanus per omnes honorum gradus ad consulatum vsque prouectus, & in primis clarus, à Cæsare mittitur in Syriam, vt iura populis redderet; facultatesque, censeret omnium: & cum eo venit Coponius Præfectus turmæ equitum, penes quem esset totius Iudææ rerum administratio.* Hæc Iosephus. Quæ consona videntur illis, quę Suidas scribit super verbum ἀπογραφή, nempe *Cæsarem delegisse viginti viros vita, & moribus præstantes, per quos tum hominum, tum facultatum descriptiones faceret.* Quibus verbis satis indicauit Suidas, quales esse debeant, qui ad prouincias administrandas à Regibus mittuntur. Sed nullus eloquentius, ac cumulatius de ea re scripsit atque Cicero in epistola illa, vt longissima, ita doctissima, planeque aurea ad Q. Fratrem Asiæ præsidem. Ille igitur Quirinus, vel Quirinus, vt Tacitus, & Dio vocant, siue Cyrenius, vt Iosephus, ac Iustinus Martyr Gręcè scribunt, vel Curineus, vt Euangelium Syrium, idem esse censendus est, quod ad nomen attinet. Quantum ad rem spectat, quò minus hęc de illo Quirino à Iosepho descripto intelligantur, duo obstare videntur. Alterum est quod vltimis Herodis magni annis, id est, 32. vel trigesimo tertio, non Quirinus, sed Quintilius Varus (qui postea ab Arminio in Germanica expeditione cum legionibus fuit cæsus paullò ante mortẽ Augusti) Syriæ pręses erat, & terminandis contentionibus, & querimonijs inter Herodem patrem, & Antipatrum eius filium ab Augusto destinatus fuerat, quæ sanè accerrimæ extiterunt, instante morte Herodis, qui eum in vinculis constrictum retinebat, & cum, patris morte audita, præ lætitia gestiret & exultaret, à parente suo iussus est ante paucos dies sui obitus occidi. Adhæc Quintilius iste Saturnino prælidi successisse ab eodem Iosepho traditur, ne quisquam existimare valeat inter Saturninum, & Quintilium le-

Quid sibi velint hęc verba: Hæc descriptio prima facta est, præside Syriæ Cyrino. — Ambr. lib. 2 in Lucam, c. 2 10 5. — Actor. 1. Quis fuerit Quirinus Syriæ præses. — Corn. Tacitus. Ioseph. li. 18. c. 1. — Suidas. — Cicero. — Quirini variæ appellationes. Dio. lib. 54. Iustin. dialogo cum Tryphone Iud. post medium, to. 2. — Quirinum, de quo Iosephus, ab eo, de quo Lucas scribit, ostenditur esse diuersum. — 11. Argum. Ioseph. lib. 17. c. 7.

cum aliquem Quirino relictum esse. Quomodo igitur Quirinus Syriæ pręses tunc esse poterat gubernante Quintilio? nec enim duo simul pręesse poterant, aut consueuerãt. Alterum & maioris quidem momenti est: quoniam Iosephus dum loquitur de priori Quirini aduentu ad censendã Syriam, & Iudæam, non videtur vllo modo habere sermonem de hac eadem, quam enarrat Lucas, descriptione. Nam ista Lucæ incidit in annum quadragesimum secundum, vel quadragesimum primum Augusti, & trigesimum secundum, vel trigesimũ tertium Herodis; illa verò Cyrini, de qua Iosephus, facta est postremo ferè anno Augusti, id est, quinquagesimo quinto, vel quinquagesimo sexto, Archelao Romam ab Augusto vocato, & Viennam Galliæ in exilium misso: vt docet idem Iosephus libris de bello Iudaico. Accedit etiam post decennium à morte Herodis, quo Archelaus regnauerat, & eo nomine etiam venerat Cyrinus, vt bona, & domum Archelai publicaret: quæ etiam post multos annos à Christo nato euenerunt. Nam cum Ioseph cum matre, & puero rediret, post nonnullos annos in Aegypto exactos, timuit in Iudæam ire, propter Archelaũ filium Herodis regnantem, atque ob eam caussam secessit in Galileam: & vt minimum iam Iesus quindecim annos compleuerat, quando Archelaus à Regno fuit deiectus: nam vixit quatuor, aut quinque postremos annos Herodis, & decem ferè plenos Archelai. Deinde censitio enarrata à Luca, vniuersalis fuit, & toti orbi communis; illa, de qua meminit Iosephus, peculiaris tantùm fuit Syriæ, & Iudæę; nisi quòd Dio indicat vicesimam pensionem communem fuisse omnibus prouincijs, quę illam pendere repugnabant. Tertiò illa apud Lucam descriptio fuit Iudææ nondum redactæ in prouinciam, sed gubernante eam Herode Rege Iudæorum, quamobrem difficile admodum videtur, viam aliquam certam, & rationem inuenire, qua hæ duæ descriptiones à Luca, & Iosepho commemoratæ, in vnam aliquam conflari valeant. Nam quod Theodorus Beza insignis hæreticus coniectauit, pro præside Syriæ Cyrino legendũ, pręside Syriæ Quintilio; id non nisi vanum & temerarium est: sicut & illud quod idem somniat, siue ex sua, siue ex aliorum sententia, illa verba, *Hæc descriptio prima facta est. præside Syriæ Cyrino*, per errorem ex margine intextum fuisse introducta, cum autoritate tantum hæretica asseratur, & nullo antiquorum codicum, vel patrum testimonio suffultum comprobetur: mera ergo est insania, & audacia, vel cogitare. Nec dubitationem propositam euacuat, quod quidam ex Hęreticis meditantur, nempe censum tempore nati Christi indictum fuisse, sed tumultu populi ad tempus aliquod fuisse impeditum, ac retardatum, vt edictum quidem de populo censendo, quod exijt anno 42. Augusti locum habere non potuerit, nisi mutato Regni statu, & Archelao de medio sublato, & Iudæa in prouinciam Syriæ attributa: quod rectè computanti post decimum quartum, vel decimũ quintum annos contigit, vt diximus. Atque ita illa verba Lucæ: *Hæc descriptio prima facta est præside Syriæ Cyrino*, vice correctionis posita esse volunt: hoc est tunc primum ad effectum deducta est censitio, & professio.

Alia

Sed huic meditationi, quæ subtilis esse videtur, & ad conciliandum Lucam cum Iosepho alicuius momenti speciẽ præ se fert; duo apertè aduersantur. In primis Lucæ contextus, dicẽs: *Et ibant omnes, vt profiterentur singuli in suam ciuitatem. Ascendit autem & Ioseph, &c.* Quibus verbis non obscurè indicatur, censitioni illi, siue descriptioni obstaculum nullum positum fuisse. Deinde contradicit & ipse Iosephus prędicto loco, asserens descriptionem illam per aduẽtum Quirini, & Componij adiuuante Ioazaro Pontifice Bœthi filio nullum impedimentum habuisse: quod si ista à Iosepho enarrata descriptio diuersa fuit à priori, & posterior illa cõmemorata à B. Luca: profectò firmiùs ac fortiùs euincitur, priorem per Lucam descriptam sine tumultu vllo, aut seditione fuisse perfectam. Audi verba Iosephi: *Quin & ipse Quirinus in Iudæam venit iam attributam prouinciæ Syriæ, vt praecenseret facultates eius regionis ciuium, & Archelai pecunias in potestatem suam redigeret. Illi verò tametsi primum ægrè ferrent mentionem descriptionis, non sunt tamen reluctati pertinaciter, parendo auctoritati Pontificis Ioazari, qui Bœthi fuit filius. Atque ita illius suasu sine controuersiã census peractus est. Extitit tamen post quidam Iudas Gaulonites, ortus ex oppido Gamala, qui adiuncto sibi Pharisæo Sadduco, solicitabat ad defectionem populos, censum nihil aliud, quàm manifestam seruitutis professionem esse dictitans, & vniuersam gentem ad tuendam libertatẽ adhortans.* Hæc ille. Ex quibus in primis colligo, seditiones & tumultus propter pendendum censum non in ipsa descriptione, sed illa iam peracta concitatos fuisse; vt ita sententia illa Caluini de impedita ad aliquot annos descriptione, stare minimè possit.

Tertiò etiam nequaquam videtur asseri

[Margin notes:]

Aliam quoque videri, quã Lucas, aliam quam Iosephus descriptionem narrat.

Ioseph. lib. 2. de bel. Iud. c. 6.

Matth. 2.

II. Ratio.

Dio. lib. 56.

III. Ratio.

Theodori Bezæ hæretici hominis, in illa Lucæ verba: Hęc descriptio prima facta est, &c. cõmentum vanissimum cõfutatur.

Ioan. Caluini de censu Cęsaris impedito, ac retardato, inepta solutio.

II. Argum. *Iose. li. 18. c. 1.*

Act. 5.

Caussa seditionis Iudęorũ in Romanos, quænam illa.

Refellitur dicentium opinio, Quirinũ bis Syriæ fuisse præfectum. *Ioseph. li. 17. c. 6.*

posse, duas illas ac distinctas fuisse descriptiones sub eodem tantũ præside Syriæ Quirino, si tueri volumus autoritatem Iosephi, & illam non reijcere: tum quia tempore illo, quo Augustus generalem illam indixit descriptionem, nondum erat Cyrinus missus in Syriã, quam Quintilius Varus adhuc procurabat, teste Iosepho: quia post sublatum Archelaum dicitur missus Cyrinus ab Augusto, vt Iudæam prouinciæ Syriæ adscriberet, & populorum numerum, & facultates eorum percenseret; tũ quia Romani imperij consuetudo vix ferebat, vt vnus, & idem Proconsul in eadem pacata prouincia diuersis temporibus præsidem ageret, vel censum haberet. Non potest ergo stare, Cyrinum bis Syriç præfectum fuisse, semel trigesimo anno, & iterum 37 id enim historia Iosephi non patitur, qui omnes præsides Syriæ diligenter enarrat. Nã creato Rege Herode à Triumuiris Augusto, & Antonio, & Pronuntiato Rege Iudæorum in Capitolio 184. Olympiade CONSVLIBVS Cneo Domitio Caluino II. & C. Asinio, tunc missus est Vẽtidius à Romanis ad res Syriacas cum Herode componendas, vt docet Iosephus. Deinde Varroni Syriç præsidi subijcit Titium, Titio autem Saturninum, & Volumnium, Saturnino Quintilium Varum, tandem Varo Cyrenium, idque trigesimo septimo anno post Antoniũ debellatum, prorsus vt ante illud tempus locus pateat nullus Cyrino præsidi. Neque dici potest, hos quinq; Syriæ præsides esse potuisse post trigesimum annum vsque ad trigesimum septimum, attributo singulis anno & aliquid amplius, vt trigesimo, & trigesimo septimo esse potuerit Cyrinus: quia hoc esset diuinare prorsus, & ipsi Iosepho repugnat, qui vel vnius Quintilij præfecturam in Syria in plus quam duodecim annos prorogat: nam longè antè obitũ Herodis describit illum venisse in Syriam: Archelaiq; præfecturam, qui decem annis regnauit, tradit damnatione eius definitã. Cùm ergo Cyrinus non potuerit esse Syriç præses 30. & 37. anno, nequaquam vtriusque temporis cẽsum Cyrino possumus tribuere; cùm tamen eidem ascribendus sit vterque census, si Iosephum Lucæ velimus aliqua ratione conciliare, & vtriusque autoritatem tueri. Et licet ipse verborum Lucæ contextus plures descriptiones porrigere videatur, cum ait: *Hæc descriptio prima facta est, præside Syriæ Cyrino* (nam primam pro priori more Hebræorum, qui positiuis pro comparatiuis vtuntur, posuit. Illa nam quæ prima, siue prior est, quam altera cõsequitur) ex hoc tamen minimè colligitur, necessariò vtranq; fuisse sub vno, & eodem præside Cyreno: potuit enim sub alio præside celebrari; cuius comparatione, quæ præcessit, prior dicatur. Hic accedit: quia si natalis Christi dies incidit in 42. annum Augusti, vt omnes passim tradunt historici; opus est, vt non in 37. annum Augusti ab Actiaca pugna (vt tradit Iosephus) fuerit missus Cyrinus, sed in 30 annum Augusti ab illa pugna: nam si quintusdecimus annus Tiberij fuit tricesimus Christi Domini, vt constat ex Luca; consequitur triginta Christi annos conficiendos esse ex 15. Tiberij, & totidem Augusti postremis, vt 15. ante Augusti mortem COSS. Cosso Lentulo, & L. Pisone, Christi fuerit primus, idemque tricesimus ab Antonio ad Actium profligato; ergo in illum annum dictum necesse est poni Domini natalem, & præsidem Cyrinum, quẽ tamen Iosephus collocat anno trigesimo septimo. Tum denique, quia si anno 37. ab Actiaca pugna missus est Cyrinus ad agendum in Iudæa censum, & ante illud tempus ipse non erat Syriæ præses, vt posset bona Iudæorum censere, & publicare facultates, & domum Archelai, cùm hæc Archelai de Regno deiectio, & in exilium relegatio inciderit in 56. siue postremum annum Augusti, vt testis est Euseb. in Chronico: sequitur Christum non anno quadragesimo secundo, sed quinquagesimo sexto Augusti natum fuisse, quod est falsum, ac vehementer absurdum.

Syriæ præsides quinque. *Iosepo. li. 14. c. 23. Lib. 15 c. 12. Lib. 16. c. 9. Lib. 17. c. 6. Lib. 17. cap. vlt. & lib 18. cap. 1. & 3.*

Ioseph. li. 17. c. 6. Idem ca. vlt. eiusdem libri.

Positiuis pro comparatiuis vtuntur Hebræi.

II. Ratio. *Ioseph. 18. c. 3*

Luc. 3.

III. Ratio.

Euseb. to. 2. Cui standum Lucæ, an Iosepho de Quirino, & descriptione orbis diuersa narrãtibus.

Cùm ergo impingendum nobis sit vel in Lucam, vel in Iosephum: præstat profectò, vt sacrosanctam, grauissimam, & inuictæ firmitatis autoritatem Lucæ tueamur, & illam tanquam certissimam fidei nostræ, ac solidissimam regulam seruemus; Iosephi verò fidem, & historiam deseramus, tanquam incertam, & fluctuantem, & veritati in multis dissentientem. Crediderim equidem de generali illo totius orbis censu, qui sub Domini infantia actus est, Iosephum nihil fuisse locutum, sed eum, quem describit, eundem prorsus extitisse cum eo, quẽ tradit Dio, & Eusebius in Chronico collocat, anno 35. habitum ab Augusto postremo ferè eius anno, qui fuit 44. ab Actiaco bello. Et vtriusque dicti nostri rationẽ reddimus. Omisit censum Christi Iosephus, quia in eo nihil noui euenisse proditũ erat, vt in censu Augusti nouissimo, in quo Archelai fuit damnatio, mutatio Iudaici Regni in prouinciam, leuis quædam seditio Iudæorum, sedata tamen à Pontifice Ioazaro, cuius autor extiterat Iudas Gaulonites in illa seditioe compressus: quanquam hoc tertium de seditione Iudç fortassis in prio-

Dio lib. 56.

Cur Iosephus de hoc Euangelico censu Augusti nihil scripserit.

rem illum, & generalem censum melius referri possit: tum quia Lucas in Actis, cùm meminit seditiosi Iudę Galilæi, illum tradit tempore descriptionis, siue professionis extitisse. Quæ verba magis sunt referēda ad censum illum generalem, qui sub Christum natum incidit, & illum ipsemet Lucas enarrauerat, quàm ad alium censum Iosephi, ignotum prorsus diuo Lucæ. Quāquam Iudæi cùm & vectigales, & tributarij populi Romani sub Pompeio Magno sint effecti, immeritò Iudas Galilæus ob Augusti censum quasi onus nouum tumultuari cœpit.

Act. 5.

Luc. 2.

Iudæi à quo primum esse & tributarij Romanis.

Tum etiam, quia Eusebius Cæsariensis in Chronico suo, anno quadragesimo tertio Augusti, qui proximè secutus est Christi natiuitatem, collocat Iudęi Galilæi rebellionem, ne Iudæi acquiescerent, vt soluerent tributa Romanis. Tum tertiò, quia si qua seditio orta fuit de censu dando Cæsari, verisimilis est, illam ortam fuisse quam primum cœpit censeri Iudæa, & censum pendere: at illa Lucæ, est prima descriptio sub præside Syrię Cyrino. Itaque fortassis Iosephus vnam cum altera confudit descriptione, & pręsidem cum præside: & suscitatam seditionem non suo loco commemorauit.

Euseb. Cæsar.
II. Ratio.

III. Ratio.

Neque euadit quis huius vim rationis dicendo; non esse verisimile, Herode regnante in Iudæa pacificè, postremis annis vitæ suæ suscitaturum fuisse Iudam Gaulonitem, negantem dandum censum Cæsari esse: quia Herodes semper se Cæsari obsequētem, & Iudæis formidabilem pręstitit, & nemo eius seculo ausus fuisset quicquā nouarum rerum moliri: & idcirco probabilius esse, seditionem illam ortam post ablatum Archelaum, & Regnum Iudææ in Prouinciam Syriæ redactum. Hæc, inquam, ratio non stringit. Nam si regnante Herode per plures quàm 30. annos, Iudæi nunquam acquieuerunt, vt vellent recipere in Regē Herodem, sed illi pertinacissimè reluctati sunt, non ignorantes voluntatem Cæsaris. Quid mirum si aliquis ortus fuerit seditiosus suo tempore, qui pętextu religionis contenderet censum Cæsari non esse pendendum? Sed vt ad rem redeam, cum Christi census neque proprius Iudææ fuerit, sed omnium prouinciarum: neque res admodum noua concitauerit, silentio ab eo est pętermissus: fuisse verò eundem censum, de quo Iosephus, Dio, & Eusebius in Chronico, & ratio temporum deducta probabilissimum reddit. Quia Archelai damnatio vltimo vitæ Augusti anno contigit, vt Eusebius in Chronico tradit: Dionis quoque census agitur nouissimo ferè Augusti anno: Ergo idem est omnino cum illo Iosephi. Accedit etiam, quod census vterque non caruit seditione aliqua: Iosephi quidem, ob Iudam rebellem, si verum sit illam rebellionem eo tempore accidisse: Dionis verò, quia non receptus à populis malentibus vigesimam solitam bonorum, quā tributum ex ędibus, & agris pendere. Quare Iosephi, & Lucæ census, vnus esse non potuit.

Quorundam Iudam Gaulonitem Herodis magni tempore rebellasse Romanis negantium argumentum diluitur.

Qualis ille census Augusti à Luca descriptus, & vnde colligitur.

Ioseph. lib. 18. Antiq. c. 1.

Conuenit autem Iosephus cum Euangelio, si duo in eo corrigamus. Primum est, tempus damnati Archelai, qui non 37. anno, sed 44. fuit à bello Actiaco, & non per Quintilium Varum, sed Romæ per Augustum. Deinde si ordinem Præsidum Syriæ (in quo facilis est error, & ob eam caussam leuis) inuertamus: vt nempe Saturnino succedat nō Varus, sed Quirinus, vel Cyrinus, agatq; Christi censum, Cyrino verò Quintilius non ad exilium vsque Archelai, quia ante illud ceciderat in Germania, sed tanto antea tempore, vt opportunè potuerit sexto ante obitum Augusti anno versari in Germania cum legionib[us], ibiq; mortē oppetere. Quintilio autem succedat Silanus, quem Cyrino subijcit Iosephus. Possumus & illud non incommodè dicere: quod sicut Saturninus pręses eodē tempore simul habuit collegā in Syrię administratione Volumnium, quem tamen Volumnium idem Iosephus procuratorem Cęsaris fuisse dicit: ita in huius descriptionis tempore Varus quidem extiterit Syriæ pręfectus, sed ei fuerit adiunctus Cyrinus, qui cum in Herodis Regno non posset esse Iudææ pręses, neq; tamen simplici procuratoris Cæsaris titulo satis honestari videretur, Syrię quoque pręses appellaretur. Et siue hoc, siue altero modo nodū propositum solueris, deseritur non sine ratione Iosephi autoritas.

Triplici ratione Iosephus cum Luca de Cæsaris Augusti censu valet conciliari.

II. Ratio.

Ioseph. 18. Antiq. c. 4. in fine.

III. Ratio.

Idem lib. 16 c. 9. & lib. 1 de bel. Iu.

Quid sit autem quod dicitur: Hęc descriptio prima facta est præside Syrię Cyrino, vt prima appelletur descriptio: non est referendum ad mysticum sensum cum Beato Ambrosio dicente: *Hæc est ergo professio prima non terrarum, sed mentium, cui omnes profitemur, quia nullus excipitur, non præconis euocatione, sed vatis qui multò ante prædixit: Omnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis, &c.* Nec est sensus, esse primā absolutè descriptionem priuatam: nam tales multæ præterierant à Romanis factæ, & à Iudęis in Iudęa. Nec secundo intelligendum, vt prima sit respectu præsidis, quasi aliæ sub eodē præside factę sint postea, vt intellexit Erasmus, quia nō est sic litera distinguenda, sed in hunc modum: hęc prima d...

Huius edictis Hęc descriptio prima facta est &c. tres sensus minime probabiles proponuntur.

Ambros. li. 2. in Lucam, ca. 2. tom. 5.

Psalm. 46.
II. Sensus.

III. Erasmianus scilicet.

descriptio vniuersi orbis: & distinctione interposita, addendũ, facta est, cùm præsse Syriæ esset Cyrinus.

IV. admodum probabilis. Paul. Oros. li. 6. c. 22. & lib. 7. c. 2. Philippus Rex in Regnis Neapolis, & Siciliæ quoties descriptionem faciat.

Ergo vel est sermo, teste Paulo Orosio, de prima generali descriptione, antequam nulla prior fuerat, & quam Augustus rerũ dominus omnium præstitit, & quam consecutæ sunt aliæ, vt illa, quæ accidit postremo ferè anno Augusti, cuius meminerunt Dio, & Iosephus. Nam vt Philippus Rex singulo quintodecimo anno solet in suis Neapolis, & Siciliæ Regnis enumerationes ciuium sibi subditorum efficere: quia illo tẽporis spatio solet augeri, aut imminui capitum censitorum numerus; vt iustitia seruetur, & tributa facultatibus cuiusque exæquentur: ita fortasse Romani, eam rationem in censu vniuersali obseruabant. Et ita inter primam illam Lucę generalem descriptionem, & aliam etiam vniuersalem, quã narrant Dio, & Iosephus, & Eusebius, quindecim annorum spatium interfluxit. Vel prima etiam dicitur à Suida, comparatione eorum Principum, qui prius nihil soliti erant numerare; at per illam omnes ad censum sunt vocati, etiam qui prius nihil pendebant. Nõ ignoro, aptè quoque dici primam descriptionem sub Cyrino, vt tradit Euangelium, si secunda sub eodem habita est, vt testatur Iosephus: verùm id asserere, ob dictas superius caussas, non audemus.

V. sensus, Suidæ.

VI. sensus. Luc. 2. Iose. li. 18. c. 1.

De censitorũ numero in Augusti Cæsaris censu collecto variæ sententiæ. Simon de Cassia. Myrias Græcis numerus qualis.

Quotus autem extiterit censitorum numerus in illo Christi censu, nullus (quod sciam) fidelis historicus expressit. Tamen apud Simonem de Cassia legi, numerũ collectum fuisse supra nonagies trecenta, & octoginta hominum millia, exceptis senibus, paruulis, & mulieribus ineptis ad militiam. Conficit autem prędicta summa, iuxta supputationem Græcorum, apud quos Myrias valet decem millia, 277. myriadas; iuxta maternam verò, & vulgatam loquẽdi rationem, faciunt 27. milliones cum 70. millibus. Vt intelligas quàm latè pateret Romanorum imperium. Etsi Nicephorus Callistus alium producat numerum: ait enim de Augusto: *Is quoq; Romanorum ciuium censu acto, numerum iniȷt: inuenitq; myriades tredecim, bis mille & triginta septem.* Quæ certè parum conuenire vidētur cũ altero numero, nisi dicas, hunc præcisum numerum ciuium Roman. non aliorum fuisse inuentum. Et intelligo, illum numerũ fuisse virorum, qui arma capere poterant. Nam ita Liuius de censu primo Seruij Tulli scribit: *Millia octoginta eo lustro ciuium censa. Adijcitur scriptorũ antiquissimus Fabius Pictor, eorum, qui ferre arma possent, eum numerum fuisse.* Hæc Liuius. Sed cùm hoc ille nullius historiographi testimonio, aut patris alicuius antiquioris sententia confirmet, non videtur vsquequaque solidum. Tantùm Eusebius in Chronico suo, in illa secunda generali descriptione facta LV. Augusti anno, recẽset, Augustum cum Tyberio filio suo censum Romæ agẽtem inuenisse nonagies trecenta & septuaginta hominum millia. Et vt facile fuit, numerum huius posterioris descriptionis transtulisse ad priorem illam, quæ accidit nascente Christo Domino; ita profectò difficile est in duabus illis descriptionibus eundem præcisè hominum censitorum numerum collectum fuisse: vt etiam ex Dionysij Halicarnassei historia cõfirmauimus. Atq; hactenus quidem nobis de temporum ratione ad Natalem Domini spectantiũ, ad satietatem vsq; dictum sit: non profectò alio consilio, quàm vt tantæ soliditatis mysterium, atque Euangelica verba explicarentur magis: agnosceretur q; ab omnibus, quantum sit Iosepho in huiusmodi tribuendum, & quam firmiter accipienda, quæ Euangelium proponit, etiamsi nullo testium Ethnicorum, vel historicorum externorum prędidio, vel testimonio comprobentur. In quo si prolixior extiti, quàm par erat, cogitet prudens lector, tot, ac tam perplexas quæstiones, tantisque tenebris obsitas non potuisse breui sermone explicari. Si quis tamen ad hęc soluenda ænigmata, aut certiorem, aut clariorem, aut conciliorem explanandi modum adhibuerit; non solum nobis molestus non erit, sed magnam quoque à nobis gratiam initurus est in Christo Domino nostro, cui cum Patre, & Spiritu sancto omnis pendendus est honoris, gloriæ, & gratiarum actionis census in seculis sempiternis: Amen.

Niceph. Cal. lis li 1. ca. 17. sub init.

Liuius lib. 1. Decad. 1.

Euseb. tom. 2.

Dionys. Halicarnas. lib. 4.

Autoris modestia.

APPENDIX

Ad tractatum trigesimum secundum.

Bellorum sub Christi ortum descriptionis hic inserendæ caussa.

ANceps animi eram, num bella, quibus ante Christi natiuitatem mũdus totus cõficiebatur, expediret hoc loco, hoc est, ad finem tractatus recensere. Videbatur prima facie inutile illorum bellorum enumeratione multas chartas implere, & magis ad curiositatem hæc narratio spectare: sed quoniam illa non parum conducit ad pleniorem prophetici testimonij intelligentiam, & ad pacẽ sub Augusto, & Christi ortu declarandam facere; vicit hæc sententia apud me. Quamobrem quò hęc tanta pacis abundantia à tot Prophetis prænũciata magis degustetur, non erit abs re intelligentia vel in genere comprehẽdere, quã-

ta,& numero multa, & magnitudine ingetia bella Christum natum præcesserint. Et vt in primis missa faciamus acerbissima bella ciuilia,quę à duobus Mariis patre, & filio,L.Cornelio Sylla, Cornelio Cinna, Carbone,Bruto, Norbano,Scipione, Perpenna,Octauio,Lepido,Sertorio,& Pompeio gesta sunt; & vt taceamus bellum seruile,coniurationemque Catilinæ , bellum item nauale cum pyratis totum mare nostrum infestantibus paucis mensibus à Pópeio fœliciter confectum, & exitiale,& luctuosissimum bellum inter Pompeiũ Magnum,Iuliumque Cæsarem, quod ardore suo Italiam, Hispaniam, Græciam,Siciliam,Aegyptum, totam Africam, totam Asiam,& omnia maria incendit: dicamus illa tantùm prælia, quæ à Cæsaris dictatoris cæde contigerunt.

Quinam Romanæ libertatis vindices Cæsaris dictatoris in necem conspirauerint.

Cùm enim illum impotenter dominantem in Curia Pompeiana C.Cassius,& duo Bruti, Decius & Marius, C. Trebonius, Seruilius Casca, Tullius Cymber, & alij quamplurimi Romanæ libertis vindices,multis cófodissent ictibus, ac veluti pœnas scelerum in Pompeium ab eo exegissent,semina bellorum ex illis vulneribus, quę terrarum orbem diuexarunt, exorta sunt. Mox enim Antonius in spem principatus erectus, cùm pro Rostris vita functum Cæsarem laudasset,populumque Romanum furore accensum in bona, possessionesque tyrannicidarum immisisset, inde ingens bellum , & trepidatio exorta fuit.Mox ipse, cum Cicerone acerbis inimicitijs acceptis, Roma egressus est ad occupandam Galliam citeriorem, vnde quasi ex arce classicum bello ciuili caneret:Deciumque Brutum,qui Senatus iussu prouinciæ prius à Cęsare sibi datæ prĝerat, Mutinæ acri obsidione oppressit. Sed apud patres,& populum agente Cicerone, patriæ, & suorum ciuium amantissimo aduersus Antonium , hostis est à Senatu iudicatus: missique ad eum opprimendum Hircius, & Pansa Coss.& additus Octauius adolescens pro Prætore cũ legionibus veteranorum , quæ nomine patris Cæsaris ad eum confugerant:iuitque totus populus,eodem Tullio magna vi eloquentiæ persuadente, ad saga,ne Consularibus quidem exceptis, quibus gestus honor vacationem illius cultus dabat.Commissa igitur apud Mutinam pugna,Hircio ,& Pansa de medio sublatis, extincta sunt duo libertatis lumina,& Respublica duorum fortissimorum Consulũ orbitate afflicta.

Bellum Mutinense.

Sed nihilo his pręlijs fœlicior Antonius, soluta obsidione Mutinæ, in vlteriorem Galliam ad M.Lepidum cótendit,tanta inopia, vt Imperator ipse arborum corticibus vesci cogeretur,& voluptuosus homo aquam cœno turbatam potaret.

Dolabella hostis Reipublicę iudicatus.

Per idem ferè tempus Dolabella C.Trebonium , quem Senatus Asiæ pręfecerat, Ephesi noctu derepente oppressum atrociter interemit:ob quod tam immane facinus, hostis est & ipse iudicatus,& datũ negocium Cassio, & Bruto, vt Dolabellam persequerentur.

Octauij Augusti exitiale fœdus.

Tradidit etiam duos Cósulares exercitus Caio Octauio & ipsi puero,qui cum hoste nefario impium percussit fœdus,& admotis ipse ad patriam legionibus in patriæ charissimæ subsidium conscriptis, tanta trepidatione patriam compleuit puer pædagogo,& flagris dignus,vt nec Ciceroni, qui erat illi tanquam pater, nec Acciæ matri , & Octauiæ sorori tutus fuerit habitanti in vrbe locus, turbatione rerum,quam suis conatibus efficiebat. Tũ D.Brutus desertus ab exercitu,quę in Grę ciam ductabat,à latronibus fœde est interfectus , qui Consul designatus erat populi Romani.

Adiuncti ergo Lepidus,Plancusque, & Vétidius Antonio, formidabilem eius potentiam reddiderunt: & hinc conflatus est ille Octauij,Lepidi,& Antonij triumuiratus,id est,exitialis fax,& pestis ciuium omnium Romanorum : quod lupus quidam per mediam vrbem peruagatus pręmonuerat.

Romani triũviratus origo, pernicies.

Ingressi ergo triumuiri Romã,tabulas proscriptionum in foro proponunt; & præmia ijs, qui ad triumuiros proscriptorum retulissent capita: vnde ingens populi exortus metus,matronarum, virorum, virginum luctus,canumque insoliti latratus, qui vel ipsum sanguinis humani sitientissimum Antonium perterrefaciebant: occupati aditus,omnes portæ,pontes,flumina à militibus triumuirorũ:

A quo interfectus,& vbi M. Tullius.

Cicero in suo Formiano à Popilio Lenate,quem capitis reum olim defenderat,contrucidatus, caput abscissum,& manus , vt operum insignium autores, abscectæ , & de mensa per Antonium in rostra deferri iussa.Et cum M. Antonij cupiditas immensa tot proscriptis viris extingui non posset,ad sexum fęmineũ crudelitas versa est , & quadringentæ fœminæ clarissimę proscriptæ, sole ipso toto anno malignam lucem mundo reddente, ac sese horribili pallore operiente. Tum exercitus in Græciam traducti à Cassio, & Bruto,vt eos fortuna absumeret.Erat quoque in armis Libya, quam Cornificius, & Lælius Cassianæ factionis obtinebant.Missus est contra eos Sextius , auxiliantibus Arabione regulo,& Sitio Romano.

Dolabellæ interitus.

Laodiceę Dolabella magna obsidione inclusus à Cas-

tio tenebatur, qui post à seruo, Mario ipso iubente iugulatus est.

Triumvirum exercitus. Cassius extincto Dolabella, Rhodijs, Lycijsque bellum intulit. Triumuiri in Macedoniam exercitum transportabant. Mucro vero, & Domitius Aenobarbus Brutianarum partium, & Sex. Pompeius Cnei filius totum mare infestum reddiderunt. In Macedonia cum essent Bruti, & Cassij castra, Antonij, & Octauij castris collata, paruis prius quibusdam certaminibus duobus, deinde iustis prælijs dimicatum est: ita vt Cassius, desperatis omnibus, seruo se interficiendum tradiderit. Dehinc M. Brutus multa prius conquestus de patriæ fortuna: de Antonij flagitio, pectus suum auunculi, & soceri audaciam æmulatus, transfodit. *Cassij, & M. Bruti miserabilis interitus.*

Nec Syria tunc quoque à bello libera erat: nam Herodes Antipatri parentis necem vlturus, Hierosolymam cum exercitu irrupit. Malchum vnũ ex principibus eius interemit: mox in Antigonum egressus cum eo in Galilęę finibus conflixit, ipsumque fuga in Iudæos montes compulit. Qui ad Parthos confugiens, cum magna Barbarorum manu in Syriam regressus, Hierosolymam occupauit, medioque in foro cũ Herode, & Phasælo fratribus acriter dimicauit. Phasælus paullò pòst, & Hyrcanus Pachori Parthi iussu, in carcerem coniecti sunt; Herodes verò sibi, suæque multitudini fuga nec incruenta consulit: regia tota deflagrauit, & bona pars vrbis fœdè ab equitatu Parthorum direpta est. Phasælus cum ex grauibus vinculis se euadere desperaret, capite sæpè parieti illiso, animam egit. Hyrcano auriculę ab Antigono præcisæ sunt, ne idoneus esset Pontificatui, quem gerebat. Herodes Romam profectus, Antonio operam nauante, Senatus consulto iussus est in Iudæa Regnare. Qui regressus admouit copias Hierosolymis, & eam corona cinxit: sed soluta obsidione, Hiericõta primo impetu occupat, & fratri opem contra Antigonum fert. Qui solutus, non multò post in insidias incautus cum incidisset, ab hoste est confossus. Herodes ex Antonij castris subito nuncio perculsus, tumultuaria exercitus parte collecta hostes persecutus, eos ex tota Galilęa expulit: multis deinde prælijs cum Antigono conflixit, & sæpius fœliciter, nisi quod semel grauiter ex pugna saucius excedere coactus est. *Syrię & Iudęæ bella, tempore triumviratus.* *Herodis regni exordium in Iudæa.*

Rursus vere appetente obsidio Hierosolymorum facta est, Antonio Herodi auxiliares copias mittente. Et tandem anno qui ex veteri instituto dicitur Requiei, vrbs in potestatem Herodis venit, & cædes per omnes ætates, sexusque latè vagata, ingentem stragem Iudæis dedit, & ita Iudaicum Regnum prius grauiter afflictum, tandem Herodi stetit, quinquaginta prius viris primarijs diuersarum partium morte mulctatis: Atque hæc quidem in Syria, & Iudæa. *Hierosolymã quando Herodis primum ditioni cessit.*

Ex Philippensibus verò pugnis Antonius ad Orientem contendit, & inde ad Cleopatram mox delicias suas: Octauius ad vrbem Romam copias reducit. Sed cum Fuluia in Octauium, Leuirum Lucium triumviri Antonij fratrem concitasset, compulit Octauius L. Antonium per id tẽpus Consulem, Perusiæ sese includere: vbi ad postremum fœda fame fatigatus deditionẽ fecit. Ignotum est ipsi fœdifrago, & sceleris autori, in gratiam fratris, & vrbs crudeliter direpta, euersa, & ad extremum incondio ad solum vsque exusta: quod in suburbano bos locuta significauit, quam aratori instantius operas vrgenti dixisse ferũt: Frustra sese vrgeri: breui non defuturum frumentum: de futuros, qui illud edant, homines. Non minorem accepit Antonius apud Parthos cladem, qui Labieno Pompeianarum partiũ impulsore, discordia ciuili freti, fines Imperij ingressi, Syriam ferro, igneque vastarunt, Didioque Hispano M. Antonij legato oppresso, totam occuparunt prouinciam; quorum impetum Antonius per Ventidium legatũ repressit: cuius Ventidij triumphus, & consulatus, quid aliud, quam fortunæ ludibria fuere? Deinde M. ipse Antonius artibus imperatorijs ab impudicis amoribus extinctus, temere in Parthiam irruit, vnde fœdè pace indecora, parum etiam duratura pacta, pedem referre coactus est: in insidias præcipitatus exercitum sua insania, & fami, & tẽporis sęuitiæ, & hostium obiecit gladio, vbi sanguis Romanus abundè sparsus est. Coegit inedia, herbisque ignotis victitare, nam notas cõsumpserant exercitus: inter quas vnũ herbæ genus erat, quad homines prius dementatos, & defodiendis lapidibus intentos, eiecta vomitu cholera subitò necaret. Romæ quoque magna erat annonæ inopia, & fames ob Sex. Põpeium, cui maris imperiũ, vt olim patri fuerat decretum, qui omnes intercluserat commeatus. Vnde magni in vrbe motus, & latrocinia in ipso foro, & in meridie; vt vrbs potius esset prædonum, quàm eorum, qui toti orbi leges dederant. Sed Sex. Pompeio amicitiam triumuiri obtulerunt, vt hominis impetum retardarẽt. & eius comminuendi tempora interim captarent. Vt ergo inopia illa ciuitas est releuata, rupit protinus Octauius fœdus, & cõtra omnem ęquitatem: vnde sępè ex vtraq; *M. Antonij in Aegyptum receptio.* *Bouis locutæ prodigium.* *Antoniani exercitus clades.* *Eiusdem in Parahim infœlix irruptio, intolerabilis inedia.* *Herba homines dementãs.* *Octauius fœdifragus.*

parte nauali certamine dimicatum, multis nauibus mari disiectis, & vi hominum ab equis & fluctibus absumptis: ita vt Sextus copijs, & imperio, & dignitate exutus, fœdè in Asiam præfugerit, & illic interiret, sicut pater in Africa, & frater in Europa sunt mortui: vt domus illius totus orbis exciperet ruinam, quæ paullò ante orbi etiam toti à se triumphato imperauerat: paullò pòst cum Lepidus odium non dissimularet, cōflixit cum Octauio, à quo vt fortunatissimo compressus, & confractus, & omni dignitate spoliatus, Circeios priuatus ex triūuiro remissus est.

Octauii in Antonium belli occasio.

Octauius captans belli occasiones, sororem suam Octauiam ad Antonium mittit eius coniugem, non ignorans illam ab Antonio reijciendam in gratiam Cleopatræ: vnde & caussam dissidij, si non iustam, & veram, at fucatam saltem arriperet. Et interim Octauius ne ociosus esset, dum sororem mittit, in Dalmatas mouet, & bellum à Cęsare patre olim institutū absoluere instituit. Docleatæ, Carni, Narisij, bello sunt primùm impetiti, deinde Meletini, & Corcyrei. iuuentute armis apta, tota ad vnum ferro absumpta, cætera multitudo sub corona miserabili spectaculo venijt; iuxta hos cum Salassis lapidibus, Segestanis, Dalmatis, Dariscis, Pannonibus immaniter pugnatum: nullo crudelitatis genere prætermisso, quædam ex his gentibus funditus sunt excisæ, vt ne ad semē quidem sit vllus relictus: quæ victoriæ sine lacrymis, & cruore Romanis nòn stetere. Nam gentes illæ sanguinem suum bene prius vltæ cecidetunt: ita flerūt victores, interiere victi. Inde Romam reuersus est ad consulatum petendum, vt in magistratu Antonium opprimeret. Tum repudiata ab Antonio Octauia, matrona, & prudenti, & casta, nactus est quam diu optauerat belli occasionem: & comparata ingenti clásse, ad Epirum contendit ad occurrendum Antonio. Et ad Actium Ambraicæ promontoriū ambo gladiatores sistunt: & diruptis omnis amicitiæ, & societatis legibus, classes suas instruunt, parati decertare, quem mundi dominum fecerent ciuilia bella. Stetit victoria pro alumno, vt semper antea steterat fors: & fractis Antonij, & Cleopatræ opibus, eos Octauius in Aegyptum fugientes est persecutus: Antonius à suis desertus, ferro seipsum interemit: Cleopatra morsu aspidis, cui nudatum brachium porrexerat, fato est defuncta. Tunc dominium orbis ad vnum est deuolutum: abiecta Senatus autoritate, grauissimus ordo seruiliter principi adulari, tradito Augusti cognomento, & in anno mense eidem consecrato, peperitque tandem natura populi Rom. Regem, quem tandiu parturierat. Quibus diebus tam vehementi Iudæa terræ motu est oppressa, vt ruinæ domuum ad quinque millia hominum confecerint. Arabes rati opportunum tempus Iudæos bello lacessere, vsque ad Iordanem amnem latè omnia populantes, progressi sunt. Quibus occurrens Herodes, ad quinque millia illorum prçlio occidit, aliquos ad deditionem faciēdam cōpulit, & cum ignominia domum remisit. Erant adhuc in armis Bustarni, Mosi, Thraces, Daci, Sarmatæ, Hispani, Salassi, Græci, tota Germania, Rheti, Norici: quas omnes gentes Octauius partim suo, partim legatorum ductu, Crassi, Lentuli, & Furnij, partim, per Tyberium, & Drusum priuignos domuit cruentis victorijs, & multo sanguine Romano redemptis, & reddita est alma pax toti orbi. Sed non diu durauit: quia descifcunt primum Germani post Drusi mortem, à quo subacti, & in formam prouincię redacti erāt, ac sine dimicatione vlla Quintilium Varum cum toto exercitu, qui ex tribus constabat legionibus, & pluribus auxiliaribus copijs, ad vnum cadunt. Desecere quoque eo tempore à Romano Imperio Illyrici, quæ defectio fuit sicut belli morientis acerrimus morsus: quod grauissimum fuisse bellum ferunt multi post Punica bella. Vnde 15. legionibus, & totidem auxiliaribus rem in Illyrico à Tyberio Nerone geri oportuit, omissa per id tēpus de Germania pacanda cura, & sæpè ad desperationem rebus adductis: ita vt Augustus difficultate belli, & summa frugum annona deterritus, priuignum Tyberium plerumque ad vrbem ex Illyrijs reuocarit: nec ante triennium varijs belli casibus prouincia illa in ditionem potuit redigi. Germaniam biēnio haud quaquam facile in priorem prouincię formam Tyberius idem restituit. Parthi suo more in Armeniam excurrerunt, eamque sibi occuparūt: qui post nonnullas minoris momenti dimicationes fœlicitati Augusti cedentes, Armenia excesserūt, signia in cladibus Crassiana, & Antoniana ab eis captis, Tyberio restituts. Scythæ, & Indi, ne quid ad concordiā humani generis deesset, in Cæsaris, & populi Romani amicitiam per legatos petitam recepti sunt: & tunc clausa est tertiò porta Iani bifrontis, & missus Quirinus ad censum in Syria, & Iudęa peragendum. Et de his hactenus.

Octauii in Antonium belli occasio.

Populi ab eo ante Actiacam pugnam debellati.

Octauij infœlices victoriæ.

Eiusdem cum M. Antonio pugna, victoria.

Augustus Romæ Dominus à Senatu declaratus.

Populi atque gentes ab Augusto debellatæ.

Augusti monarchia quàm breuis.

Eius difficultates.

Quirinus, seu Cyrinus quādo in Syriam missus ad descriptionem faciendam.

TRACTATVS XXXIII.

Luc.2.

In illud: *Et ibant omnes, vt profiterentur singuli in suam ciuitatem. Ascendit autem & Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth in Iudæam, ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethleem, &c.* In quo potissimum de modo natiuitatis Iesu Christi agitur.

Ordinis ratio.

QVod attinet ad literam, vrgebat Cæsaris edictum, vt singuli in natiuas ciuitates remearent, ipsique præsidi Romano profiterentur patriam, nomen & substantiam. Et quoniam præceptum enumerationis intelligendum erat, vt per tribus singulas, & familias omnes censerentur, vt ostendit enumeratio facta à Dauide; ideò meritò hic adijcitur, quod singuli ad proprias accederēt ciuitates census gratia. Porrò per ciuitatem vniuscuiusque intelligere debemus, non illam, in qua quisque natus est, aut in qua habitabat, sed eā, vnde quisque erat oriundus. Ioseph enim non habitabat in Bethleem, sed in Nazareth: & fortassis nec illic natus erat, sed alibi. Expressit autem quid intelligeret per ciuitatem Dauid, nimirum Bethleem, ne quis intelligeret arcem Sion, quæ etiam in scripturis sępissimè nominatur Dauid ciuitas. Exprimitur autem prouincia & ciuitas, vnde egressus, id est, Galilæa, & Nazareth: & prouincia, ac ciuitas in quam venit, nempe Iudæa & Bethleem. In Nazareth concipi voluit, in Bethleē vero nasci, vt intelligamus eius aduentum, & natiuitatem ad vtrunque pertinere populum. In spiritu verò denotatur seruitus mundi sub dæmone, in qua per vias cupiditatū, siue affectus varios terrenarum rerū homines incedebāt: vt Paul. dixit, permisisse Deum oēs gentes ingredi vias suas, in quas vnusquisque à diabolo & concupiscentia impellitur, vt tandem in aliqua sedem constituat. Hinc prodigus ille adhæsit vni ex ciuib. illius ciuitatis, de quibus Propheta ait: *Accipiēt in vanitate ciuitates suas.* Non. n. omnia vitia sunt omnium pręcipua, verum quilibet habet in quo excellat, & in quo quiescat tanquam in propria ciuitate: *Ascendit autem & Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth in Iudæam, ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethleem, eò quòd esset de domo & familia Dauid, vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore prægnante.* In quibus verbis primum exemplum verę humilitatis, obedientiæq; relucet. Et sic se humiliante Deo, superbit Augustus homo: ignorat Cæsar numerum suorū, nisi illos censeat; cognouit

1.Reg.24.

Quid per ciuitatem, ad quā omnes ibant, vt profiterentur singuli, accipiendum.

In Nazareth concipi, in Bethleem nasci, cur Dominus voluerit.
Luc.1.
Omnium & singulorum, vt profiterentur in suam ciuitatem profectionis mysterium.
Act.14.
Luc.15.

Psalm.138.

Veræ humilitatis, veræque obedientiæ exemplum Christi Saluatoris.
2.Tim.2.
Luc.10.

Christus, qui sunt eius, & habet nomina eorum scripta in cœlis. Quidam annotant descendentes per mulieres à Dauide, esse de domo, sed non de familia Dauid: descēdentes autem per lineam masculinam, esse de domo & familia Dauidis. Sed hoc facilius dicitur, quàm probatur: & scripturæ sæpè domum & familiam coniungit, quanquam alterum vix possit ab altero distingui. Et Lucas paulò ante de Ioseph dixit, quod esset tantùm de domo Dauid, & non addidit de familia. Et Dominus: *Non sum,* inquit, *missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel,* id est, familiæ Israel, siue Iacob.

Caietan. in Luc.c.2.

Esse de domo, & esse de familia Dauid, non differre.
Luc.1.

Matth.15.

Nota etiam, plerunq; in hoc mundo euenire, vt boni cum impijs pari premantur iugo: vnde Ioseph cum Maria agnoscentes Dei consilium & voluntatē, obediunt magistratibus, & reddūt Cæsari, quæ sunt Cęsaris, & quæ sunt Dei, Deo.

Infra 22.

Ascendit in Bethleem ciuitatē Dauidis, quia Prophetæ eo in loco Virginē Messiā pariturā prædixerant, maximè verò Michæas. Erat autem Ioseph de domo Dauid, quod spectat ad genus; & de familia eius, quod ad mores, ad familiaritatem: Nam Dauid semen Regiū promissum erat, iuxta illud Isaiæ: *Multiplicabitur eius imperiū, & pacis non erit finis: super solium Dauid, & super thronū eius sedebit, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio & iustitia amodò, & vsq; in sempiternum.*

Cur Ioseph & Maria in Nazareth ciuitatem Dauid ascenderint.
Mich.5.
Matth.2.
Isai.9.

Vbi ponderandum est illud verbum: *Multiplicabitur*, Hebraicè למרבה Lemarbe, hoc est, ad multiplicandum imperium, siue ad multiplicationē imperij. Hebræi habēt duplex m: alterū in principio dictionis, & in medio, & est apertum, & sic scribitur מ, alterum in fine dictionis, & dicitur finale, & scribitur ita ם, & est vbiq; clausum, nullum habens exitum. Et hoc est perpetuò verum, neque inuenies in tota scriptura literam talem, m, terminātem nisi in fine dictiōis, excepto hoc loco Isaiæ, vbi ponitur in principio. qua nouitate Isaias doctissimus, & diuino spiritu illustrat', docere nos voluit, imperiū Christi in Ecclesia non esse à Iudæis intelligendū: sed hac litera clausa indicauit, fore Iudæis mysterium clausum & absconditum: quod vsq; in hodiernum diem illi non intelligunt. Et quoniam hoc Christi imperium nunquā esse desinet, visum est Prophetæ scribere illud litera clausa exitum nullum habente, vt ostenderet fore regnum Christi perpetuum, nullumque finem, aut exitum vnquam habiturū.

Expenditur illud verbum Isaiæ: Multiplicabitur eius imperium &c.

M. literæ Hebraicæ primum mysterium.

Porrò hæc imperij multiplicatio, propagatioq; ideò facta est: quia Deus factus est homo. Idcircò diuinus vates litera finiente ad principium reuersa hoc annotauit, ad

Imperij Christi cur ita facta multiplicatio, propagatioq.

innuendum, filium Dei æqualem Patri, per assumptionem humanæ naturæ factum esse hominem: de quo Apostolus: *In similitudinem hominum factus, & habitu inuentus, vt homo.* Rediijt ergò Deus per incarnationem ad finem suum: quemadmodum in horologio Achaz sol retro cessit per decem lineas. Significatur præterea per literā, m, quæ finit, & claudit, mater Messię humillima, quæ Maria dicitur, & per virginitatem fuit: quę per incarnationem exaltata est ad dignitatem matris Dei. Litera etiam, m, apud Hebræos in numeris ponitur, vt significet 600. & totidem anni à quibusdā ex nostris feruntur fluxisse à tempore huius prophetiæ vsque ad incarnationem.

Philip. 2.

4 Reg. 20. Isai. 38. Literæ M. secundum mysterium.

Hoc autem commentum de 600. annis, qui fluxerunt ab illa prophetia vsque ad partum virginis, firmum & solidum esse non puto. nam ab Ezechiæ Regis tempore vsq; ad incarnationem interfluxerūt anni supra 760. Ascendit autem Ioseph cū Maria, quæ simul est professa, quia mulierum quoq; scribebatur nomē, vt diximus; & quia vxorem prægnantem minimè secū duxisset, nisi & ipsa profiteri cogeretur. Et hoc insinuatur ab Euangelista, dum ait: vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore prægnante. Et durū est verbum, cum desponsata sibi vxore, referre ad verbum superius, ascendit, & non potius ad proximum, vt profiteretur. Illa etiā ascendit loci partus conscia, tum per significationē Angeli, tum per Michæam Prophetam, tum ne solatio viri destituta, ac ministerio pareret, aut proles proinde vt spuria reprobaretur, quæ tamen ad tēpus vt filius Ioseph erat habēda; nolebat etiam vterq; alijs esse offendiculo, vel ille relicta vxore grauida, vel illa viro destituta pariēs alios offendere. Debent autē mulieres, viros suos peregrinantes cōsectari, si longa sit peregrinatio, & separatio viri ab vxore pariat scādalum, ideò Sara sequuta est Abraham. Dicitur autē vxor despōsata quidem per verba de præsenti, vt diximus sæpè; vxor verò nondū cognita, nec cognoscenda vllo modo, prægnans verò de Spiritu S. Et in Nazareth Galilææ, id est, in flore bonæ voluntatis concipitur Christus: & in Bethleem Iudæ, id est, opere Deum confitente, nascitur Christus. Est autē opus cibus, & panis, quemadmodū ipse dixit: *Meus est cibus, vt faciam voluntatem eius, qui misit me, vt perficiam opus eius.* In Hierusalem verò patitur: quia peregrinus est non habens locū permanentem. Cadit verò hic flos Christi in Hierusalem, coquiturq; panis, vt in visionē paci: ducat. Et concipitur, accepto flore verbi;

Cur Ioseph cū Maria simul ascenderit.

II. Ratio. Mich. 5.

Luc. 5.

III. Ratio.

Nazareth Galilææ, & Bethleem Iudæ, quid significēt

Ioan. 4.

Christi in Hierusalem patiētis mysterium. Heb. 13.

nascitur autem, cùm panis, qui de cœlo descendit, nos nutrit; patitur, cùm pro eo patimur, & tendimus ad pacem. Tempore verò professionis nascitur: quia profitens, ac confitens Christi imperium, quiescit à tributo dæmoni vltra pendendo: *Factum est autem; cùm essent ibi, impleti sunt dies, vt pareret.* Insignis Bethleem patriæ suæ ingratitudo erga Christum: quę locum principi suo Christo, qui illam tanto ortu suo illustrauit, non dedit: vt perinde meritò fuerit punita in filijs suis à bimatu, & infra propter Christum. Nam per quæ quis peccat, per ea & punitur: & qua mensura mensi fueritis, remetietur & vobis.

Infra 6. Professionis tempore Christus cur natus. Matth. 2. Infrà 7.

Rectè dicitur: *Impleti sunt dies, vt pareret;* quò explicaretur, verū esse hominem eū, qui nasceretur: Qui cùm prius supra omnia tempora esset, & æternitate tantùm posset mensurari, iam homo factus tempori, & diebus cœpit esse subiectus. Prædixerat Propheta, Messiam nasciturū in Bethleem Iudæ: Cumq; Maria & Ioseph in Nazareth & Galilæa habitarent, diuina prouidentia exijt edictum Cæsaris Augusti, quo cogeretur Maria à Nazareth venire in Bethleē, edictum natiuitatis locum, atq; in eo eniti filium Dei: quod quidem edictum non debuit, vel anticipari, vel prorogari, vt in Bethleem fieret partus: vt intelligas verum esse, quod ait Dominus per Prophetā: *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.* Erant ergò ibi expectantes, vt scriberentur: nam pauperes diu solent, præsertim à magnis Principibus audientiam expectare, quam etiā interdum miseri non assequuntur. Et quia dicitur: *Factum est, cùm essent ibi:* innuitur illa nocte, qua Virgo peperit, in Bethleem non applicuisse, sed paulò ante. Quod ex eo etiam confirmatur: quia cum media nocte Dominicæ diei sequentis peperit, die precedenti, id est, Sabbathi iter cōficere lege prohibiti haud potuerūt: necessariò igitur est dicendū, ante diē Sabbathi illos peruenisse Bethleem; & tamē tanto tempore nequiuerūt hospitiū inuenire.

Cur de Maria dictum sit: impleti sunt dies vt pareret.

Mich. 5.

Quo Dei consilio exierit edictum à Cæsare Augusto.

Isa. 46.

Ioseph & Maria Bethleem appulerint quando.

Gen. 12. & 20. & seq.

Sed quidnam (rogo) mysterij est, vt dum exigitur professio, Maria interim Christum pariat? Credo diabolum voluisse petere virginem, vt eam redigeret in ditionē suam, eò quòd & ipsa ex parentibus sit orta peccatoribus, at illa è cōtrario purgat sese, aitque: Aliud mihi negotiū est, aliò vocor à Deo: nolo profiteri sub te: ego paritura sum mihi salutē: tu in alios prosequere iura tua. Ego enim excepta sum, & quidē iusta de caussa, nempe necessitate pariendi Iesum: *Et peperit filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præse*

Mariæ professionis tempore Christum parientis mysterium.

Ortum Saluatoris tam humili ac simplici stylo cur scripserit S. Luc.

pio; quia non erat ei locus in diuersorio. Vbi in primis nota: quòd sicut natiuitas Domini nostri citra omnem fastum mundanū contigit, ita B. Lucas omnem verborum lasciuiam atque pompam, in describenda ipsi natiuitate vitauit. Quis enim non videat quàm simpliciter tam mirabilem rem describat? *Peperit*, inquit, *filium suum primogenitum*: ante quem nullus, & post quem nullus ideò vnigenitus & primogenitus dicitur: licet vnigenitus sit à Patre in gloria; primogenitus in multis fratrib. in gratia. Deinde perpēde nihil Lucam attingere de lactatione, sed id nobis, vt apertum cogitandum reliquisse. illud tamen pōdera, quòd quia non dat lac, nisi fœmina cognita à masculo tam in humana specie, quàm in alijs speciebus: hinc factum est, vt Maria viro incognita naturaliter lac non habuerit, sed miraculo acceperit à Deo, quod Iesu infanti daret, atq; hoc tāquam piè meditatum à quibusdā traditur. Verùm quia illa regula de fœmina incognita à viro nulla experiētia accipi potuit, & naturale sit omni puerperæ, vt sanguinē menstruum cōfestim ad mammillas emittat in alimentū fœtus, nec miracula sunt sine causa multiplicāda: præstat (meo iudicio) asserere naturaliter diuā virginē lac habuisse, etsi nō sine miraculo per Spiritū S. conceperit. Quò verò melius huiusce altissimi mysterij contemplatione oblectemur; dicemus primo loco quomodo sit natus; secundò, quando & qua hora noctis; tertiò, vbi, nempe in Bethleem, in diuersorio scilicet & in stabulo; quartò, natiuitatem cōsecuta miracula, quæ multa recensentur. Postremo loco dicemus, qua ratione sit pannis inuolutus in præsepi, quomodo bouis atq; asini calore fœtus fuerit. Quod ad primū igitur attinet, mod⁹ Christi natiuitatis diuinus fuit, & multis miraculis illustratus, atq; illud magnum fuit & admirabile, quod nulla extitit ibi virginei claustri violatio, sicut nec vlla extiterat in eiusdē conceptione. Neq; enim, qui Saluator mundi vniuersi venerat, matrem suam corrumpere debebat, sed eius integritatem illibatā atq; illæsam seruare, secūdum illud Isa. *Dominus ab vtero vocauit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei*: id est, significationis Iesu, quia matrē à corruptione & dolore seruauit. Hanc rem his pulchris verbis Aug. exaggerat ser. de natali Domini: *Diuina*, inquit, *operāte potentia, credentis visce ra fœcundātur, & in ligno mortali vitæ arbor inseritur: & portans in se omnia virtus, ab infirmitate portatur: & quē terra, mari, cœloq; nō capitur, intra vnius corpusculi membra suscipitur. De creatura sua creator omniū procreatur, & de virgulto suo flos magnus exoritur: Radix omnium de virgulto suo nascitur, & vitis vera palmitis sui fructus efficitur. Adest ecce exoptatissimus dies gratia geminata resplendens, cādore quidem consueti luminis illustratus, sed præcipuè radiātis veri fulgorē coruscus. O dies dierum omniū nouitas, lucrum lucis, & dispendium cæcitatis: in quo æternus sol de summa altitudine claritatis paternæ descendens, vuluæ virginalis aditum reserauit*, quidam codices legunt, referauit, *& tantum mūdi caliginem fulgida coruscatione repressit. Hæc est illa nouitas Hieremiæ Prophetæ vaticinio nūciata: Nouum faciet Dominus super terram: fœmina circundabit virum. O fœmina super fœminas benedicta, quæ virum non cognouit, & virum in vtero circundedit.* Hæc ille. Neq; mirum sanè videri debet, Virginē concepisse & peperisse diuina virtute, cùm etiam apes ex sententia multorum autorum, vlla sine commixtione concipiant, aut sine nixibus suos fœtus edant, de quibus Poeta dixit:

Quo lacte, naturali ne, an supernaturali Christum virgo lactauerit.

Rom. 8.

Ordo tractationis huius.

Modum Christi natiuitat. diuinum planè & admirabilem fuisse.

Isai. 49.

Aug. ser. 5. de natal. Domini, to. 10.

Heb. 1.

Virginei miracula partus quæ agnouerit August.

Hierem. 31.

Luc. 1.

Apes, vt plerique tradunt, vlla sine commistione concipiunt.

Illum adeò placuisse apibus mirabere morem,
Quod nec concubitu indulgent, nec corpora segnes
In venerem soluunt, aut fœtus nixibus edunt:
Verum ipsæ folijs natos, & suauibus herbis
Ore legunt.

Virgil. lib. 4. georg.

Lactant. quoq; lib. 4. diuinarum institut. conceptū hunc diuinum persuadere volēs, in hunc modum scribit: *At illa (scilicet virgo Maria) diuino spiritu hausto repleta concepit: & sine vllo attactu viri repente virginalis vterus intumuit. Quod si animalia quædā vento, aut aura concipere solere, omnibus notum est, cur quisquā mirum putet, cum Spiritu Dei, cui facile est quicquid velit, grauatā esse virginem dicimus?* Hæc ille. Eucherius ait, apem virginitatis imaginē esse. Ruffin. in expositione Symboli, etiamsi illa in lib. Cypr. assignatis à quibusdam inserta inueniatur in Iudæos & Paganos pro virginitate Mariæ Deiparæ decertans scribit: verùm hæc, quia ex scripturis Propheticis asseruntur, possunt fortè Iudæos, quāuis sint infideles & increduli, confutare. Sed Pagani solent ridere nos, cùm audiūt prædicari à nobis virginis partum: propter quod paucis, & eoru obtrectationibus respōdendum est. Omnis partus, vt opinor, ex tribus cōstat: Si adultæ ætatis sit fœmina, si virū adeat, si non sit vitio sterilitatis occlusa. Ex his tribus in hoc partu, quē prædicamus, vnū defuit, vir: & hoc patet, quia qui nascebatur, non erat terrenus homo, sed cælestis. Per cęlestē spiritum dicimus, salua virginis incorruptione cōpleta. Et tamen quid mirum videtur, si Virgo cōceperit, cùm Orientis auem, quā phœnicē vocant, in tantū sine cōiuge nasci vel renasci cōstet, vt semper & vna sit, & semper sibi ipsa nascendo, vel renascēdo succedat?

Lactant. li. 4. cap. 12.

Apes virginitatis imago secundum Eucherium.

Ruffin to. 4. oper. D. Hier.

Virginei partus veritas contra Iudæos, & Paganos, asseritur, egregieque comprobatur.

Omnis partus ex tribus constat.

1. Cor. 15.

Phœnix sine coniuge nasci, vel renasci perhibetur.

Apes

Apes certè nescire coniugia, nec fœtus nixibus edere, omnibus palam est, sed & alia nonnulla deprehenduntur huiusmodi sorte nascendi. Hoc ergò incredibile videbitur diuina virtute ad totius mundi redintegrationem factum, cuius exempla etiam in animalium natiuitate cernuntur? & tamen mirandũ, cur hoc Gentilibus impossibile videatur, qui credunt Mineruã suam de cerebro Iouis natam, quid ad credendũ difficilius? aut quid magis cõtra naturam? Hic fœmina est, hic naturæ ordo seruatur, hic conceptus & partus temporibus suis editus: ibi nusquam fœmineus sexus, sed vir solus, & partus. Qui illa credit, cur ista miretur? Sed & Liberum de fœmore eius asserunt natum. Ecce illud portenti genus est, & creditur. Venerem quoque, quã Aphroditen vocant, de spuma maris (sicut etiam nominis ipsius cõpositio ostendit) credunt esse progenitam: de ouo natos Castorem, Pollucemq; confirmant, ex formica Myrmidones: & alia mille sunt, quæ contra rerum naturã venientia, ipsis tamen visa sunt credibilia, vt Deucalonis, & Pyrrhæ lapides iactos, & hominum ex his segetem natam. Et cùm hæc tot & talia figmenta crediderint, vnum eis verbum impossibile videtur, quod adolescens fęmina diuinũ germen, non hominis vitio, sed Deo inspirãte, conceperit. Qui vtiq; si ad credendum difficiles sunt, illis tot & tam turpibus mõstris fidem nequaquã commodare debuerãt. Si verò faciles sunt ad credendũ, multo prõptius hęc nostra tam honesta, & tam sancta recipere, quàm illa tam indigna, & tam fœda credere debuissent. Hactenus ille argutè satis Gentiles talia credẽtes, & nostra nolentes acceptare, perstringens. Deinde peperit virgo sine nixu vel dolore; qui maior in alijs esse solet, quàm sit dulcis voluptas. Et quoniam ipsa fuit nescia omnis delectationis ac libidinis (ob quam causam dicitur peperisse filium suum, non filiũ Ioseph) ita omnis prorsus doloris fuit expers, qui claustri apertionem & diuisionem naturaliter consequi solet. Qui.n. matri dolorem inferret, qui dolores omnes auferre venerat, iuxta illud: *Verè languores ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit?* Vt enim sine corruptione & dolore suum edit fructum arbor, sumque fulgorem stella: ita B. Virgo, quæ bona arbor est, & stella maris dicitur, benedictum ventris sui fructum, & mundi lucẽ, hoc est, Christum peperit. Quod si Eua de Adæ latere nullo ipsius dolore producta est: Cur ergò mundi Saluatoris mater vllo absque dolore non pareret? Quod si apes mellis, & ceræ naturam sine læsione floris colligunt; quid ni Dei verbum corpus & animam sine læsione detrimentove Mariæ virginis, quę flos est virginitatis, acciperet? Nos filij Adæ in peccato concepti, vt genimina viperarum viscera materna corrũpimus, dolorisq; quem patiuntur, causa sumus: secus Christus, qui suaptè natura sanctus, & sanctificator mundi genitus est.

Ridiculæ aliquot natiuitates ab incredulis creditæ recensentur.

Luc. 1.

Veneris ortus & appellatio.

Virginis partus expers omnis doloris cur fuerit.

Isai. 53.

Maria virgo quàm sit arbor bona.

Luc. 1.

Gen. 2.

Maria flos est virginitatis.

Peperit autem summo cum gaudio & lætitia, & vt scriptura ait, lætabunda & laudans. Ex quo Damasc. lib. de orthod. fide sic habet: *Nam quemadmodũ Eua sine commixtione ex Adam plasmata est, sic ista nouũ Adam lege partus in vtero tulit, quem peperit supra natiuitatis naturam. Natus est enim ex muliere sine patre, & ex patre sine matre. Et quoniã ex muliere, lege partus: quoniam sine patre, supra naturam natiuitatis: Et quoniam consueto in tempore (nam 9. menses complens, & decimũ attingens, nascitur) id fit lege partus. Quod autem sine dolore, supra legem partus est. Cuius enim voluptas nõ præcessit, neq; pariendi dolor subsecutus est, secundùm Prophetam dicentem: Antequam parturiret, peperit: antequam veniret partus eius, peperit masculum.* Hæc ille. Adhæc peperit sine obstetricibus, etiamsi aliter falsò doceat liber de infantia Saluatoris. Nã hoc aptè Hiero. in Heluidium testatur: *Sed absit, vt hoc* (inquit) *de matre Saluatoris, & viro iusto sit existimandum. Nulla ibi obstetrix, nulla muliercularum sedulitas intercessit: ipsa pannis inuoluit infantem, ipsa & mater, & obstetrix fuit.* Hæc ille, qui egregiè ex scriptura probat nullam obstetricem fuisse, quia ipsa ei officium obstetricum impendit, inuoluendo pannis, & recinando, &c. Deinde difficile erat, peregrinando sub mediã noctem, & in stabulo inuenire obstetrices eiusmodi quę puerperis inseruiũt. Non decebat etiã sacrosanctã & virgineam Christi carnem, profanarum atq; immundarum muliercularum manib. contrectari. Rursus quæ assistunt parturiẽti, ad releuandam debilitatem eius, illamq; consolandã id faciunt: at Maria nõ fuit debilis, sed fortis ac potens, & altissimis contemplationibus suspensa, atq; ardẽtissimis precibus inflãmata, flexis genibus, oculis in cęlum sublatis, sine nixu enixa est Saluatorem. Postremò mysteriũ hoc virginei partus, minimè eo tempore reuelari conueniebat: Si autem obstetrices adfuissent, fieri nõ poterat, quin videre potuissent, quòd illæsis virgineis claustris illa peperisset: *Sacramentũ enim regis abscondere bonũ est.* Sed loco illorũ videlicet adfuerunt Angeli, vt Aug. ser. de natiu. testatur: *Cùm iterũ*, inquit Paulus, *introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Cæteræ quippe mulieres prægnantes ante partum

Illa quam feliciter pepererit Christum.

Isai. 35.

Damasc. li. 4. de orthod. fide cap. 15. circa med.

Gen. 2.

Virgineo in partu quæ naturalia sint, quæ supra naturam.

Isai. 66.

Ibidem.

In eos qui sanctissimã Deiparam peperisse cum obstetricibus tradunt.

B. Hier. to. 2. initio.

Luc. 2.

II. argum. III. Luc. IV.

Obstetrices cur assistant parturiẽtibus.

V. argum. & vlt.

Tob. 12.

August. ser. de nat.

Heb. 1.

Psal. 69.

quidem timent, in partu verò debilitantur atque dolent, post partum verò languere solitæ sunt. Sanctissima verò Deipara timere non potuit, quæ in se habebat sanctificantem, Spiritum S. se obumbrantem & corroborantem; in partu verò dolorem nesciuit, quæ tot rationes gaudendi habebat, & exultandi tum de prolis maiestate, tum de conseruata virginitate, tum de generis humani salute, tum denique de Angelico iubilo atque cantu, Pastorumq; lætitia: edito verò partu minimè languit, quæ medicũ potentissimum, qui sanat oẽm languorem, ediderat. Hinc Propheta dixit: *Ipse tanquã sponsus procedens de thalamo suo, exultauit vt gigas ad currendã viam.* De matris verò gaudio in partu cecinerat Isaias: *Germinans germinabit, & exultabit lætabunda, & laudans: gloria Libani data est ei, decor Carmeli, & Saron: ipsi videbunt gloriam Domini & decorem Dei nostri.* Quæ verba, etsi de gentium conuersione ad literam dici videantur, habẽt tamen sensum suum etiam de partu virginis: maximè quia ante illa verba dicitur: *Lætabitur deserta, & inuia, & exultabit solitudo, & florebit quasi liliũ:* quæ quidẽ verba solitariam virginẽ, & ope viri in contemptu destitutã significare cõmodè possunt. Tum quia paulò post illam sententiã Prophetæ sequitur: *Deus ipse veniet, & saluabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt, &c.* quæ sanè verba de Christi aduẽtu, & signis magis congruunt partui virginis, quàm conuersioni gentium. Quartò, peperit filium Dei sine vlla immunditia, ac sordibus, vt ferè cæteri nasci solent, sed mundissimum, omniq; ex parte nitidum & elegãtem, solisq; iubare splendidiorem: secundinasque plicatas, atque inuolutas & mundas, ac seorsum positas.

Luc. 1. Quales ac quãtas sanctissima virgo de partu suo habuerit rationes gaudendi, atque lætandi.

Psal. 18.

Isai 35. Verba Isaiæ de gentilitate: Germinans germinabit, ad Virginem matrem aptè accommodari posse.

IV. Virginei partus cõditio.

Quare cautè legendũ esse verbum Hieronymi, censent quidã, vbi cruentum illũ de vtero matris exisse scribit his verbis: *Dei filius pro nostra salute hominis, factus est filius: nouem mensibus in vtero, vt nascatur, expectat, fastidia sustinet: cruentus egreditur: pannis inuoluitur: blãditijs delinitur: & ille pugillo mundum includens, præsepis cõtinetur angustijs.* Hæc ille: quod sanè per aliquẽ tropũ interpretari debet, vel saltem excusari in tãto doctore Ecclesiæ eo tẽpore loquente. Quanquã reuera non video quæ sit solida causa illius annotationis cautè legendi Hier. cùm constet Christum eo modo, quo cæteri cõceptum & cruentũ egressum de vtero matris, cùm etiã cruentatus suo sanguine e mundo hinc discesserit, & lotus à Ioseph & Nicodemo (vt testis est Chrysost.) sepulturæ traditus sit, & B. Bonau. li. meditat. vitæ Christi, c. 7. ex reuelatione facta cuidam fratri sui ordinis fide digno asserit: *Vbi primum natus est, matrem se inclinasse, eum q; recollegisse, & dulciter amplexatã posuisse in gremio suo, & vbere de cælo pleno, & Spiritu sancto edoctam cœpisse ipsum lauare per totum cum lacte suo, quo facto, inuoluisse eum in velo suo, & posuisse eum in præsepio.* Hæc ille. Etsi autem potuerit incruentus egredi, non sunt tamen miracula multiplicanda sine ratione. Epiphan. verò in hæres. 69. *Ex matre sola, ait, genitus est impollutè, & citra inquinamenta.*

Hieron. in epi. ad Eustoch. de virginit. *Ioruãda, 10. 1.* *Luc. 2.*

Hieron. sententiam de Christo nato cruento, non omnino reprehensibilem videri.

Infra 23. *B. Chryso. ho 84. in Ioan. à med 10. 3.* *B. Bonau.*

B. Epiph. contra Arian. inter med. circiter, & in

Illud etiam constat esse falsum, & planè ridiculũ, quod Caiet. in 3. p. D. Thom. annotauit, Christum infantem, cùm primùm edit' est in lucẽ, lotũ ab Angelis fuisse absq; vlla aqua, quod est officium obstetricis: nã B. Virginẽ haud decuit manus inficere, nec se in huiusmodi occupare, sed contẽplationi vacare. Sed profectò vanum est hoc cõmentum, & (vt dixi) ridiculum. Nam nec Christus, qui mundus totus natus est, lauari eguit, & vbi eguisset, ipsa sanctissima virgo suo officio ipsa satis fecisset, cùm simul esset mater & obstetrix: & sublimius multò fuisset tunc ministeriũ huiusmodi præstare quàm contemplationi vacare. Adde quod ministerium, opusve illud minimè cõtemplationem in B. Virgine impediebat.

Caietani dictũ de Christo infantulo ab Angelis loto, matre interim contemplationi vacante, refellitur duplíciter.

Amplius, quod attinet ad modum natiuitatis, refert B. Brigitta, virginem cum Ioseph, cùm primum applicuerũt Bethleem, cùm non inuenirent locum in diuersorio, in speluncã quandã, seu stabulum intrasse: ligatisq; boue & asino ad præsepe, quos secum adduxerant, Iosephum continuò ad candelã accẽdendã exiuisse: quã vbi muro affixisset, iterum egressus est. Virgo autem depositis calceamentis pedum suorum, & pallio albo, quo tegebatur, & velo capitis, sparsisq; crinibus, produxit panniculos laneos, & lineos mundissimos, quos secũ deferebat ad inuoluendum infantẽ: atque illa quidẽ genu flexa, & ad Orientem cõuersa, manibus & oculis in cœlum intentis, stabat quasi in extasi contẽplationis suspensa, inebriata diuina dulcedine. Cumq; pro partu in lucẽ edendo preces ardentes Deo obtulisset, illicò in momento & ictu oculi filium ante se editũ vidit: & in illo momẽto sensit B. virgo quasi dimidium cordis sui exijsse, ex quo tãtus fulgor prodibat & splẽdor, vt vix sol posset ei cõparari: lumenq; accensa lucernæ offuscatũ lucẽ minimè reddebat.

V. Conditio, circunstantiæve natalis Domini.

B. Brigit. l. 7. c. 21. *Luc. 2.*

Virginis ad partum apparatus.

Natus ergò iacuit in terra nudus, & nitidissimus, cuius carnes erant ab omni sorde & immunditia separatæ. Fuit etiam pellis secundina prope eum iacens, inuoluta, & valde nitida: auditus etiã fuit Angelorum

Christi infantis splendor, munditia singularis.

Luc. 2.

cantus,

cantus, mirabilem quandam suauitatem edens, atq; dulcedinem. Virgo ergò sanctissima postquam se peperisse sensit, filiumq; natum vidit, statim inclinato capite, iūctisque manibus, magna cum reuerentia & humilitate puerum adorauit. Dixitque illi: *Benè veneris Deus meus, Dominus meus, & filius meus.* Cumque puer præ frigore & duritia pauimenti vbi iacebat, non sine eiulatu & tremore paululū se verteret, & extenderet membra sua, quasi refrigeriū aliquod quærens, & fauorem matris, tūc Virgo sanctissima suscepit eum in manibus, & strinxit eum ad pectus magna lætitia, & materno ac tenero amore eum fouit, & calefecit; quem statim cœpit diligenter inuoluere, & reclinauit eum in præsepi. Et primum quidem gradum ex ventre fecit in terram nudam & frigidā, quasi ad nos veniret, sitiens pro nobis pati, & salutem nostram operari iuxta illud Prophetæ: *Sacrificium & oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi. Holocaustum, & pro peccato non postulasti: tunc dixi, ecce venio,* corpus scilicet ad sacrificandum gestās, in quo patiar gelu, famem, crucem. Sed ingressus Ioseph, & infantem cernens, prouoluit se in terram, genibus flexis eum vnà cum matre simul adorādo. Hæc idcircò recitare volui ex reuelationibus Diuæ illius, quod mihi valdè probabilia, & ad deuotionem excitandam accōmodata esse viderentur. Nam reuera constat, illos tardiusculè Bethleem applicuisse, & virginem sub mediam noctem peperisse.

Matris ad Christum mox natum verba.

Christi paupertas.

Psal.39.
Heb.10.

Ioseph, atque matris in Christum pietas, & reuerentia.

Porrò illa, quæ B. Virgo ante partum egit ad humilitatem, & reuerentiam infanti nascituro præstandam, egisse credendum est; quemadmodum ascensurus Moyses ad rubrū, legitur ex præcepto Dei calceamenta sua exuisse, quoniam locus ille, in quo staret, terra sancta esset. Panniculos verò tum lineos ad inuoluendum infantem necessarios illam tēpestiuè præparasse, secumque tulisse, sanctæ cuiusdam, summæque prudentiæ fuit. Preces verò ad Deū fudisse pro partu præstando, cùm ratione cōiunctum fuit. Nam sicut prece eius & supplicatione Christus est incarnatus, & ad preces eius primū miraculū edidit in nuptijs, & à morte est reuocatus ad vitam, & denique Spiritus sanctus super Apostolos descēdit, ita etiam eius precatione partus impetratus est. Nam quæ Deus aliquādo fieri definiuit, preces nostras nō excludūt, imò potius includunt. Orasse autē in hunc, vel similem modum verisimile est, nimirum: Manifesta æterne Pater thesaurum tuum in agro corporis mei absconditum, & pretiosam Margaritā in concha carnis meæ latitantem: reuela mundo imaginem tuam, vt te agnoscat: egrediatur de creatura creator omnium, ex paruo riuo fons magnus: ex vasculo figulus: ex ramo radix virgulti, ex palmite vitis vera: sol ex stella oriatur: sponsus de suo tabernaculo: ex nube mortalitatis sol iustitiæ: ex cētro infinita sphæra: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis,* in qua mundus videat factorem suū, Angelus Regem, & caput suum diademate humanitatis coronatum, peccator redemptorem: iustus iustificatorem: tribulatus consolatorem: Gentilis illuminatorem: Iudæus glorificatorem, damnatus iudicem: Ego humillima serua tua, tuum, & meum filium vnigenitum atque primogenitum.

Exod.3.

Virginis matris parituræ prouidentia.

Quibus precibus Virgo paritura, partum à Deo fœlicē impetrauerit,

Ioan.2.
Act.2.

Matth.3.

Qualis qualē virgo Maria filium peperit

Isai.53.
Ioan.15
Psal.18.
2.Cor.6.

Quomodo autem, aut qua parte corporis pepererit filium suum, curiosum est magis quàm vtile, inquirere. Et vt est in hostia indiuisibiliter, sic etiam indiuisè per punctum exiuit, vel per totum corpus, & non magis per vnam partem, quàm per aliam, vt inquit B. Brigitta; vel tantam partem vteri, penetrando dimensiones eius, sicuti & fecit, cùm è monumento egressus est; vel quomodo ingressus est ad discipulos ianuis clausis, vel ea ratione, qua cęlos penetrauit in ascensione sua. Quanquam Damascenus dicat lib. 4. c. 15. *Quemadmodum verò,* inquit, *qui conceptus est, virginem concipientem seruauit, sic & natus, ipsius virginitatem seruauit illæsam. Solum trāsiuit per eam, & clausam seruauit eam. Per auditum quidem conceptio, sed natiuitas per consuetum parentium egressum: tametsi quidam fabulātur per latus diuinæ matris ipsum editum fuisse, non enim impossibile illi erat per clausam portā transire, & illius non lædere signacula.* Hæc de ipsa Domini natiuitate dicta sint, nunc de tempore cōsideremus. Tempus natiuitatis fuit tempus edicti Cæsaris Augusti, quod qua ratione factum sit, superius est explicatū. Dies verò creditur fuisse Dominicus, vt ait August. li. 4. de Trinit. qui dies à nocte præcedenti, iuxta Hebræorum consuetudinem, sumit initium. Sub mediam verò noctem, vt communis est omnium consensus, editus est. Nam & Angelus missus est ad Pastores, qui custodiebant vigilias noctis: quemadmodum etiam, vti diximus, sub mediam noctem incarnatus fuit. Surgebant autem Patres media nocte ad confitendū Domino ob memoriam incarnationis, & natiuitatis illa hora peractæ, siue peragendæ. Natus est enim in nocte, ad significandum, mundū sepultum esse in densissimis ignorationis & peccati tenebris, & vt dixit Propheta: *Habitātibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis.* Natus est nocte Sol, vt nox dies fiat, tum vt insi-

Quomodo illa Christum peperit Virgo.

B. Brigitta in ser. Ang. c.15.
Matth.28.
Ioan.20.

B. Damasc.

Qua parte corporis secundū aliquos, illa Dominum ediderit.

Quo tempore & quo die Christus natus sit.

B. Aug. c.6. tom.3.

Psal.118.

Si noctu natus sit, quare.

Isai.9.
Matth.4.

insinuaret, in tenebris se quidé lucere, sed à tenebris non comprehendi: tum vt prospiceret malis & peccatis, quę nocte admittuntur: de quibus Apost. Rom. 13. Ephes. 5. Thessal. 5. ait: *Qui dormiunt, nocte dormiunt: & qui ebrij sunt, nocte ebrij sunt*; vt, *tantundem abijcientes opera tenebrarum, induamur arma lucis*: vt, *qui eramus aliquando tenebræ, nunc simus lux in Domino*: Tum vt ostenderet quodammodo se conniuere peccatis nostris, quasi illa nō videret, nec cognosceret: cùm tamen expectet nos ad pœnitentiam: Tum vt parceret materno pudori, quò securius & honestius id temporis pareret, alijs dormientibus: Tum, vt significaret secretas dulcedines contemplantium, quibus sese, vt paruulū offert nutriendum, vt auctum & confirmatum suis prædicationibus tandem aliquando prædicant: Tum denique, vt noctis perferret iniurias, quas multi hominum patientes nascendo, moriuntur.

1. Thes. 5. Rom. 13. Ephes. 5.

Cur hyberno tempore natus Dominus.

Tempus deinde anni elegit frigidissimū atque sterile, ad denotandum, quod mundus in maxima esset tunc frigiditate spiritus, & quo abundante iniquitate, refriguisset charitas. Adhæc tempus elegit, quo incipit nox minui, & dies crescere: vt innueret tenebras nostræ ignorantiæ recedere, & veritatis lumen appropinquare. Et hæc quidem de tempore. Locum verò elegit in primis Dominus terram Promissionis, quò illam esse veram terram à se promissam cum iuramento ipsi Abrahæ, non obscurè indicaret; in ea verò præcipuè ciuitatem Bethleem in natale solum sibi delegit, partim vt Michææ oraculum adimpleret, partim vt insinuaret in ea natum esse panem cœlestem: quem qui ederit, non morietur in æternum. Et pulchrè huic rei nomina ipsa conueniunt. Nam Bethleem, domus panis interpretatur, quæ alio nomine Ephrata dicuntur, quæ fructiferam, siue fertilem significat. Omnis enim animorū nostrorum satietas ex hoc vno Christo in Bethleem nato, tanquam vero pane dependet. Nam cùm ad edendum diuinitatis panem, illoque fruendum homo procreatus sit, qui ad vescendum tanto pane propter infirmitatem edentulus erat, diuinæ bonitatis artificium fuit, vt panis ille durus nostræ carni coniunctus, merum lac fieret, quod homo sugere commodè posset, atq; comedere. Adhæc veniebat Christus, vt vngeret hominum genus, vnctionisque suæ, & regni particeps efficeret, quemadmodum Samuel eò venit, vt vngeret Dauid in Regem, ideò iure locus in Bethleem lectus fuit.

Quare in terra Bethleem. Gen. 12. Mich. 5. Bethleem quid sonet. 1. Reg. 16.

In stabulo cur nasci Dominus voluerit.

In Bethleem verò elegit stabulum, non sine magnis rationibus (vt par est credere) atque illud in primis docere nos voluit, ipsum peregrinum in futurum fuisse, etiam in patria sua, & nos intelligeremus tātundem de nobis ipsis, atque diceremus cum Dauide: *Aduena ego sum apud te & peregrinus, sicut omnes patres mei*, &, *non habemus manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus*. Diuersorium, locus est, ad quem non habitandi caussa, sed ad tempus commorandi viatores diuertunt. Vnde verbum Græcum κατάλυμα alibi interpres vertit, refectioné vel cœnaculum. Vnde Luc. 22. dicitur: *Vbi est diuersorium meum, vbi pascha cum discipulis meis manducem?* quod cùm plenum esset hospitibus, haud erat idoneus locus parturiēti, quæ solitudinem ac secessum requirit. Deinde cùm diuersorium communis sit omnium locus, in quem, qui volunt, se recipiunt; ibi nasci voluit, vbi ipse omnibus expositus appareret, & vt ipse statim, quos amat, multos homines videre posset: & in loco communi, nempe stabulo, contiguo ipsi diuersorio pro omnibus natus est. Et quēadmodum extra portam passus est, & ex monte Olıueti extra ciuitatem Hierusalem sito, in cœlum ascendit, vt ostēderet se pro omnibus obtulisse mortem suam patri, & pro cunctis sequi eum volentibus, accepisse possessioné regni cœlestis: sic extra Bethleem publico in loco à matre genitus est, vt pro omnium salute se in mundū per natiuitatem à Deo missum ostenderet. Adhæc, diuersorium publica erat domus, in qua sæpè multa est licentia, multiq; deprauati mores, & corruptelæ interdum regnant; admonere nos voluit, publicorū vt hospitiorum curā geramus, vt sine crimine sint, dignaque fiant, vt Christus in eis recipiatur. Et quia dicitur: *Non erat ei locus in diuersorio*, indicauit, in his ferè vsu venire, vt postremus locus sit Christo. Indicat etiam animā ineptam esse ad Christum edendū, quæ fuerit diuersorium, id est, quæ fuerit domus patens cunctis dæmonibus ad flagitium sollicitantibus atq; impellentibus, omniumq; virorum receptaculum. Ostendit propterea nos in hoc mundo tanquam in diuersorio quodā degere, ne hic ædificemus, sed fide expectemus, nos è diuersorio in patriā nostram ituros aliquando; ita vt si hic ędificemus, in alieno fundo ad cōmodum transeuntium ędificemus propter Christum. Ac ne in diuersorio quidē erat eis locus, vt citò migrādum intelligamus.

Psal. 38. Heb. vlt. Diuersorium quid. Luc. 22. II. Ratio. Hebr. 13. Act. 1. III. Ratio. In eo quòd nō erat Christo nato locus in diuersorio, edocemur tria.

Cur aliud Domin. hospitiū non egerit, vt poterat

Dices: Cur Christus hospitij gratia, non adijt alias domos & hospitia: cùm Apostolis ipse præcepturus esset, vt in domum dignioris intrarent. Fortasiis quòd occupatæ

essent ab alijs: & quia Ioseph pecuniã portabat, quam ferre Apostolis interdixerat. (Matth. 10.) (IV. Ratio.) Adhæc, elegit stabulum, cùm non esset locus in diuersorio, tum ex humilitate, vt sederet in vltimo conuiuij loco, quò pater ei cœlestis deinde diceret: *Amice, ascende superius.* (Luc. 14.) (Isai. 53.) (Psal. 21.) In cruce etiam nouissimus fuit virorũ, vermis, & non homo; opprobrium hominum, & abiectio plebis: propterea primus factus est, & dominus omnium cõstitutus; (Philip. 2.) cui meritò omne genu flectatur, cœlestiũ, terrestrium, & infernorum: tum quò indicaret, vitam nos animalem, iumentorumve agere, iuxta illud: *Homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* (Psalm. 48.) animo enim & corpore inseruimus nostris affectibus, & nihil à bestijs ferè distinguimur, nisi quod illis carere vsu rationis non datur vitio, sicut nobis.

(Idem quare in præsepio reclinatus.) (Psal. 103.) In stabulo autem mundiorem locum elegit Christus, id est, præsepe, vt innueret, se sumpsisse carnem à sanctiore muliere, quæ fuerit vnquam, aut esse potuerit. Postquam ergò natus est panis Angelorum, & cibus factus est hominum, & iacet in loco animalium, superest vt animalia fauore diuinæ gratiæ huius infantis nunc primum nascentis merito partę, ex irrationabilibus fiant rationalia; ex carnalibus spiritualia; ex immundis sancta & mũda. Cibus quippe iumentorum, fœnum est: at vt Propheta dixit: *Omnis caro fœnum; Verbum autem caro factum est.* (Isa. 40.) (Ioan. 14.) (V. ratio Christi nati in stabulo) Nasci deinde in stabulo pertulit: vt quemadmodum in priore beatitudine paupertatem, vitam esse docuit regni cœlestis: ita hoc suo primo in mundum ingressu illam consecraret, nobisque amplectendã esse monstraret. (Diuitiæ quatenus malæ sint.) Etsi enim paupertas, sicut & diuitiæ, ex genere bonorũ mediorum, atque indifferentium sit, vtpote quibus benè & malè vti cõtingit; posita tamẽ infirmitate ex peccato originis relicta, quæ bonis temporalib. satiari nequit, quia: *Crescit amor nũmi, quantũ ipsa pecunia crescit:* (Iuuenal. Satyr. 14.) prętantior & expeditior via est ad salutem consequendã paupertas, quàm diuitiæ. (Matt. 11.) (Luc. 4.) (Isai. 61.) Ex quo pauperes dicuntur euangelizari: & se ad prædicandũ pauperibus à Patre missum esse, Dominus testatus est: quoniã quemadmodum lignũ aridum citiùs inflãmatur quàm viride: ita pauperes citiùs acceptant Euangelium, quàm diuites. Pauper ergò venit Christus, vt pro nostro diuitiarum insaturabili appetitu satisfaceret, & vt illius inopia, vt Apostol. ait, nos diuites essemus. (2. Cor. 8.) (IV. Ratio.) Qui enim tutò nos esse possemus diuites, si pauper ipse factus non esset, itaque sanctificasset nostras eleemosynas tãquam in se ipsum collatas? Tum etiam, vt expertus paupertatẽ misereri nostrũ magis posset, & cõpati nostris infirmitatib. vt Heb. 4. Apostolus docet. (Heb. 4.) (VII Ratio.) Item, vt exemplũ paupertatis vtiliter sustinendæ præberet, & pauperibus & diuitibus: quia nemo habet cuncta quæ vellet, & omnes à Deo mendicant: & ipse donat spiritum regendi ac moderandi diuitias; ne ipsum regant, ne cogamur illis inseruire: vt possimus cum Paulo dicere: *Scio abundare, & penuriam pati:* (Philip. vlt.) (Quando cum Apostol. sciamus, & abundare, & penuriam pati.) quod tunc nobis contingit, cùm paupertatẽ, qua premimur, vel, quibus vtimur, diuitias efficimus arma, atq; instrumẽta iustitiæ. Prętcrea paupertatẽ amplecti voluit, quandoquidẽ tanto mundus in errore versabatur, vt eos, qui se de ijs rebus, quæ ad saluẽ spectant, commonefacerent, ad necem vsque persequeretur: ideò nascitur nihil habens, (VIII. Ratio. electi status à Christo in locum suæ natiuitatis.) nihilq; volens, qui mundum apertè posset arguere, nihil ab ipso sperans, nihil ab ipso timens. Instruens suo exemplo concionatores, vt tales sint, qui nihil mundũ timeãt, nihil ab ipso sperent: sic enim magna charitate mundum vel inuitum sanare poterat.

(IX. ac postrema ratio.) Deniùm pauper voluit esse, ne diuitibus redderetur suspectus, quòd eorum bona videretur velle occupare: cum tamen ille, vt suas nobis diuitias cõmunicaret, venerit, non vt nostras mortales opes eriperet: vt pauperes quoq; suæ conditionis consolaretur: nam pauperum maior est multitudo, quàm diuitum: vel potiùs quia omnes pauperes sumus, nihilq; habemus omnes, & quotidie de manu Domini accipimus, quæ necessaria sunt. (Pauperum in quo melior sit conditio, quã diuitum.) Quanquam excellant pauperes in hoc diuitibus, eorumque propterea melior sit conditio, quòd magis cogantur agnoscere se esse pauperes, nam id non tam facilè agnoscit diues. Atque hæc dicta sint contra eos, qui Deo tantùm diuites esse curæ arbitrãtur, paupertatem autem pro peccato & re abominabili habent: ideò ne in illam incidant, ad mendacia, incantationes, cędes, furta, luxuriam conuertuntur: qui verò respiciũt ad Iesum, habent illã pro re gratissima & amabili, nimirum quam amplexus est Dei filius.

(Quare Christus extremæ statum paupertatis non elegerit.) Sed cur non extremam paupertatem & inopiam pati voluit, vt nasceretur, & habitaret sub dio, & vt mater non haberet fascias, atque panniculos, quibus eum inuolueret? Dicitur ad hoc, Deum non damnasse Adam ad talem paupertatem: quare & pellibus eum induit, & bona terræ, suo tamen sudore comparanda ei contulit. (Gen. 3.) (Ibidem.) (Matth. 27.) In hanc ergò venit Christus: maiorem autem illam pro delictis grauioribus in cruce sustinuit, vbi pro omnibus nobis singulis

nudus,

nudus,& sub dio satisfecit.

Dices rursus: Quomodo satis pro nobis fecit,si nobis adhuc est ferenda paupertas? Respondeo,eodem modo, quo mors ipsa, cuius paupertas est satelles. Vt enim illa debellabitur non fugiendo,sed resurrectione vincendo,vt Apostol. docet. Iterum ferenda est mors, & per spem resurrectionis infringenda: sic paupertas deuicta est à Christo & triumphata, non vt nos illam effugiamus, sed vt rectius, ac maiori cum merito toleremus,vt quod erat pœna à iudice inflicta,nunc sit paternum flagellum, humilitatis exercitium, testimoniũ fidei, meritum charitatis.

Idem cur & nos pauperes esse voluit,qui pro nobis satisfecit.

1.Cor.15.

Quod ad miracula verò attinet,quæ hanc Christi natiuitatem consecuta sunt,quæ omnium signorum est maximum, & summum(nam duo admiranda, & supra omnem cursum naturæ in se continet, nempe Deum hominem factum & natum; deinde virginem peperisse)multa circumferũtur: quorum quædam testimonijs fide dignis commendantur. Tradit Euseb.Cæsar. in Chronico, Romæ è taberna meritoria in Transtyberina regione ex terra oleum erupisse,fluxisseque toto illo die sine interuallo,Christi gratiam gentibus communicandam portendens.Et quòd natus esset ille, qui vnctus erat oleo præ consortibus suis.Narrat Orosius li.6.c.22. sub initium, Augustum Cæsarem eadem die mandasse, ne quis se Dominũ deinceps vocaret; quasi diuinantem, verum Principem orbis terrarum,ac mundi totius dominum natũ esse.Suidas in verbo, Augustus Cæsar, & Nicephor.Callist.lib.1. cap.17. scribunt Augustum Cæsarẽ facto sacrificio Hecatombes, interrogasse Pythium Apollinẽ,quis post se administraturus esset Imperium:& cùm nullum daretur responsum,rursus altero sacrificio illum vrgebat,vt responderet quid esset in caussa, vt qui aliàs multis verbis vti soleret,nunc obticuisset. Tunc in hunc modum respondit tribus his versibus Græcis:

Ortus Christi seruatoris quot signis, & miraculis, quàm magnis, decoratus extiterit.

Euseb. tom.2.

Psal.44.
Hebr.1.
Paul.Oros.

Suidas.
Niceph.Cal.

Pythij Apollinis responsum ad Cæsarem August.

Παῖς Ἑβραῖος κέλεταί με θεὸς μακάρεσσιν ἀνάσσων,
Τὸν δὲ δόμον προλιπεῖν τε καὶ ἄϊδος αὖθις ἱκέσθαι.
Λοιπὸν ἄπιθι σιγῶν ἐκ βωμῶν ἡμετέρων.

Me puer Hebræus,diuos Deus ipse gubernans,
Cedere sede iubet,tristemq; redire sub Orcum:
Aris ergò dehinc tacitus abscedito nostris.

Tunc,tali respõso accepto,Cæsar Romam est reuersus,atq; ibi in Capitolio aram maximam extruxit cum huiusmodi latina inscriptione: ARA PRIMOGENITI DEI. Alij verò scriptores, vt Innocentius III. serm.2. de natiuit.Domini, & Antoninus 1 part.hist.tit.4.cap.6. tradunt Augustum Sibyllam consuluisse; num in mundo aliquis eo maior futurus esset.Eo autem die, quo Christus in Iudæa natus est,Sibilla circulum aureũ Romæ iuxta Solem vidit, in quo virgo pulchra residebat, quæ speciosum infantem in gremio gestabat:quod illa Cæsari Augusto indicauit, & Regẽ ipso potentiorem natum esse aperuit. Auditaque est vox dicens:*Hæc est Ara cœli*:quo nomine illa Ecclesia est insignita, cùm prius esset palatium Octauiani, quod erat in Capitolio. Huius etiam rei meminit Orosius his verbis: *Cùm primum*,inquit,*Caio Cæsare auunculo suo interfecto,ex Apollonia rediens;vrbem ingrederetur hora circiter tertia,repentè liquido ac puro , serenoq; die circulus ad speciem cœlestis arcus orbem Solis ambijt, quasi eum vnũ, ac potentissimum in hoc mundo, solemq; clarissimum in orbe monstraret, cuius tempore venturus esset,qui ipsum Solem solus , mundumq; totum, & fecisset,& regeret.* Hæc ille. Templum Pacis funditùs corruit, siquidem Romani pro pace perfecta, quæ toti orbi sub Augusto imminebat, templum Pacis ingentis molis,& fortissimũ construxerant: de quo consulentibus Apollinem, quamdiu esset duraturum,Responsum fuit:*Quousque Virgo pariet*.Quo audito,lætati sunt, arbitrãtes illud impossibile esse, ac per hoc æternum futurum credentes, quia nunquam Virgo esset paritura:propterea ianuis eius insculpi iusserunt:*Templum pacis æternum*. Ipsa tamẽ nocte,qua Virgo peperit Saluatorem, funditus corruisse fertur: & in Ægypto in templo Isidis aram dicatã cum inscriptione:*Virgini pariture*: alteram similem aram in Gallia Carnuti tempore Druydarum fuisse,quidam scribunt. Certè Epiphanius in vita Hieremiæ Prophetæ ait: *Idem Propheta sacerdotibus Aegypti signũ exhibuit,dicens, oportere olim cuncta eorum simulacra cõcidere, simulq; manu omnia facta præcipitari. Vbi Aegyptũ ascendet cum suo infante Virgo enixa, Deo similis*.Hæc ille.Ideò fortè extruxerunt illam aram Virgini pariture. Hæc ab Innocentio III. dicto sermone,& historia scholastica traduntur,lib.Euangelicæ historiæ, cap.5.Sed certè si veritatem amamus, cùm templum Pacis opus fuerit Imperator.Vespasiani,vt testes sunt Suetonius in Vespasiano cap.9.& Plin.lib.36.cap.15. minimè tempore Christi corruere potuit,vt isti tradunt. Plerique verò hora illa Natiuitatis tradunt ex B.Hieronymo omnes infames infando Sodomiæ vitio obnoxios, fuisse interfectos, quemadmodum eadem etiam hora omnes primogeniti Aegypti ab Angelo percussi sunt. Mihi certè diligenter inuestiganti scripta Hieronymi,locus non occur-

Ara per Cæs. August.Romę erecta, qualis.

Innoc. III.

B.Anton.

Oros.lib.6. cap.20.

Alterum Apollinis respons de tẽplo pacis.

Aræ sub ortũ saluatoris varijs locis erectæ,quæ.

D.Epiph. prope fin. operis.

Templum pacis Romæ à quo extructum fuerit.

Quàm probabile videatur Sodomitas nocte natalis Domini omnes interijsse.

Exod.12.

occurrit: à ratione tamen minime est alienum, eos malè perijsse, qui naturam humanam, quã Christus cohonestare, & illustrare venerat, tantopere dedecorabant, atque obscurabant. Sunt etiã, qui scribant, vineas Engaddi illa nocte floruisse, Christumque veram vité venisse, testatas fuisse. Siue hæc autem vera sint (vt probabile est, esse) siue falsa; hoc indubitatum debet esse, maxima & admirãda signa atq; prodigia Christi ortum, & præcessisse pariter, & consecuta fuisse, maiora etiam, quàm fuerint illa, quę in natiuitate Præcursoris, & in ortu B. Virginis contigerunt: qua ratione maior splédor est orientis Solis, quam vel Auroræ præcedentis, vel Luciferi: constat autem, Ioanné fuisse Luciferum, Mariam Auroram, Solem verò ipsum Christum. Atque hæc quidem de miraculis.

Ioan.15.

Christi, quàm Præcursoris, aut Virginis matris ortus quanto gloriosior.

Luc.1.

Ad postremum, verba illa ponderanda sunt: *Et pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio: quia non erat ei locus in diuersorio.* Etsi Græca litera habeat, *eis*, mihi tamen Latina lectio, quæ legit in singulari, *ei*, magis placet. Christus enim, quo grauida erat B. Virgo, impedimentum præbuit, quò minùs in diuersorio locum haberent. Itaque ab eo tempore cęperunt tam B. Virgo, quã Ioseph, pati propter Christum: & omnes, qui grauidi sunt Christo, in mundo hoc, locum partus nõ habent, & pati ꝓpter Christum debent. Verbum: *Pannis eum inuoluit,* Græcè est vna tantùm dictio, ἐσπαργάνωσεν, quod est dicere, fasciauit, siue fascijs inuoluit; ne quis cogitet, laceros ac vetustate detritos, atque immundos pannos. Nam superiùs, vt ex B. Brigitta citauimus, lineos & laneos panniculos mundissimos attulit, vtpote futuri partus conscia. Ac quemadmodum B. Virgini tribuenda est paupertas, sic ab ea remouendæ sordes & immunditiæ. Si enim, vt B. Bernardus prudenter dixit: paupertatem semper dilexi, sordes nunquã: quid de sanctissima Virgine cogitandum est, quę omnis puritatis & mũditię quidam veluti fons est? Omnia autem nostra tametsi delicata & pretiosa, quid aliud sunt, si cum verbo incarnato conferantur, & quàm rudis & vilissimus pannus? Dominus autem humili atq; plebeio habitu personæ suæ, regiam dignitatem dissimulauit ac texit, vt sago illo in bello cõscisso appareret aurea vestis diuinitatis suæ. Hanc pœnam pro nobis suscepit filius Dei, vt cùm similia accidunt nobis, non putemus nobis iratum, sed potius placatũ Deum per Christum. Quare etsi mundus nos Deo charos ob has calamitates non existimet, confidamus tamen apud Angelos Dei, & pastores

Hæc lectio: Quia non erat ei in singulari locus in diuersorio, quàm commoda.

Quibus pannis mater Christum inuoluerit infantem.

D. Brigit. in lib. 7. c. 21. & 22. & 25.

Virginis matris puritas atque mũdities.

Christi humilitas & paupertas, quid doceat nos.

aliquos esse in honore nostras calamitates & miserias, esseque pro gloria Dei, & pace nostra.

Sed cur non est natus fortis, vt fascijs nõ indigeret? Certè, vt ferret & sanctificaret nostram infirmitatem: vt exemplũ daret se nostra cura, nostroq; auxilio indigere, eoq; velle vti, atq; ita se à nobis beneficijs velle obstringi: vt dulciter ipsum amare inciperemus: vt in omni ętate ipsum ante oculos haberemus, neq; improuisus appareret, sed simul nobiscũ aleretur, & cresceret in virum perfectum. At inquies: Si affuissem Christo, magnum certè honoré illi impédissem. Credo, si eum agnouisses: nam alioqui idem egisses quod alij. Quare si nũc credis, en expositus tibi est Christus in pauperib. & infirmis: ibi te exerce. Hoc si non credis, detecta est incredulitas tua: sancti enim viri in sordibus plerunque esse deprehenduntur. Nam Deus contemptibilia huius mundi & humilia elegit, vt confundat ea, quæ in oculis mũdi sunt magna. Accusa ergò tuam infidelitatem, & fidem pete. Pãnis etiam inuolui Christus voluit, vt indicaret vilem abiectamq; humanitaté, cui ex amore coniungi sibi placuit. Vt doceret quoq; verbi Dei præcones simplicibus, mediaq; de plebe depromptis verbis, quasi pannis quibusdam inuoluere, & euoluere Euangelium iuxta verbum Apostoli: *Non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, &c.* Adhæc, vt doceret nos libenter pati pannos, ac pauperiem, quibus inuoluamur, & impediantur carnis nostræ actiones, vt ad diuina simus expediti, atque nos, in quã velit partem, adducat. Et si quidem in ijs pannis delinquimus, ipse nos absterget à sordibus nostris, vt mater infantem suum. Vbi verò Spiritu suo impleti creuerimus, soluet nos ad præclaras suas actiones. Quæ dicta sint propter eos, qui dicũt: Postquàm in religionem sum ingressus, graues patior tentationes, & interdum pecco. Ne dubita, Dominus absterget sordes tuas: & peiora, mihi crede, extra regulam tu admitteres. Cùm igitur in paupertate sumus, aut infirmitate, aut in religione arctati atque constricti nobis videmur, ne ad vindictam aut ad quoduis aliud scelus atq; flagitium prosiliamus: putemus esse ibi Dei fascias, qui nouit quid nobis expediat, expectemusq; ac oremus, donec facultaté ipse impertiat bene operandi, vel alios, vel ad id præstandum ducat. Et quomodocunq; nos tãdem liget Deus, & vinciat, efficiamur erga illum tanquam simplices infantes, eiusque lacte vitali nutriamur atq; pascamur. *Et reclinauit eũ in præsepio.* Locum vilissimũ elegit, eò quòd

Cur fascijs inuolutus Dominus maiestatis.

Christum in quibus agnoscere possimus & honorare.

1. Cor. 1.

II. Ratio.

Quibus verbis in Euangelio proponendo concionatores vti debeant exẽplo Christi.

Infra 2.

III. Ratio.

Infans Iesus fascijs inuolutus, adstrictusque, quale nobis documentum præbeat.

Isai.1. Bouem & asinum, cur Ioseph secum adduxerit.

quòd ipse sit, qui locum nobilitat, alioqui sordidum & vilem. In præsepi enim omnia sunt vilia visui, ingrata auditui, olfactu molesta, gustui insuauia, atque tactui dura ac aspera. Erantque ibi bos & asinus iuxta Isaiã, & ecclesiasticã picturã. Asinum enim, ad gestandam prægnantem Mariã, Ioseph secum adduxerat: nec .n. par erat, puellam teneram, vicinamq; partui, pedibus illud iter emetiri, nisi sine causa velim' multiplicare miracula. Bouem verò, aut ad expẽsas itineri suppeditãdas, aut ad censum Cæsari persoluendum secum ducebat: vt nonnulli pij Doctores meditantur. Tradit etiam Nicephorus Callist. exegisse Mariam & Ioseph per 40. dies in Bethleem, propter eã, quæ tum ipsis erat, substãtiam & possessionem, quam fortassis dotis nomine à Ioachimo ciue Bethleemita, parente virginis, Ioseph acceperat. Natale porrò Regum & Principum nihil habet admirationis: quid enim mirũ nasci in palatijs aureis, in mollibus & eburneis lectis, in summis denique delicijs, & in summa rerum omnium copia & abundantia? At hoc est verè admirandũ, Dominum cœli, & Regem Regum nasci in præsepi. Reclinatus ergò in præsepi est, vt implerentur Prophetiæ: primum quidem Habacuc dicentis (iuxta lectionem LXX.) *In medio duorum animalium cognosceris.* Deinde verò Isaiæ: *Cognouit*, inquit, *bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui; Israel autem me non cognouit, & populus meus non intellexit.* Quæ verba, etsi simpliciter de eiusmodi iumentis exponi possint, quæ & dominos agnoscunt suos, & præsepia, in quibus pabulum suppeditatur: atque in hoc, vt deteriores reprehendantur Iudæi, qui Dominum, creatorem, & pastorem suum ignorarunt, vt Basil. atq; Hieron. exponunt: tamen reuera prophetica eiusmodi verba sensum de Christi natiuit. capere possunt: quam cùm Herodes, Sacerdotes, Scribę atque Pharisęi ignorauerint, animalia tamen illa Christum fouendo quodammodò dici possunt agnouisse. Nam hac ratione ad redarguendam impietatem Balaam, introducitur asina loquens, & cum eo expostulans. Hieron. quoque similem querelã format, ait enim: *Miluus in cœlo cognouit tempus suum: turtur, & hirundo, & ciconia custodierunt tempus aduentus sui; populus autem meus non cognouit iudicium Domini.*

Niceph. lib.1. c.13. init.

Puer Iesus cur in præsepi reclinari voluerit.

Habac.3.

Isai.1.

Basil. in Regul. fusiùs disputat. int.2. circa med. to.2.

Hiero. in cap. Isa.1. tom.5. init.

Num.22.

2.Pet.2. & Iudæ.

Hierem.8.

Orig. hom. in Luc.13. in fin. tom.2.

Et Origenes in Lucam loquens de Christo iacente in præsepio, sic exponit: *Illud* inquit, *erat de quo Propheta vaticinatus est, dicens: cognouit bos possessorem suũ, & asinus præsepe Domini sui. Bos animal mundum est; asinus animal immundum. Cognouit asinus præsepe domini sui Non populus Israel cognouit præsepe domini sui, sed immũdum animal ex gentibus.* Audi quoque Gregorium Nyssen. ser. de sancta Christi Natiuit. pulchrè de his animalibus philosophantem: *Præsepe*, inquit, *rationis, atq; sermonis expertium animalium domicilium est, in quo sermo nascitur, vt bos agnosceret possessorem suũ, & asinus præsepe domini sui. Bos subditus legi, asinus oneribus portandis destinatũ animal, quod peccato simulachrorum cultus oneratum atq; grauatum est. At brutis quidem conueniens cibus, & victus gramen ac fœnum est. Qui producit enim gramen, & fœnũ pecoribus, inquit Propheta: rationale autem animal pane nutritur. Quamobrem idcircò præsepio, quod est habitaculum brutorum, is, qui de cœlo descendit, panis vitæ proponitur, vt etiã bruta rationali inuicem sumpto cibo, rationem adipiscãtur. Medius igitur inter bouem & asinum in præsepio vtriusque Dominus est, vt soluto interstitio sepis, ambos in sese creet in vnum nouum hominem: & ob hoc, graue iugum legis auferat, & illum simulachrorum cultus onere leuet.* Sic ille bonus pater. Verba hæc etiam de Christi natiuit. interpretatur in Lucam Ambros. hoc modo: *Quia in pannis est, vides, quia in cœlis est non vides. Infantis audis vagitus, non audis bouis dominũ agnoscentis mugitus. Agnouit enim bos possessorem suum, & asina præsepe domini sui. Imò præsepiũ dixerim, sicut dixit qui transtulit. Nihil enim apud me distat in verbo, quod non distat in sensu. Nam si orator (Demosthenem intelligit) illorum qui phaleras sermonum sequuntur, negat in hoc fortunas positas esse Græciæ, hoc, an illo verbo vsus sit, sed rem spectandam putat: si ipsi philosophi eorũ, qui totos dies in disputatione consumunt, minus Latinis, & receptis vsi sermonibus sunt, vt proprijs vterentur: quantò magis nos negligere verba debemus, spectare mysteria, quibus vincit sermonis vtilitas, quòd operum miracula diuinorum nullis venustata sermonibus, veritatis suæ lumine refulserunt? Deniq; asinam irrationabilem nõ succo deliciarum, sed succo naturalis alimoniæ præsepia sancta pauerunt. Hic est Dominus, hoc præsepe, quo nobis diuinum mysterium reuelatũ est, irrationabiles gentes pecudum intra præsepia more viuentes, alimoniæ sacra vbertate pascendas.* Hæc ille: quæ non modò locum Prophetæ de ortu Christi explicãt, verum etiã (quod diximus) mentionem facit de pannis verborum vilium & humilium, quibus exponendum est Euangeliũ. Atque ita de more in mysterio natiuitat. bos, & asina depingi consueuerunt. Vtrumq; autem animal est rude atque simplex. Nimirum ipse Dominus dixit: *Abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* Et qui olim inquit: *Non arabis in boue simul & asino:* eos nunc coniunctos natiuitatis suæ voluit esse

Isai. 1. *Gregor. Nyss.*

Bouis & asini allegoria perpulchra.

Psal.103.

Ioan.6.

Ephes.2.

Matt.11.

Ambros. li.2. in Luc. c.14. à med. to.5. init.

Ambrosio nihil distat in verbo, quod non distat in sensu.

Quibus verbis exponendum sit Euangeliũ.

Quibus reuelet sua abscondita Deus.

Matth 11.

Deut.22.

innuendum, filium Dei ęqualem Patri, per assumptionem humanæ naturę factum esse hominem: de quo Apostolus: *In similitudinem hominum factus, & habitu inuentus, vt homo.* Redijt ergò Deus per incarnationem ad finem suum: quemadmodum in horologio Achaz sol retro cessit per decem lineas. Significatur præterea per literã, m, quæ finit, & claudit, mater Messię humillima, quæ Maria dicitur, & per virginitatem fuit: quę per incarnationem exaltata est ad dignitatem matris Dei. Litera etiam, m, apud Hebræos in numeris ponitur, vt significet 600. & totidem anni à quibusdã ex nostris feruntur fluxisse à tempore huius prophetiæ vsque ad incarnationem.

Philip. 2.

4 Reg. 20. Isai. 38. Literæ M. secundum mysterium.

Hoc autem commentum de 600. annis, qui fluxerunt ab illa prophetia vsque ad partum virginis, firmum & solidum esse non puto. nam ab Ezechiæ Regis tempore vsq; ad incarnationem interfluxerũt anni supra 760. Ascendit autem Ioseph cũ Maria, quæ simul est professa, quia mulierum quoq; scribebatur nomẽ, vt diximus; & quia vxorem prægnantem minimè secũ duxisset, nisi & ipsa profiteri cogeretur. Et hoc insinuatur ab Euangelista, dum ait: vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore pręgnante. Et durũ est verbum, cum desponsata sibi vxore, referre ad verbum superius, ascendit, & non potius ad proximum, vt profiteretur. Illa etiã ascendit loci partus conscia, tum per significationẽ Angeli, tum per Michęam Prophetam, tum ne solatio viri destituta, ac ministerio pareret, aut proles proinde vt spuria reprobaretur, quæ tamen ad tẽpus vt filius Ioseph erat habẽda; nolebat etiam vterq; alijs esse offendiculo, vel ille relicta vxore grauida, vel illa viro destituta pariẽs alios offendere. Debent autẽ mulieres, viros suos peregrinantes consectari, si longa sit peregrinatio, & separatio viri ab vxore pariat scãdalum, ideò Sara sequuta est Abraham. Dicitur autẽ vxor despõsata quidem per verba de præsenti, vt diximus sæpè; vxor verò nondũ cognita, nec cognoscenda vllo modo, prægnans verò de Spiritu S. Et in Nazareth Galilææ, id est, in flore bonæ voluntatis concipitur Christus: & in Bethleem Iudæ, id est, opere Deum confitente, nascitur Christus. Est autẽ opus cibus, & panis, quemadmodũ ipse dixit: *Meus est cibus, vt faciam voluntatem eius, qui misit me, vt perficiam opus eius.* In Hierusalem verò patitur: quia peregrinus est non habens locũ permanentem. Cadit verò hic flos Christi in Hierusalem, coquiturq; panis, vt in visionẽ pacis ducat. Et concipitur, accepto flore verbi; nascitur autem, cùm panis, qui de cœlo descendit, nos nutrit; patitur, cùm pro eo patimur, & tendimus ad pacem. Tempore verò professionis nascitur: quia profitens, ac confitens Christi imperium, quiescit à tributo dæmoni vltra pendendo: *Factum est autem; cùm essent ibi, impleti sunt dies, vt pareret.* Insignis Bethleem patriæ suæ ingratitudo erga Christum: quę locum principi suo Christo, qui illam tanto ortu suo illustrauit, non dedit: vt perinde meritò fuerit punita in filijs suis à bimatu, & infra propter Christum. Nam per quæ quis peccat, per ea & punitur: & qua mensura mensi fueritis, remetietur & vobis.

Cur Ioseph cũ Maria simul ascenderit.

I. Ratio. Mich. 5.

Luc. 5.

II. Ratio.

Nazareth Galilææ, & Bethleem Iudæ, quid significẽt.

Ioan. 4.

Christi in Hierusalem pariẽtis mysterium. Heb. 13.

Infra 6. Professionis tempore Christus cur natus.

Matth. 2. Infra 7.

Rectè dicitur: *Impleti sunt dies, vt pareret;* quò explicaretur, verũ esse hominem eũ, qui nasceretur: Qui cùm prius supra omnia tempora esset, & æternitate tantùm posset mensurari, iam homo factus tempori, & diebus cœpit esse subiectus. Prædixerat Propheta, Messiam nasciturũ in Bethleem Iudæ: Cumq; Maria & Ioseph in Nazareth & Galilæa habitarent, diuina prouidentia exijt edictum Cæsaris Augusti, quo cogeretur Maria à Nazareth venire in Bethleẽ, edictum natiuitatis locum, atq; in eo eniti filium Dei: quod quidem edictum non debuit, vel anticipari, vel prorogari, vt in Bethleem fieret partus: vt intelligas verum esse, quod ait Dominus per Prophetã: *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.* Erant ergò ibi expectantes, vt scriberentur: nam pauperes diu solent, præsertim à magnis Principibus audientiam expectare, quàm etiã interdum miseri non assequuntur. Et quia dicitur: *Factum est, cùm essent ibi:* innuitur illa nocte, qua Virgo peperit, in Bethleem non applicuisse, sed paulò ante. Quod ex eo etiam confirmatur: quia cum media nocte Dominicæ diei sequentis pepererit, die pręcedenti, id est, Sabbathi iter cõficere lege prohibiti haud potuerũt: necessariò igitur est dicendũ, ante diẽ Sabbathi illos peruenisse Bethleem; & tamẽ tanto tempore nequiuerũt hospitiũ inuenire.

Cur de Maria dictum sit: impleti sunt dies vt pareret.

Mich. 5.

Quo Dei consilio exierit edictum à Cæsare Augusto.

Isa. 46.

Ioseph & Maria Bethleem appulerint quando. Gen. 12. & 20. & seq.

Sed quidnam (rogo) mysterij est, vt dum exigitur professio, Maria interim Christum pariat? Credo diabolum voluisse petere virginem, vt eam redigeret in ditionẽ suam, eò quòd & ipsa ex parentibus sit orta peccatoribus, at illa è cõtrario purgat sese, aitque: Aliud mihi negotiũ est, aliò vocor à Deo: nolo profiteri sub te: ego paritura sum mihi salutẽ: tu in alios prosequere iura tua. Ego enim excepta sum, & quidẽ iusta de caussa, nempe necessitate pariendi Iesum: *Et peperit filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio;*

Mariæ professionis tempore Christum parientis mysterium.

pio; quia non erat ei locus in diuersorio. Vbi in primis nota: quòd sicut natiuitas Domini nostri citra omnem fastum mundanū contigit, ita B. Lucas omnem verborum lasciuiam atque pompam, in describenda ipsa natiuitate vitauit. Quis enim non videat, quàm simpliciter tam mirabilem rem describat? *Peperit*, inquit, *filium suum primogenitum*: ante quem nullus, & post quem nullus ideò vnigenitus & primogenitus dicitur licet vnigenitus sit à Patre in gloria; primogenitus in multis fratrib. in gratia. Deinde perpēde nihil Lucam attingere de lactatione, sed id nobis, vt apertum cogitandum reliquisse. illud tamen pōdera, quòd quia non dat lac, nisi fœmina cognita à masculo tam in humana specie, quàm in alijs speciebus: hinc factum est, vt Maria viro incognita naturaliter lac non habuerit, sed miraculo acceperit à Deo, quod Iesu infanti daret, atq; hoc tāquam piè meditatum à quibusdā traditur. Verùm quia illa regula de fœmina incognita à viro nulla experiētia accipi potuit, & naturale sit omni puerperæ, vt sanguinē menstruum cōfestim ad mammillas emittat in alimentū fœtus, nec miracula sunt sine causa multiplicāda: præstat (meo iudicio) asserere naturaliter diuā virginē lac habuisse, etsi nō sine miraculo per Spiritū S. conceperit. Quò verò melius huiusce altissimi mysterij contemplatione oblectemur; dicemus primo loco quomodo sit natus; secundò, quando & qua hora noctis; tertiò, vbi, nempe in Bethleem, in diuersorio scilicet & in stabulo; quartò, natiuitatem cōsecuta miracula, quæ multa recensentur. Postremo loco dicemus, qua ratione sit pannis inuolutus in præsēpi, quomodo bouis atq; asini calore fœtus fuerit. Quod ad primū igitur attinet, mod⁹ Christi natiuitatis diuinus fuit, & multis miraculis illustratus, atq; illud magnum fuit & admirabile, quod nulla extitit ibi virginei claustri violatio, sicut nec vlla extiterat in eiusdē conceptione. Neq; enim, qui Saluator mundi vniuersi venerat, matrem suam corrumpere debebat, sed eius integritatem illibatā atq; illæsam seruare, secūdum illud Isa. *Dominus ab vtero vocauit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei*: id est, significationis Iesu, quia matrē à corruptione & dolore seruauit. Hanc rem his pulchris verbis Aug. exaggerat ser. de natali Domini: *Diuina*, inquit, *operāte potentia, credentis viscera fœcundātur, & in ligno mortali vitæ arbor inseritur: & portans in se omnia virtus, ab infirmitate portatur: & qui terra, mari, cœloq; nō capitur, intra vnius corpusculi membra suscipitur. De creatura sua creator omniū procreatur, & de ri-*

[Margin: Ortum Saluatoris tam humili ac simplici stylo cur scripserit S. Luc.]
[Margin: Quo lacte, naturali ne, an supernaturali Christum virgo lactauerit. Rom. 8.]
[Margin: Ordo tractationis huius.]
[Margin: Modum Christi natiuitat. diuinum planè & admirabilem fuisse.]
[Margin: Isai. 49.]
[Margin: Aug. ser. 5. de natal. Domini, to. 10. Heb. 1.]
[Margin: Virginei miracula partus quæ agnouerit August.]

unlo suo fons magnus exoritur: Radix omnium de virgulto suo nascitur, & vitis vera palmitis sui fructus efficitur. Adest ecce exoptatissimus dies gratia geminata resplendens, cādore quidem consueti luminis illustratus, sed præcipuè radiātis veri fulgorē coruscus. O dies dierum omniū nouitas, lucrum lucis, & dispendium cæcitatis: in quo æternus sol de summa altitudine claritatis paterna descendens, vuluæ virginalis aditum reseruauit, quidam codices legunt, reserauit, *& totius mūdi caliginem fulgida coruscatione repressit. Hæc est illa nouitas Hieremiæ Prophetæ vaticinio nūciata: Nouum faciet Dominus super terram: fœmina circundabit virum. O fœmina super fœminas benedicta, quæ virum non cognouit, & virum in vtero circundedit.* Hæc ille. Neq; mirum sanè videri debet, Virginē concepisse & peperisse diuina virtute, cùm etiam apes ex sententia multorum autorum, vlla sine commixtione concipiant, aut sine nixibus suos fœtus edant, de quibus Poeta dixit:

Illum adeò placuisse apibus mirabere morem,
Quod nec concubitu indulgent, nec corpora segnes
In venerem soluunt, aut fœtus nixibus edunt:
Verum ipsa folijs natos, & suauibus herbis
Ore legunt.

Lactant. quoq; lib. 4. diuinarum institut. conceptū hunc diuinum persuadere volēs, in hunc modum scribit: *At illa (scilicet virgo Maria) diuino spiritu hausto repleta concepit: & sine vllo attactu viri repente virginalis vterus intumuit. Quod si animalia quædā vento, aut aura concipere solere, omnibus notum est, cur quisquā mirum putet, cum Spiritu Dei, cui facile est quicquid velit, grauatā esse virginem dicimus?* Hæc ille. Eucherius ait, apem virginitatis imaginē esse. Ruffin. in expositione Symboli, etiamsi illa in lib. Cy pr. assignatis à quibusdam inserta inueniatur in Iudæos & Paganos pro virginitate Mariæ Deiparæ decertans scribit: verùm hæc, quia ex scripturis Propheticis asseruntur, possunt fortè Iudæos, quāuis sint infideles & increduli, confutare. Sed Pagani solent ridere nos, cùm audiūt prædicari à nobis virginis partum: propter quod paucis, & eorū obtrectationibus respōdendum est. Omnis partus, vt opinor, ex tribus cōstat: Si adultæ ætatis sit fœmina, si virū adeat, si non sit vitio sterilitatis occlusa. Ex his tribus in hoc partu, quē prædicamus, vnū defuit, vir: & hoc patet, quia qui nascebatur, non erat terrenus homo, sed cælestis. Per cœlestē spiritum dicimus, salua virginis incorruptione cōpleta. Et tamen quid mirum videtur, si Virgo cōceperit, cùm Orientis auem, quā phœnicē vocant, in tantū sine cōiuge nasci vel renasci cōstet, vt semper & vna sit, & semper sibi ipsa nascendo, vel renascēdo succedat?

[Margin: Hierem. 31.]
[Margin: Luc. 1.]
[Margin: Apes, vt plērique tradunt, vlla sine commixtione concipiunt.]
[Margin: Virgil. lib. 4. georg.]
[Margin: Lactant. li. 4. cap. 12.]
[Margin: Apes virginitatis imago secundum Eucherium.]
[Margin: Ruffin. to. 4. oper. D. Hier.]
[Margin: Virginei partus veritas contra Iudæos, & Paganos, astruitur, egregieque comprobatur.]
[Margin: Omnis partus ex tribus constat.]
[Margin: 1. Cor. 15.]
[Margin: Phœnix sine coniuge nasci, vel renasci perhibetur.]

Apes certè nescire coniugia, nec fœtus nixibus edere, omnibus palam est, sed & alia nonnulla deprehenduntur huiusmodi sorte nascendi. Hoc ergò incredibile videbitur diuina virtute ad totius mundi redintegrationem factum, cuius exempla etiam in animalium natiuitate cernuntur? & tamen mirandū, cur hoc Gentilibus impossibile videatur, qui credunt Mineruā suam de cerebro Iouis natam, quid ad credendū difficilius? aut quid magis cōtra naturam? Hic fœmina est, hic naturæ ordo seruatur, hic conceptus & partus temporibus suis editus: ibi nusquam fœmineus sexus, sed vir solus, & partus. Qui illa credit, cur ista miretur? Sed & Liberum de fœmore eius asserunt natum. Ecce illud portenti genus est, & creditur. Venerem quoque, quā Aphroditen vocant, de spuma maris (sicut etiam nominis ipsius cōpositio ostendit) credunt esse progenitam: de ouo natos Castorem, Pollucemq; confirmant, ex formica Myrmidones: & alia mille sunt, quæ contra rerum naturā venientia, ipsis tamen visa sunt credibilia, vt Deucalonis, & Pyrrhæ lapides iactos, & hominum ex his segetem natam. Et cùm hæc tot & talia figmenta crediderint, vnum eis verbum impossibile videtur, quod adolescens fęmina diuinū germen, non hominis vitio, sed Deo inspirāte, conceperit. Qui vtiq; si ad credendum difficiles sunt, illis tot & tam turpibus mōstris fidem nequaquā commodare debuerāt. Si verò faciles sunt ad credendū, multo prōptius hęc nostra tam honesta, & tam sancta recipere, quàm illa tam indigna, & tam fœda credere debuissent. Hactenus ille argutè satis Gentiles talia credētes, & nostra nolentes acceptare, perstringens. Deinde peperit virgo sine nixu vel dolore; qui maior in alijs esse solet, quàm sit dulcis voluptas. Et quoniam ipsa fuit nescia omnis delectationis ac libidinis (ob quam causam dicitur peperisse filium suum, non filiū Ioseph) ita omnis prorsus doloris fuit expers, qui claustri apertionem & diuisionem naturaliter consequi solet. Qui.n. matri dolorem inferret, qui dolores omnes auferre venerat, iuxta illud: *Verè languores ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit?* Vt enim sine corruptione & dolore suum edit fructum arbor, fumùmque fulgorem stella: ita B. Virgo, quæ bona arbor est, & stella maris dicitur, benedictum ventris sui fructum, & mundi lucē, hoc est, Christum peperit. Quod si Eua de Adæ latere nullo ipsius dolore producta est: Cur ergò mundi Saluatoris mater vllo absque dolore non pareret? Quod si apes mellis, & ceræ naturam sine læsione floris colligunt; quid ni Dei verbum corpus & animam sine læsione detrimentove Mariæ virginis, quę flos est virginitatis, acciperet? Nos filij Adæ in peccato concepti, vt genimina viperarum viscera materna corrūpimus, dolorisq; quem patiuntur, causa sumus: secus Christus, qui suaptè natura sanctus, & sanctificator mundi genitus est.

Ridiculæ aliquot natiuitates ab incredulis creditæ recensentur.

Luc. 1.

Veneris ortus & appellatio.

Virginis partus expers omnis doloris cur fuerit.

Isai. 53.

Maria virgo quàm sit arbor bona.

Luc. 1.

Gen. 2.

Maria flos est virginitatis.

Peperit autem summo cum gaudio & lætitia, & vt scriptura ait, lætabunda & laudans. Ex quo Damasc. lib. de orthod. fide sic habet: *Nam quemadmodū Eua sine commixtione ex Adam plasmata est, sic ista nouū Adam lege partus in vtero tulit, quem peperit supra natiuitatis naturam. Natus est enim ex muliere sine patre, & ex patre sine matre. Et quoniā ex muliere, lege partus: quoniam sine patre, supra naturam natiuitatis: Et quoniam consueto in tempore (nam 9. menses complens, & decimū attingens, nascitur) id fit lege partus. Quod autem sine dolore, supra legem partus est Cuius enim voluptas nō præcessit, neq; pariendi dolor subsecutus est, secundùm Prophetam dicentem: Antequam parturiret, peperit: antequam veniret partus eius, peperit masculum.* Hæc ille. Adhæc peperit sine obstetricibus, etiamsi aliter falsò doceat liber de infantia Saluatoris. Nā hoc aptè Hiero. in Heluidium testatur: *Sed absit, vt hoc* (inquit) *de matre Saluatoris, & viro iusto sit existimandum. Nulla ibi obstetrix, nulla muliercularum sedulitas intercessit: ipsa pannis inuoluit infantem, ipsa & mater, & obstetrix fuit.* Hæc ille, qui egregiè ex scriptura probat nullam obstetricem fuisse, quia ipsa ei officium obstreticum impendit, inuoluendo pannis, & recinando, &c. Deinde difficile erat, peregrinando sub mediā noctem, & in stabulo inuenire obstetrices eiusmodi quę puerperis inseruiūt. Non decebat etiā sacrosanctā & virgineam Christi carnem, profanarum atq; immundarum mulierculrum manib. contrectari. Rursus quæ assistunt parturiēti, ad releuandam debilitatem eius, illamq; consolandā id faciunt: at Maria nō fuit debilis, sed fortis ac potens, & altissimis contemplationibus suspensa, atq; ardētissimis precibus inflāmata, flexis genibus, oculis in cęlum sublatis, sine nixu enixa est Saluatorem. Postremò mysteriū hoc virginei partus, minimè eo tempore reuelari conueniebat: Si autem obstetrices adfuissent, fieri nō poterat, quin videre potuissent, quòd illæsis virgineis claustris illa peperisset: *Sacramentū enim regis abscondere bonū est.* Sed loco illorū videlicet adfuerunt Angeli, vt Aug. ser. de natiu. testatur: *Cùm iterū*, inquit Paulus, *introducit primogenitum in orbem terra, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Cæteræ quippe mulieres prægnantes ante partum

Illa quam fœliciter pepererit Christum.

Isai. 35.

Damasc. li. 4. de orthod. fide cap. 15. circa med.

Gen. 2.

Virgineo in partu quæ naturalia sint, quæ supra naturam.

Isai. 66.

Ibidem.

In eos qui sanctissimā Deiparam peperisse cum obstetricibus tradunt.

B. Hier. to. 2. initio.

Luc. 2.

II. argum. III. ac IV.

Obstetrices cur assistant parturiētibus.

V. argum. & vlt.

Tob. 12.

August. ser. de nat.

Heb. 1.

Psal. 69.

quidem timent, in partu verò debilitantur atque dolent, post partum verò languere solitæ sunt. Sanctissima verò Deipara timere non potuit, quæ in se habebat sanctificantem, Spiritum S. se obumbrantem & corroborantem; in partu verò dolorem nesciuit, quæ tot rationes gaudendi habebat, & exultandi tum de prolis maiestate, tum de conseruata virginitate, tum de generis humani salute, tum denique de Angelico iubilo atque cantu, Pastorumq; lætitia: edito verò partu minimè languit, quę medicū potentissimum, qui sanat oēm languorem, ediderat. Hinc Propheta dixit: *Ipse tanquā sponsus procedens de thalamo suo, exultauit vt gigas ad currendā viam.* De matris verò gaudio in partu cecinerat Isaias: *Germinans germinabit, & exultabit letabunda, & laudans: gloria Libani data est ei, decor Carmeli, & Saron: ipsi videbunt gloriam Domini & decorem Dei nostri.* Quæ verba, etsi de gentium conuersione ad literam dici videantur, habēt tamen sensum suum etiam de partu virginis: maximè quia ante illa verba dicitur: *Letabitur deserta, & in via, & exultabit solitudo, & florebit quasi liliū:* quæ quidē verba solitariam virginē, & ope viri in contemptu destitutā significare cōmodè possunt. Tum quia paulò post illam sententiā Prophetæ sequitur: *Deus ipse veniet, & saluabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt, &c.* quæ sanè verba de Christi aduētu, & signis magis congruunt partui virginis, quàm conuersioni gentium. Quartò, peperit filium Dei sine vlla immunditia, ac sordibus, vt ferè cæteri nasci solent, sed mundissimum, omniq; ex parte nitidum & elegātem, soliśq; iubare splendidiorem: secundinasque plicatas, atque inuolutas & mundas, ac seorsum positas.

Luc. 1.
Quales ac quātas sanctissima virgo de partu suo habuerit rationes gaudendi, atque lætandi.
Psal. 18.
Isai. 35.
Verba Isaiæ de gentilitate: Germinans germinabit, ad Virginem matrem aptè accommodari posse.
IV. Virginei partus cōditio.

Quare cautè legendū esse verbum Hieronymi, censent quidā, vbi cruentum illū de vtero matris exisse scribit his verbis: *Dei filius pro nostra salute hominis, factus est filius: nouem mensibus in vtero, vt nascatur, expectat, fastidia sustinet: cruentus egreditur: pannis inuoluitur: blāditijs delinitur: & ille pugillo mundum includens, præsepis cōtinetur angustijs.* Hæc ille: quod sanè per aliquē tropū interpretari debet, vel saltem excusari in tāto docto re Ecclesiæ eo tēpore loquente. Quanquā reuera non video quæ sit solida causa illius annotationis cautè legendi Hier. cùm constet Christum eo modo, quo cæteri cōceptum & cruentū egressum de vtero matris, cùm etiā cruentatus suo sanguine è mundo hinc discesserit, & lotus à Ioseph & Nicodemo (vt testis est Chrysost.) sepulturæ traditus sit, & B. Bonau. li. meditat. vitę Chri-

Hieron. in epi. ad Eustoch. de virginit. seruāda, to. 1.
Luc. 2.
Hieron. sententiam de Christo nato cruento, non omnino reprehensibilem videri.
Infra 23.
B. Chryso. ho. 84. in Ioan. à med to. 3.
B. Bonau.

sti, c. 7. ex reuelatione facta ei, dum sanctè sui ordinis fide digna asserit: *Vbi primum natus est, matrem se inclinasse, eumq; recolligisse, & dulciter amplexatā posuisse in gremio suo, & vbere de cœlo pleno, & Spiritu sancto edoctam cœpisse ipsum lauare per totum cum lacte suo, quo facto, inuoluisse eum in velo suo, & posuisse eum in præsepio.* Hæc ille. Etsi autem potuerit incruentus egredi, non sunt tamen miracula multiplicanda sine ratione. Epiphan. verò in hæres. 69. *Ex matre sola,* ait, *genitus est impollutè, & citra inquinamenta.*

B. Epiph. contra Arian. inter med. circ ter, & fin

Illud etiam constat esse falsum, & planè ridiculū, quod Caiet. in 3. p. D. Thom. annotauit, Christum infantem, cùm primùm edit' est in lucē, lotū ab Angelis fuisse absq; vlla aqua, quod est officium obstetricis: nā B. Virginē haud decuit manus inficere, nec se in huiusmodi occupare, sed contēplationi vacare. Sed profectò vanum est hoc cōmentum, & (vt dixi) ridiculum. Nam nec Christus, qui mundus totus natus est, lauari eguit, & vbi eguisset, ipsa sanctissima virgo suo officio ipsa satis fecisset, cùm simul esset mater & obstetrix: & sublimius multò fuisset tunc ministeriū huiusmodi præstare, quàm contemplationi vacare. Adde quod ministerium, opusve illud minimè cōtemplationem in B. Virgine impediebat.

Caietani dictū de Christo infantulo ab Angelis loto, mente interim contemplationi vacante refellitur duplaciter.

Amplius, quod attinet ad modum natiuitatis, refert B. Brigitta, virginem cum Ioseph, cùm primum applicuerūt Bethleem, cùm non inuenirent locum in diuersorio, in speluncā quandā, seu stabulum intrasse: ligatisq; boue & asino ad præsepe, quos secum adduxerant, Iosephum continuò ad candelā accēdendā exiuisse: quā vbi muro affixisset, iterum egressus est. Virgo autem depositis calceamentis pedum suorum, & pallio albo, quo tegebatur, & velo capitis, sparsisq; crinibus, produxit panniculos laneos, & lineos mundissimos, quos secū deferebat ad inuoluendum infantē: atque illa quidē genu flexa, & ad Orientem cōuersa, manibus & oculis in cœlum intentis, stabat quasi in extasi contēplationis suspensa, inebriata diuina dulcedine. Cumq; pro partu in lucē edendo preces ardentes Deo obtulisset, ilicò in momento & ictu oculi filium ante se editū vidit: & in illo momēto sensit B. virgo quasi dimidium cordis sui exijsse, ex quo tātus fulgor prodibat & splēdor, vt vix sol posset ei cōparari: lumenq; accensa lucernæ offuscatū lucē minimè reddebat.

V. Conditio, circunstantiaque natalis Domini.
B. Brigit. l. 7. c. 21.
Luc. 2.
Virginis ad partum apparatus.

Natus ergò iacuit in terra nudus, & nitidissimus, cuius carnes erant ab omni sorde & immunditia separatæ. Fuit etiam pellis secundina prope eum iacens, inuoluta, & valde nitida: auditus etiā fuit Angelorum

Christi infantis splendor, munditia singularis.
Luc. 2.

cantus,

cantus, mirabilem quandam suauitatem edens, atq; dulcedinem. Virgo ergò sanctissima postquam se peperisse sensit, filiumq; natum vidit, statim inclinato capite, iunctisque manibus, magna cum reuerentia & humilitate puerum adorauit. Dixitque illi:

Matris ad Christum mox natum verba.

Benè veneris Deus meus, Dominus meus, & filius meus. Cumque puer præ frigore & duritia pauimenti vbi iacebat, non sine eiulatu & tremore paululũ se verteret, & extenderet membra sua, quasi refrigeriũ aliquod quærens, & fauorem matris, tũc Virgo sanctissima suscepit eum in manibus, & strinxit eum ad pectus magna lætitia, & materno ac tenero amore eum fouit, & calefecit; quem statim cœpit diligenter inuoluere, & reclinauit eum in præsepi. Et primum quidem gradum ex ventre fecit in terram nudam & frigidã, quasi ad nos veniret, sitiens pro nobis pati, & salutem nostram operari iuxta illud Prophetæ: *Sacrificium & oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi. Holocaustum, & pro peccato non postulasti: tunc dixi, ecce venio,* corpus scilicet ad sacrificandum gestãs, in quo patiar gelu, famem, crucem. Sed ingressus Ioseph, & infantem cernens, prouoluit se in terram, genibus flexis eum vnà cum matre simul adorãdo. Hæc idcircò recitare volui ex reuelationibus Diuæ illius, quod mihi valdè probabilia, & ad deuotionem excitandam accõmodata esse viderentur. Nam reuera constat, illos tardiusculè Bethleem applicuisse, & virginem sub mediam noctem peperisse.

Christi paupertas.

Psal. 39. Heb. 10.

Ioseph, atque matris in Christum pietas, & reuerentia.

Porrò illa, quæ B. Virgo ante partum ègit ad humilitatem, & reuerentiam infanti nasci turo præstandam, egisse credendum est; quemadmodum ascensurus Moyses ad rubrũ, legitur ex præcepto Dei calceamenta sua exuisse, quoniam locus ille, in quo staret, terra sancta esset. Panniculos verò tum lineos ad inuoluendum infantem necessarios illam tẽpestiuè præparasse, secumque tulisse, sanctæ cuiusdam, summæque prudentiæ fuit. Preces verò ad Deũ fudisse pro partu præstando, cùm ratione cõiunctum fuit. Nam sicut prece eius & supplicatione Christus est incarnatus, & ad preces eius primũ miraculũ edidit in nuptijs, & à morte est reuocatus ad vitam, & denique Spiritus sanctus super Apostolos descẽdit, ita etiam eius precatione partus impetratus est. Nam quæ Deus aliquãdo fieri definiuit, preces nostras nõ excludũt, imò potius includunt. Orasse autẽ in hunc, vel similem modum verisimile est, nimirum: Manifesta æterne Pater thesaurum tuum in agro corporis mei absconditum, & pretiosam Margaritã in concha carnis meæ latitantem: reuela mundo imaginem tuam; vt te agnoscat: egrediatur de creatura creator omnium, ex paruo riuo fons magnus: ex vasculo figulus: ex ramo radix virgulti, ex palmite vitis vera: sol ex stella oriatur: sponsus de suo tabernaculo: ex nube mortalitatis sol iustitiæ: ex cẽtro infinita sphæra: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis,* in qua mundus videat factorem suũ, Angelus Regem, & caput suum diademate humanitatis coronatum, peccator redemptorem: iustus iustificatorem: tribulatus consolatorem: Gentilis illuminatorem: Iudæus glorificatorem, damnatus iudicem: Ego humillima serua tua, tuum, & meum filium vnigenitum atque primogenitum.

Exod. 3.

Virginis maturis parituræ prouidentia.

Quibus precibus Virgo paritura, partum à Deo fœlicẽ impetrauerit, Ioan. 2. Act. 2.

Matth. 3.

Qualis qualẽ virgo Maria filium pepererit. Isai. 53. Ioan. 15. Psal. 18. 2. Cor. 6.

Quomodo autem, aut qua parte corporis pepererit filium suum, curiosum est magis quàm vtile, inquirere. Et vt est in hostia indiuisibiliter, sic etiam indiuisè per punctum exiuit, vel per totum corpus, & non magis per vnam partem, quàm per aliam, vt inquit B. Brigitta; vel tantam partem veteri, penetrando dimensiones eius, sicuti & fecit, cùm è monumento egressus est; vel quomodo ingressus est ad discipulos ianuis clausis, vel ea ratione, qua cęlos penetrauit in ascensione sua. Quanquam Damascenus dicat lib. 4. c. 15. *Quemadmodum verò,* inquit, *qui conceptus est, virginem concipientem seruauit, sic & natus, ipsius virginitatem seruauit illæsam. Solum trãsiuit per eam, & clausam seruauit eam. Per auditum quidem conceptio, sed natiuitas per consuetum partentium egressum: tametsi quidam fabulãtur per latus diuinæ matris ipsum editum fuisse, non enim impossibile illi erat per clausam portã transire, & illius non lædere signacula.* Hæc de ipsa Domini natiuitate dicta sint, nunc de tempore cõsideremus. Tempus natiuitatis fuit tempus edicti Cæsaris Augusti, quod qua ratione factum sit, superius est explicatũ. Dies verò creditur fuisse Dominicus, vt ait August. li. 4. de Trinit. qui dies à nocte præcedenti, iuxta Hebræorum consuetudinem, sumit initium. Sub mediam verò noctem, vt communis est omnium consensus, editus est. Nam & Angelus missus est ad Pastores, qui custodiebant vigilias noctis: quemadmodum etiam, vti diximus, sub mediam noctem incarnatus fuit. Surgebant autem Patres media nocte ad confitendũ Domino ob memoriam incarnationis, & natiuitatis illa hora peractæ, siue peragendæ. Natus est enim in nocte, ad significandum, mundũ sepultum esse in densissimis ignorationis & peccati tenebris, & vt dixit Propheta: *Habitãtibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis.* Natus est nocte Sol, vt nox dies fiat, tum vt insti-

Quomodo illũ Christum pepererit Virgo.

B. Brigitta in ser. Ang. c. 15. Matth. 28. Ioan. 20.

B. Damasc.

Qua parte corporis secundũ aliquos, illa Dominum ediderit.

Quo tempore & quo die Christus natus sit.

B. Aug. t. 6. tom. 3.

Psal. 118.

Si noctu natus sit, quare.

Isai. 9. Matth. 4.

insinuaret, in tenebris se quidē lucere, i d à tenebris non comprehendi: tum vt prospiceret malis & peccatis, quę nocte admittuntur: de quibus Apost. Rom. 13. Ephes. 5. Thessal. 3. ait: *Qui dormiunt, nocte dormiunt: & qui ebrij sunt, nocte ebrij sunt*; vt, *tantundem abijcientes opera tenebrarum, induamur arma lucis*: vt, *qui eramus aliquando tenebræ, nunc simus lux in Domino*: Tum vt ostenderet quodammodo se conniuere peccatis nostris, quasi illa nō videret, nec cognosceret: cùm tamen expectet nos ad pœnitentiam: Tum vt parceret materno pudori, quò securius & honestius id temporis pareret, alijs dormientibus: Tum, vt significaret secretas dulcedines contemplantium, quibus sese, vt paruulū offert nutriendum, vt auctum & confirmatum suis prædicationibus tandem aliquando prædicant: Tum denique, vt noctis perferret iniurias, quas multi hominum patientes nascendo, moriuntur.

1. Thes. 5. Rom. 13. Ephes. 5.

Cur hyberno tempore natus Dominus.

Tempus deinde anni elegit frigidissimū atque sterile, ad denotandum, quod mundus in maxima esset tunc frigiditate spiritus, & quo abundante iniquitate, refriguisset charitas. Adhæc tempus elegit, quo incipit nox minui, & dies crescere: vt innueret tenebras nostræ ignorantiæ recedere, & veritatis lumen appropinquare. Et hæc quidem de tempore. Locum verò elegit in primis Dominus terram Promissionis, quò illam esse veram terram à se promissam cum iuramento ipsi Abrahæ, non obscurè indicaret; in ea vero præcipue ciuitatem Bethleem in natale solum sibi delegit, partim vt Michææ oraculum adimpleret, partim vt insinuaret in ea natum esse panem cœlestem: quem qui ederit, non morietur in æternum. Et pulchrè huic rei nomina ipsa conueniunt. Nam Bethleem, domus panis interpretatur, quæ alio nomine Ephrata dicuntur, quæ fructiferam, siue fertilem significat. Omnis enim animorū nostrorū satietas ex hoc vno Christo in Bethleem nato, tanquam vero pane dependet. Nam cùm ad edendum diuinitatis panem, illoque fruendum homo procreatus sit, qui ad vescendum tanto pane propter infirmitatem edentulus erat, diuinæ bonitatis artificium fuit, vt panis ille durus nostræ carni coniunctus, merum lac fieret, quod homo sugere commodè posset, atq; comedere. Adhæc veniebat Christus, vt vngeret hominum genus, vnctionisque suæ, & regni particeps efficeret, quemadmodum Samuel eò venit, vt vngeret Dauid in Regem, ideo iure locus in Bethleem lectus fuit.

Quare in terra Bethleem. Gen. 12. Mich. 5. Bethleem quid sonet. 1. Reg. 16.

In Bethleem vero elegit stabulum, non sine magnis rationibus (vt par est credere) atque illud in primis docere nos voluit, ipsum peregrinum futurum fuisse, etiam in patria sua, & nos intelligeremus tãtundem de nobis ipsis, atque diceremus cum Dauide: *Aduena ego sum apud te & peregrinus, sicut omnes patres mei*, &, *non habemus manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus*. Diuersorium, locus est, ad quem non habitandi caussa, sed ad tempus commorandi viatores diuertunt. Vnde verbum Græcum κατάλυμα alibi interpres vertit, refectionē vel cœnaculum. Vnde Luc. 22. dicitur: *Vbi est diuersorium meum, vbi pascha cum discipulis meis manducem?* quod cùm plenum esset hospitibus, haud erat idoneus locus parturiēti, quæ solitudinem ac secessum requirit. Deinde cùm diuersorium communis sit omnium locus, in quem, qui volunt, se recipiunt; ibi nasci voluit, vbi ipse omnibus expositus appareret, & vt ipse statim, quos amat, multos homines videre posset: & in loco communi, nempe stabulo, contiguo ipsi diuersorio pro omnibus natus est. Et queadmodum extra portam passus est, & ex monte Oliueti extra ciuitatem Hierusalem sito, in cœlum ascendit, vt ostēderet se pro omnibus obtulisse mortem suam patri, & pro cunctis sequi eum volentibus, accepisse possessionē regni cœlestis: sic extra Bethleem publico in loco à matre genitus est, vt pro omnium salute se in mundū per natiuitatem à Deo missum ostenderet. Adhæc, diuersorium publica erat domus, in qua sæpè multa est licentia, multiq; deprauati mores, & corruptelæ interdum regnant; admonere nos voluit, publicorū vt hospitiorum curã geramus, vt sine crimine sint, dignaque fiant, vt Christus in eis recipiatur. Et quia dicitur: *Non erat ei locus in diuersorio*, indicauit, in his ferè vsu venire, vt postremus locus sit Christo. Indicat etiam animã ineptam esse ad Christum edendū, quæ fuerit diuersorium, id est, quæ fuerit domus patens cunctis dæmonibus ad flagitium sollicitantibus atq; impellentibus, omniumq; virorum receptaculum. Ostendit propterea nos in hoc mundo tanquam in diuersorio quodã degere, ne hic ædificemus, sed fide expectemus, nos è diuersorio in patriã nostram ituros aliquando; ita vt si hic ędificemus, in alieno fundo ad cōmodum transeuntium ędificemus propter Christum. Ac ne in diuersorio quidē ei at eis locus, vt citò migrãdum intelligamus.

In stabulo cur nasci Dominus voluerit.

Psal. 38. Heb. vlt. Diuersorium quid. Luc. 22. II. Ratio. Hebr. 13. Act. 1. III. Ratio. In eo quòd nō erat Christo nato locus in diuersorio, edocemur tria.

Dices: Cur Christus hospitij gratia, non adijt alias domos & hospitia: cùm Apostolis ipse præcepturus esset, vt in domum digniores intrarent. Fortasis quòd occupatæ esser

Cur aliud Domin. hospitiu non c egerit, vt poterat.

essent ab alijs: & quia Ioseph pecuniā portabat, quam ferre Apostolis interdixerat.

Matth.10.
IV. Ratio.

Adhæc, elegit stabulum, cùm non esset locus in diuersorio, tum ex humilitate, vt sederet in vltimo conuiuij loco, quò pater ei cœlestis deinde diceret: *Amice, ascende superius.* In cruce etiam nouissimus fuit virorū, vermis, & non homo; opprobrium hominum, & abiectio plebis: propterea primus factus est, & dominus omnium cōstitutus; cui meritò omne genu flectatur, cœlestiū, terrestrium, & infernorum: tum quò indicaret, vitam nos animalem, iumentorumve agere, iuxta illud: *Homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* animo enim & corpore inseruimus nostris affectibus, & nihil à bestijs ferè distinguimur, nisi quòd illis carere vsu rationis non datur vitio, sicut nobis.

Luc.14.
Isai.53.
Psal.21.
Philip.2.
Psalm.48.

Idem quare in præsepio reclinatus.
Psal.103.

In stabulo autem mundiorem locum elegit Christus, id est, præsepe, vt innueret, se sumpsisse carnem à sanctiore muliere, quæ fuerit vnquam, aut esse potuerit. Postquam ergò natus est panis Angelorum, & cibus factus est hominum, & iacet in loco animalium, superest vt animalia fauore diuinæ gratiæ huius infantis nunc primum nascentis merito partę, ex irrationabilibus fiant rationalia; ex carnalibus spiritualia; ex immundis sancta & müda. Cibus quippe iumentorum, fœnum est: at vt Propheta dixit: *Omnis caro fœnum; Verbum autem caro factum est.* Nasci deinde in stabulo pertulit: vt quemadmodum in priore beatitudine paupertatem, vitam esse docuit regni cœlestis: ita hoc suo primo in mundum ingressu illam consecraret, nobisque amplectendā esse monstraret. Etsi enim paupertas, sicut & diuitiæ, ex genere bonorū mediorum, atque indifferentium sit, vtpote quibus bene & malè vti cōtingit; posita tamē infirmitate ex peccato originis relicta, quæ bonis temporalib. satiari nequit, quia: *Crescit amor nūmi, quantū ipsa pecunia crescit:* præstantior & expeditior via est ad salutem consequendā paupertas, quàm diuitiæ. Ex quo pauperes dicuntur euangelizari: & se ad prædicandū pauperibus à Patre missum esse, Dominus testatus est: quoniā quemadmodum lignū aridum citiùs inflāmatur quàm viride: ita pauperes citiùs acceptant Euangelium, quàm diuites. Pauper ergò venit Christus, vt pro nostro diuitiarum insaturabili appetitu satisfaceret, & vt illius inopia, vt Apostol. ait, nos diuites essemus. Qui enim tutò nos esse possemus diuites, si pauper ipse factus non esset, itaque sanctificasset nostras eleemosynas tāquam in se ipsum collatas? Tum etiam, vt expertus paupertatē misereri nostrū magis posset, & cōpati nostris infirmitatib. vt Heb. 4. Apostolus docet. Item, vt exemplū paupertatis vtiliter sustinendæ præberet, & pauperibus & diuitibus: quia nemo habet cuncta quæ vellet, & omnes à Deo mendicant: & ipse donat spiritum regendi ac moderandi diuitias; ne ipsum regant, ne cogamur illis inseruire: vt possimus cum Paulo dicere: *Scio abundare, & penuriam pati:* quod tunc nobis contingit, cùm paupertatē, qua premimur, vel, quibus vtimur, diuitias efficimus arma, atq; instrumēta iustitiæ. Prę terea paupertatē amplecti voluit, quandoquidē tanto mundus in errore versabatur, vt eos, qui se de ijs rebus, quæ ad salutē spectant, commonefacerent, ad necem vsque persequeretur: ideò nascitur nihil habens, nihilq; volens, qui mundum aperte posset arguere, nihil ab ipso sperans, nihil ab ipso timens. Instruens suo exemplo concionatores, vt tales sint, qui nihil mundū timeāt, nihil ab ipso sperent: sic enim magna charitate mundum vel inuitum sanare poterat.

Isa.40.
Ioan.1.
V. ratio Christi nati in stabulo.
Diuitiæ quatenus malæ sint.
Iuuenal. Satyr.14.
Matt.11.
Luc.4.
Isai.61.
2.Cor.8.
VI. Ratio.
Heb.4.
VII. Ratio.
Philip. vlt.
Quando cum Apostol. sciamus, & abundare, & penuriam pati.
VIII. Ratio. electi stabuli à Christo in locum suæ natiuitatis.

Demùm pauper voluit esse, ne diuitibus redderetur suspectus, quòd eorum bona videretur velle occupare: cùm tamen ille, vt suas nobis diuitias cōmunicaret, venerit, non vt nostras mortales opes eriperet: vt pauperes quoq; suæ conditionis consolaretur: nam pauperum maior est multitudo, quàm diuitum: vel potiùs quia omnes pauperes sumus, nihilq; habemus omnes, & quotidie de manu Domini accipimus, quæ necessaria sunt. Quanquam excellant pauperes in hoc diuitibus, eorumque propterea melior sit conditio, quòd magis coguntur agnoscere se esse pauperes, nam id non tam facilè agnoscit diues. Atque hæc dicta sint contra eos, qui Deo tantùm diuites esse curæ arbitrātur, paupertatem autem pro peccato & re abominabili habent: ideò ne in illam incidant, ad mendacia, incantationes, cędes, furta, luxuriam conuertuntur: qui verò respiciūt ad Iesum, habent illā pro re gratissima & amabili, nimirum quam amplexus est Dei filius.

IX. ac postrema ratio.
Pauperum in quo melior sit conditio, quā diuitum.

Sed cur non extremam paupertatem & inopiam pati voluit, vt nasceretur, & habitaret sub dio, & vt mater non haberet fascias, atque panniculos, quibus eum inuolueret? Dicitur ad hoc, Deum non damnasse Adam ad talem paupertatem: quare & pellibus eum induit, & bona terræ, suo tamen sudore comparanda ei contulit. In hanc ergò venit Christus: maiorem autem illam pro delictis grauioribus in cruce sustinuit, vbi pro omnibus nobis singulis

Quare Christus extremæ statum paupertatis non elegerit.
Gen.3.
Ibidem.
Matth.27.

nudus,

nudus,& sub dio satisfecit.

Dices rursus: Quomodo satis pro nobis fecit, si nobis adhuc est ferenda paupertas? Respondeo, eodem modo, quo mors ipsa, cuius paupertas est satelles. Vt enim illa debellabitur non fugiendo, sed resurrectione vincendo, vt Apostol. docet. Iterum ferenda est mors, & per spem resurrectionis infringenda: sic paupertas deuicta est à Christo & triumphata, non vt nos illam effugiamus, sed vt rectius, ac maiori cum merito toleremus, vt quod erat pœna à iudice inflicta, nunc sit paternum flagellum, humilitatis exercitium, testimoniũ fidei, meritum charitatis.

Idem cur & nos pauperes esse voluit, qui pro nobis satisfecit.
1.Cor.15.

Quod ad miracula verò attinet, quæ hãc Christi natiuitatem consecuta sunt, quæ omnium signorum est maximum, & summum (nam duo admiranda, & supra omnem cursum naturæ in se continet, nempe Deum hominem factum & natum; deinde virginem peperisse) multa circumferũtur: quorum quædam testimonijs fide dignis commendantur. Tradit Euseb. Cæsar. in Chronico, Romæ è taberna meritoria in Transtyberina regione ex terra oleum erupisse, fluxisseque toto illo die sine interuallo, Christi gratiam gentibus communicandam portendens. Et quòd natus esset ille, qui vnctus erat oleo præ consortibus suis. Narrat Orosius li.6.c.22. sub initium, Augustum Cæsarem eadem die mandasse, ne quis se Dominũ deinceps vocaret; quasi diuinantem, verum Principem orbis terrarum, ac mundi totius dominum natũ esse. Suidas in verbo, Augustus Cæsar, & Nicephor. Callist. lib.1. cap.17. scribunt Augustum Cæsarẽ facto sacrificio Hecatombes, interrogasse Pythium Apollinẽ, quis post se administraturus esset Imperium: & cùm nullum daretur responsum, rursus altero sacrificio illum vrgebat, vt responderet quid esset in caussa, vt qui aliàs multis verbis vti soleret, nunc obticuisset. Tunc in hunc modum respondit tribus his versibus Græcis:

Ortus Christi Seruatoris quot signis, & miraculis, quàm magnis, decoratus extiterit.
Euseb. tom.2.
Psal.44.
Hebr.1.
Paul.Oros.
Suidas.
Niceph.Cal.

Παῖς Ἑβραῖος κέλεταί με θεὸς μακάρεσσιν ἀνάσσων,
Τόνδε δόμον προλιπεῖν τε καὶ ἄιδος αὖθις ἱκέσθαι.
Λοιπὸν ἄπιθι σιγῶν ἐκ βωμῶν ἡμετέρων.

Pythij Apollinis responsum ad Cæsarem August.

Me puer Hebræus, diuos Deus ipse gubernans,
Cedere sede iubet, tristemq; redire sub Orcum:
Aris ergò dehinc tacitus abscedito nostris.

Tunc, tali respõso accepto, Cæsar Romam est reuersus, atq; ibi in Capitolio aram maximam extruxit cum huiusmodi latina inscriptione: ARA PRIMOGENITI DEI. Alij verò scriptores, vt Innocentius III. serm.2. de natiuit. Domini & Antoninus 1. part. hist. tit.4. cap.6. tradunt Augustum Sibyllam consuluisse; num in mundo aliquis eo maior futurus esset. Eo autem die, quo Christus in Iudæa natus est, Sibilla circulum aureũ Romæ iuxta Solem vidit, in quo virgo pulchra residebat, quæ speciosum infantem in gremio gestabat: quod illa Cæsari Augusto indicauit, & Regẽ ipso potentiorem natum esse aperuit. Auditaque est vox dicens: *Hæc est Ara cæli:* quo nomine illa Ecclesia est insignita, cùm prius esset palatium Octauiani, quod erat in Capitolio. Huius etiam rei meminit Orosius his verbis: *Cùm primum,* inquit, *Caio Cæsare auunculo suo interfecto, ex Apollonia rediens; vrbem ingrederetur hora circiter tertia, repentè liquido ac puro, serenoq; die circulus ad speciem cœlestis arcus orbem Solis ambijt, quasi eum vnũ, ac potentissimum in hoc mundo, solemq; clarissimum in orbe monstraret, cuius tempore venturus esset, qui ipsum Solem solus, mundumq; totum, & fecisset, & regeret.* Hæc ille. Templum Pacis funditùs corruit, siquidem Romani pro pace perfecta, quæ toti orbi sub Augusto imminebat, templum Pacis ingentis molis, & fortissimũ construxerant: de quo consulentibus Apollinem, quamdiu esset duraturum, Responsum fuit: *Quousque Virgo pariet.* Quo audito, lætati sunt, arbitrãtes illud impossibile esse, ac per hoc æternum futurum credentes, quia nunquam Virgo esset paritura: propterea ianuis eius insculpi iusserunt: *Templum pacis æternum.* Ipsa tamẽ nocte, qua Virgo peperit Saluatorem, funditus corruisse fertur: & in Ægypto in templo Isidis aram dicatã cum inscriptione: *Virgini pariture:* alteram similem aram in Gallia Carnuti tempore Druydarum fuisse, quidam scribunt. Certè Epiphanius in vita Hieremiæ Prophetæ ait: *Idem Propheta sacerdotibus Aegypti signũ exhibuit, dicens, oportere olim cuncta eorum simulacra cõcidere, simulq; manu omnia facta præcipitari. Vbi Aegyptũ ascendet cum suo infante Virgo enixa, Deo simile.* Hæc ille. Ideò fortè extruxerunt illam aram Virgini pariture. Hæc ab Innocentio III. dicto sermone, & historia scholastica traduntur, lib. Euangelicæ historiæ, cap.5. Sed certè si veritatem amamus, cùm templum Pacis opus fuerit Imperator. Vespasiani, vt testes sunt Suetonius in Vespasiano cap.9. & Plin. lib.36. cap.15. minimè tempore Christi corruere potuit, vt isti tradunt. Plerique verò hora illa Natiuitatis tradunt ex B. Hieronymo omnes infames infando Sodomiæ vitio obnoxios, fuisse interfectos, quemadmodum eadem etiam hora omnes primogeniti Aegypti ab Angelo percussi sunt. Mihi certè diligenter inuestiganti scripta Hieronymi, locus non occur-

Ara per Cæs. August. Romę erecta, qualis.
Innoc. III.
B. Anton.
Oros. lib.6. cap.20.
Alterum Apollinis responsũ de tẽplo pacis.
Aræ sub ortũ saluatoris varijs locis erectæ, quæ.
D. Epiph. prope fin. operis.
Templum pacis Romæ à quo extructum fuerit.
Quàm probabile videatur Sodomitas nocte natalis Domini omnes interijsse.
Exod.12.

occurrit: a ratione tamen minime est alienum, eos malè perijsse, qui naturam humanam, quã Christus cohonestare, & illustrare venerat, tantopere dedecorabant, atque obscurabant. Sunt etiã, qui scribant, vineas Engaddi illa nocte floruisse, Christumque veram vitẽ venisse, testatas fuisse. Siue hæc autem vera sint (vt probabile est, esse) siue falsa; hoc indubitatum debet esse, maxima & admirãda signa atq; prodigia Christi ortum, & præcessisse pariter, & consecuta fuisse, maiora etiam, quàm fuerint illa, quę in natiuitate Præcursoris, & in ortu B. Virginis contigerunt: qua ratione maior splẽdor est orientis Solis, quam vel Auroræ pręcedentis, vel Luciferi: constat autem, Ioannẽ fuisse Luciferum, Mariam Auroram, Solem verò ipsum Christum. Atque hæc quidem de miraculis.

Ioan. 15.

Christi, quàm Præcursoris, aut Virginis matris ortus quanto glorio sior.

Luc. 1.

Ad postremum, verba illa ponderanda sunt: *Et pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio: quia non erat ei locus in diuersorio.* Etsi Græca litera habeat, *eis*, mihi tamen Latina lectio, quæ legit in singulari, *ei*, magis placet. Christus enim, quo grauida erat B. Virgo, impedimentum præbuit, quò minùs in diuersorio locum haberent. Itaque ab eo tempore cęperunt tam B. Virgo, quã Ioseph, pati propter Christum: & omnes, qui grauidi sunt Christo, in mundo hoc, locum partus nõ habent, & pati ꝑpter Christum debent. Verbum: *Pannis eum inuoluit*, Græcè est vna tantùm dictio, ἐσπαργάνωσεν, quod est dicere, fasciauit, siue fascijs inuoluit; ne quis cogitet, laceros ac vetustate detritos, atque immundos pannos. Nam superiùs, vt ex B. Brigitta citauimus, lineos & laneos panniculos mundissimos attulit, vtpote futuri partus conscia. Ac quemadmodum B. Virgini tribuenda est paupertas, sic ab ea remouendæ sordes & immunditiæ. Si enim, vt B. Bernardus prudenter dixit: paupertatem semper dilexi, sordes nunquã: quid de sanctissima Virgine cogitandum est, quę omnis puritatis & mũditię quidam veluti fons est? Omnia autem nostra tametsi delicata & pretiosa, quid aliud sunt, si cum verbo incarnato conferantur, & quàm rudis & vilissimus pannus? Dominus autem humili atq; plebeio habitu personæ suæ, regiam dignitatem dissimulauit ac texit, vt sago illo in bello cõscisso appareret aurea vestis diuinitatis suæ. Hanc pęnam pro nobis suscepit filius Dei, vt cùm similia accidunt nobis, non putemus nobis iratum, sed potius placatũ Deum per Christum. Quare etsi mundus nos Deo charos ob has calamitates non existimet, confidamus tamen apud Angelos Dei, & pastores aliquos esse in honore nostras calamitates & miserias, esseque pro gloria Dei, & pace nostra.

Hæc lectio: Quia non erat ei in singulari locus in diuersorio, quàm commoda.

Quibus pannis mater Christum inuoluerit infantem.

D. Brigit. in lib. 7. c. 21. & 22. & 25.

Virginis matris puritas atque mũdities.

Christi humilitas & paupertas, quid doceat nos.

Sed cur non est natus fortis, vt fascijs nõ indigeret? Certè, vt ferret & sanctificaret nostram infirmitatem: vt exemplũ daret se nostra cura, nostroq; auxilio indigere, eoq; velle vti, atq; ita se à nobis beneficijs velle obstringi: vt dulciter ipsum amare inciperemus: vt in omni ętate ipsum ante oculos haberemus, neq; improuisus appareret, sed simul nobiscũ aleretur, & cresceret in virum perfectum. At inquies: Si affuissem Christo, magnum certè honorẽ illi impẽdissem. Credo, si eum agnouisses: nam alioqui idem egisses quod alij. Quare si nũc credis, en expositus tibi est Christus in pauperib. & infirmis: ibi te exerce. Hoc si non credis, detecta est incredulitas tua: sancti enim viri in sordibus plerunque esse deprehenduntur. Nam Deus contemptibilia huius mundi & humilia elegit, vt confundat ea, quæ in oculis mũdi sunt magna. Accusa ergò tuam infidelitatem, & fidem pete. Pãnis etiam inuolui Christus voluit, vt indicaret vilem abiectamq; humanitatẽ, cui ex amore coniungi sibi placuit. Vt doceret quoq; verbi Dei præcones simplicibus, mediaq; de plebe depromptis verbis, quasi pannis quibusdam inuoluere, & euoluere Euangelium iuxta verbum Apostoli: *Non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, &c.* Adhæc, vt doceret nos libenter pati pannos, ac pauperiem, quibus inuoluamur, & impediantur carnis nostræ actiones, vt ad diuina simus expediti, atque nos, in quã velit partem, adducat. Et siquidem in ijs pannis delinquimus, ipse nos absterget à sordibus nostris, vt mater infantem suum. Vbi verò Spiritu suo impleti creuerimus, soluet nos ad præclaras suas actiones. Quæ dicta sint propter eos, qui dicũt: Postquàm in religionem sum ingressus, graues patior tentationes, & interdum pecco. Ne dubita, Dominus absterget sordes tuas: & peiora, mihi crede, extra regulam tu admitteres. Cùm igitur in paupertate sumus, aut infirmitate, aut in religione arctati atque constricti nobis videmur, ne ad vindictam aut ad quoduis aliud scelus atq; flagitium prosiliamus: putemus esse ibi Dei fascias, qui nouit quid nobis expediat, expectemusq; ac oremus, donec facultatẽ ipse impertiat bene operandi, vel alios, vel ad id præstandum ducat. Et quomodocunq; nos tãdem liget Deus, & vinciat, efficiamur erga illum tanquam simplices infantes, eiusque lacte vitali nutriamur atq; pascamur. *Et reclinauit eũ in præsepio.* Locum vilissimũ elegit, eò

Cur fascijs inuolutus Dominus maiestatis.

Christum in quibus agnoscere possimus & honorare.

1. Cor. 2.

II. Ratio.

Quibus verbis in Euangelio proponendo concionatores vti debeant exẽplo Christi.

Infra 2.

III. Ratio.

Infans Iesus fascijs inuolutus, adstrictusque, quale nobis documentum præbeat.

quòd ipse sit, qui locum nobilitat, alioqui sordidum & vilem. In præsepi enim omnia sunt vilia visui, ingrata auditui, olfactu molesta, gustui insuauia, atque tactui dura ac aspera. Erantque ibi bos & asinus iuxta Isaiã, & ecclesiasticã picturã. Asinum enim, ad gestandam prægnantem Mariã, Ioseph secum adduxerat: nec .n. par erat, puellam teneram, vicinamq; partui, pedibus illud iter emetiri, nisi sine causa velim' multiplicare miracula. Bouem verò, aut ad expẽsas itineri suppeditãdas, aut ad censum Cæsari persoluendum secum ducebat: vt nonnulli pij Doctores meditantur. Tradit etiam Nicephorus Callist. exegisse Mariam & Ioseph per 40. dies in Bethleem, propter eã, quæ tum ipsis erat, substãtiam & possessionem, quam fortassis dotis nomine à Ioachimo ciue Bethleemita, parente virginis, Ioseph acceperat. Natale porrò Regum & Principum nihil habet admirationis: quid enim mirũ nasci in palatijs aureis, in mollibus & eburneis lectis, in summis denique delicijs, & in summa rerum omnium copia & abundantia? At hoc est verè admirandũ, Dominum cœli, & Regem Regum nasci in præsepi. Reclinatus ergò in præsepi est, vt implerentur Prophetiæ: primum quidem Habacuc dicentis (iuxta lectionem LXX.) *In medio duorum animalium cognosceris.* Deinde verò Isaiæ: *Cognouit*, inquit, *bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui; Israel autem me non cognouit, & populus meus non intellexit.* Quæ verba, etsi simpliciter de eiusmodi iumentis exponi possint, quæ & dominos agnoscunt suos, & præsepia, in quibus pabulum suppeditatur: atque in hoc, vt deteriores reprehendantur Iudæi, qui Dominum, creatorem, & pastorem suum ignorarunt, vt Basil. atq; Hieron. exponunt: tamen reuera prophetica eiusmodi verba sensum de Christi natiuit. capere possunt: quam cùm Herodes, Sacerdotes, Scribę atque Pharisęi ignorauerint, animalia tamen illa Christum fouendo quodammodò dici possunt agnouisse. Nam hac ratione ad redarguendam impietatem Balaam, introducitur asina loquens, & cum eo expostulans. Hieron. quoque similem querelã format, ait enim: *Miluus in cœlo cognouit tempus suum: turtur, & hirundo, & ciconia custodierunt tempus aduentus sui; populus autem meus non cognouit iudicium Domini.*

Isai. 1.
Bouem & asinum, cur Ioseph secum adduxerit.
Niceph. lib. 1. c. 13. init.
Puer Iesus cur in præsepi reclinari voluerit.
Habac. 3.
Isai. 1.
Basil. in Regul. fusiùs disputat. int. 2. circa med. to. 2.
Hiero. in cap. Isa. 1. tom. 5. init.
Num. 22.
2. Pet. 2.
& Iude.
Hierem. 8.
Orig. hom. in Luc. 13. in fin. tom. 2.

Et Origenes in Lucam loquens de Christo iacente in præsepio, sic exponit: *Illud* inquit, *erat de quo Propheta vaticinatus est, dicens: cognouit bos possessorem suũ, & asinus præsepe Domini sui. Bos animal mundum est; asinus animal immundum. Cognouit asinus præsepe domini sui. Non populus Israel cognouit præsepe domini sui, sed immũdum animal ex gentibus.* Audi quoque Gregorium Nyssen. ser. de sancta Christi Natiuit. pulchrè de his animalibus philosophantem: *Præsepe*, inquit, *rationis, atq; sermonis expertium animalium domicilium est, in quo sermo nascitur, vt bos agnosceret possessorem suũ, & asinus præsepe domini sui. Bos subditus legi, asinus oneribus portandis destinatũ animal, quod peccato simulachrorum cultus oneratum atq; grauatum est. At brutis quidem conueniens cibus, & victus gramen ac fœnum est. Qui producit enim gramen, & fœnũ pecoribus, inquit Propheta: rationale autem animal pane nutritur. Quamobrem idcircò præsepio, quod est habitaculum brutorum, is, qui de cœlo descendit, panis vitæ proponitur, vt etiã bruta rationali inuicem sumpto cibo, rationem adipiscãtur. Medius igitur inter bouem & asinum in præsepio vtriusque Dominus est, vt soluto interstitio sepis, ambos in sese creet in vnum nouum hominem: & ob hoc, graue iugum legis auferat, & illum simulachrorum cultus onere leuet.* Sic ille bonus pater. Verba hæc etiam de Christi natiuit. interpretatur in Lucam Ambros. hoc modo: *Quia in pannis est, vides, quia in cœlis est non vides. Infantis audis vagitus, non audis bouis dominũ agnoscentis mugitus. Agnouit enim bos possessorem suum, & asina præsepe domini sui. Imò præsepiũ dixerim, sicut dixit qui transtulit. Nihil enim apud me distat in verbo, quod non distat in sensu. Nam si orator (Demosthenem intelligit) illorum qui phaleras sermonum sequuntur, negat in hoc fortunas positas esse Græciæ, hoc, an illo verbo vsus sit, sed rem spectandam putat: si ipsi philosophi eorũ, qui totos dies in disputatione consumunt, minus Latinu, & receptu vsi sermonibus sunt, vt proprijs vterentur: quantò magis nos negligere verba debemus, spectare mysteria, quibus vincit sermonis vtilitas, quòd operum miracula diuinorum nullis venustata sermonibus, veritatis suæ lumine refulserunt? Deniq; asinam irrationabilem nõ succo deliciarum, sed succo naturalis alimoniæ præsepia sancta pauerunt. Hic est Dominus, hoc præsepe, quo nobis diuinum mysterium reuelatũ est, irrationabiles gentes pecudum intra præsepia more viuentes, alimonia sacra vbertate pascendas.* Hæc ille: quæ non modò locum Prophetæ de ortu Christi explicãt, verum etiã (quod diximus) mentionem facit de pannis verborum vilium & humilium, quibus exponendum est Euangeliũ. Atque ita de more in mysterio natiuitat. bos, & asina depingi consueuerunt. Vtrumq; autem animal est rude atque simplex. Nimirum ipse Dominus dixit: *Abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* Et qui olim, inquit: *Non arabis in boue simul & asino*: eos nunc coniunctos natiuitatis suæ voluit esse

Isai. 1.
Gregor. Nyss.
Bouis & asini allegoria pulchra.
Psal. 103.
Ioan. 6.
Ephes. 2.
Matt. 11.
Ambros. li. 2. in Luc. c. 14. à med. to. 5. init.
Ambrosio nihil distat in verbo, quod non distat in sensu.
Quibus verbis exponendum sit Euangeliũ.
Quibus reuelet sua abscondita Deus.
Matth. 11.
Deut. 22.

testes, vt indicaret quantumuis varios ritibus, & moribus discordes, non futuros tamen natiuitatis huius, fœlicitatisq; expertes: maximè si, quemadmodum animalia hæc spiritu, caloreque suo Christum fouerunt, ita & nos ipsum fide & confessione profiteamur, cumq; in egenis & pauperib. foueamus. Regiū quiddam esse ab animantibus ali, quidam scripserunt: vnde Cyrum Persarum Regē à cane educatum; Romulū quoq; ac Remū à Lupa alitos fuisse perhibetur: itaq; illud idē Christo contigisse.

Quos Reges aluerint animantes, secundùm aliquos: quidque de hoc sentiendū sit.

Verùm hoc parum veritati consonare videtur. Nam Christus ab illis animalibus non fuit educatus: & quod traditur de Cyro, & Romulo & Remo, existimo esse fabulosum, idq; etiam de eodē Romulo (nā Remi fratris non meminit) falsum esse, ex Liuio dubitante, probat Lactantius. Illud autem verissimum est, in altari sancto proponi nobis, quasi in quodā spirituali præsepi, panem supersubstantialem & cœlestē ad edendum sanctis animalibus & iumētis: de quorum numero erat Dauid, qui dixit: *Vt iumentū factus sum apud te, & ego semper tecum.* Illud etiam rursus est exploratū, plures Christo proximos ac vicinos (quod ad habitū, externaq; attinet) inueniri propter lucrum, & commoda temporalia venāda, quibus expleantur: qua ratione multi Ecclesiastici sacerdotia pinguia, & Episcopatus ob prouentus temporarios ad se, suosq; ditandos libenter amplectuntur. Religiosi verò nonnulli, vt habeant vnde laute viuant, & splendidè vestiantur, & laborē fugiant, otium consectentur, monasterio se affigunt; cùm tamē animales, & ratione carentes sint, & nihil eorum, quæ sunt spiritualia, sapiant. Cœpit igitur Christus hac tanta paupertatis & professione salutē nostram operari, quam in cruce perfecit: qui enim verus Deus erat, induit humanitatē, qua salutem impertiat omnibus. In cruce verò *vermis est, & non homo; opprobrium hominum, & abiectio plebis:* nascitur infans, ac velut idiota, qui fari nescit: passionis tēpore, vt stultus ac nesciens Herodi ac Pilato respōdere, deridetur. Nascitur nudus coram matre: exaltabitur nudus in cruce coram omnib. Cùm oritur, locum habet in diuersorio: dum viuit, nec in Hierusalem, nec alibi locum habebat, vbi caput suum reclinaret: in morte neq; sepulturam propriam habuit. Rursus nascitur sub mediā noctem: morietur post meridiem in densissimis eclipsis tenebris. Natus à matre vincitur fascijs, & ligatur: verùm, instante nece, crudeliter manibus, pedibusque funibus constringetur. Dum infans est, finit se gestari à matre, vt impotens & imbecillis: at post hæc Iudæorum furore trahetur, & in alto crucis loco sustinebitur. Cœpit, vbi primum natus est, vagitu & eiulatu, & lacrymis genas perfundere: sed hunc planctum perfecit, ac gemitum, quando, vt Apostolus ait: *Cum clamore valido, & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia.* Quærit, dū puer est, pectus matris, vt calore simul, & lacte foueatur, alaturque: at nudus in passione, atque eius siti vehementissimæ acetum, & fel porrigetur. Natus in stabulo, loco fœtenti, reclinatur in præsepio: moriturus producitur in locum graueolētem, nempe in montem Caluariæ, & in aspero crucis lecto reclinatur. Nascitur in obedientia August. Cæsaris: morietur ex obedientia Pilati vicem Imperatoris Tiberij gerentis. Natus inter duo animalia statuitur: acturus animā inter duos latrones collocabitur. Vides igitur quanta sit conuenientia inter Christum puerum, & inter Christum virum? inter pręsepe & crucem? inter exordium vitæ & finem? Afflicta fuit beatiss. Virgo in tam incōmodo loco Dei filium pariendo: sed non minùs, imò multò magis afflicta est propter Christum in cruce moribundum. Quare meritò opus fuit fortissima matre, talem quę filium tali loco edere posset, & quæ illi agenti animā constanter assisteret. Ingredere igitur, ingredere pie lector in illam speluncam, aut stabulū, oculisq; fidei intuere Iesum infantem in præsepio reclinatum, duo inter animalia constitutum. Considera illa pretiosa aulæa, quibus loci illius parietes ornantur, ac vestiuntur, telas scilicet aranearum: animo vndique collustra omnes eius loci sordes, fœtorem, incommoditatem, frigus. Contemplare puellam virginem & matrē, reginam mundi, fœno, loco puluinaris insidentem, infantiq; nato sedulò ministrantem: tum disce à Christo ex cathedra præsepis, factis docente. Clamat enim pręsepiū contra immania nostra, insanaq; ædificia, in quibus velut in diuersorio est cōmorandum ad tempus. Clamāt stragula ex fœno. Clamatq; etiam præsepe, & damnat lectos nostros aureos, omniq; mollicie refertos. Clamant panni, nostrumq; in vestitu splendorem condemnant. Clamant lacrymæ, ac nostros immoderatos risus accusant. Clamat iterum præsepium, & lac paruum, quo pastus est, contra nostra lauta cōuiuia. Clamant illa animalia, quæ, teste Propheta, dominum suum cognouerunt, & nostrum ingrati animi vitium reprehendunt. Clamant rursus bos & asinus, quos ipse Dominus suæ natiuitatis voluit esse testes: docentque

T. Liuius. Lactant. lib. 1. instit. diuin. c. 20. init.

Panem supersubstantialem, quales edant animantes.

Psal. 22.

Ecclesiasticorum simul ac Religiosorum quorundam indign. Christo adhærendi modus.

1. Cor. 2.

Christi paupertatis insignia.

Psal. 21.

Luc. 23.

Christi pueri & eiusdem viri conuenientia.

Luc. 9.

Infrà 23.

Ibidem.

Hebr. 6.

Matth. 27.

Psal. 68.

Matth. 27.

Luc. 2.

Infrà 23.

Isai. 61.

Luc. 23.

Quali eguerit matre Dei filius factus homo.

Meditanda, quæ in ortu Christi Saluatoris.

Isa. 1.

Qui in comites, sociosue nobis asciscendi.

centq; nos, vt circumspiciamus illos, quos in comites nobis asciscimus. Tot enim dolis, proditionibus, ac fraudibus vita hominum corrupta est, vt præstet, vel cum belluis degere, quam inter homines superbos, maledicentiæ, gulæque, ac ventri deditos vitam agere. vbi ergo in stabulum ingressus, omnia hęc fidei oculis perspexeris, supplex adora Dominum tuum. Sic enim fiet, vt tanti mysterij gustum percipias, & Patri æterno agas gratias, cui cum Filio, & Spiritu sancto sit sempiterna laus, maiestas, & imperium in secula seculorum: Amen.

TRACTATVS XXXIV.

In illa verba: *Et pastores erant in regione eadem vigilantes, &c.* vsque ad: *Et hoc vobis signum; inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio.* Luc. 2.

Quibus primum, ac per quos Christi natiuitas innotuerit.

DIctum est de Christi natiuitate, nunc illud explicandum, quibus primùm, & per quos hæc fuerit reuelata. Quibus autem potissimum debuerit Christus innotescere pauper, nisi pauperibus, & qui fastum, & voluptatem huius seculi non curant; sed aspernantur? tales enim citius, & alacrius acceptant Euangelium. Non ergo ad ciues Bethleem, nec ad eos, qui in diuersorio morabantur; nõ ad Herodem, vel Augustum, superbos homines, Christum natum vt annuntiaret, missus est Angelus; verum ad pastores simplices, & bonos, qui sanctos Christi patres, vt Abraham, Isaac, & Iacob, Mosen, & Dauidem in officio sectabantur. Erant illi pastores in eadẽ regione; quia iuxta turrim quãdam, vt fertur, Bethleem inter atque Hierusalem sitam consistebant, vbi Iacob de Mesopotamia rediens cũ suis gregibus diuersatus est: vbi mortua, sepultaque Rachel est. Distabatq; à Bethleeem per milliare: dicebaturque turris gregis, quod ad illam noctu sese reciperent pecudum greges. De qua liber Genesis; *Egressus inde* (scilicet à Bethleem) *fixit Tabernaculum trans turrem Ader*, pro quo interpres noster vertit; Turrem gregis. Qua de illud Michææ exponunt quidam: *Et tu Turris gregis, nebulosa filia Sion vsque ad te veniet: & veniet potestas prima, regnum filiæ Hierusalem.* Hoc est, Christus, qui Dei virtus est, & Dei sapientia, & Dei regnum. Christum autem ibidẽ annunciarat Angelus pastoribus. Quãquam B. Hieronymus per Turrim nebulosam gregis, intelligat templum ad literam, ob multitudinem animalium, quæ

In qua regione boni illi pastores habitarent, pascentes gregem suum.
Gen. 31.
Ibidem.
Gen. 35.
Mich. 4.
Turris gregis apud Michæam quid mystice.
B. Hieron. tom. 6.

mactabantur Deo quotidie; nebulosam vero, propter continuum ex sacrificijs fumi sursum ascendentem. Verbo, nebulosa, interpretatus est Hieronymus vocem Hebræam, Ophel, quam reliquit ininterpretatam 2. Paralipom. 27. & 33. & Nehem. 3. & scribens in cap. 32. Isaiæ: *Hebræi*, inquit, *duas turres in Hierusalem fuisse arbitrantur quæ his appellantur nominibus. Ophel scilicet, & Bachan. Quarum prior interpretatur tenebræ, siue nubilum, quod vsque ad nubes erigeret caput; altera, probamentum, & firmitas, siue, vt Symmachus vertit, inquisitio, eo quod in contemplando culmine eius oculi fallerentur.* Ita ille. Pulchrè igitur pastoribus pauperibus annunciatur pastor pauper Christus. Sunt etiam pastores simplices, quibus Deus magis solet fidere: alij etiam magis possunt illis fidem habere, quandoquidem non solent sucare veritatem, nec immiscent suorũ mendaciorum aquam vino Spiritus sancti. Voluit præterea Deus nobis indicare, quàm sint ei chari vilissimi homines, & ipso Euangelij exordio ostendere, qui potissimum assumendi essent ad percipienda Messiæ mysteria, & alijs propalãda, nimirum simplices idiotæ, & contempti, iuxta illud Pauli: *Quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, vt confundat sapientes.* Insinuauit quoque mystice hoc facto, necesse esse, vt rationabilium omnium pastores primò diuina Sacramenta percipiãt, vt deinceps ea ouibus sibi creditis communicare, & annunciare valeant. Non ergo Angelus, inquam, Principibus Herodi, Augusto, Scribis, Pharisæis, eisue qui in diuersorio erant, ortum Christum annunciauit: quoniam homines egent Deo, non Deus hominibus, qui potens est de lapidibus quibuscunque suscitare filios Abrahæ. Homo enim eligit homines, at Deus efficit. Voluit etiam, vt discamus ab eo vere humiliari: nã si te humilies vbi agnitus es, humiliari non potes propter eos, quibus humilitas tua grauis est, & qui multo facilius tibi seruiunt, quàm vt à te sibi ministrari sustineant: Quare si verè humilis velis esse, ibi te humiles oportet, vbi non est honori ipsa humilitas, vbi non agnosceris, vbi te homines opus habeant, & vtantur opera tua. Si ijs qui in diuersorio erant, Angelus Christus nunciaret; iam non gloria in Altissimis Deo quæri videretur, sed ipsi puero in præsepio reclinato: adeoq; non humilitatem, at gloriã humilitatis videretur quęsisse statim ostẽsus. Nunc autẽ quãdo persunctus est omni humilitate, & per omnes gradus humilitatis incessit, dicere potest electis, *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde.* Videte qui nocuerit mihi humilitas mea, vt nobis n

Alter sensus.
Idem to. 6.
Christus potissimum cur pastoribus annunciatus.
II. Ratio.
1. Cor. 1.
III. Ratio.
Psal. 15.
Matth. 3.
IV. Ratio.
Quomodo vere humilis esse quis debeat.
Duo nobis gradus humilitatis a Christo commendati.
Matt. 11.

mittendus, sed annunciandus est venturus ad iudicandum viuos, & mortuos: vt ipse fecit, cum ab eis teneretur ad necem. Dixit enim eis. *Ego sum Christus Filius Dei: & amodò videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli:*

Matt. 26.

Vigiliæ nocturnæ quatuor quæ nam illæ. Mar. 6.

Custodire vigilias noctis, mysticè quid.

Quis ille Angelus domini ortum Christi annunciavit pastoribus, Luc. 1.

Quid, quod idem stetit Angelus iuxta illos.

Erant autem vigiliæ nocturnæ quatuor, vt docet Euangelium: nam Mar. 6. *Venit Iesus quarta vigilia noctis ad eos ambulans supra mare.* Debent ergo boni, & veri pastores in eadem, in qua Christus nascitur, regione, id est, Ecclesia, quatuor noctis vigilias in obseruantia Euangeliorum custodire: doceanturque tales ab Angelis, vt populos suos instruant. *Et ecce Angelus Domini stetit iuxta illos.* Angelus Mariæ, qui etiam Zachariæ ortum Præcursoris prænuntiauit, & idem Angelus Ioseph, & iam pastoribus Christum verum Messiam annuntiat: hic est Gabriel minister verbi. Diciturque stetisse iuxta illos, seu vt Græca habet litera, ἐπέστη, hoc est, supra illos in aere, non procul. Et vtrumque verum est, quia sunt iuxta nos, per amorem; supra nos verò, autoritate, & natura superiori celsiorique, de quo psaltes, Minuisti eum paullo minus ab Angelis. *Et claritas Dei circumfulsit illos.* Verè se Angelum lucis ostendit, & impleta est prophetia: *Nox sicut dies illuminabitur.* Et lux lucem ostendit, vt stella Magos perduxit ad stellam matutinam Christum. Estque illa claritas typus lucis Euangelicæ, qua cernitur Messias: vnde & Græcè dicitur δόξα id est, gloria, maiestas Domini. Non ergo lux Syderea, aut claritas Angelica, sed claritas quædam per se ferens diuinam Maiestatē, & Domini nati gloriam. Olim quidem sine luce apparebant Angeli; cum luce in Nouo Testamento, ob lucem nouæ legis significandā. Et vide quid rei agatur. Christus est in obscuro, & nuncius eius in lumine ipsius, ac si ipse velit beneficio affici à suis, & copiosius sua bona possit refundere. Sic & opera humilitatis nostræ, quę apud nos contēptibilia, & nullius pretij videntur, pretiosa sunt & illustria in conspectu Dei nostri, & Angelorum, atque amicorum eius, qui versantur in lumine. Sequitur: *Et timuerunt timore magno.* Propter rei nouitatem, & insolentiam, licet benignitate Dei plenam, & merita nostra longè superantem timuerunt. Et timor præcedit gaudium, sicut lex Euangelium, & sicut crux ipsam gloriam. Euangelici etiā nuncij terrent nos, tantum absumus à nostra felicitate. Sed quid faciemus, cum millia millium videbimus Angelorum? Cum ipsam Dei inaccessam lucem cernemus? Periremus profectò, nisi ante per Christum esse-

Psalm. 8.
Hebr. 2.

Claritas Dei quare circumfulsit pastores.

Psalm. 138.
Matth. 2.
Apoc. 2.

Δόξα Græcè quid.

Cur olim sine luce apparebant Angeli, cum luce verò in Nouo Testamento.

Pastores cur timuerint timore magno.

Regenerationis nostræ per Christum ante æternæ gloriæ assecutionem caussa.

mus innouati: nam Euangelium deterret necdum in Christo renatos. Ideo oportet nasci denuò, vt idonei simus ad ferendam nostram felicitatem: alioqui non esset aditus illam ingressus, eiusque aspectum tanquam solem, velut noctuæ quędam, refugeremus. Perspice lector, quanta cum Angelo Christi sit lux, quanta cum Mose fuit: & tamen Christus in tenebris est, corporis nostri velo tectus; cum tamen ipse lux sit cordium nostrorum illuminans interiora. In trāsfiguratione verò, & in altera vita, quid sit, ostensurus est nobis, & cum apparuerit, similes ei erimus, & videbimus eum sicuti est. Ipse interim Deus in carne erat, nihil à cæteris infantibus differens in hoc. Sic & in Sacramēto panis Sacrosanctus, nihil differt à communi pane, ac ne gustu quidem: & tamen ibi est corpus Christi, quod splendet in cœlo, in cordibusq; fidelium. *Et dixit illis Angelus, Nolite timere.* Ab apparitione, quasi sit phantasma: nec à claritate, quasi fulgur item sit: neque rursus à morte imminenti, quia olim videnti Deum interitus imminebat: quemadmodum Bethsamitis arcā Domini, in qua Deus repræsentabatur, aspicientibus mors cōtigit: & parentes Sāpsonis dixerunt: *Morte moriemur, quia vidimus Dominum.* Nunc autem in Euangelio nolentibus videre Dominum, periculum mortis imminet. Nolitè etiam timere, quia nuncij sumus non timoris, sed bonę spei: nam gaudium magnum annunciamus. Nec enim sic timendum est, vt fiducia, & amor erga Deū non simul adiungātur. Ne timeatis à vestra indignitate, *quia complacuit Patri vestro dare vobis regnū.* Neq; timeatis à nobis, quasi nos arcere velimus vos ab arbore vitæ, quēadmodum olim parentes primos vestros eiecimus; sed introducere vos volumus ad eū, qui est autor vitæ, verum lignum vitæ, fōs aquæ salientis in vitam æternam, & panis vitę, qui de cælo descendit: cuius est scribere nomina vestra in libro vitæ: cuius etiam solius est legitimè certantibus retribuere coronam vitæ. Ne timete etiam à re vobis euangelizata, quia si hic natus non fuisset, multa vobis merito timenda essent: sed vnus hic ea vobis adimit omnia, & securos reddit. *Ecce enim Euangelizo vobis.* Rarum quiddam mirum, magnum & nouū: quid enim magis nouum, aut magis insolitum quā Deus & homo, mater & virgo, viator & comprehensor, diues & pauper, sapientia & infantia, potentia & infirmitas, innocentia & pœna? *Gaudium.* Gaudium more nostro vocat gaudij materiam. Si tantem gaudium fuit, Isaac nato, ipsi Saræ, ita vt gaudio, & risu vocauerit ipsum Isaac, &

1. Tim. 6.
Ioan. 3.

Christi vel obscuri quanta lux.

Exod. 34.
1. Ioan. 3.

Lux Christi immensa quibus modo velut tenebris abscondita, tectaque.

Pastores in ortu saluatoris quid minime timere debebant.

1. Reg. 6.
Iudic. 13.

Quam dispar omnino in lege ac modo in Euangelio, dominum videntis conditio.

Aliqui timores abijciendi pastoribus a nobis.

Luc. 12.
Gen. 3.

Ad Christum cur veniendum.

Ioan. 4.
Infra. 6.
Luc. 10.
2. Tim. 2.
Apoc. 2.

Alius quoque timor pellendus.

Quid post Deum magis nouum sit, & admirabile.

Christus na[illegible]

Gen. 21.

Vnde appellatus Isaac. & mater dixerit: *Risum fecit mihi Dominus, & quicunq; audierit, corridebit mihi:* Quantò est æquius, vt Mariæ Virgini tantùm gaudium parienti congratulemur, & corrideamus? *Cur gaudendum, atque lętandum de natali Domini.* Cum Regi primogenitus nascitur, pręlætitia fremit populus; luminaribus, ludis, conuiuijs, facibus, alijsque eiusmodi congratulationis argumentis declarat, atq; testatur animum suum; qui tamen plerumq; in exitium ipsiusmet populi nascitur, nec à quoquam populari homine, ac sibi subdito inuenitur differre, nisi sola ratione: quãto igitur gaudio à nobis Christus excipiendus, *Principes à popularibus vt differant.* qui primogenitus Dei, atque Virginis est, & ad salutem nostram promouendam nascitur, vt vates cecinit; *Isa. 9.* *Puer natus est nobis, & filius datus est nobis?* *II. Ratio gaudij nostri de ortu Saluatoris.* Adhæc si Sol dum oritur, aduentu suo lætificat vniuersa, pellit tenebras, auiculę cantitant, herbæ reuiuiscunt, aperiuntur flores, & ad solem ipsum se conuertunt. Decet ergo & nos, ne deteriores ipsis creaturis sensus expertibus velimus esse, ad huius iustitiæ Solis ortum exultare præ gaudio, eiusque laudes celebrare, & decantare, atque ad eius cursum, & progressum imitandum conuerti. *Vobis*, inquit, *Malach. 4.* Propheta, *timentibus nomen Domini, orietur Sol iustitiæ.* *Seraphici Frãcisci mirus in diem natalem domini pietatis ardor.* B. Franciscus, vir planè Apostolicæ vitæ, Oriente sole, mirificè delectabatur, quod in illo imaginem quandam, & effigiem Christi ortus ex sanctissima Deipara expressam cernere sibi videretur: atque in ipsa natiuitatis Christi nocte non exiguam frumenti mensuram per agrum fertur disseminasse, vt auiculæ mane surgentes eo vescerentur, Christique nati laudes suo modo libentius, atque liberius decantarent.

Christus item cur magnum gaudium appelletur. Dicitur etiam Christus gaudium magnum: quia infinitum gaudiũ in se toti Trinitatis existit. *Idem quomodo gaudiũ angelorum.* Angelorũ quoque potest dici gaudiũ, quia eorum caput est, & princeps; vt propterea dixerit Petrus; *Ephes. 1.* *Colos. 2.* *In quem desiderant Angeli prospicere.* Credentium verò, & fidelium omnium communis lætitia est, & exultatio. *1. Pet. 1.* Idem enim ait Petrus; *Cur gaudium sit etiam fidelium.* *Quem cum non videritis, diligitis: in quem nunc quoque non videntes creditis: credentes autem exultabitis lætitia inenarrabili, & glorificata.* *Ibidem.* *Christus qualę gaudium sit.* quippe eiusmodi gaudium in anima primum, inde verò in corpus transfunditur. Purum est, nulla admixtum tristitia; quod si adsit vlla, cõuertitur in materiam gaudij. Durabile est, ac perpetuum; nam pręmij loco promittitur, secundum illud; *Matt. 25.* *Intra in gaudium domini tui.* Postremò amitti non potest, vt Dominus asseruit: *Ioan 16.* *Gaudium vestrum nemo tollet à vobis:* intellige, prӕter nos ipsos, qui soli nobis possumus inferre hoc damnum. *Gaudium nostrum quod est Christus, qui soli nobis possint auferre.* Porrò hoc gaudium non cum omnibus communicatur, quoniam plerique delectationibus belluinis, atq; obscœnis pleni sunt: qui spiritualia percipere nequeunt. *1. Cor. 2.* *Quod erit omni populo.* *Christus vt gaudium fuerit omni populo.* Magnum verè sit oportet, quod erit omni populo: quis enim expleat tam auidas hominum voluntates? quis tot mœrores abstergat? quis tot vana ac puerilia hominum gaudia, quibus tenentur, & ad quæ inhiant, ad nihilum redigat? Quare magnũ ac solidum, vt dixi, gaudium sit oportet, quo satisfiat omnibus. *Col. 2.* *Gen. 49.* *Agg. 2.* Sed in Christo sunt omnes thesauri sapientię, & scientiæ Dei. *Gen. 49.* *Psal. 21.* Ipse dicitur Desiderium collium æternorum: ipse desideratus cunctis gentibus: ipsum populus non modo pręsens, & qui cõsecuturus est, sed etiam qui præterijt, desiderauit. *Ioan. 8.* *Gen. 22.* *Nam Abraham desiderauit videre diẽ eius: & vidit, & gauisus est.* *Luc. 10.* Ipse etiam Dominus dixit; *Christum habens, quid habeat ille.* *Multi Prophetæ, & Reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, non audierunt.* Si ergo oculis fidei intelligas tibi Christum datum, & natum, habes omnia desideria tua in illo. Sic enim Salomon testatus est; *Sap. 7.* *Venerunt*, inquit, *mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius:* & Paulus: *Rom. 8.* *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, & cæt. quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* Meritò etiam dixit: *Omni populo:* *Iudæis non tantum, sed etiam Gentibus Christũ natum esse vnde constet.* quia non modo Iudęis, verum etiam Gentibus natus est, vt euocatio pastorum per Angelum, & Magorum per stellam satis apertè indicat. *Matth. 2.*

Quia natus est vobis hodie Saluator.

Explicandum esset hic quis sit ille qui natus est: ad quid etiam natus sit; quando, vbi & quomodo natus est: sed quoniã tria hæc exposita superiori tractatu sunt, tantùm duo priora prosequemur. *Quis ille qui natus est.* Quis ergo est hic qui natus est? Christus Dominus, & Saluator. *Col. 2.* *Christus quantum bonum sit.* Est autẽ Christus, liber, *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi:* Speculum, in quo cernitur omnis veritas: Fõs, in quo gustatur omnis dulcedo: Arca, in qua reperiuntur omnia pretiosa: margaritum, cui omnes virtutes insunt: Lex omnes corrigens actiones, & mundi totius leges dirigens: Manna, continens omnem saporem: Panis, satians omnem famem: *Ioan. 6.* Medicina, sanans omnem morbum: Flos odore, & fragrantia sua mundum replens, & ad se trahens: Sol pellens omnes tenebras: Forma, & pulchritudo omnem tollens deformitatem. Denique ipse Rex est, magister, medicus, saluator, pastor, amicus, frater, sponsus, pater, & Dominus. *Iræ filij qui soli secundum Apostolum.* *Ephes. 2.* Natus est ergo Saluator. Ergo non est filius iræ, vt cæteri nascuntur, ergo sanctus est, imò etiã Deus:

Chriſtus quare ſaluator.

nam eius eſt ſaluum reddere, cuius fuit cõdere. Si Saluator eſt, ergo liberat à peccato, à ſeruitute dæmonis, ab interitu, atq; ab omni infirmitate, & corruptione Si Saluator eſt omnium, ergo primo matrem excellenti prærogatiuo ſaluauit, prçſeruando non ſolùm ab omni crimine etiã originali, ac dæmonis tyrannide, verumetiam ab omni virginitatis iniuria, ab omni geſtandi infantis labore, & moleſtia, à dolore partus. Si Saluator eſt, quomodo multis fuit ad ruinam? nimirum certè ob eorum, qui eum non ſuſceperunt, flagitia, ſed reuerſuri ſunt ad tenebras ſuas. Si Saluator natus eſt, gaudeat qui ſe nouit perijſſe, & cupit liberari. Sed nunquid nunc Saluator natus eſt, qui non ſaluaret antè, & ex hoc tempore incipit ſaluare? an verò is, qui ſemper ſaluauit, & ſine quo ſaluatur nemo, nec vllus abſque eo ſalutem conſequetur? Nunc naſcitur, & propior ſit noſtra ſalus, quàm cũ credidimus. Vocatur autem Dominus, quoniam Rex natus ab vtero eſt, plenus ſapientia regnandi, & iuſtitia, & fortitudine, Dominus vniuerſi, & omnium hominum & Angelorum: cui meritò nos in ſeruos ſubijcere, vt vero domino noſtro, par eſt. Ipſe namque non ſolum creatione, ſed etiam redemptione dominium ſibi comparauit. Natus eſt etiã Chriſtus, id eſt, vnctus: apud Hebræos autem vncti dicuntur, qui ſunt dilecti à Deo, & donis atque muneribus, prç cæteris, honeſtati: vniuerſi igitur ad Dei Eccleſiam ſpectantes Chriſtiani, nimirum, de vnctione eius participantes, dicuntur. Quia verò dona nõniſi cum ſapiẽtia à Deo procedunt, iuxta miniſterium, ad quod quisque ſeligitur: hinc fit, vt, qui in Eccleſia priuatam vitam ducunt, nec proximi vltra commune mandatum curã gerunt, communi gratiæ munere cohoneſtentur, communiterque vncti ſint: alij verò ſunt, qui alijs præficiuntur, atque hi maioribus ratione officij prærogatiuis ornantur, magiſque vncti ſunt. Porrò in Eccleſia Dei tria præcipua officia inueniuntur. Primum quidem eſt, Sacerdotium, ad recõciliandos in gratiam Dei peccatores, inſtitutum. Secundum eſt, Prophetia ad eos, qui Deo reconciliantur, fide ac moribus inſtituendos. Tertium, Regia, ſiue paſtoralis autoritas, ad poteſtate dirigendum ſubiectos populos, atq;, ſi opus ſit, cogendum, remunerandum, ac puniendum, prçcipiendum, atque prohibendum; qua ratione apud Hebræos vngebantur, qui erant futuri Reges, Sacerdotes, atq; Prophetæ, vt apertè habes de Saule, Dauide, & Salomone: de vnctione verò Sacerdotum agitur Leuit. 8. & Exod. 29. vbi ait Dominus ad Moſen. *Oleum vnctionis fundes ſuper caput eius, atque hoc ritu conſecrabitur*; de quo quidẽ oleo ait Dauid, pſal. 132. *Sicut vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron, &c.* de vnctione Prophetarum ſermo eſt. 3 Reg. 19. vbi Helias Heliſæum ex Domini mãdato in Prophetam vnxit. Oleum verò, quo vngebantur hi omnes, non erat ſimplex, ſed commixtũ: erat enim confectum ex myrrha electa ad ſiclos quingentos, & de cinnamomo ad 250. & ex calamo ad eandem menſuram, & ex caſſia ad 500. oleoque oliuæ ad menſuram Hin, vt habetur Exod. 29. Qui ergo in Sacris literis Ieſus dictus eſt Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, & figuratus in ſummo veteri Sacerdote, alienus ab omni peccato, vnica hoſtia omnibus hominibus placauit Deũ, ſemperque exauditus eſt pro ſua reuerentia, ſummoq; erga Deũ cultu, atq; obſeruantia, meritò Meſſias nominatur tanquam vnctus ad Pontificatum. Quoniam verò proprio ore legem perfectiſſimam nunquamque abolendam, nempè Euangelicã tradidit: iure Propheta ſummus eſt in Heliſæo vncto figuratus, qui interpretatur, ſalus Dei: vt vel nomine ipſo Ieſum Saluatorem adumbraret. Habuit prçterea duplicem ſpiritum Hæliſæus: vt Chriſtum primogenitum deſignaret, cui Spiritus ſine menſura donatus eſt, quẽ omnes, qui tempore eum anteceſſerunt, Prophetæ participarunt: atque hic eſt inſignis ille propheta à Deo per Moſen pronunciatus, cuius in ore poſita erant Dei verba, quę ſi quis non audierit, Deum ſentiet vindicem & vltorem. Adhæc, cum data ſit Chriſto omnis poteſtas in cœlo, & in terra, vt regat ipſos etiam Reges, qui eſt Rex regũ, & dominus dominantium, & paſcat ipſos paſtores, qui paſtorum Princeps dicitur: meritò vnctus fuit ad regnum, ſiue officiũ paſcendi ſupremum: in Dauide repræſentatus, *Super cuius thronum & ſolium ſedit, &c.* præſiguratus etiam in Rege Salomone, cuius regnum tranquillum fuit, atque pacificum: de quo Deus: *Iudicium tuum Regi da, & iuſtitiã tuam filio Regis*: & iterum: *Ego ero ei in patrem, & ipſe erit mihi in filium.* Et rurſus Hieremias: *Suſcitabo Dauid germen iuſtum, & regnabit rex, & ſapiens erit: & faciet iudicium, & iuſtitiam in terra, in diebus illis, &cæt.*

Cum itaque tria hæc officia ſummè Ieſu competant, ſummeq; ſit dilectus, & plenitudine gratiæ cohoneſtatus, meritò ſolus eminenter dicitur Chriſtus: reliqui verò antiqui Reges, ſiue ſummi Sacerdotes, ſiue Prophetæ, haud ſimpliciter, verũ ſecundũ

partem

Luc. 2.
Si Chriſtus Saluator eſt, quomodo multis fuit ad ruinam? Chriſtus cur Dominus appelletur.

Rom. 13.
Matth. 2.
Hier. 23.

Chriſti nomẽ quid ſonet.

Pſalm. 44.
Hebr. 1.

Vnde aliqui præ alijs à Deo magis vncti.

Triplex officium in Eccleſia ſummum in Chriſto.

Qui vngerentur olim.
1. Reg. 10.
1. Reg. 16.
3. Reg. 1.

Leuit. 8.
Exod. 20.
Pſalm. 132.

3. Reg. 19.

Quo vngerentur oleo.

Exod. 29.
Chriſtus quare dictus Meſſias.
Pſalm. 109.
Heb. 7. & alibi.
Heb. 10.
Supra 5.

Hierem. 31.
Hebr. 8.
Chriſtum figurauit Eliſæus duplici ſpiritu: Eliſæus quid ſonet.
3 Reg. 19.
4. Reg. 2.
Ioan. 3.
Deut. 18.
Chriſtus qualis Propheta.
Matth. vlt.
Pſalm. 2.
Apoc. 19.
1. Tim. vlt. & alibi paſſim.
Iſa. 9.
Luc. 1.

Chriſtus quare vnctus rex: & in quibus regibus repræſentatus ſit.
Pſalm. 71.
2 Reg. 7. & alibi paſſim.
Hiere. 23.

Chriſti excellentia in regno, ſacerdotio, & Prophetia.

partem Christi dicebantur, atque ob id potissimum, quod hunc nostrum Christum præfigurarét: qua ratione imago, & res per eam repræsentata, idem nomen sortiuntur. Nos vero, Christum qui sequimur, non Christi, sed nouo nomine Christiani vocamur, quemadmodum docet B. Ignatius epistola ad Magnesianos ex verbis prophetæ Isaiæ: *Vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit:* & Cyrillus catechesi 10. ex verbis eiusdem prophetæ alio in capite, vbi ait: *Seruos suos vocabit nomine alio, in quo qui benedictus est super terram, benedicetur.* Sunt autem Christiani nimirum illi, qui sunt participes vnctionis Christi: nam eius prophetiæ partem capimus, cùm baptizamur, & Christo nomen damus, chrismate inungimur, in symbolum huius participationis. Cũ verò ex hac vita discedendũ est, iterum oleo inungimur ad extremos agones fortiter perferendos.

B. Ignatius epist. 6. à medio. *Isa. 62.* *Cyril. Hierosol.* *Infra 65.* Christiani qui nam sint. *Psalm. 44.* *Heb. 1.*

Etsi verò Dominus oleo isto communi, atque externo minimè fuerit perunctus, vt docet Cyrillus Hierosolym. in 3. catechesi mystagogica: tamen non inde cõsequitur, ipsum vocandum non fuisse Christum: si quidem Abraham, atque eius filij vocantur à Dauide, vncti, siue Christi, iuxta illud: *Noliter tangere Christos meos: & in Prophetis meis nolite malignari:* neq; tamen probabunt Iudæi hos fuisse corporali oleo delinitos. Quòd si Patriarchæ oleo terreno delibuti non fuerunt, verum spiritali: idem concedant nobis de nostro Christo dicere, & affirmare: nec enim conueniebat, Christum nostrum iuxta Leuiticũ ritum inungi, qui sacerdos erat futurus secundum ordinem Melchisedech, & non secundum ordinem Aaron. Ampliùs, vbi regnum, & Sacerdotium æternum est, necessariò fit, vt oleum quoque sit æternũ: sic enim Paulus inquit: *Hic autem,* id est, Christus eò quòd maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium. Fuit ergo oleũ, quo Christus est perunctus, spirituale, siue oleum exultationis, vt ait Propheta Psalm. 44, de quo Petrus in Actis: *Vos scitis,* inquit, *Iesum à Nazareth, quo modo vnxit eum Deus Spiritu Sancto, & virtute.* Est autem Christus secundum humanitatem vnctus ad tria munera illa prçstantissima dignè apteq; obeunda: de quibus Isaias cap. 61. pulchrè in persona Messię vaticinatus est: *Spiritus,* inquit, *Domini super me, eò quod vnxerit me, ad annunciandum mansuetis* (siue vt Lucas ait, *Euãgelizare pauperibus*) *misit me, vt mederer contritis corde; &c.* & infrà subdit: *Et darem eis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris.* In eo igitur, quod vates inquit, se vn-

Christus etsi oleo corporali vnctus non fuerit, tamen dignus hoc nomine, contra Iudæos. *Idem Cyril.* *Psalm. 104.* Quo oleo vncti fuerint Patriarchæ. *Psalm. 109.* *Heb. 7.* II. Argum. *Ibidem.* *Hebr. 1.* *Psalm 44.* Oleo quo Christus fuerit vnctus. *Actor. 10.* Christus quatenus, & ad quid fuerit vnctus. *Isa. 61.* *Luc. 4.*

ctum ad Euangelizandum, explicat munus Prophetæ: in eo vero quod ait: *Vt mederer contritis corde:* explicatur functio Sacerdotis: ijs etiam verbis: *Vt darem coronam pro cinere, & oleum gaudij pro spiritu mœroris:* functio regia, siue sacerdotalis significatur. Pulchrè item in nomine isto, teste B. Irenæo, & Athanasio, & alijs, trium personarum fides continetur, nempe Patris, qui vngit: Filij, qui ratione humanitatis vngitur; & Spiritus sancti, qui ipsa vnctio est. Dicitur ergo ab Angelo, Saluator potens, quia Dominus est, & Christus, id est, saluans vnguẽtis suauibus, non incisione, vel cauterio: ac proinde dicitur: *Oleum effusum,* siue (iuxta Septuaginta interpretum versionem) *Vnguentum effusum, nomen tuum.* illo vero vnguento inuncto B. Stephano lapides dulces extiterũt, & Laurentio ignis. Christus igitur in corde gestabat vnguentum, nimirum deitatem, plenitudinemque Spiritus sancti, quo nos vngere posset: vt sic vncti ad omnia diuina ministeria reddamur idonei: ante illũ quippe dicere cum Propheta verè possumus: *Factus sum sicut vter in pruina.* Atque hactenus de nomine Christi sit dictum: illud reliquum est, vt dicamus;

Vngens, vnctus, & vnctio quid mysticè. *B. Iren. lib. 3. cap. 10.* *Athan. epist. ad Serapi. de Spiritu sancto tom. 1.* Christus quasi oleum effusum. *Cant. 1.* *Act. 7.* *Psalm. 118.*

Quorsum venerit. Verùm hæc quæstio nihil differt ab ea, quorsum Verbum homo factum sit: ideò quæ in superioribus tractatibus de incarnatione Verbi dicta sunt, hic pro dictis habeantur. Quoniam enim decreuerat ab æterno non tantum homo fieri, sed etiam per nouem menses in vtero Virginis latitare, & postremò apparere, vt eius beneplacitum impleretur, completo tempore nasci voluit; quod proculdubio maiori cum sapientia fuit coniunctum, tametsi aliter efficere potuisset. Primò, vt doceret nos obedientiam, humilitatem, paupertatem, atque patientiam, vias esse certissimas, & expeditissimas ad regnum cœleste comparandum. Deinde, vt natus ex Virgine, nostraque carne vestitus, dulcius nos ad se, atque suauius traheret, alliceretque: habet enim infantia mirificã sibi animos hominum conciliandi vim, atque efficaciam. Delinquens homo Deum fugerat: Deus venit factus homo, vt apprehenderet eum, à fugaque cohiberet, vt videret quod amicum fugiebat, & infantem innocẽtem, qui sese pastoribus primum, postea etiam publicanis & meretricibus ostenderet: vt nemo à consortio ipsius timeret. Item, vt ex Bethleem cœlestem panem lac factum per Humanitatem, infantibus nobis porrigeret. Adhæc, vt humanam naturam cohonestaret, non solum affinitatem cum illa con trahendo ea ratione, qua humana natura

Quare Christus natus sit. I. Ratio. II. Ratio. *Hebr. 2.* *Matth. 9.* III. Ratio.

Christus se nobis per Humanitatem quam vniuerit conglutinauerit. IV. Ratio. Ioan. 19.

cum diuina hypostasi Verbi, veluti quodã matrimonij vinculo indissolubili, copulata est, verumetiam consanguinitatem nobiscum iniji, admirabili modo natus ex Virgine, vt omnibus coniunctionis modis cum Christo vniremur: cum persona quidem Verbi per affinitatem; cum humana verò natura, quam ex Virgine natus assumpsit, per consanguinitatẽ. Insuper, vt salutis nostræ negotium paruulus in præsepi exordiretur, tot tantaq; pro nobis sustinendo incommoda, quod vir factus cõsummauit in cruce. Ad extremum: *Puer natus est nobis, & filius datus est nobis*, vt præstaret in spiritu, q̃ scripta sunt in lege. Natus est enim, non vt daret nobis vitam naturalem, qualem dedit Adę, sed diuinam, ad imaginem, & similitudinem eius: vt sicut portauimus imaginem terreni, ita & portemus imaginem cœlestis, id est, Christi. Natus, non vt spiraret in faciem nostram spiraculum vitę corporeę, sed, vt inspiraret Spiritum sanctum. Natus vt plantaret scalam non corpoream, sed spiritalem ad cęlum vsque ad pertingẽtem, per quam vti Angeli, ascendere, & descendere possemus. Natus, vt liberaret populum, non modo Hebræum, sed omnes suos, vbicunque illi terrarum existant: non de Aegypto, sed de mundo, atque inferno tenebroso; non à Pharaonis seruitute, sed à vera tyrannide diaboli hostis omnium truculentissimi. Natus, vt nos pasceret non manna corporeo, at suo pretioso corpore & sanguine; non ad tẽpus, & annis quadraginta, sed perpetuò, dum in vita manemus. Natus, vt submergeret, non Aegyptios, verùm scelera nostra & flagitia: non in mari Rubro, at in proprio sanguine. Natus, vt nos duceret non in columna ignis, & nubis sensibilis, vt filios Israel duxit, sed per Spiritum sanctum: non in terram promissam, lacte melleque fluentem, at in terram viuentium, iuxta illud Prophetæ: *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*. Natus, non vt dulces nobis aquas redderet ac potabiles, sed tribulationes & pœnas, quæ homines submergunt, nisi Dei gratia adsit. Ortus, non vt imprimeret legem in tabulis lapideis: sed vt scriberet legem charitatis in cordibus nostris digito Spiritus sui, tribuẽdo lumen, amorem, & spiritum. Natus, nõ vt promitteret, vt alij Prophetæ, sed vt ꝓmissa compleret, & in possessionẽ terræ viuentium introduceret. Natus, non vt firmaret aquas labiles Iordanis fluentes in mare, sed vt nostras prauas reprimeret cupiditates, quæ terminantur in mari amaritudinis & inferni, ni coerceantur. Ortus, vt daret victoriam, non Chananęorum, alio

V. & vltima, & multiplex quidem illa. Isai. 9. Gen. 1. 1. Cor. 15. Gen. 2. Gen. 18. Exod. 14. Exod. 16. Ioan. 6. Exod. 16. Hebr. 9. Exod. 13. Supra. 3. Psalm. 142. Sup. 15. Infra 14. 2. Cor. 3. Iosu. 3. Apostoli quos vicerint Madianitas.

rumue hominum, at cacodæmonum tentatium, hostium Dei capitalium. Natus, vt vincat Madianitas, non in multitudine exercitus, sed in paucis, nimirum 12. Apostolis, iisque piscatoribus, qui prædicationis Euangelicæ tuba, & lumine fidei accenso, lagenarumq; confractione, id est, corporũ suorum iactura pro Christi nomine facta, egregium de mundo, & Satana triumphũ Christo reportarunt: impletumque est verbum Isaię de Christo paruulo: *Iugum enim oneris eius: & virgam humeri eius: & sceptrum exactoris eius superasti, sicut in die Madian*. Et hæc dicta sint de fine, propter quem Christus natus est. Neque dubito posse hunc locum magis locupletari, & augeri, si quis velit. Subditur: *Natus est vobis*: vobis, ait, hoc est humano generi, non Angelis, qui Saluatore non indigent, vel natus vobis secundum carnem homo factus, ad distinctionem æternæ eius natiuitatis in diuinitate: qua non tam nobis, quam sibi, & patri natus est Deus, nunc autem natus est vobis homo Saluator. Non ergo timendum est gregi vestro, ô pastores, nam per hunc Saluatorem habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit: vitulus, & leo, & ouis simul morabuntur: & puer paruulus minabit eos: nam Christi gratia, atq; Apostolorum prędicatione Reges, & priuati; diuites, & pauperes; Iudæi, ac Gẽtiles per illa animalia significati, in vno ouili Ecclesiæ congregati sunt, & à pueris, hoc est, Apostolis, præsulibus, cęterisque Apostolicis viris regi se, & gubernari permittent: quod quidem figuratum fuit in illa animalium varietate, quæ in linteo magno de cœlo in terram descendente, quatuor initijs submisso, Petro ostensa fuit, & dictum est illi; *Occide, & manduca*: hoc est, interfice eorũ peccata, vt desinant esse impij: eosque manduca: id est, tibi iunge eos incorporãdo. Quod multo ante figuratum fuerat in arca Noe, vbi fuerat multitudo animalium cõgregata, quæ typus est Ecclesiæ. Rectè ergo ait: *Natus est vobis*. Est autem hæc fides singularis: & satis fuisset, scire Saluatorem natum, tametsi ipsis natus non esset: nam gauderent salute eorum, qui saluarentur, & opere, & beneficentia Saluatoris: nunc autem illud additur, ipsis esse Saluatorem natum, vt gaudium cumuletur, atq; amplificetur. Tu autem credere potes, & debes Saluatorem, qui pro omnibus natus est, & vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, tibi quoque natum esse: quod si peccatis tuis impediris, quo minus tantum fidei de Christi nati bonitate, clementiaque concipias, illud apud te deputa-

Isa. 9. Ibidem. Quibus natus Christus tantummodo. Isa. 11. Quis puer apud Isaiam, & quæque hic, animalia minare debeat. Act. 10. Quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia quæ fuerit iussus Petrus occidere. Gen. 6. Angelorum charitas in homines. Christum omnibus esse natum saluatorem. 1. Tim. 2.

Cur Christus in præsepio reclinatus.

Christum propterea in præsepi reclinatu, vt indicet, se à iumentis, irrationalibusque belluis non abhorrere: sed eorũ caussa natum, vt in iumenta spiritualia, atque Euangelij onera portantia commuteris. Natus est pastoribus, & in eis gregibus suis, nó autem Angelis, qui Christi redemptione non eguerunt; quia non peccauerunt. Additur verò, *Hodie*: Sicut peccatum Adæ, quod actu transijt, reatu tamen remanet coram oculis Dei: ita natiuitas, Christiq; passio trãsijt actu, remanet tamen merito, ac virtute, ac si natus esset hodie. Vnde tempus vitæ præsentis, tempus acceptabile, & dies salutis vocatur à Paulo: qui etiam ad Hebræos scribẽs, rogat, vt, donec hodie cognominatur, nullus obduretur fallacia peccati. Dies igitur facta est gratiæ à sole Christo, cuius radij fuere in bonis ante ortum: dies auté peccati nati ex appetitu scientię boni & mali, maledicta est meritò à Iob, & Hieremia, ac ex corde est maledicenda: quia ei maledicere, nó est aliud, quã optare corruptionem, & consumptionem peccati. Mundus lætari solet de cóceptu, & natiuitate infantis, & omnes confluunt gratulandi gratia: at sancti viri agnoscẽtes peccatum, sub quo concepti, & editi sunt in lucem, illos dies maledixerunt, atque èxecrati sunt, expectãtes conceptionem filij Dei mundissimam, partumque sanctissimum, cuius munere ab illo crimine erant sanctificandi. Nos quoq; cum baptizamur, haud obscurè maledicimus diei conceptus nostri, & partus, dum mundo, & Satanæ, atque operibus & pompis eius renunciamus. Dicitur autem *hodie*: vel quod respicit ad diem naturalem, qui comprehendit diem & noctem artificiales, qua ratione Petro Dominus dixit: *Hodie ter me es negaturus*: cum tamé noctu eum negauerit: vel *hodie*, die scilicet lęta, quia scandalum, & negatio fit in nocte peccati, vt Christus inquit: *Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte*. Natus est autem die dominica in nocte, à cuius medio, ex quorundam sententia, incipit dies: vel dies dicitur, ob splendoré illius noctis, quæ ab Angelo, & a Christo illuminata est, iuxta illud: *Et nox sicut dies, illuminabitur*. Subdit: *In ciuitate Dauid*: vt certo loco omnino occasio illis porrigeretur quærendi puerum, & quia omnes expectabant Messiam ex ciuitate Dauid oriturum, quo próptiores ad credendũ redderẽtur, adiecit, *in ciuitate Dauid*. Scilicet in qua natus Dauid, ac sui progenitores, & ciuitas Christi nostri Dauid, quia fortis, & amabilis, nimirum quia decorus, & pastor animarum. Theodoretus dialog. 1. *Cur autẽ adiecerunt illud* (scilicet Angeli) *in ciuitate Dauid, nisi vt adeò factum illud promissum, quod ex fructu ventris eius erit Rex æternus, impletum annuntiarent, quod promissum fecerat huius opifex vniuersi*. Hęc ille, quæ accepit ex Irenæo lib. 3. c. 11. Et Christus alibi natus, quàm conceptus, melius potuit fugere Herodem. *Et hoc vobis signum, Inuenietis infantem pannis inuolutum*. Mirum equidem videri cuipiam posset, quomodo ortus Messiæ Regis potẽtissimi, ac sapientissimi, & filij Dei, talia signa perscribantur, panni nempe, præsepiũ, paupertas, frigus, nox, non habere in diuersorio locum, habere tales visitatores, videlicet pastores: nunquid hic, qui sic nascitur, spoliare infernum venit, dæmones expugnare, deos omnes, Iouem, Martem, Apollinem, Mercurium, Iunonem, Dianam templis, atque vsurpata diuinitate priuare? Respondetur, hãc tantam imbecillitatem impotentiamque summa cum paupertate cóiunctam, manifesta signa esse & argumenta veri Regis Messiæ, cuius quidem potentiã, sapientiam, & charitatem apertè declarant. Nam in primis ex se tam potens est, vt ad debellandum hostes suos nulla re alia indigeat, nisi se ipso. Monarchæ siquidem, atq; Imperatores ad expugnandam aliquam ciuitatem, aut castrum, magno opus habent peditum numero, atq; equitum, multis bóbardis, ac tormentis bellicis, magno cómeatu, & thesauro ad alendũ exercitum: at hæc omnia quid aliud (quęso) arguunt, nisi imbecillitatem Regis, vel Imperatoris & impotentiam: quoniam se ipsis nihil valent, verùm potentiam tantum habẽt extrinsecam, aduentitiam, sortitam, & mutuatam? nam adime, (precor) Regi vel Imperatori subsidia hæc, Rex profectò, aut Imperator non erit. Ergo exercitus, quem virtutem Regis vocas, impotentia est, diuitiæ atque opes mera sunt paupertas: Rex namq;, vel Imperator sine illis, nec resistere rebellibus potest, neq; opprimere seditiosos, nec ius reddere alicui, nec pacificam ac tranquillam seruare Rempublicam, nec sine opibus pręcipere populis suis & magistratibus: tamen nihilominus Christus solus ipse summa cum nuditate rerum omnium & paupertate potentissimus, atque ditissimus Rex, & Imperator existit, tum, ad debellandas aereas potestates, ac spoliandum infernum: tum, ad puniendos reprobos, atque nocentes, tum ad flectendas quocunq; velit, & permouendas hominum voluntates, tum, ad solo nutu dominandum, & ad faciendum quæcunque voluerit in cœlo & in terra, in mari, & in omnibus abyssis. Hic ergo sic natus, potestate atque opulentia plenum regnum ostendit: nam si ecœl-

Margin notes (left): Cur natus dicitur, Hodie saluator. — Gen. 3. — 2. Cor. 6. — Isa. 45. — Hebr. 3. — Dies quæ maledicenda nobis, & quare. — Gen. 3. — Iob 3. — Hierem. 20. — Diei illi quando maledicimus exemplo sanctorum. — Quomodo natus hodie Saluator. — Mar. 14. — Matth. 26. — Ibidem. — Qua die natus idem. — Psalm. 138. — Quare in ciuitate Dauid. — Theod. per. 2.

Margin notes (right): B. Irenæus. — Christi nati impotentia, & infirmitas, quantæ eius potentiæ, & fortitudinis sint signum & argumentum. — Terrenorum Regum ac principum potentia, ac virtus quam impotens & infirma. — Christi vel in fantis ac pauperculi diuina autoritas, & maiestas.

imperare indicauit, mittendo Angelos: & dominari Gentibus, declarauit, cum Magos per stellam ad se traxit adorandum: se inter Iudæos regnare testatus est, cùm ad se item adorandum pastores perduxit. Ideò cùm opulētus esset, & diues, noluit diuitias, sed quam ditaret, paupertatem amplexus est: noluit palatium superbum, & magnificum, à quo honoraretur, sed stabulū quod honoraret: noluit vestes molles, & delicatas, quib⁹ oblectaretur, sed fascias, pannosque communes, quos omni deliciarum spiritalium genere refertos, nobis redderet commendabiles, noluit musicas cantiones, aut harmonias suaues, sed lachrymas & vagitus amplexus est, quos nobis pretiosissimos, & omnibus risibus longè anteferendos ostendit. Deinde non potentiæ solum argumentum est, sed etiam sapientiæ. Cùm enim ipse per ætatem fari non posset, factis ipsis atque operibus (quæ fortissima est, efficacissimaque prædicatio) docere nos voluit, quo loco charitas, obedientia, patientia, cæterarumque virtutum omnium chorus ac comitatus esse apud nos debeat. Non adeo moueret Christus diues veniens, ac pauper: & tanto alias exemplo careremus. Relucet prętereà eximia quædam ac singularis sapientia in eo, quòd decenter redemptionis nostræ mysterium exorsus est: nam quia nos effici voluimus sapientes, scientes bonum & malum, ęternum Dei verbum, & sapientia infantiam nostram assumpsit: quia rursus nos vestes innocentiæ, & omnis honoris, quas ab initio dederat (vt cum nudi essemus, non erubesceremus) perdidimus; pannis egere voluit, atque illis inuolui. Quia etiam Adam in paradiso delicia rum loco peccauerat; voluit reponi in pręsepi belluarum loco. Atq; hoc signum intelligentibus, & fidelibus admiratione dignum videri debet, & argumentum est nati Saluatoris; non autem Iudæis incredulis, qui huiusmodi infirmitatibus scandalizantur. Ideoque rectè dixit: *Et hoc vobis signum*: nam alijs hæc non sunt signum Saluatoris, & Domini, sed signum pauperis, & calamitosi, & qui potius videatur salute pro se ipso indigere, aut qui noluit saluare, sed abscondere velit thesaurum suum, ne quis vti eo possit: quod vtique in ipso locum haberet, si semper ita latuisset, neque se miraculis, verboq;, & spiritu prodidisset suo. Vobis ergo est signum quod velit saluare, & non perdere, ideò quod non ostentet ignem, maiestatem, thronum, & iudicium; sed tanquam reus ipse sit, pœnas subit vobis debitas, vt liberet vos ab eis: vtque vobis comes sit, & socius in vestris calamitatibus, quo vos ab ijs incorruptos seruet, & illæsos, in regnumque suum reducat: Nam absque se nouit vos perituros procul dubio in his pœnis, ac peiora offensuros. Adhæc, signum est charitatis, & bonitatis. Inprimis, quia Saluator iuxta ea, quæ à Prophetis pręnunciata sunt, in ætate adulta venturus erat, ostendens non potentiam, vel sapientiam pręcipuè, sed benignitatem. Ideò de ipso prędixit Zacharias: *Ecce Rex tuus veniet tibi iustus, & Saluator vel mansuetus, ipse pauper, & ascendens super asinam, vt venit in die Oliuarum*. Ergo natale debuit esse in humilitate, & paupertate: nam vbi primum natus est, didicit pro nobis crucem pati: mentemque docuit ab huius seculi vanitatibus auertere: idque vt pręstemus honorificè etiam, ac libenter; docet nos Christi exemplum. Infans nascitur; vt nos in virum perfectum ei possimus occurrere: Expellitur de diuersorio; vt nos recipiat ad cœlestes mansiones. Nudus nascitur; vt nos hic iustitia, deinde verò in cœlo gloria vestiat. Venit pauper, vt nos locupletet: flet, vt rideamus: Sustinet frigus, vt calorem impertiat charitatis: noctem patitur, vt diem nobis æternitatis elargiatur: fascijs inuoluitur, vt corruptibile nostrum induat incorruptionem, & mortale hoc induat immortalitatem: ligatur, vt nos à peccatorum vinculis soluat: soluit pro nobis, vt liberemur: inter bouem, & asinum collocatur, vt nos inter Angelos statuat. Est etiam signum quod sit Saluator, præseruans à crimine voluntario; quod oritur ex eo quòd indulgeamus homini veteri, triplici scilicet concupiscētiæ: quibus rebus dum vacamus, & perfruimur, æternis bonis nos ipsos priuamus. Ob parua enim bona amittimus magna, atque adeò ipsum fontem bonorum, & autorem; vt Christus dixit Iudæis: *Quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis*. Percutit autem Dominus virga humilis natiuitatis suæ triplicem hanc concupiscentiam. Nam superbiam vitæ ferit, dum nascitur infans, & tegit nobis diuinam excellentiam: concupiscentiam vero carnis, dum carnem delicatam frigore hyemis, & noctis incommodis, in stabulo aperto, nuda terra, & præsepi assumpsit: illam denique oculorum percutit in summa paupertate, & nuditate rerum omnium, & egestate in lucē editus, & pauperculis fascijs, & pannis inuolutus. Sic enim duris docet vincere aduersarios, qui blandis armis nos conficiunt. Et tamen testimonium eius nemo accipit: & si aliter venisset, fœdasset potius quam præseruasset, aut curasset nostras infirmitates. Est ergo

Margin notes: Matth. 2. — 2. Cor. 8. — Nascentis quoque Christi paupertas & humilitas. — II. Argum. Gen. 3. — Expenditur Angeli dictū: & hoc vobis signum. — Signum quoque esse charitatis, & bonitatis, multipliciter. — Zachar. 9. Matth. 21. — Ephes. 4. — 1. Cor. 15. — Peccatum voluntarium vnde. — Ioan. 6. — Humilis Christi ortus triplicem vt percutiat nostrā concupiscentiam. — 1. Ioan. 2. — Modus vincendi aduersarios fraudulentos.

Luc. 2. *Matth. 12. & 16.* *Ion. 2.*

Christus signum curans originale, & præseruans, ab actuali: Et hoc credentibus. Nõ credentibus autem est signum cui contra dicetur, & signum Ionæ prophetæ, in quo exitus respondet ingressui.

Aliter sensus huius dicti: Et hoc vobis signum, & non ineptus.

Potest item ad literam breuiter dici, Angelum non accepisse hoc loco vocem signi pro miraculo, & prodigio supra naturam adhibito ad confirmationem nati Christi: nam tale datum est postea, quando accessit multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum; sed tantum pro distinguente signo quo natus infans internosci posset ab alijs: ita vt sit sensus: Hoc vobis signum, quo adeuntes ciuitatem Bethleem dignosci possit: à vobis infans masculus, quem vobis natum annuncio, quod scilicet inuenietis eũ pannis inuolutum, & repositum in præsepi. Et licet prior sensus videatur prægnantior, hic tamen non negligendus. Et dicendo absolutè, in præsepio, non signando huius vel illius aliquod præsepe, omnibus notum, & commune videtur significasse. Vnde Brocardus in Terræ sanctæ descriptione tradit, in Orientali parte ciuitatis Bethleem sub rupe, quæ erat iuxta mœnia ciuitatis, fuisse locum pro stabulo habentem præsepe excisum in rupe, vbi mundi Saluator à Virgine fuit repositus: Vbi hodie esse dicit egregium sacellum marmore stratũ, & marmoreis erectum columnis. Videsne igitur incredibilis charitatis, sapientiæ admirabilis, atque immensæ potentiæ signũ: quid superest nisi, vt te Christo humiles, atq; eius exemplum imiteris, vt dignus habearis in quem fructus natiuitatis eius trãseat, Præstante eodem Domino Iesu Christo, qui cum Patre, & Spiritu sancto viuit, & regnat in secula seculorum, Amen.

Brocardus.

Loci vbi Christus infans fuit reclinatus, vbi pia colitur memoria.

TRACTATVS XXXV.

In illa verba: *Et subitò facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis, laudantium Deum & dicentium: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, &c.* Luc. cap. 2.

Euangelistæ propositis in verbis scopus.

HActenus vidimus Christum natum in Bethleem, & quibus potissimum fuerit reuelatus: subiungit Euangelista fructum natiuitatis Christi per hymnodiam angelicam declaratũ nempe, *Gloria in altissimis Deo: & in terra pax hominibus, &c.* Ait ergo Lucas: *Et subitò facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis.* Cùm Ioannis ortum Zachariæ nuntiaturus Gabriel venisset, vnus apparuit: at nuncium natiuitatis Christi, Angelorum multitudo consecuta est, vt confirmatior reddatur fides apud pastores eius ortus. Etsi autem numerus quantus fuerit, minimè explicetur, libenter tamen sententię istorum subscribo, qui existimant omnes Angelos de cœlo descendisse, & præceptum illud à Deo illis datum de Christo adorando impleuisse: *Adorate eum omnes Angeli eius: audiuit, & lætata est Sion:* quæ verba exitum suum tunc habuerunt, Paulo interprete, qui ad Hebręos, inquit: *Et cùm iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Primùm enim introduxit per incarnationem, dein verò per natiuitatem: & hoc significat illud: *iterum*, quod Apostolis ait. Et quoniam innumerabiles quodammodo sunt, certo tamen inter se ordine, & prompti, ac fortes ad exequendum in omnibus ipsius beneplacitum; meritò dixit: *Multitudo militiæ cælestis.* Dicuntur enim in Scripturis milites, & exercitus Dei, vt apud Iob, & in Apocalypsi: nimirum quia Christus dimicaturus mundum ingreditur. Habebat autem Augustus ad tuẽdum suum imperium quadraginta quatuor legiones; at Christus vetus Monarcha, innumerabiles Angelorum legiones: qui quidem exercitus pro Deo præliantur in malos, & pro nobis contra nostros omnes hostes, & aduersarios: cæteræ omnes creaturæ, vsque ad Cyniphes, culices & pediculos, Dei exercitus sunt, sed terrestris: Angeli verò, cœlestis, & primaria militia. Additur: *Laudantium & benedicentium Deum.* Vbi meritò in primis inquirendum videtur, cur Angeli in laudes, & cantus Dei proruperint, cùm natiuitas eius ad eos minimè pertineret, verùm ad nos tantum? Deinde, quæ sit vera lectio huius hymni: nunquid nostri interpretis, qui duo tantum complectitur membra, gloriæ nimirum, & pacis: an verò Græca lectio, quæ tria membra distinguit in hunc modum: *Gloria in altissimis Deo: & in terra pax; in hominibus bona voluntas.* Quam lectionem ex Chrysostom. & Theophylacto depromptam, noui sequuntur Interpretes. Præterea, quomodocunque legatur hic textus, quęnam sit ista gloria, quæ accessisse Deo, Christo Deo nato canitur ab Angelis: nam Deus plenus est infinita gloria, cùm ipse bonorum nostrorum non egeat: & infinitum tale sit, vt nihil illi addi, nihil item detrahi queat. Adhęc, per natiuitatem Christi, qua se exinaniuit, atque humiliauit vsque ad fœtorem squaloremq; præsepis, potius de Dei glo-

Quot Angeli ad Christum natum adorandum venerint.

Psalm. 96.

In mundum quoties introductus fuerit primogenitus Dei.

Hebr. 1. *Psalm. 96.*

Iob. 25.

Apoc. 19.

Angeli, milites, & exercitus Dei cur in scripturis dicantur.

Primum dubium hoc loco diluendum.

II. dubium.

Chrysost. *Theophyl.* *III. dubium.*

Psalm. 15.

ria detractum videtur, quàm additum; cisi, quæ sit gloria, potiùs nostra videtur esse quàm Dei: nam per illam exaltata est, nobilitata, ditataque nostra natura; è conuerso, diuina humiliata virtus, infirmata, eiusque gloria quasi obscurata & deformata. Item, quænam est hæc pax per Christi natiuitatem inuecta, cum oculis nostris, subinde tot bella, tot seditiones, tot discordias in mundo cernamus? quod si forte dicas, tum quidem omnia fuisse pacifica & tranquilla, tametsi nostra tempora turbulentiora sint, bellorumque vndique referta tumultibus: non videtur omninò placare intellectum hæc responsio: quoniam vbi primùm Christus natus est, Herodes eum ad necem est persecutus, vt coactus fuerit solum vertere, & ad Aegyptum hostilem prouinciam confugere, in eaque plures annos diuersari. Vbi verò Christus adoleuit, & euangelizare est exorsus, vniuersi generis persecutiones sustinuit. Nam & præcipitare & lapidare eum voluerũt, nec quieuerunt, donec in crucem egerunt: post cuius mortem & ascensum in cœlum innumeræ contra Apostolos tempestates atque procellæ sunt concitatæ, innumerabiliumque Martyrum sanguis per Tyrannos fusus, semperque Ecclesia Dei in continuo conflictu est atque certamine. Vltimo loco examinanda est, & discutienda diligenter sententia Erasmi, asserentis in his, quæ addita sunt per Telesphorum Papam huic sacro hymno, verborum plus inesse, quàm sententiarum: post quæ omnia, quædam verba textus expendemus. Adhæc igitur singula iuxta propositum ordinem respõdendum videtur. Igitur quod ad primum spectat, meritò Angeli ad Dei laudes concinendas excitati sunt: non tantum, quod vtile sit puero demulcendo (vt testis est Auicenna) tibia canere, vt fletus eius comprimatur, vt quidam meditantur, vnde illud, quod Hieronym. in Epist. ad Paulam, & Eustoch. tribui solet: *Ad præsepe quoque, O Paula, te teste, nato puero inter crepundia noui partus, & querelas nescij ploratus pro fescenniis: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, multitudinem Angelorum cantantium audiuisti*; sed ob plures alias solidiores rationes & grauiores. Primò quidem, quoniam homo nesciret laudare Regem hunc cælesti armatura in bellum ingrediẽtem: ac proinde instruitur per Angelos, vt cognoscat qualis & quantus ille sit, qui sub pannis latitat in præsepi. Docent etiam suo exemplo Angeli pastores, & in eis omnes auditores verbi Dei, quid agere debeant, vbi hæc mysteria intellexerint, prædicari: nempe, vt laudent Deum, atque tanto pro beneficio gratias agant, vt ait Beda. Dein de Angelorum natura quodammodo nobilitata est ea ratione, qua humana natura Angelorum soror (eiusdem enim patris filia, nempe Dei, ad eiusque imaginem facta, & similitudinem) ideò meritò de felicitate humanæ naturę gaudent ex charitate. Hinc illa vox Angelorum Apocal. 19. *Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei: quia venerunt nuptiæ Agni, & vxor eius præparauit se.*

Præterea, quoniã eorum ruina per Christi nati merita reparanda erat, & reficienda: probi enim ciues lætari solent de instauratione vrbis in pristinum, aut meliorem eius statum. Siquidem beneficio Christi in excellentiorem gradum cœlestis Hirusalem est exaltata, & dicere possunt: *Magna erit gloria domus istius nouissimæ, plusquam primæ.* Quod etsi ad literam dixerit Aggæus Propheta de templo per Esdram restaurato, quod Christus sua præsentia longè illustrius, quam illud prius fuerat Salomonis, reddidit, non incommodè tamen ad sensum dictum exponi possunt de cœlesti templo. Angeli ergo, qui olim districto gladio ad ianuas paradisi à Deo positi erãt, ne quisquam hominum eò intraret: nunc nato Christo, cœlum aperiunt, atque ex eo descendunt, homines ad tantum gaudium, & ad cœli ingressum inuitantes. Nam Christus ostium est cœli, vt ipse testatus est: *Ego sum ostium*, inquit, quod dum per Angelos manifestum fit, hominibus aperitur.

Item quia per Christum illorum beatitudo extrinseca aucta est, & perfecta: nam peculiare gaudium externum habent de Christi humanitate visa, plusquam de se ipsis, de societate hominum, quibus, secundum Christum, aditus patuit ad cœleste Regnum, qui aditus ante non patebat. Exulat enim omnis inuidia, ab illis sanctissimis intelligentijs: etiam si Christus semen Abrahæ, nusquam Angelos apprehenderit. Ergo, vt ostendant se nobis non inuidere tantam fœlicitatem, congratulantes nobis introducuntur, vt, & nos bene agentibus benéque dicentibus hominibus congratulemur, & collętemur.

Est & noua occasio gaudij in Angelis: siquidem per Christum natum eorum custodia, qua singulis hominibus destinati sunt, iam reddita est efficacior, quàm antea: gaudium enim erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente: quemadmodum lętatur agricola, cum campum à se seminatum, vberiorem proferre frugem viderit.

IV. dubium.
Heb. 2. ibidem.
Luc. 4. Ioan. 8. Infra 10. V. dubium, & vltimum.
Cum filij Dei incarnatio minime ad Angelos pertinuerit, cur Christo nato hymnos, laudesque decantant.
Auicenna. Hiero. to. 2.
I. Ratio.
Beda in Lucam tom. 5.
II. Ratio, Angelorum gaudij de ortu saluatoris.
Gen. 1.
Apoc. 19.
Agge. 2.
1. Esdr. 3. Duplex huius loci intellectus: Magna erit gloria domus istius nouissimę, plusquam primæ.
Gen. 3.
Ioan. 10.
IV. Ratio.
Hebr. 2.
V. Ratio.
Luc. 15.

Orig 10.2.

derit. Origenes more suo homil. decima secunda, & decima tertia in Lucam, de illo Angelorum aduentu, & cantu in natiuitate Domini sic philosophatur:

Cæterum si ad sacratiorem, inquit, *oportet ascendere intelligentiam, dicam quosdam fuisse pastores Angelos, qui res humanas regerent, & cùm horum vnusquisque suam conseruaret, & diebus, ac noctibus vigilans iam laborem ferre non posset, & hoc ageret industriæ, vt gentes, quæ sibi creditæ fuerant, gubernaret, venisse Angelum nato Domino, & annuntiasse pastoribus, quod verus esset pastor exortus (indigent namque pastores, & Angeli Christi præsentia)* Et intra: *Sic intellige, quoniam, & Angeli volebant quidem hominibus præbere auxilium, & eis ab ægrotationibus suis tribuere sanitatem: quia omnes sunt apparitores, missi in ministerium propter eos, qui consecuti sunt salutem, qui, quantum in suis viribus erat, adiuuabant homines. Videbant autem multo inferiorem esse suam medicinam, quàm illorum cura posciebat.*

Heb. 1.

Elegans exemplum Origenis ad eximiã Angelorum de ortu saluatoris lætitiam indicandam.

Porrò, vt exemplo possis intelligere, quod dicimus. Vide mihi vrbem, in qua ægrotent plurimi, & medicorum frequens adhibeatur manus: sint diuersa vulnera: quotidie in emortuam carnem serpens putredo penetret, & tamen medici, qui adhibiti sunt ad curandum, nequeant vltra alia inuenire medicamina, & artis suæ scientia magnitudinem mali vincere. Cùm hæc in talibus nacti sint, & eueniat aliquis archiater, qui habeat summam in arte notitiam, & illi, qui prius sanare nequiuerant, cernentes magistri manum, putredines cessare vulnerum, non inuideant, non liuore crucientur, sed in laudes erumpant archiatri, & prædicent Deum, qui, & sibi, & ægrotantibus tanta scientiæ hominum miserit. In hanc ergo similitudinem & multitudo Angelorum exaudita est dicens: Gloria in excelsis Deo: & in terra pax hominibus. Hæc ille.

VI. Ratio Angelorum lætitiæ de Christo nato.

Amplius, sunt nonnulli graues autores, qui Angelos ab initio salutem consecutos tradunt per fidem incarnationis Christi, quem illis adorandum proposuit Deus, quia sic illis edictum fuerat: *Adorate eum omnes Angeli eius, &c.* etsi morte, & sanguine Christi minimè eguerint, ac proinde, nec eorum sit redemptor: merito tamen Incarnationis futuræ, quam illi sibi reuelatam libenter per fidem susceperunt, æternæ vitæ Regnum ingredi promouerunt. Si enim Adam obediendo, mandatum Dei non violasset: existimant magni, & excellentes Theologi, etiam Dei filium fore incarnandum, cuius fide, atque gratia, non tantum hominibus, verumetiam Angelis, ad cœlestem beatitudinem esset ingressus.

Psal. 96.
Hebr. 1.

Angeli Christo quatenus eguerint.

Gen. 3.

Nato igitur Christo rege, & capite ipsorum, à laudibus Deo concinendis continere se non potuerunt, atque illum, nostram ad confusionem, in paupertate, & pannis, & præsepi collocatum, adorare non erubuerunt. Et hæc de primo dubio.

Ad secundum explicandum gradum faciamus. Duplex existit, vt diximus, loci huius lectio, altera latina, duo quæ membra continet, altera Græcorum, quæ tria, Δόξα ἐν ὑψίστοις θεῷ· καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία. Id est: *Gloria in altissimis Deo: & in terra pax: in hominibus beneplacitum*: vel, vt alij vertunt, *beneplacentia*, vel *bona voluntas*. Et quoniam illam sequuntur Græci autores Gregorius Nazianzenus oratione in Pascha secunda, Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, & Leontius, & ex recentioribus autoribus plerique: nõ ausim illã damnare, & bonum sensum potest admittere. Nam nobis significatur per Incarnationem filij Dei laudem Deo reddi, & pacem, quæ filius Dei est, in terra apparuisse ad pacificandum terrestria cum cælestibus dissidẽtia, eosque qui inuicem sibi erant hostes, reconciliandum. In hominibus verò est beneplacitum, nempe Patris, quod erat, vt incarnaretur Filius ipsius, & saluaretur homo perditus: nunc enim completum est, quod olim ei beneplacuit. Sic enim interpretatur hunc locum Euthymius. Præstantior tamen meo quidem iudicio lectio Latina est: nam procliuis est transitus in Græcis à nominandi ad gignendi casum, & è contrario, vt hic accidit, ab εὐδοκίας ad εὐδοκία. Et codex Lugdunensis antiquitatis venerandæ, habet in genitiuo εὐδοκίας. Aldinus etiam codex non habet præpositionem ἐν, cùm est de hominibus sermo, sed simpliciter dicitur: *Hominibus bonæ voluntatis*. Hanc lectionem frequentius citant antiqui Patres, Irenæus libro tertio, capite decimo, Origenes homilia decima tertia in Lucam. lectionem sequitur nostram, & ponderat: ait enim: *Si scriptum esset, super terram pax, & huiusque esset finita sententia, rectè quæstio nasceretur (nempe illa: Quomodo Christus dixit: Non veni pacem mittere, sed gladium) Nunc verò in eo, quod additum est, hoc est, quòd pacem dicitur, in hominibus bonæ voluntatis, soluit quæstionem. Pax enim, quam non dat Dominus super terram, non est pax bonæ voluntatis.* Hæc ille.

Hæc lectio: Gloria in altissimis Deo in terra pax, & in hominibus bona volũtas, quam sit commoda, necne.

Chrysost.
Theophyl.
Euthym.
Leontius.
Col. 1.

Euthym. in Matthæum.

Altera communis, & vulgatis cur melior, & aptior.

Irenæ. l. 3. c. 2
Orig. 10. 2.

Matth. 10.
Epiph. in hær.
Andr. Hierosol.
Euseb. 10. 1.
Cyprian.
Hier. epist.
19. init. 10. 1.
circa mediũ.

Sequuntur hanc lectionem Epiphanius, Andreas Hierosolymitanus, Eusebius libro quarto, demonstrationis Euangelicæ, capite decimo. Cyprianus sermone de Natiuitate, & Hieronym. ad Theodoram, vt.

In quibus tantum preconda pax, teste Hieronymo.

habet:

1.Pet.1. Idem epist.27 tom.1. Idē epist.141. to.3. à med. Idē to.5. init. Idem eod.to. à med. Idem to 6. Idem tom.9. Hilar. August. to.6. initio. Idem to.eod. Idem tom.5.

habet: *Gloria in excelsis Deo; & super terram pax hominibus bonæ voluntatis. In cœlo, vbi non est peccatum gloria est, & perpetua laus, & indefessa præconia. In terra autem, vbi seditio, bella atque discordiæ, pax imprecanda est: & pax non in omnibus, sed in his, qui bonæ voluntatis sunt, & salutationem audiunt Apostolicam: gratia vobis & pax à Deo Patre, & Domino nostro Iesu Christo multiplicetur.*

Sic etiam citat in epitaphio Paulæ; in quæstion.10.ad Algasiam, in lib. aduersus Heluidium, in Isaiæ cap.6. in Ezechiel.16. in Habac.3.& in Matth.28. Similiter etiam citant Hilarius lib.2.de Trinitat. Ambros. Augustin. in oratione contra Iudæos & Paganos, & in libro de quinque hæresibus, & decimoquarto de ciuitate Dei, capite nono. Præterea, si dicemus, terræ pacem distribui, non video quid terræ nomine significetur, quàm homines istinc habitantes: & ita concurret secundum membrum cum tertio.

I. Ratio pro hac lectione bimembri: gloria in altissimis Deo, & in terra pax, &c. II. Ratio, qua contra Erasmum ostenditur vocem Eudocias, Deo nō solum, sed etiam hominib. tribui in scripturis.

Insuper falsum est, vocem εὐδοκίας tantùm Deo tribui in Scripturis, vt Erasmus putat. Nam Paulus ad Philippenses primo: *Quidam quidem, inquit, & propter inuidiam & contentionem, quidam verò, & propter bonam voluntatem* (Græcè δι' εὐδοκίαν) *Christum prædicant.* vbi eudocia hominibus tribuitur. Et ad Romanos 10. ait idem Apostolus: *Fratres, voluntas quidem cordis mei, & obsecratio ad Deum fit pro illis in salutem.* Vbi verbum, *Voluntas*, Græcè est εὐδοκία. Verbum quoq; εὐδοκεῖν, & Roman.15. & 1.Thessalon.2. homini datur. In primæ testimonio, cùm dicitur: *Probauerunt enim Macedonia & Achaia.* In posteriori: *Volebamus tradere vobis, non solùm Euangelium Dei*: vbi habetur Græcè εὐδοκοῦμεν. Tamen apertè confitemur tam nomen, quàm verbum ipsum frequentissimè Deo tribui. Et siue soli Deo tribuatur, siue etiam hominibus, vt probauimus, profectò egregium sensum Textus in duo membra distributus habet, vt postea exponemus. Hæc de secundo dubio.

Phil.1. Rom.10. Rom.15. 1.Thes.2.

Ambrosius. Gloria quid sit. Cic. & Aug. li.83.qu.q.31. tom.4.

Iam de tertio: *Gloria*, vt Ambrosius noster definit, nihil aliud est, quàm clara cum laude notitia: quod videtur ex Cicerone libro secundo de inuentione accepisse: *Gloria, inquit, est frequens de aliquo fama cum laude.*

Duplex Dei gloria; essentialis, & accidentalis. Essentialis quatenus aucta.

Est autem duplex Dei gloria: altera quam habuit ab æterno de se ipso, quatenus cognoscit se ipsum, comprehenditque, infinitoque amore seipsum prosequitur. Cumq; hæc gloria cum diuina essentia conuertatur, post Christi aduentum augeri haud potest: fuit tamen sufficienter dilatata ad nos, quatenus eius nobis notitiam impertiuit, & illius per nos augendæ, atq; per creaturas vniuersas amplificandæ tribuit desiderium. Altera verò gloria, est honor atriæ, quem Angeli & beati omnes in cœlo Deo tribuunt, in facies suas procidentes, Deumque adorantes, illum continuis laudibus, & gratiarum actionibus celebrantes ac prædicantes: atque hæc quidem gloria, cùm cœperit esse ab Angelis post conuersionem ad Deum, & confirmationem, qui cœperunt Deo cantare, Sanctus, Sanctus, Sanctus, perpetuò reddita est: atque hæc aucta fuit, ac recens vsque ad homines per Christi aduentum intensiori & extensiori modo dilatata, ampliataque. Hinc in Apocalypsi, præter Angelos sine requie laudãtes Deum, introducitur turba magna, quã dinumerare nemo poterat, ex omnib. gentibus, & tribubus, & populis, & linguis Deũ glorificans.

Accidentalis Dei gloria quænam illa. Hæc Deo gloria, quando primùm accessit. Isa.6. Quando aucta amplificataque. Apoc.7.

Cùm ergò antea solùm Angeli laudarent, post Christi ascensum, omnes quoq; sancti & iusti homines ad hasce laudes Dei concinendas admissi sunt. Nam Angeli plus diligunt gloriam Dei, quàm seipsos, maximeque gaudent de Dei laudibus, quæ ipsi ab hominibus dantur: & magis in his, quæ à pluribus, quàm quæ à paucioribus deferuntur. Itaque sensus est: *Gloria in altissimis Deo:* id est, Angelis, & beatis, in quibus peculiari se modo ostendit: quam gloriam Deo offerunt pro mysterio Incarnationis. Summa etenim gloria Dei, siue materia, ob quam omni honore ac laude dignus est, suum esse, & interna Verbi, & Spiritus productio, per quam idem esse suum, ac vitam cum illis communicat: quod tantùm excedit mundi creationem, quantum Deus præstat creaturæ, & quantum vincit opus aliquod summi artificis affabrè factum atque elaboratum, infantium luteas domunculas.

Angelorũ charitas in Deum. Quid gloria in altissimis Deo. Summa Dei gloria, quænam illa.

Post hanc productionem supremum & excellentissimum opus, summeque Deo gloriosum, Incarnatio est, in qua cernitur potentia, & ars efficiens ex imagine filium naturalem, manente natura vtriusque integra & perfecta. Apparet etiã in ea amor & bonitas Dei aduersus hominem: non solùm dando ei sua, id est, mundum hunc vniuersum aspectabilem, non solùm sanguinem, & vitam, verùm etiam suum esse, impermixtis naturis & actionibus earum: ex quo creatura iungitur Deo non solùm per operationem, sed etiam per esse personale; nec in se subsistit solùm, sed in Deo, vt infans in humeris gigantis; neq; solùm ascendit ex nõ esse ad esse suum naturale, sed ex nihilo ad Dei esse; non solùm sine Dei imminu

Incarnatio Christi quam gloriosum sit opus Dei. II. argum. ab amore Dei aduersus hominem.

minutione, vel mutatione, imo cum augmento, non in se, qui augeri nequit, verùm in Angelis, & hominibus. Ex quo omnis creatura crescit in Christi humanitate, reditque ad Deum, tanquam ad portum, vnde exierat.

III. Argum.

Aucta est etiam hæc gloria: quia præter Angelos, & beatos homines, modo supremo eam exhibent Deo, omnes super Angelos & homines, Christus homo, & Maria, qui super omnes Angelos constituti sunt: & qui magis diuinam bonitatem & gloriam comprehendunt. Itaque in humanitate Christi exaltata est super omnes creaturas: & in Maria Dei matre, quæ exaltata est super omnes choros Angelorum, incrementum etiam cœpit Dei gloria. Possumus & vltra pergere, & per altissima interpretari tres personas diuinas, quatenus per Christum, & propter Christum detectum est Trinitatis sacrosanctæ mysterium, per illumque expulsa idolorum cultura de mundo, celebratur honorificè vnitas Dei. Christus namque gentes adegit ac impulit, vt derelictis abiectisque idolis, & Dijs falsis Deum Israelis singularem, & verum sequerentur, & colerent: id quod non fecit Deus vniuersis terroribus suis, & prodigijs ad cultum Deorum extinguendum: quod præstitit tamen humili prædicatione filij sui, vt in quo reuelauerit gloriam suam. Per Christum deinde sic natum, atque in præsepi reclinatum ipsius potentia, sapientia, atque bonitas, charitasve, perspicua valdè redduntur. Quia ergò talia ac tãta diuinitatis mysteria mundo patefecit, meritò Angeli gloriam Deo canunt: meritò Christus vocatur gloria Dei: quia intermedio ipso illa detecta est. *Exurge*, inquit, *gloria mea, exurge psalterium, & cithara*. Non ergo ad ignominiam pertinet, si Christus in stabulo natus sit: verùm hic potiùs gloriam auspicatur suam: vt rei exitus docuit. Non ergò mireris, si in terris videatur gloria Dei: nam ea in altissimis illi est, quam ipse alteri non dat, quàm filio suo, & Spiritui sancto.

Gloria item quibus in altissimis Deo fit.

IV. Argum.

Psalm. 56.
Hinc quarta soluitur dubitatio proposita.
Vnde auspicetur gloriã suã Christus.

Potest esse hic etiam sensus: *Gloria in altissimis Deo*. Nemo in hoc facto glorietur: nullius operi, meritove datum est: solus Deus hoc operatus est: nemo tantum sperauit: nemo cogitauit nec petere ex se quisquam fuisset ausus. Hæc de tertio.

Psal. 47.
III. sensus huius dicti: Gloria in altissimis Deo.

De quarto verò aduerte, quòd Pax à pango, id est, coniungo deriuatur: hinc pactum, quòd in omni fœdere conciliatur coniunctio quædam: inde igitur Pax, quæ est aliquorum inter se ordinata cõiunctio. Et quoniam ex tali ordinata coniunctione resultat quies & tranquillitas; ideò ab Augustino definitur: *Pax est*, inquit, *tranquillitas ordinis: ordo autem est parium, dispariumq́; rerum sua cuiq; loca tribuens dispositio*: per oppositum autem res extra suum locum, & ordinem non potest quiescere, quemadmodum nec lapis in aere, nec membrum extra locum valet quietè consistere. Qua ratione autem omnia ipsum bonum, eadẽ quoque & pacem appetunt, qua sine bonũ minimè possidetur.

Pax vnde dicta, quid sit.

Aug. li. 19. *de ciuit. Dei. cap.* 13 *tom.* 5.
Quid pax Augustino, & ordo.

Sunt autem Pacis plures species: & alia quidem corporis; quę aliud nihil est, quàm ordinata partium inter ipsas temperatura: alia verò corporis & animæ simul: estque ordinata vita & salus animantis, quæ ex debita humorum proportione conflatur. Alia verò est sensus ad rationem, quæ ordinata cognitionis, actionisq́; consensio est, vbi subest, qui debet subesse: & imperat, cuius est imperare.

Pax quotuplex sit.

Alia item est, hominis ad Deum, quæ in recta ad Deum fide, congruaque obedientia diuinæ legis consistit.

Alia rursus hominum est inter ipsos, quæ in conuenienti, aptaque concordia superiorum ad inferiores innititur.

Alia item inter homines, & animalia bruta: quæ ordinata vtendi facultas est.

Postrema omnium est Pax cœlestis, quæ societas est ordinatissima, & concordatissima videndi Deum, illoque fruendi.

Hæc autem pacis omnia genera possidebat Adam ante lapsum: nam conformis diuinæ voluntati, Angelorumque inueniebatur instinctibus & afflatibus: nullum pati poterat, ne minimum quidem, vel in mẽbris dolorem, nec animæ à corpore vllam separationem, nec rebellionem sensus à ratione: nullaque exoriri poterat rixa inter homines legi Dei obsequentes: animalia quoque homini, vt Domino, ac Principi suo paruissent; pacem verò cœlestis gloriæ possidere debebant, si in obedientia permansissent.

Pacem. Adam innocens, qualem possidebat.

At peccãdo, bellum homo intulit Deo: insurrexit caro in spiritum: diuisus est vir ab vxore: & Cain ab Abel separatus: inuaserunt dolores ipsum, & morbi: animalia in illum insurrexerũt: incidit postremò in moriendi necessitatẽ. Christus autem, qui venit saluum facere, quod perierat, per incarnationem, vitam, mortem, resurrectionẽ, ascensionẽ, & Sacramenta, nobis omnia hæc restituere dignatus est. Namq; per cõceptionem humana est natura cum diuina

Idem inobediens, & peccator, qualecinc urrit bellũ infelix.
Gen. 3.

Infrà 4.

Luc. 19.
Vt pacem Christus cum Deo nobis amissam restituerit.

hypostati

hypoſtaſi verbi coniuncta in ſignum pacis. Vt veridicus fuerit Propheta, qui dixit: *Miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi: iuſtitia & pax oſculatæ ſunt.* Reſtituit pacem cum Angelis, qui propterea in Chriſti ortu in nobis hanc cecinere pacem. Pacem animæ & corporis fore inſtaurādam oſtendit per reſurrectionem ſuam: pacem verò gloriæ cœleſtis per aſcenſionem ſuam, in qua captiuam duxit captiuitatem; & poſſeſſionem regni cęleſtis accepit etiam pro nobis: quia dixit: Vado parare vobis locum. Pacem verò inter homines, charitatis legem prædicando reſtituit. Quod ſi obijcias, Vbi eſt pax inter rationem & ſenſum, cùm inuicem pugnent? Vbi pax corporis & animæ, quam mors interturbat? Vbi pax inter homines, inter quos oriuntur ac ſæuiunt, vigentque tot bella & ſeditiones? Vbi denique pax animalium, atque hominum inter ſeſe, cùm in illos inſurgant, inſidiaſq; illis moliantur & mactent, & perdant? Reſpondeo, Chriſtum principalem pacem hominis cum Deo, & cum Angelis conciliaſſe, ad quam cætera pacis referuntur genera, illamque conſequuntur, niſi nos ipſi ponamus obicem. Quamdiu enim illa in nobis eſt, quæ charitatis legem cōplectitur, pax erit inter nos, exulabitque omne bellum. Reliquit verò bellum doloris, mortis, rebellionis ſenſus à ratione, perſequentium hominum, & repugnantium belluarum: atque hęc quidem ad tempus: poſt obitum enim, horum poſſeſſione perfruemur: interim verò voluit nos Chriſto conformes reddi, humiliari, promereri, exercerique, ne homines propter temporalia beneficia ad Baptiſmum accederent: vti Auguſtinus docet. Atque ob eam cauſam permittit tyrannos, tot, tantaque flagella, & Satanam perſequentem. Nam vbi aliàs eſſent Apoſtolorum trophæa, Martyrumq; coronæ? Dedit ergò in his omnibus pacem, quam mundus dare non poterat, & quę exuperat omnem ſenſum, vt ait Apoſtolus: ita vt nō obſtantibus doloribus, rebellioneque ſenſus à ratione, hominum & brutorum defectione ab hominis obedientia, gaudeamus & pacifici ſimus, imò perfectiorem poſſideamus conſcientiæ pacem: vt Chriſtus aſſeuerauit: *In mundo*, inquit, *preſſuram habebitis.* Et vt paulò ante declarauit Dominus: *In me autem pacem.* Et Dauid: *Pax multa diligentibus legem tuam: & non eſt illis ſcādalum.* Pax Chriſti igitur cordi noſtro inſidens, bellum indicit mundo, carni, dæmoni, atque omnibus creaturis. Vt enim pax cum peccato, dęmoneque inita bellum Deo grauiſſimum inferebat, & noſtris ceruicibus interitus æternus impendebat: ita pax cum Chriſto bellum eſt in peccatum, & dæmonem. Quòd ſi contingat nos excidere à Dei amicitia, habemus, en ecce Chriſtum natum, & mortuum: cuius merita ſi Patri æterno offeramus, in pacem cum illo redimus. Vnde & reliquit Sacerdotes habentes non tantùm verbum, ſed etiam miniſterium recōciliationis. Eſtque hæc pax firmata per oſculum faciei Dei, id eſt, verbi per humanitatem, in qua omnes nos oſculatur: quod oſculum ſponſa poſcebat, firmataque Dei amicitia nobiſcum, qui nos amat affectu paterno, & amatur à nobis filiorum dilectione & affectu. Chriſtus verò, vbi adoleuerit, dicet: *Non veni pacem mittere, ſed gladium.* Illa eſt mala pax, indignaque hominibus bonæ voluntatis, nec vlli vtilis eſt: nam & pereuntium intereſt, non habere in peccato pacem, ne maiori ſe ſcelere obſtringant, & bellum aduerſus flagitium ſuſcipiēdum eſt, vt bona & tuta pax habeatur cum carne: & cum dæmone pugnandum acriter. Sed Angeli finem pugnæ tantùm denuntiant, eorum, quæ ducunt ad finem, in tanta lætitia non meminerunt. Nam illa denuntianda ſunt, vbi Chriſtus adoleuerit, & nos præſentia, & ſpiritu ſuo armare cœperit: dicetur paulò poſt etiam B. Virgini: *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius*, quod in annunciatione, vel natali non audit: nūc læta annuntiantur: vt olim Ioſeph filius Iacob, ſomniabat læta, ad quæ tamen nonniſi per terrores, ſeruitutem, & carcerem ipſi erat perueniendum. Sicut & per tribulationes oportet nos intrare in regnū Dei. Eſt itaque ſenſus horum verborum.

Et in terra pax hominibus. Saltat enim à cęlo in terram, vt moris eſt ſcripturarum: non quòd Deus non creauerit aerem, & ignem: ſed quia duæ creaturæ capaces Dei habitant cœlum & terram, id eſt, Angelus, & homines. *Audite*, Moyſes inquit, *cœli quæ loquor, audiat terra verba oris mei*, &, *lætentur cœli, & exultet terra: Et in terra pax hominibus.* Non ſolum quòd ſumma eſſet pax temporalis ætate Auguſti: vel quòd Chriſtus, qui pax eſt noſtra, eſſet per aſſumptionem carnis in terra, qui prius erat in cœlis: ſed quoniam, ſicuti per hanc natiuitatem Chriſti gloria Deo eſt comparata in altiſſimis: ita fructus eius in hominibus reconciliatio, & pax in terra cum Deo, per quam Chriſtus corde per fidem conceptus charitatis officijs in lucem editur. Quæ quidē pax nihil aliud eſt, quàm εὐδοκία, hoc eſt, beneplacitū vel beneplacētia Dei: quoniā bona volūtas Dei Patris in Filio ſibi benè complacuit, & per eum nos ſibi reconciliare, & ſaluare.

Pſal. 84. Quomodo cū Angelis pax reddita. Pſalm 67. Epheſ. 4. Ioan. 14.

Si pacem nobis Chriſtus reddidit, quare concupiſcētijs, morti, tot hominum bellis inter nos, & inimicitijs ſubiacemus?

Auguſt. lib. de ciuit. Dei 13. cap. 3.

Phil. vlt.

Ioan. 16.

Pſal. 118.

Priſtinam cum Deo gratiam & amicitiam redintegrandi optima ratio, & efficaciſſima.

1. Ioan. 2.

2. Cor. 5.

Hæc pax cum Deo, quomodo ſancita.

Cant. 1.

Matth. 10.

Mala pax, quęnam illa.

Luc. 2.

Gen. 37. & ſeq.

Act. 14.

Quare in terra, non in igne aut aere pax eſſe dicitur hominibus bonæ voluntatis.

Deut. 32.

Pſa. 95.

Epheſ. 2.

Pax cum hominibus bonæ voluntatis, quænam illa.

Matth. 3. & 17.

Atque ita verbum: εὐδοκία in nominatiuo est legendum per appositionem, vt sit sensus: In terra pax hominibus: quæ quidem pax nihil est aliud, quàm beneplacitū Dei in Christo, per quem saluare nos voluit. Venerat enim tempus beneplaciti eius, de quo Propheta dixerat: *Ego verò orationem meam ad te Domine, tempus beneplaciti Deus.* & rursus: *Memento nostri Domine in beneplacito populi tui.* ac iterum: *Quia beneplacitum est Domino in populo suo, & exaltauit mansuetos in salutem.*

Psal. 68. Beneplacitum Dei quod. *Psal. 105.* *Psal. 149.*

Verbum autem hoc propterea additur ab Euangelista; ne quis postea admiraretur tam multos ex Israel, & ex gentibus ad huius prædicationem & lumen perire. Ex quo Apostolus ait: *Sed non in pluribus eorum beneplacitū est Deo, nam prostrati sunt in deserto.* Deinde, ne quis desperaret ad magnas vexationes, sed pacem etiā in illis haberet. Vt autem homo beneplaciti diuini sit particeps, id est, talis sit, in quo sibi Deus complaceat, debet ipse sibi in Deo complacere, atq; in beneplacito Dei omnes diligere: vt Ephes. 1. facit Apostolus. Est enim propriè εὐδοκία ista secundum veteres Græcos Theologos, antegressa nos Dei volūtas, ac propensus amor. Et hæc de litera Græca.

Quorsum illud: Bonæ voluntatis. *1. Cor. 10.* *Num. 26.* II. Ratio. Homo vt beneplaciti diuini sit particeps quid ei facto opus sit. *Ephes. 1.* *Εὐδοκία* quid.

Si verò secundùm Latinam versionem, vt interpres legit, in genitiuo legatur, εὐδοκίας, siue, *Bonæ voluntatis*: idem sensus prorsus elicitur. Est enim sensus, quod in terra pax beneplaciti Dei in homines diffunditur: quam pacem consequitur pax mentis, & cōcordia populorum, siue fratrum dissidentium. Atq; his modis duobus vocem εὐδοκίας tribuimus Deo. Si verò illā vocem tribuamus homini, sensus esset, Christum per natiuitatem suā pacem hominibus cōparasse, non omnibus, quia non omnes à peccato, peccandiq; voluntate, & proposito recedere volunt, verùm hominibus tātùm iustis effectis, Deoq; reconciliatis, ac bona proinde volūtate præditis. Nam quādiu illa non pellitur, pax vlla in conscientia esse nequit. Hinc Propheta: *Non est pax impijs, dicit Dominus.* & Salomon: *Semper præsumit sæua perturbata conscientia.* Vnde Herodi nulla fuit pax, non enim erat homo bonæ voluntatis, sed turbatus est ad hunc nūcium cum omni Hierosolyma. Secus de iustis, de quibus Paulus: *Iustificati ergò ex fide, pacem habeamus ad Deum,* & Dauid: *Pax multa diligentibus legem tuam: & non est illis scandalum.* Nemo autem Dei legem diligit sine bona voluntate: neque esse potest bona sine Dei gratia: Nullus ergò habeat malam voluntatem, quādoquidem videt Deū omnibus propitium. Nam & impijs reuertentibus ab iniquitate sua, pax erit, & remissionem peccatorum paratā inueniēt. Pauperibus etiam & multa incōmoda hic patientibus pax erit, si quidem caput suum in paupertate & præsepio reclinatum, ad suam ipsorum consolationem respiciant.

Expenditur hæc lectio in casu gignendi: pax hominib. bonæ voluntatis. Cur pax est tātùm hominib. bonæ voluntatis. *Isai. 48.* *Sap. 17.* Qui sint homines non bonæ voluntatis. *Matth. 2.* *Rom. 5.* *Psalm. 118.* Legem Dei diligat qui solus. Pax affutura quibus.

Supplendum est autem in hac doxologia verbum aliquod non indicatiui temporis, vt putat Caietanus, sed optatiui, id est: *Gloria sit Deo in excelsis, & in terra pax hominibus.* Etsi enim per incarnationem, & natiuitatē esset illa pax cœpta: Angeli tamē, quæ iam fieri videbant, optabant amplius fieri in signum lætitiæ eorum, & gratulationis ob beneficia mundo impēsa: quemadmodum sancti in Apocal. dicunt, sedenti in throno, & agno: *Benedictio, & honor, & gloria, & potestas in secula seculorū,* scilicet sit: quo hymno ita perpetuam laudem optant, vt potius significent se gaudere in gloria & laude Dei, quam perpetuam esse nouerunt. At dices; cur Deus voluit ab homine honore, gloriaue affici, & non vult hominem honore & gloria itē affici? Respōdeo, non eget Deus gloria nostra, qui nostris laudibus efferri nō potest, nec intumescere, vti nec per illas augeri: nobis autē opus est, vt Deo, & non homini gloria deferatur. Nam si homines gloriā vsurpare contendant, rixa erit inter nos gloriam mutuo, & vicissim aucupātes. At cùm damus gloriam Deo, & omnia benefacta nostra illi referimus accepta, inuidia nulla erit inter nos, vel negligentia, verùm strenuè laborabimus: quoniā cuicunque tandem tribuetur gloria, ad Deum redibit, omnisq; benefacti Deus agnoscetur autor. Vult ergò nos minimè esse solicitos minimæ huius ac vanæ rei, ne frustra laborantibus dicatur: *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* Iubet autem sibi deferri, cui omnis iure debetur: Tum vt pax sit inter nos, tum pro bono nostro, ne aberremus post idola cordis nostri, tū, vt ansam haberet Deus remunerandi. Vide autē pulchram distributionem: Deo datur gloria, pax homini. Hominum enim gloria nō est vera & solida, sed vana: Quid enim habet in se boni, quod nō acceperit? Ipse enim est qui in nobis operatur, & velle, & perficere pro bona volūtate. Proinde pro nihilo ducenda est nostra gloria, illaq; Dei toto corde affectanda. Tunc autem laus & gloria erit vnicuique à Deo, cùm Dominus suam nobis impertierit, quæ verè erit nostra, quā à Deo Opt. Max. acceptam intelligemus: à quo etiam solùm gloriam quærere, non ab hominib. debemus, vt ipse Christus dixit Pharisæis: atque in ea gloria erit nobis vera pax atque tranquillitas. Nam quę ab homi-

Cur gloriam Deo, pacem hominibus Angeli exoptant quā præsentem cernebant. *Caietan.* *Apoc. 5.* Cur sibi, non hominibus, velit Deus gloriam & honorem deferri. *Ioan. 5.* *Matth. 6. & seq.* I. Ratio, gloria cur Deo, pax hominibus annunciatur. *1. Cor. 4.* *Phil. 2.* *1. Cor. 4.* *Ioan. 5.*

nibus

Quæ gloria pacem non habeat.

B. Bernardi in eos, qui pace neglecta, gloriam propriam quærunt, grauis inuectiua.

II. Ratio.

nibus gloria accipitur, pacem non habet. Vide autem quàm pulchrè B. Bernard. homines toto studio glorię suę incumbentes, ad pacem negligentes coarguat. Ait enim epist. 127. *Displicet mortalibus Angelica illa partitio, qua gloria Deo, pax hominibus annũciatur, & dum gloriam vsurpant, turbant pacem. O stulti filij Adæ, qui contemnentes pacem, & gloriam appetentes, & pacem perdunt, & gloriam.* Hæc ille. Adhæc rectè Deo in cœlo gloria canitur, & hominibus pax: quia nec Deo dabatur, quæ ei debita erat gloria, cùm apud gentes esset ad idola translata, & Iudæi magis in suis gloriarẽtur meritis, quàm in Dei gratia: & in terris pax cum Deo non erat, cùm omnes suis peccatis Deo bellum indicerent. Sed Christus suo aduentu & doctrina gloriam Deo, & pacem hominibus restituit: nam Christus verè restaurauit omnia, vt ait Apost. quæ in cęlis, & quæ in terris sunt. Porrò hic Angelicus hymnus confundit eos, qui gloriam sibi quærunt, nec eam totã concedunt Deo. Confundit quoque eos, qui pacem nolunt, sed bellum: & bellum isti è bello serunt, & rixam è rixa; neq; bonam voluntatem, sed prauã fouent in alios, quia se, & alios à salute, & fructu huius natiuitatis impediunt. Est verò bona voluntas hominis illa, quæ conformis est optimæ ac primariæ voluntati, quam fieri quotidie precamur dicendo: *Fiat voluntas tua.* Hæc autem bona voluntas ab homine si absit, cætera nihil prosunt: si verò adsit, reliqua non possunt offendere. Cumq; ad intellectum hominis expoliendum multæ excogitatæ sint artes & scientiæ, illisq; homines diligenter incumbant, ad bonam tamen voluntatem comparandam, vel comparatam conseruandam (heu) negligentissimi sumus: atque hanc vnam pretiosissimam & vtilissimam rem cæteris omnibus artibus, vel vanissimis, posthabemus: cùm tamen nihil sit indecentius ac deformius, quam in recto corpore curuam gerere voluntatem: atq; in pulchro hospitio deformem ac turpem excipere hospitem. Et hęc quidem de quarto.

Rom. 4.

Colos. 1.

Angelicus hymnus vtrosque redarguat.

Bona hominis voluntas quænam illa: quã necessaria.

Matth. 6.

Bona voluntas quanti facienda.

De hymno Angelico impudens, & temeraria Erasmi sententia damnatur.

Quorum proprius hic hymnus.

Quod attinet ad V. Erasmus nouarum rerum sator, hoc loco, de isto hymno sic est ausus dicere: *Quæ Telesphorus addidit huic cantico, plus habent verborum, quàm sententiæ.* Sed certè in hoc dicto plus verborum, & temeritatis effudit Erasmus, quàm virum Christianum decebat. Sciendum est ergo hoc canticum propriè spectare ad Pontifices, & pastores animarum, qui & ipsi in scripturis Angeli appellantur: nimirum quorum est vitam ducere Angelicam: & voluntatem Dei gregi suo annunciare: & deniq; ministerium suum impendere propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis. Atque quemadmodum mysterium natiuitatis huiusmod cantico ornatum ac decoratum fuit: sic in Missæ sacrificio, in quo celebratur Christi habitatio sub accidentibus panis & vini, ac veluti cœlestis illius panis in præsepi altaris ad edendum reclinatio, Sacerdotes, qui Angeli Domini exercituum sunt, cum gaudio venerantur, atque decantant: qui verò intersunt Missæ, eiusmodi hymno non aliter excitari debent, & ad Christũ spectandum, & in hostia adorandum, quàm olim fuerint excitati pastores ad veras Angelorum voces, vt festinantes venirẽt in Bethleem. Addit Ecclesia: *Laudamus te: benedicimus te:* quæ verba nõ sunt superflua, sed potius ipsius Euangelistæ, qui dixit: *Et facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis, laudãtium & benedicentium Deum.*

[illegible]dem cur in s crosancto Missæ sacrificio decãtet

Illud: Laudamus te. benedicimus te: vnde sumptum.

Psal. 69.

Quid contineant illa verba.

Quod verò sequitur: *Adoramus te: glorificamus te:* etiam ipsius sunt verba Euangelistæ, quæ tribuit pastoribus: *Qui reuersi sunt,* inquit, *laudantes & glorificantes Deum:* & Angelis, quibus erat mandatum: *Adorate eum omnes Angeli eius:* quod vbi audiuit, & vidit ipsa Sion, videlicet B. Virgo lætata est, & simul, quem peperit, cum illis adorauit. Adhæc omnia hęc verba accepit Telesphorus à Iacobi Apostoli Liturgia, & à B. Petri successore Clemente, qui lib. 7. constitut. Apostolicarũ cap. 47. *Laudamus* (inquit) *te: celebramus te: benedicimus te: glorificamus te: adoramus per magnum Pontificem, te verum Deum ingenitum,* & reliqua in finem vsque. Neque hæc verba sunt repetitio, vnaque battologia: est enim laudatio, enarratio, siue enumeratio excellentium perfectionum Dei apud se: benedictio verò congratulatio quædam est, quòd Deus, quæ habet, possideat: adoratio verò est reuerentia, & honor latriæ tantæ maiestati debitus ab homine: glorificatio, declaratio est apud alios diuinarum virtutum ac perfectionum: gratiarum actio denique: *Propter magnam gloriam tuam,* id est, incarnationem, distinctus actus est à reliquis. Etsi ergò istæ voces interdum confundantur, habet tamen quælibet suam peculiarẽ, germanamque significationem.

Quàm appositum sit, & illud: Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam.

Subdit: *Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam.* Nunquid hoc est super fluum, commemorato beneficio, gratias agere benefacientibus? & in qua re Deus magis declarauit magnificentiam suam & gloriam, quàm in hoc mysterio aduentus Filij Dei? Deinde declaratur tota Trinitas, vnde tantum profectum est beneficium: sed pręcipuè dirigitur sermo ad filium Dei incar-

natum:

Quare additum: Domine Deus Rex cœlestis, Deus pater omnipotes, &c. Ioan. 1. Matt. 11. & alibi.

natum: *Domine Deus*, inquit, *Rex cœlestis, Deus Pater omnipotens: Domine fili vnigenite Iesu Christe.* Primæ siquidem personæ tribuitur omnipotentia, paternitas, regnum: Secunda persona est vnigenitus filius Dei, Saluator mundi, & gratiosus agnus Dei, auferés peccata mũdi; à quo imploratur misericordia, vt à Domino, cui data sunt omnia: & vt suscipiat nostram deprecationem, qui sedet ad dexteram Patris: tum vt ostendatur, illum omnia posse, per quem Pater regit omnia. Et ne videatur incredibile, Christũ hominem sedere ad dexteram Patris: additur: *Tu solus sanctus, tu solus Dominus, tu solus altissimus.* Particula, solus, non excludit reliquas duas personas, Patrem scilicet, & Spiritum sanctum: sed tantùm creaturas aliàs à diuina, vt Angelicam, & humanam. Nam illa tria attributa, sanctitatis, dominij, & altitudinis, essentialia sunt, & ad substantiam diuinitatis spectant. Angelus enim, & homo nõ suaptè natura, neque ex se, quemadmodum Trinitas beata, sanctimoniam, dominiũ, & altitudinem habent: verùm participatione, ac sola gratia, quadamq; à Deo (vt sic dicam) dependentia, perinde ac aer & aqua claritatem mutuãtur à sole. Est igitur *Sanctus* quidem, vt mereatur omnibus sanctificationẽ: *Dominus*, cui data est omnis potestas in cœlo, & in terra: *Altissimus*, quoniam lucem habitat inaccessam. Ne etiam solus intelligatur omnia præstare: adijcitur: *Cum sancto Spiritu, in gloria Dei Patris, Amen.* Animaduertis hic in paucis verbis plurimas sententias perscriptas? nec videtur quicquã non lectũ in scripturis sacris: Hæc de quinto. sequitur in textu:

Christ. quomodo solus dicitur, sanctus, solus Dominus, & solus altissimus.

Matth. vlt. 1. Tim. 6.

Et factum est, vt discesserunt ab eis Angeli in cœlum. Angeli enim post illuminationem Prælatos relinquunt in manu consilij sui; vt pro suo arbitrio operentur. Et quia, vt scribitur, in cœlum discesserunt: apparet, eos sanctos fuisse, & cœlorum incolas, & priùs Christum visitasse, adorasseque, deinde pastores admonuisse: quanquam non puto illos discessisse, quin eorũ aliquis nocte illa intẽpesta recta eos duxerit ad Christum, quemadmodum & Magos stella ad illud præsepe perduxit, ne vagarentur per tot præsepia, quæ erãt in Bethleem. Pastores loquebantur ad inuicem: *Transeamus vsque Bethleem, & videamus hoc verbum quod factum est, quod fecit Dominus, & ostendit nobis.* Non frustra recepisse se Angelicã admonitionem, Pastores testãtur, imò verò statim secũ ipsi de visitando infante deliberarunt non quod dubitarent de natiuitate Christi Domini per Angelos detecta, sed fidem & deuotionem suam re ipsa visitando testarentur: quemadmodum & nos tametsi non dubitemus multa esse templa, ad quæ stationes fiunt, tamen, vt expleamus fidem nostram, & religionem protestemur, indulgentias Ecclesiæ thesauri illo tẽpore, Deo, vel diuis supplicantibus, propositas, nobis comparamus. Simili ratione pastores ad infantem visitandum venerunt, neq; dubito ex tali illos visitatione ingentes à puero & virgine matre gratias fuisse consecutos.

Quid significet, quod discessisse à pastoribus angeli in cælum dicuntur.

Pastorum fides, & obediétia.

Meritorum illorum, & fructus.

Quæris cur iam cito pastores crediderunt, an leues erãt corde? nam simplices & rudes citius credunt, quàm sapientes: ideoque Maria percũctata est: *Quomodo fiet istud?* An similiter credituri fuerant per simplicitatem Angelis malis? Respondetur, reuelationes Dei fieri in lumine, quia Deus lux est, ita vt cõuincatur intellectus humanus. Et ideò in culpa sunt, qui non credunt, & laudantur qui credũt. Ex quo Paulus Act. 26. non incredulus visioni fuit, & Isaiæ 50. *Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem nõ contradico.* Nam multi repugnant, ita vt etiam scientes interficiant Iesum cum Herode. Sic Herodes turbatus est ad nuntiũ noui Regis, Christi scilicet nati, at habebant hi pastores caussam dubitandi, cur ad se magis, quàm ad Principes fuerit hic sermo: sed erant in lumine, nec erat eis nouum, Prophetas etiam ex pastoribus factos. At non debebant ire ad adorandum, quem à suis maioribus adorandũ non audissent aut cognouissent. Sed certè, vt dixi, versabantur in lumine. Similiter dices: Satanas transfiguratus in Angelũ lucis, poterat decipere, si Deus permitteret, vt fecit aliquando: vt Ezech. 14. & 3. Reg. 22. vbi non bonus, sed malus est deceptus. Non enim permittit Deus Satanam præualere in bonos, nisi in volentes, aut spernentes, & traditos iam in reprobum sensum: Ita nos ex lumine fidei agnoscimus hanc esse veram Ecclesiam Catholicam, matrem nostram: illam Hebræorum, vel Saracenorum, vel Hæreticorum falsam. Illud verò notandum videtur, more Hebræo dixisse: *Verbum quod factum est, quod fecit Dominus*: id est, rem nouam, & rumore Angelorum diuulgatam. Sic enim 2. Reg. 1. Dauid dixit nuntio venienti de prælio, in quo cæsus erat Saul: *Quod est verbum, quod factum est? indica mihi*: quod idem est, ac si dixisset, Quid rei nouæ accidit? Res enim dum narrantur, fiunt verba. Vel verbum hoc factum, verbum est incarnatum, quod factũ est à Domino per mutationem creaturæ: ideò Græcè nõ λόγος, id est, verbũ internum ab æterno genitum: sed ῥῆμα, id est, verbum, scilicet prædicatum, quod exterius sonat. Sic enim vocat Aristotel. ῥῆμα

Pastores angeli dictis creduli, cur minime leues fuerint. Eccl. 19. Luc. 1.

1. Ioan. 1.

Isai. 50.

Matt. 2.

Ijdem eo facto cur minime decepti. 2. Cor. 11. Ezech. 14. 3. Reg. 22.

Quæ est hæc locutio, videamus hoc verbum quod factum est, &c. 2. Reg. 1.

Ratio eius dicti, quæ nã sit. Ioan. 1.

Philo. bzh.

Hoc verbum quando factũ sit à Domino.

illud, quod habet locum prædicari in enũciatione. Factum est autem ex tempore à Domino: & factum est secundum carnem, seu qua ratione homo est: ita vt possit ostẽdi, siue vt verbum Græcum habet, ἐγνώρισεν, id est, notum fecit, seu indicauit nobis scilicet per Angelũ. De hoc verbo ait Propheta Hierem. cap. 1. *Quid tu vides Hieremia? & dixi, Virgam vigilantem ego video:* id est, Mariam, quæ virga est de radice Iesse, vt ait Isaias: & quæ virgo est de numero prudentium, & vigilantium: *Et dixit Dominus ad me, Bene vidisti, quia vigilabo ego super verbo meo, vt faciam illud:* id est, vt verbum caro fiat per corporis assumptionem, per quam æternitas venit in tẽpus, spiritus in corpus, qui figurari non potest in figuram, inenarrabilis in sermonem, immensus in mensuram, inexplicabilis in linguam, incircumscriptus in locum, inuisibilis in colorem, creator in creaturam, Dominus in seruũ, liberator in pretium, sanitas in infirmitatẽ, satietas in esuriem, fons in sitim, artifex in opus, altitudo in humilitatẽ, latitudo in angustias, longitudo in breuitatẽ, gloria in cõfusionem, sapientia in ignorantiam, redemptio in captiuitatem, pretium in venditionẽ, vita in mortem: iudex factus est reus, Rex factus est exul à regno: quoniam Christus factus est per omnia fratribus similis: eiusdem etiam speciei animam nobiscum habuit: & bonis pastoribus plura ostẽdit Deus de bono, & vigilãti pastore Christo, quemadmodum olim fecit cum Iacob, cum Moyse, & Dauide, pastoribus. Qui dixerunt: *Transeamus vsque Bethleem.* Nempe à turri nebulosa, distant per milliare à Bethleem. *Et venerũt festinantes.* Verbum caro factum vel pastores currere facit: *Post te, inquit, in odorem vnguentorum tuorum curremus.* Bene olebat illis stabulum, ac præsepium, in quo erat Dominus. Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia: timebant enim, ne citò è loco auferretur. At quomodo scriptum est: *Qui crediderit, non festinet:* cùm isti credentes festinauerint? Respondeo. Festinandum est in opere, & obedĩetia, ad quam vocamur: postquam autem credidimus, non statim ante tempus est festinandum ad præmium, vt Propheta ait, sed incumbẽdum bonis operibus, & patiẽter aduersa, quæ infliguntur, toleranda. Hinc per Prophetam dicitur: *Si moram fecerit, expecta illum: quia veniens veniet, & non tardabit:* & seruo regresso de agro, nemo illi dicit, statim transi, & recumbe, sed para quod cœnem: & præcinge te, & ministra mihi donec manducem, & bibam. Post fidem autem, spem, & amorem præmij festinandũ est, si id sit in donis ter-

Hierem. 1.
Quid virga vigilans apud Hierem.
Hierem. 11.
Matth. 25.
Super quo verbo Dominus vigilauerit, vt faceret illud.
Mira incarnationis opera.
Heb. 2.
Pastores vnde transierint in Bethleem eodem cur venerint festinãtes.
Cant. 1.
Isai. 28.
Id. Qui crediderit, non festinet, quid significet.
Hab. 2.
Luc. 17.

renis, vel in præmijs. Vnde Salomon: *Doce inquit, iustũ, & festinabit accipere.* Abraham etiam cum vxore, totaque domo festinauit, vt ministraret Angelis, quos exceperat: & ita congruè festinabimus ingredi in illã requiem, scilicet cœlestis præmij, vt Paulus docet: *Et inuenerunt Mariam & Ioseph, & infantem positum in præsepio.* Declaratur quãtus fuerit pastorum amor ad hæc videnda, quantumq; desiderium. Nam rarò corpus festinat, nisi aliqua mentis affectio festinare compellat: nam si timor addit pedibus alas, quãto magis amor? Et quotquot tempestiuè quæsierunt Christum, vt saluarentur, & dum inueniri potest, totidem eum inuenerunt. Proinde B. Virgo in vtero, in templo, & prædicantem inuenit: Magi & pastores quærentes inuenerunt: Maria ad monumentum suscitatum reperit. Iudæi autem quia non semper congruè, nec ad salutem suam promouendam quæsierunt, Christum non inuenerunt. Sic enim dixerat Dominus: *Quæretis me, & non inuenietis.* Cæteris autem dicitur: *Quærite, & inuenietis.* Isaias quoque apertius modum inueniendi Christum explicans ait: *Quærite Dominum, dum inueniri potest, inuocate eum, dum prope est.* Inuenerũt autem primò Mariam, quæ illos misit ad Ioseph virum, per quem virum viderunt infantem: *Videntes autem cognouerunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc.* Græcum verbum significantius est, habet enim διεγνώρισαν, hoc est, notificauerũt, scilicet notum alijs fecerunt nouũ illud factum dictũ de puero hoc. Ex quo rectè sequitur: *Et omnes qui audierant, mirati sunt.* Si verò retineamus vocem Latini interpretis: Cognouerunt de verbo, id est, experientia viderunt, quod crediderunt de signo, & confirmati sunt in fide infantis signati, viso signo iuxta illud: *Sicut audiuimus, sic vidimus in ciuitate Dei nostri: Et omnes qui audierunt, mirati sunt.* Intellige eos qui audierant, vel ab Angelo, vel à pastoribus, admiratos fuisse, vidẽtes circa Iesum dicta illorum impleta: *Et de his quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos.* Nempe ad Mariam & Ioseph: nam pastores narrarunt, Angelos apparuisse cum lumine, & cecinisse illud canticum, excitasseque eos, vt venirent ad spectandum infantem: *Et reuersi sunt pastores.* Ad negotia sua iusta & licita: sed reuersi laudantes & glorificantes Deum. Sic & nos ad nostra exercitia redire conuenit, sed ita, vt in illis laudemus & glorificemus Deum. *Et de his quæ dicta erãt à pastorib. ad illos.* Græcè nõ habetur illa cõiunctio Et, & si esset, abundaret, vt sæpè superfluit, & hoc loco videtur etiam sensui obstare, etsi glossa or-

Prouer. 9.
Gen. 18.
Ad quam requiem ingrediendum festinandum.
Heb. 4.
Pastorum in Christum ardens amoris affectus.
Qui Christum inueniant.
Luc. 1.
Infra 2.
Infrà 8.
Matth. 2.
Ioan. 20.
Iudæi Christũ cur minime inuenerint.
Supra 8.
Matth. 7.
Isai. 55.
Mariæ virginis prudentia simul ac pudicitia.
Pastores vti cognouerint de verbo, quod dictum erat illis de puero Iesu.
Alter sensus.
Psal. 47.
Quinam illi qui audierant mirati sunt.
De quibus mirati sint dicta à pastoribus ad Mariam & Ioseph.
Ad quid reuersi sint pastores, nobis quoque redeundũ sit.
Glos. ordin.

dum alia illa habeat, & exponat per, etiam, Lyranus verò per, id est, vt sit sensus, non tantùm mirati sunt de incarnationis mysterio, sed etiam de tanta pastorum attestatione. Et perpende, pastores non diuulgasse quæ audierunt, sed vbi rem certam cognouissent. Et pastores viso Christo, dicûtur redijsse ad gregem, vt intelligas Ecclesiasticum pastorem debere per orationem & contemplationem accedere ad Iesum, & postea redire ad actionem, & gregis sui custodiam.

Lyranus.

Pastorum post adoratum puerum ad sua reditus, quid mystice signet.

Maria autem conseruabat omnia verba hac, conferens in corde suo. More Hebræorum verba, vocat gesta siue facta: quæ, dum narrantur, fiunt verba, vt ait Theophylactus. Deinde quoniam ipsa gesta vel facta significabant, & prænunciabant aliud, vt meritò verba dici possint. D. Maria Virgo pro modestia sua & prudentia, qua à pastoribus discere nón dedignatur, nec iactat apud alios suam fœlicitatem, conferebat hæc in corde suo: quoniam gesta Christi cum vaticinijs Prophetarum, & dictis sibi ab Angelo conferebat, vt natiuitatẽ Christi in Bethleem, salua sua virginitate: & repositionem pueri in præsepio cum his quæ prædicta erant à Prophetis. Item conferebat illud: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium: Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Israel: Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, Israel autem me non cognouit, &c.* Rursus ea quæ à pastoribus facta sunt, conferebat, cum significatis futuris; videlicet de doctoribus & pastoribus animarum, quorum est priores nosse, & vidisse Christum, atque illum cæteris annuntiare, & manifestare: qua collatione mirificè confirmatur fides. Propterea enim Christus dignus fide inuenitur, quoniam quæ prædicta sunt à Prophetis, in seipso indicauit impleta: & quæ euentura erant circa se, & Apostolos, & Ecclesiam suam, longè antè ipse ore suo præsignificauit: quæ ipso rerum euentu posteà stabilita sunt & confirmata: Vt ita cognoscas Iesum Deum esse, cuius oculis præterita omnia, futuraque sunt præsentia.

Gesta siue facta Hebræi cur verba solent appellare.
Theophyl. in Lucam.
B. Virgo verba conferret quæ nam in corde suo, vt ait Euangelista.
Isai. 7.
Matt. 2.
Mich. 5.
Isa. 1.
Christum qui debeant priores nosse, & videre.

Quod autem Maria conseruaret omnia verba in corde suo, atque illa conferret: didicit (vt arbitror) ipse Lucas ab ipsa B. Virgine: docuitque nos exemplo suo, quid agere debeamus. Nam non satis est (prudens lector) cuiuis Christiano scire, Christi gesta & dicta scripta esse in chartis Euangelicis; sed opus est, vt illa memoriæ cômendes, & illa cordi tuo imprimas: nam ex illis fides tua confirmabitur, stabilietur spes, charitas inflammabitur, boniq; mores ad exemplum Christi facilè componentur. Nam quæ Christus, qui lex tua est, vel gessit, vel dixit, vel passus est, te, si membrum eius es, quæ sis acturus, quid dicturus, quid denique propter ipsum toleraturus, efficaciter & suauissimè docent. Sicut enim prauæ cogitationes, vt de voluptatibus & sordibus, aculeum relinquunt in corde hominis: ita piæ & sanctæ Christi vitæ meditationes, cogitationesq; pios quosdã in corde hominis accendunt affectus, quibus pietas mira percipit incrementa virtutum. Quod vt efficere, ac D. Mariam eius matrem imitari valeamus, præstet ipse Dominus noster Iesus Christus, cui cum Patre, & Spiritu S. exhibeatur omnis honor, gloria, laus, & imperium in secula seculorum, Amen.

Christus cur fide dignus. Vndenam B. Lucæ constiterit dictorum, factorumve conseruatio, collatioque in corde Mariæ. Christiano quid opus sit ad salutem.
Piæ ac sanctæ Christi vitæ meditationes quid efficiant.

TRACTATVS XXXVI.

In illa verba: *Et postquam consummati sunt dies octo, vt circunciderettur puer.*

Luc. 2.

AVspicamur anni exordium nõ à Natali Domini, sed à Circumcisione, quòd per hãc Christus debitor fiat vniuersæ legis implendæ: nam & ipse factus est sub lege, vt eos qui sub lege erant, redimeret: Et quia ex circuncisione abijcitur opprobrium naturæ nostræ, per quam in peccato nascebamur (etenim eramus omnes natura filij iræ) simili ratione apud Iosue legimus per circuncisionem ablatũ opprobrium Ægypti. Et sicut inchoamus annum in nomine Domini Iesu fœlici omine, & spe, quòd corda nostra circuncidat, & saluet nos, sitque nobis Iesus: ita nouam quandam vitam exordiamur. Apud Iudæos, vt scribitur Exod. 12. primus dies mensis primi Nisan annum inchoabat, in eoq; mense spargebatur sanguis agni paschalis liberãtis à captiuitate: sic primus dies mensis primi apud Christianos, sanguinem Christi effusum celebrat ad nostram redemptionem. Est autem laudabilis ille quidem, & approbatus mos & cõsuetudo, vt huius in anni auspicio homines officiosè se inuicẽ salutent, & resalutent, & vt salutationis impendendæ gratia principum & magnatum domos adeamus felicia, faustaq; anni exordia illis precemur: multique sunt qui salutationem eiusmodi pulchris quibusdam munusculis ac bellarijs exornent, quibus beneuolam, amicamque suam voluntatem erga eos, ad quos salutẽ mittunt, testentur. Habent enim dona magnam vim hominum sibi animos conciliandi, iratosque, & iusta de causa indignatos,

A circuncisione non à natali Domini dies cur ãni exordium auspicemur.
Gal. 5.
Supra 4.
Ephes. 2.
Iosue 5.
Exod. 12.
Christianorũ in die circuncisionis officiose inuicem se salutantium atque resalutantium consuetudo laudabilis.
Dona quam vim habeant.

dignatos, maximè placandi, ac recōciliandi. Sic enim Poeta quidam egregiè dixit:

Ouid. lib. 3. de arte, circa fin.

Munera (crede mihi) placant hominesq́ue, deosq́ue,
Placatur donis Iuppiter ipse datis.

Qui nos salutauerit Iesus infans.

Huncad morem sese accommodans, Dei filius, non solùm beneuolè salutare nos, verum etiam pretiosissima munuscula, atque suauissima mittere ad nos permanter voluit. Dices; Quomodo verò salutare nos potuit infans? Maximè verò, & summo modo salutationem declarauit efficiendo, vt nomen Iesu sibi imponeretur. Quid enim est Iesus, nisi salus siue Saluator? Et cuius rei gratia hoc nomen accepit, nisi propter nos? vti apud Matthæum Angelus declarauit: *Vocabis*, inquit, *nomen eius Iesum: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Et quid poterat homo perditus maius quicquam optare, quàm salutem? quā Christus non verbis modo, vt salutantes faciūt, precatur, sed etiam facto illā ad nos Deus affatim mittit.

Iesus quid. — Matt. 1. — Nihil pretiosius salute.

Quæ nobis nunc munera donet Iesus puer.

Rursus dices, vbi quæso sunt pretiosa ista dona, atque munuscula? Respondeo: solēt homines externis donis amicos suos afficere: at Christus non aurum, neque argentum, non vestes pretiosas, non esculenta, poculentave, verum intima ipsi danti, atque charissima tribuit & impertit. Nam in signum amoris sui, & cordis sui in eo donati largitur nobis diuinum & admirabilem annulum, carnem, sanguinem, lachrymas dolore maximo expressas. Cumq; paruus infans sit, parua tantùm elargitur munuscula: instante verò eius morte, non iam carnis, sanguinisque aut lachrymarum aliquam particulam, verùm totam carnem, totumque sanguinem, atque integrum lacrymarum profluuium, donec præ siccitate exaresceret, vt dicere meritò posset, *Aruit tanquā testa virtus mea*, nobis largitus est.

Qualia donaturus sit. — Psal. 21.

Vt misit ad nos hæc munera Iesus.

Dices præterea; Quomodo munera huiuscemodi ad nos mittit? Respondeo: per mysterium circuncisionis. Quod vt melius intelligatur, dicendum quid circuncisio: cur data à Deo atque præcepta; quando cœpit, & cur nos non circundimur, denique cur Christus circūcidi voluerit. Quod ad primum igitur spectat, circuncisio nihil aliud erat, quàm amputatio pelliculæ, quæ præputium dicebatur, vel circularis præputij abscissio: quæ cum dolore, & sanguinis tam chari effusione, & vulneris cicatrice, fiebat, non sine parentum mœrore atq; molestia. Vnde Iudæi à Romanis per contemptum vocabantur Curti, Verpæ, & Apellæ, nimirum pelle destituti. Hinc Horatio:

Quid sit circuncisio. — Romani Iudæos curtos, Verpas, Apellas, atque recutitos, cur appellaruit. — Horat. 1. ser. satyr. 5. in fin.

Credat Iudæus apella.

Martial.

Appellabantur etiam recutiti, iuxta illud: *Recutita Sabbatha pallent*, & alius Poeta dixit: *Recutitorum fugis inguina Iudæorum* Et quidem ideò recutiti dicebantur Iudæi, quòd his à glāde cutis esset resecta; vel etiā quod exulcerati essent, & cute nudati. Dura quidem lex erat Mosis, quæ à profusione sanguinis inchoabat: referebatque parui sanguinis effusio baptismi speciem quandam. Quia enim durum videbatur omnia membra circuncidi, quòd omnia aliquid habeāt superfluum, dignumque præcisione, iuxta illud: *A planta pedis vsque ad verticem capitis non est in eo sanitas:* in vno tātummodo plus rebellanti circuncisionem fieri mandauit: cui ob eam caussam baptismum sanguinis addidit. Ferunt, qui ista diligentiùs inuestigarunt, solam illam pelliculam corpore in toto superuacuam, quam solam etiam sine magna hominis offensione posse ab humano corpore auferri tradunt: ideò illius præcisio etsi dura, haud erat tamē absque misericordia.

Quàm dura Moysi lex. Circuncisio cuius rei typus. — Leuit. 12. — Isa. 1. — In præputio, quam alia in parte corporis, cur fieret circuncisio.

Quinam circuncisionis minister. — Gen. 17. — Exod. 4. — Qua ratione nonnulli Christum asserant à matre sua ipsa circuncisum.

Quod ad ministrum attinet, certum aut distinctum habuit neminem, sed fieri poterat à quocunq;. Vnde Abraham seipsum vnà cum filijs, & masculis omnibus domus suæ circuncidit. Sephora verò vxor Moysis filium suum circuncidit prę timore Angeli: dixitque viro suo: *Sponsus sanguinum tu mihi es.* Atque ob hanc caussam putant pij viri nonnulli, Iesum à matre sua virgine circuncisum, quia scilicet nullus alius dignus erat Christi sacratissimā carnem attingere: vt quidem in Sephora circuncidente filium suum fuerat præfiguratum.

Vbi fieret circuncisio. — Gen. 17. — Leuit. 12. — Matth. 2.

De loco verò, templo minimè opus erat, quoniam antequam templum construeretur, mandata fuit circuncisio: nec si maximè fuisset templum constructum, eius adeundi lege tenebantur. Nam impossibile erat, Iudæos toto orbe dispersos octo dierum infantulos circuncisionis deferre ad templum. Neq; verò B. Virgo, quæ vicina erat templo Hierusalem, ad illud propterea venit, sed hęsit in Bethleem: in qua vrbe post quinque circuncisionis dies Christus à Magis inuentus est. Ergò nullus circuncisioni locus erat præfixus. Hinc Epipha. hęres. 19. contra Ossinos refert illum natum in Bethleem, & circuncisum in spelunca. Quod certè probabile est, si verū est, quod multi Patres veteres tradunt, Magos inuenisse Christum in stabulo, siue in spelunca. Quòd verò pertinet ad instrumenta, haud erat necessarius gladius lapideus, sed ferreo gladio fieri id poterat: quo pacto Iudæi nunc faciunt. Quod si Iosue 5. dixit Dominus ad Iosue: *Fac tibi cultros lapideos, & cir-*

Quodnam instrumentum circuncisionis. — Iosue 5.

circumcide secundò filios Israel: non propterea censetur, semper lapideis vtendum esse gladiolis, quia nihil de ea re traditur, vbi præceptum effertur, Genes. 17. & Leuit. 12. Sed in illa generali circuncisione, quæ præcepta est Iosue, tantummodò vsi sunt lapideis cultris, quòd fortassis in deserto maiorem haberent copiam lapidū, quàm ferri. Verbum etiam Hebræum, quod Interpres noster, & septuaginta verterunt, *Lapideos*, vel *petrinos*, magis significare acutos, quàm lapideos, periti Hebrææ linguæ notarunt: ad literam enim habet, vt aiunt: *Fac tibi cultros acierum*, hoc est, acie præditos acutissima. Chaldæus etiam Interpres vertit, *Nouaculas acutas*. Etsi alij id constanter denegent, dicentes צור nunquam accipi in sacris litteris pro acie, vel acuto, sed pro lapide. Similiter etiam, quod scribitur, Exod. 4. *Tulit illicò Sephora acutissimā petram, & circumcidit præputiū filij sui:* iuxta Hebręū tantùm habetur: *Tulit nouaculam*, vel aciem gladij, quam minimè repugnat lapideam fuisse nouaculam acutissimam. Verbum enim Hebræum æquiuocum est ad lapidē, & ad acutū. Chaldæus tamen Interpres vertit טנרא, hoc est, silicem, & Rabbi Moyses Maymonius in Moreth neuochim, part. 1. cap. 16. silicibus vsum Iosue tradit in illa circuncisione. Profani quoque autores docent acuto siliceamputari præputia, vel testes. Hinc Catullus in elaborato illo carmine de Berecynthia, & Athi, de quodam Cybeles sacerdote scribit:

Deuoluit ipse acuto sibi pondera silice.

& Iuuenal. satyr. 6. de simili sacrificio verba faciens, ait:

Mollia qui rupta secuit genitalia testa.

Etsi ergò lapide acuto facta sit circuncisio Iosue, & illa Sephoræ vxoris Moysis: non tamē erat eius præceptum, vt dictum est, & poterat ferro perfici, vt hodie fieri consueuit. Et hęc de primo membro: nunc cur circuncisio fuerit præcepta, videamus. Lex circuncisionis ante legem Moysis primùm Abrahæ data est: *Hoc est*, inquit, *pactū meum, quod obseruabitis inter me, & vos, & semen tuum post te. Circuncidetur ex vobis omne masculinum: & circuncidetis carnem præputij vestri, vt sit in signum fœderis inter me, & vos. Infans octo dierum circuncidetur in vobis, omne masculinum in generationibus vestris.* Et infra: *Masculus, cuius præputij caro circuncisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo: quia pactū meum irritum fecit.* Repetitur lex Leuitici duodecimo: *Die octauo circuncidetur infantulus.* Neque hic temporalis terror mortis incussus est, vt Augustinus admonet; sed terror æternæ damnationis. Et quod est octauo die non circuncidi, hoc est, in Christo non baptizari: & quod est perire de populo suo, idem est, ac non intrare in regnum cœlorum.

Cur Iosue imperatum à Domino, vt lapideis cultris filios Israel secundò circuncideret.

Quales illi cultri lapidei quibusdam.

Quid acutissima petra, qua Sephora circūcidit præputiū filij sui.

Rabb. Moyses Maymonius.

Catull.

Iuuenal.

Cur fuerit præcepta circuncisio, & quando.

Gen. 17.

Leuit. 12.

Puer incircuncisus quā mortē incurreret.

August. l. 2. con Iul. to 7. & lib. 2. cont. Pelag. & Celestinum. c. 30 eod tom.

Vir autem tantummodò circuncidebatur, non mulier: quia vir extiterat principalis autor peccati originalis. Nam ex viro potissimum nostra salus, exitiumve, iuxta Dei pactum, cum quo præsertim erat initium, pendebat. Hæc autem lex circūcisionis maiore cura & religiōe custodiebatur, quàm prçceptum de Sabbathi obseruantia: nam si octauus dies circuncidendi infantis in Sabbathum incidisset, nulla habebatur ratio Sabbathi, verùm in eo celebrabatur circuncisio, siquidem, vt dixit Dominus Ioannis 7. Circuncisio non est ex Moyse, sed ex Patribus: vt sicut tempore, sic etiam autoritate Abraham præcedat Moysen.

Vir cur circuncideretur, non mulier.

Gen. 3.

Præceptum circuncisionis, quam diei sabbathi cur Iudæi religiosius obseruarent.

Ioan. 7.

Data est autem circuncisio hæc multis de caussis. Primùm quidem ad distinctionem: nam cùm vellet Deus populum illum beneficijs ac priuilegijs amplioribus exornare, atque cohonestare, illū à reliquis gentibus distingui decreuit, non tātùm externis signis quibusdam, vt per fimbrias in vestibus. Numer. 15. per phylacteria, & similia: sed etiam quoniam videbat eiusmodi signa supprimi posse, imprimere signum indelebile voluit in carne, & quod impossibile esset auferri. Quomodo soliti sumus signo, siue charactere aliquo notare faciem serui, ne se per fugam à nobis subtrahat: vel si fortè se in pedes dederit, facilè inueniatur. Atq; ita, vt belluæ tractabantur Iudæi: nunc verò, vt inter homines, verbo, & fide pactum constat. Namque vt olim bestia in fœdere faciundo feriebatur: ita caro olim etiam circuncisione in signū fœderis, Gen. 17. Nunc autem non tantùm caput, sed etiā totus homo circunciditur circūcisione nō manufacta. Quare Theodoric. in Iosue, & Damascen. neglectū fuisse per annos 40. illum ritum tradunt: quòd illo tempore satis à gentibus cæteris erāt segregati, dum per desertum peregrinarētur: vbi verò ingressi sunt terram promissam, tunc Deus præcepit Iosue, vt omnes circuncideręntur. Deinde, præcepta est circuncisio, vt quiuis tanquam seruus Dei & Messiæ, hoc stigmate insignitus intelligeret, se ad vniuersam legem Mosis implendam adstringi, atque obligari. Hinc Paulus rectè ad Gal. c. 5. ait: *Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est vniuersæ legis ferendæ.* Item, vt ex fide, vel sua, vel maiorū suorū ad sacramentum circuncisionis accedens, Deū placaret, accepta gratia, & remissione peccati originalis: ideò ex Patribus erat circuncisio, &

Circuncisionis præcipuæ caussæ.

I. Ratio.

Num. 15.

Matth. 23.

Quare notentur mancipia.

Coloss. 2.

Theod. p. 1. in aphoris.

Damasc. lib. 4 c. 26.

Iosu. 5.

II. Ratio, præceptæ circuncisionis à Domino.

Gal. 5.

III. Ratio.

non ex Mose;& Sacramentum erat ex fide, conferens gratiam. Erat enim signaculum iustitiæ fidei, autore Apostolo, vt rectè B. August. docet lib. 2. de nuptijs & concupiscentijs ad Valerium, cap. 11. legales autem cæremoniæ, quia ea ratione præcedebant fidem, nequaquam iustificabant: siquidem Apostolo teste, lex non est ex fide: tamen secundùm substantiam operis, vt fiebant, ab iniustitia quadam carnis, & transgressione legis operantem tantùm liberabant. Quòd si fortè eiusmodi cæremoniæ fidem consequerentur, iustificabant quidem, verùm id ex fide proueniebat, non ex earum pacto, quemadmodum circuncisio, quæ ex Dei pacto sanctificationem ab originali peccato propter Messiam inde venturum efficiebat. Ex quo Abraham seruum suum adiurabat per femur, & Iacob filium suum Ioseph, nam ex huiusmodi membro per doloré sanctificato oritura erat caro Messiæ, nempe B. Virgo. Præterea ad reprimendam carnis concupiscentiam, qua Iudæi maximè laborabant: vulnerato enim & mutilato instrumento generationis, minùs procliues reddebantur ad venereã voluptatem: atq; hanc rationem attingit Philo Iudæus in libro contra Irrisores circuncisionis, alias rationes pro illa tuenda producens: nempe quòd per illã caueatur quidam morbus curatu difficilis, carbunculus nomine, eò quòd vrat inflammatione: deinde, vt totum corpus sit purius, nec impediat officia sacerdotalis ordinis. Adhæc, quòd per eam fiant homines fœcũdiores, & numerosiorem sobolem habeant. Præterea quòd pars circuncisa similitudinem cordis gerat, & quòd ambæ illæ partes seruiant generationi: nam ex corde spiritus animales, ex altera verò genituræ semina procedunt. Sed profectò eiusmodi rationes infirmæ debilesque videri possent, & indignæ tanto Deo, qui circuncisioné mandauit: quæ mihi certè non multum omnes probãtur, tametsi eas ille magni faciat. Addit inferius aliam; ne & homines efferãtur, & sibi generationem tribuant hominis, & sibi partem diuinitatis inesse existiméti: ideò Deus membrum generationis vulnerari voluit, quo sibi, & non homini tribuatur gloria generationis. Insuper, ad significandum protestandumque sibi futura mysteria, quæ nobis sunt præterita. Maiores enim explicitè, minores verò implicitè protestabantur fidem naturæ infirmæ atq; corruptæ, sicut qui vritur vel secatur, malè se habere protestatur. Deinde fatetur peccatum originale in illo membro: quòd sine pudore non ostenditur: nam rebelle & contumax spiritui est, ideoque pudendum, teste August. vocatur: perinde ergò erat, hominem circuncidi, ac dicere, ab originali crimine profectũ esse in mẽbro illo eam rebellionem. Adhæc, per circularé pellis præcisionem, quæ semel ablata, nunquam redibat, fides significatur illius peccati, quod semel vbi remissum est, ampliùs nunquam redit: significatur quoq; circulus, qui fuit in delicto originali: fuit enim Adæ persona, quæ illa macula infectã est primum, deinde per illum infecta est natura, & rursus natura infecta inficit personam. Ampliùs testificatur, medicum venturum in gladio illo lapideo ferreove secãte, videlicet Christum spiritali modo nos circuncidentem: de quo Apostolus, *Petra autem erat Christus:* & in sanguine ibi profuso, sanguiné Christi nos à peccatis lauantem. Christus namque doloribus suis, exemplo & doctrina reformaturus erat nostram naturam, id est, cor incircuncisum & obtusum ad penetrãdum diuina, ac rebelle, neq; cedens amori diuino, verùm ad id insensibile & stupidũ prorsus: abscissurusque erat hunc excessum, & facturus cor (cui similis existit pars illa præputij operta) acutum intellectu & sapiẽtia: molle verò ac sensibile per amorem Dei, qui venenum est concupiscentiæ nostræ. Profitemur præterea tempus huius curationis in octaua scilicet die: nam per Christi in octaua suscitati meritum, & efficaciã nũc à peccato circũcidimur, effectumq; plenũ remissionis culpæ in octauo resurrectionis nostræ die consequemur. Quare meritò dominicam diem, in qua natus Christus est & circuncisus, atq; in eadem resurrexit, & Spiritum S. misit, celebramus, relicto Sabbato, olim solenni ritu cõmemorato ob quietem à creatione mundi, quam creationem, id est, creaturas peccato nobis immũdas reddidimus, atque in iniquitate nostra iterum laborare Deum effecimus in iteratã creatione mundi, siue redemptione, quo à labore plenè cessauit in die resurrectionis: nos itidem in generali resurrectione perfectè quiescemus penitus amputato peccato, & morte tanquam præputio. Et hactenus de secundo.

Quantum ad tertium, circuncisio initium habuit in Abraham, cui data est primò, ante quem multi erant fideles: sed ab eo tempore idololatria, infidelitas, & vitiũ infandum abundare cœperunt: ideò meritò ea ætate data est circuncisio, & promissio Christi Messiæ venturi, qui à peccatis redimeret, & naturam sanctificaret in fidei & castitatis symbolum contra omnem infidelitatem & immunditiam.

Marginalia: Iosu. 7. Rom. 4. Aug. tom. 7. Gal. 3. Legales cærimoniæ quatenus iustificarent. Gen. 24. Infra. IV. Ratio. Philonis rationes quædã cur Iudæis data circuncisio: & quid de illis sentiendum. V. Ratio. VI. Ratio institutæ circuncisionis. Aug. li. 7. contra Faust. ca. 3 & alibi, to. 6. VII. Ratio. VIII. Ratio. 1. Cor. 10. Apoc. 5. IX. Ratio. Gen. 2. Cui primùm fuerit data circuncisio. Gen. 17.

Quare nos nō circūcidimur.

Ad quartum, data est carnis circuncisio illi populo tantùm, ex quo Christus erat oriturus, & tantummodò vsque ad eius aduentum, per quem circūcisionis perfectio erat tribuenda. Quare meritò nos non circuncidimur: quia qui circunciditur, profitetur Christum nondum venisse: *Si circuncidemini*, Apostolus inquit: *Christus vobis nihil proderit.* Esset etiam protestari, legem adhuc viuere, quam tamen Christus consummauit, & aboleuit, ita vt non modò reddita sit mortua, sed etiam illam seruanti mortifera. Item qui ex gentibus voluisset facere pascha, is opus erat, vt circuncideretur, Exodi 12. sed nunc non oportet meminisse amplius egressionis ex Ægypto, sed reditus ex Babylone, & vniuersis gentibus, Hierem. 27. Sed nonne facimus, & nos pascha? vtique verò: at pascha nostrum immolatus est Christus: & propterea nihil facimus, quod liberati simus ex Aegypto, videlicet ab aliquo malo temporali: verùm recordamur beneficij ingentis, nempe liberationis à peccatis. Deinde vbi quis soluit pretium, & promissum præstitit, chirographum promissionis, reddendique ius continens de more rūpitur: Deus autem donato Christo fidem suam liberauit, omniaque promissa compleuit ac præstitit: *Quotquot enim promissiones Dei sunt*, vt ait Apostol. *in Christo sunt impleta.* Vt ergò Dominus vltimo suo, quod celebrauit paschate finem paschati Iudæorū imposuit, suo quoque cruento mortis sacrificio cuncta legis Mosaicæ sacrificia terminata sunt: ita circuncisione sua finem imposuit illi: *Misit namq; Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege: vt eos qui sub lege erant, redimeret.* Accedit quod vbi efficacius fortiusque remedium aduenit, minus forte expellitur: qua ratione præsens corpus tollit vmbram, & sol stellarum fulgorem offuscat atque obruit. Ergò sacramentum Baptismi fortius est peccati remedium: quandoquidem originalis ablutio delicti perfectius in eo repræsentatur. Nam lotio totius corporis melius denotat maculas illius peccati super totum corpus diffusas, abstergi, quàm circuncisio in vno tantùm membro. Adde quod vberiorem confert gratiam: nam baptismus, qui instrumentum est passionis exhibitæ, excellentiora opera efficit, quàm circuncisio, quę instrumentum erat passionis, duntaxat futuræ, atque exhibendæ. Vnde vel ipsi Ioanni Baptistæ circuncisio cœlum non aperiebat: cùm baptizatis omnibus cœli pateant. Præterea, facilius remedium est baptismatis, si conferatur cum dura cruentaque circuncisione: adde etiam communius generaliusque. etenim tam maribus, quàm fœminis, tam Gentilibus, quàm Iudæis Baptismi fons proponitur ac patet: at circuncisio solis Iudæorum masculis. Cùm itaq; omnes Gentes ac Iudæi vocati ad Christū sint, atque vnum & eundem Deum colant: non est opus amplius signo aliquo distinguente inter Iudæos & Gentes. In Christo enim Iesu, vt loquitur Apostolus, *Non est Iudæus, neq; Græcus, non est seruus, neq; liber, non est masculus, neque fœmina*, & quoniam ad veram & spiritalem circuncisionem peruenimus, haud habemus opus typica illa, & vmbratili. Quanquam Æthiopes, siue Indi Christiani hodie circuncidantur: non est tamen illis noxia circuncisio, quæ crimine lethali detur: quoniam nullam in ea circuncisione spem referuntur ponere: alioqui essent sub lege, & Christus eis nihil prodesset: sed circunciduntur tantū in memoriam generis sui. Arbitrantur enim se oriundos esse ex Abraham: & Regē suum ex familia Dauid. Aliqui verò tradunt, ipsos circuncidi ex deuotione, vt Christū imitentur in dolore illo perferendo: non autem, vt Sacramento legi obligentur, à qua sese liberos esse cognoscunt. Sed reuera cultus est superstitiosus & vanus, cùm præter scripturam, & Ecclesiam Catholicam sit introductus: errantque in eo maximè, quod non omnis Christi actio sit nostra instructio, & nobis imitanda, error tamen eorum non est ad mortem: vt ipsi dicunt. Potest nihilominus circuncisio fieri ob sanitatem recuperandam, consilio medici: quemadmodum etiam die Dominico ieiunium obseruari potest à medico corporis indictum, tametsi ieiunium eo die Ecclesia interdixerit.

Gal. 5. | II. Ratio. | Exod. 12. | Hierem. 17. | 1. Cor. 5. | III. Ratio. | Promissiones Dei quando sint impletæ. | 2. Cor. 1. | Gal. 4. | IV. Ratio. | V. Ratio. | VI. Ratio circuncisionis abolitæ in nouo Testamento. | Gal. 3. | Colos. 3. | Hodie qui etiā circunciditur, & quare. | In eo cur peccat circuncisio quæ minime culpabilis.

Quod attinet ad quintum, Christus circuncisionem in seipso recepit, nō quòd ad illam lege teneretur: Leuitici namque duodecimo, vbi lex traditur circuncisionis, præmittitur: *Mulier si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus, &c. Et die octauo circuncidetur infantulus.* Vbi dicendo: *Mulier si suscepto semine pepererit*: excepit Christum, cuius mater non sic concepit: quo modo lege statuente, vt cōpareant omnes spurij, vel omnes claudi, hoc ipso exciperet quotquot tales nō sunt. Deinde non ideò est circuncisus, vt ex humilitate delinquentem se fateretur ac reum: siquidem id apertum esset mendacium, sicut mentiretur legitimus filius, si se spurium fateretur: proinde nullam gratiam vel rem ssionem peccati ex hoc sacramento, quemadmodum nec ex baptismo

Christus quas ob caussas fuerit circuncisus. | Leuit. 12. | II. Ratio.

Ioannis,

Ioan. 1. Ioannis, accipere poterat, nec sibi mereri nullum quippe habebat crimen, quod ex piaret, in gratia verò augeri nullo modo poterat, qui plenus erat gratiæ, & veritatis. Item non est circuncisus, vt fidem aliquam protestaretur: etiamsi, teste Apostolo, circuncisio esset signaculum iustitię fidei. Nā cum cæteras omnes virtutes in gradu supremo possederit, sola illi fides non adfuit, videlicet quam excludebat visio beata Dei. Adhæc, cùm legislator esset, qui supra legē est, minimè est circuncisus, vt se subditum profiteretur legi.

III. Ratio. Rom. 4. IV. atque postrema.

Cur ergo est Christus circumcisus: sanè magnis, & congruis de caussis. Primò quidem, vt se verum hominem, veramque humanitatem se habere ostenderet, ac verum corpus humanum: non quidem eiusdem cum diuinitate substantiæ, vt Apollinaris somniauit, non phantasticum, vt Manichęi hallucinati sunt; non cœleste, vt Valentinus obganniuit. Deinde, vt se verum filium Abrahæ comprobaret: ne illum respuerent quasi alienum, & incircumcisum: sed vt Iudæus ipse Iudæis posset prodesse. Adhęc, vt legem Dei approbaret, vel ob solam circumcisionem à gentibus reprobatam atque in calumniam vocatam: ex quo Romani Iudæos appellabant Curtos, Apellas, Verpos, recutitos, atque alijs contumeliosis nominibus, vt sæpius tetigimus. Vxor autem Moysis propter durum circuncisionis ritum virum suum dimisit: vt habes Exod. 4. Prætereà, vt liberaret à lege, quam non implebant, & ad quam seruandam præcepto Dei tenebantur: ipse solus verè implens legem, cum minimè cogeretur, legi tamen ipsi se submittere circuncisionis decreuit: vt hac ratione omnibus circuncidendi generibus virtutem, efficaciamque præstaret, atque conferret. Epiphanius in hæresim trigesimam Ebionitarum has caussas confirmans, sic ait: *Propter multas caussas circuncisus est: primum, vt ostenderet se ipsum in veritate carnem assumpsisse, propter Manichæos, & eos, qui dicunt, ipsum in specie apparuisse. Deinde, vt ostenderet, quod non esset corpus coessentiale deitati, velut Apollinaris inquit: sed neque ipsum ex supernis detulisse, sicut dixit Valentinus. Et vt confirmaret circuncisionem, quam olim dederat, iuste inseruisse vsque ad suum aduentum. Et vt non haberent Iudæi excusationem. Si enim non fuisset circuncisus, poterant dicere: Non potuimus Christum suscipere: & aliàs oportebat ipsum, qui præceperat Abrahæ, vt circuncideretur signaculi apparentis gratia, dati verò ad figuram veri, & inuisibilis, nunc circuncidi, & cæt. signaculum confirmare.* Et infra: *Et vt circuncisus rationabiliter circuncisionem dissolueret, & aliam maiorem ostenderet.* Hæc ille. De hac postrema caussa ita loquitur August. serm. 13. de tempore: *Dominus eiusdem suscepit circuncisionem ablaturus ipsam circuncisionem suscepit vmbram, daturus lucem. suscepit figuram, impleturus veritatem, & circuncisio vsque ad Christū indulta est.* Hæc ille. Abraham autem circuncisionem in Christo promisso accepit, vt tandiu curreret circuncisio, quandiu Christus nasceretur Abrahæ promissus: qui omnes gentes iustificaret per fidem, sicut fuerat Abraham iustificatus. Rursus, vt præberet nobis exemplum obedientię, humilitatis, castitatis, suoque aduentu virtutes illas consecraret, & spiritualem circuncisionem nobis commendaret. Obedientiam quidem, in hoc quod subditur suæ legi, faciens simul, ac docens; pulchra est enim certè sententia illius Imperatoris, qui dixit: *Digna vox maiestate regnantis, alligatum legibus se Principem profiteri.* Atque ita docuit nos ex humilitate supererogare. Humilitatem verò, quia non solum, vt homo nobis apparere voluit, sed etiam, vt homo seruus, qui sui iuris non est, cui à domino suo nota seruitutis inuritur: atque ita hoc signaculo circuncisionis perpetuum se nostrum declarat seruum, atque mancipium: neque tantum videri voluit, vt homo seruus, sed etiam, vt homo peccator, ac reus, assumens cauterium circuncisionis: quæ ita est hominis peccatoris insigne, atque præcisio aurium latronis, vel furis, & gestatio habitus nigri, vel rubei cruce insigniti crocea, ætate nostra hęretici est argumentum, & nota. Fuit igitur Christus non tantum peccator, verùm omnium peccatorum maximus ea ratione, qua peccata omnium in se explenda transtulit. Castitatem quoque hoc facto maximè nobis commendatam reliquit: nam de circuncisione spirituali quid dicam? Vt enim in celebrādo P. schate, non ad agnum offerendum adstringimur, sed ad spiritale Pascha, quod illius loco nobis celebrandum substituit: sic etiam sua corporis circuncisione ad spiritalem quandam nos, & meliorem adstrinxit, & coarctauit. Non negauerim dici cum ratione posse, Christum in circuncisione fidem suam, atque Patris sui cœlestis fuisse protestatum, ea ratione, qua Deus fidelis in Scripturis plerunque commemoratur. Mittendo enim ad nos filium in similitudine carnis peccati, fidelem se præstitit, ac fidem suam liberauit, iuxta illud: *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis: & sanctus in omnibus operibus suis:* Adhæc, per hanc circuncisionem significare voluit, primitias Iu-

I. causa vera atque legitima Circuncisionis Christi. II. & III. causa. Exod. 4. IV. Caussa. S. Epiphan. S. August. serm. 13. in tali Dom in. 5 10.10. V. Caussa circuncisionis Christi. C. de legi. & constit. lec. 4. Quam docuit nos humilitatem Christus circuncisus. Qua ratione Christus fuerit omnium maximus peccator. Isa. 53. Vt verò nos castitatem docuit. Rom. 8. Psalm. 144. VI. Caussa.

dæorum ad fidem conuertendas, multosque ex illis abijciendos, ac repellendos, qui alios erant perturbaturi: quibus quemadmodum Deitas, præputio præciso, & sanguini effuso, nō fuit coniuncta; ita nec cum illis Christus, qui abnegarunt eum, vllam coniunctionem habuit.

VII. & postrema ratio Christi circuncisionis.

Postremò, est circuncisus Christus, vt singularem aduersus hominem amorem ostenderet. Vt enim perhibetur Genes. 34. Sichem filius Hemor Heuæ, Dinæ filiæ Iacob amore exarsit: rapuitque, & dormiuit cum ea: & conglutinata est anima eius cum anima illius: postulauitque illam sibi in vxorem dari à patre, & fratribus suis: qui noluerunt acquiescere, nisi prius de more gentis circuncideretur; quam conditionē ille libenti animo est amplexus, pro cuius amore illum ictum libēter sustinuit: & postea violenta morte pro amore eiusdem est interfectus. Christus Dominus pulchrè est repræsentatus in Sichem filio Regis. Interpretatur enim humerus, qui, cùm soliti sumus onera sustinere, significat illū, qui est Dei virtus, & potentia: & pastorem illum, qui gaudens humero imposuit perditam ouem, & qui crucem humeris proprijs baiulauit: de qua cecinit vates: *Cuius imperium super humerum eius:* vt Patres multi ex veteribus interpretantur. Christus ergo, vt desponsaret animas, quas ardebat, circuncidi se est passus, & pro illis violentam mortem sustinuit in cruce à fratribus suis. Iesus itaque in hoc mysterio circuncisionis ad sponsas suas mittit (vt beata quædam Virgo in numerū diuorum relata scriptis tradidit) annulum præputij pretiosissimi carneum, non durum, sardio lapillo rubricatum, cū inscriptione: *Propter sanguinem effusum.* Habet etiam inscriptionem indicem amoris, nempe nomen Iesu. Huius artifex annuli Spiritus sanctus est; officina, Mariæ venter purissimus. Hunc ad te mittit Christus, vt videas quanti ille te faciat, & quanti facere te ipsum debeas. Est autem paruus annulus, quoniam nonnisi paruis, & in oculis suis humilibus donatur ab sponso: annulus mollis, qui applicatus digito cordis ex lapideo carneum cor efficit: annulus, vt recorderis fidelitatis Christi (volentis te saluare) erga te, & tuæ fidei sibi datæ: annulus, non sine fletu pueri, & matris expressus: quia contritis corde, & deflentibus peccatum suum, vt filio prodigo redeunti, donatur. Est annulus candidus, & rubicundus: quia resistentes nos vsque ad sanguinē contra peccatum, puros, atque amantes reddit. Lex erat in Deuteronomio præscripta, vt si quis egressus ad pugnam contra inimicos, & victoria potiretur, & in captiuorum numero deprehenderet mulierem pulchram, quam adamaret, eamque in vxorem habere vellet, ne prius in thalamū suum illam introduceret, quam raderet eius cæsariem, & circunciderct vngues, deponeretque vestem, in qua capta est: sedésque in domo sua defleret patrem suum, & matrem vno mense: Dei filius è cœlo in hunc mundum egressus est, vt hostes suos debellaret: cumque vi sanguinis in circuncisione, & cruce effusi victoriam obtinuerit, captiuum sibi reddidit vniuersum genus humanum: neque potest quisquam rectè, & conuenienter in sponsam Christi assumi, nisi ante per mensem defleat patrem, & matrem suam: hoc est, plangat peccatum suum, per quod ad cacodæmonem, vt patrem pertinuit, & ad Ecclesiam malignantium, tanquam ad matrem. Debet radere crines, & vngues: id est, peccatum, & peccati omnes circunstantias, vel potius, superfluas cogitationes, desideria praua, cupiditates omnes, affectusque peruersos, voluntatésque ad terrena, & carnalia curuas. Debet etiam vngues prauarū actionum, quibus afflixit proximum, vel eius bona rapuit, præcidere: nam vt vngues dum oblógi sunt, deformem reddunt manum, formosam & pulchram præcisi: sic quæ furto sustulimus, tanquam superflua nos fœdant, dum verò restituuntur, pulchros nos efficiunt. Vestem quoque, in qua capta est, deponere debet: videlicet externam conuersationem, mores, & familiaritates noxias, quibus, vt veste tegebatur: vti Apostolus docet: *Expoliantes vos,* inquit, *veterem hominem cum actibus suis & induentes nouum, qui renouatur.* Hac ergo ratione sponsa circuncisa, quadrabit sponso suo circunciso: munda mundanti, captiua redemptori, leprosa leproso.

Quærunt nonnulli, vbi sit iste annulus circuncisionis, quem, dum vixit B. Virgo, diligentissimè, vt rem pretiosissimam conseruasse fertur, quem, antequam in cœlum conscenderet (vt fama est) B. Mariæ Magdalenæ custodiendum reliquit: postea, vt Iacobus Episcopus Genuen. testatur, ab Angelo delatus est ad Carolum Magnum: qui annulus primò Aquisgrani, deinde Carolij est custoditus. Tandem verò eiusmodi præputium ad primariam spōsam suam, id est, Romanam Ecclesiam, quæ mater est, & magistra omnium Ecclesiarum, peruenisse, certissima fama, & traditione constat, atque in Lateranensi templo in Sancta Sanctorum, loco sic appellato, multis seculis fidelissimè, vti par est, ac vt tātum amoris Chri-

Margin notes: Gen. 34. — Christus in Sichem pro amore Dinæ filiæ Iacob circuncisio, & interfecto, quomodo præfiguratus. — 1. Cor. 1. — Sichem, quid sonet. — Luc. 15. — Luc. 9. — Carneī annuli circuncisionis Christi perelegans descriptio. — Cur paruus ille, ac quibus donetur ab sponso. — Luc. 11. — Heb. 12. — Deut. 21. — Vt quis in sponsam Christi victoriis valeat assumi, patrem suum, & matrem vno mense, quem lugere debeat. — Quos radet ille crines, & vngues. — Vestem quam deponat. — Colos. 3. — Vbi annulus ille circuncisionis Domini nostri asseruetur.

ri, Christi monumentum exigebat, ac religiosissimè asseruatum. Theophylactus hoc loco ait: *Inutiliter autem quæritur, vbi sit abscondita illa particula. Nam quæ Scriptura tacuit, ea quærere non oportet, præsertim vbi nulla vtilitas. Dici autem posset, quod quando absectum, terram tetigit, illam quoque sanctificarit: sicut etiam sanguis, & aqua, quæ ex latere eius fluxerunt. Et videtur, quod seruarit particulam illæsam, & in resurrectione eandem resumpserit, vt & hæc particula non inueniatur deesse: quippe, & nos in resurrectione perfectum corpus resumpturi sumus.* Hæc ille. Sed certè non videtur inutile, vel curiosum, annulum desponsationis ad sponsam suam missum, quærere vbi sit, & quomodo diligenter tantum amoris symbolum sit custoditum: si non est curiosum quærere, vbi crux, lancea, vel claui: & si annulum desponsationis Iosephi cum Virgine Perusia religiosè asseruat. Deinde falsum videtur illam particulam Christum resumpsisse, quã mater eius sanctissima Magdalenæ fertur reliquisse. Et vt signa vulnerum in suo corpore reseruauit; ita signaculum circũcisionis pro nobis susceptum. Loca autem clauorum tetigit Thomas Apostolus, & Zacharias etiam prædicit in die iudicij illa esse apparitura. Et licet perfectum corpus assumpserit; nõ tamen opus est, vt illud primum quoad omnes eius particulas resumpserit, quemadmodum si demus perfectam sanguinis quantitatem resumpsisse, non tamen omnem, sed aliquam: reliquamque pro nostra consolatione dimisit, vt Pontifices definierunt.

Hæc de re Theophylactus quid scripsit. *Ioan. 19.* *Præputium.* *Ioan. 20.* *Zachar. 12.* *Quomodo consummati intelliguntur dies octo, vt circuncideretur puer.*

Circa literam nota, dici consummatos fuisse dies octo: non quod omnino iam integrè elapsi essent, nam ea ratione nono die à partu circuncisus fuisset; sed consummatos, vt circumcideretur puer, vt sic consummati intelligantur, quo modo ad circuncisionem requiruntur, id est, die octauo. Quòd verò Dominus in illum diem differri circuncisionem præceperit, mysterio, & ratione non caret. Non quidem ratione, quia ante illum diem periculum erat teneros pueros vulnus, aut incisionem pati. Nam, vt Aristoteles testatur in Problematis, septimus dies maximè periculosus est infantibus, si vexentur: nec ante illud tempus vmbilicus præciditur, ante quẽ homo propinquior est plantæ, quam animali. Vnde etiam Romani septimum diem obseruabant, post quem apud eos sequebantur dies lustrici, quibus scilicet infantes lustrabantur, siue expiabantur, & eis nomina imponebantur. Maribus quidem nono die: vnde Nundina Dea apud eos colebatur; fœminis verò in octauo: vt testatur Macrobius in libris Saturnalibus. Ex quibus (prudens lector) perspice, etiam gẽtes sine lege, & Euangelio nouisse infantes egere aliqua lustratione, siue purgatione, diuinantes aliquod illis inesse peccatum. Non caret etiam mysterio: quia in octaua ætate, quæ resurgentium, quasi in octaua die perficietur per Christum spiritualis circuncisio. Nota etiam diligenter, Euangelistam non tam dicere, quàm insinuare, Christum circumcisum: *Postquam*, inquit, *impleti sunt dies octo, vt circunciderẽtur puer; vocatum est nomen eius, &c.* Vbi tantum insinuat venisse tempus circumcisionis; non asserit verò fuisse circumcisum. Scribit tamen impositum fuisse nomen Iesu: in quo tacitè insinuat circuncisionem, in qua de more imponebantur nomina. Horruit autem Euangelista, infantulum innocentem notæ, & cauterio subijcere circuncisionis, cum esset innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis, scilicet Angelis, factus. Græcè etiam ponitur coniunctio, &, verbo, vocatum, & capitur pro, etiam. Vt sit sensus: *Postquam cõsummati sunt dies octo, vt circuncideretur puer, etiam vocatum est nomen eius:* hoc est: Non tantum iuxta legem circũncisus, sed etiam pro more nomen inditum. Et hactenus dictũ est à nobis de dono carnis ad nos missо: dicamus de lachrimis, & sanguine cum illis coniuncto. Lachrymę, amoris vehementis eorum, pro quibus funduntur, sunt indicium. Dices: Vnde constat illum fleuisse? Respondetur, non obscurè illud constare. Quod si in natiuitate fleuit, & similem omnibus vocem emisit plorans, vnde Ecclesia canit: *Vagit infans inter arcta Conditus præsepia:* Quid mirum fleuisse, dum circunderetur? Id enim quod ratio ipsa dictare potest, Scriptura non solet exprimere. Erat enim Christus tenerrimæ temperaturæ, viuacissimique sensus: nec se verum hominem ostendisset, sed potius stupidum, sensusque expertem, & phantasticam corpus habere, vel cœleste, vt quidam Hæretici commenti sunt, nisi fleuisset.

Cur in diem octauum circuncisionem Dominus differri præcepe rit. *Plutarchus Probl. 103 à medio.* *Lustrici dies apud Romanos qui.* *Macrob. lib. 1. c. 16. circa fin.* *Iudæi quando nomen imponerent.* *Hebr. 7.* *Lachrymæ quid testentur.* *Christum fleuisse in circuncisione, vndè constet.* *Sap. 7.* *Christo puero fletus ille quid profuit.*

Dices rursus; Puerorum fletus parum proficit. Respondeo: quicquid sit de fletibus aliorum puerorum, hunc Christi, quo decet sermo, constat prodijsse à viro perfecto, & prudẽte, de quo ait Propheta: *Fœmina circundabit virum.* Sciens igitur, & volens pro nobis lachrymas fudit. Sed etiam inquies: Quid impetrant illæ lachrymæ? Respondeo: Imò quid non impetrant? Infans enim plorans corã patre suo, quicquid vult

Hier. 31.

Circuncisi Christi lachrymę nobis quã profuerint.

vult obtinet, ita Christus Patri suo offerens has lachrymas, remissionem peccatorum, iustificationem, & nostram in filios Dei adoptionem impetrauit: risusque nostros immodicos, præsertim in ijs assumptos, quæ digna erant fletu, compensauit, quoniam mundus hic vallis est lachrymarum. Atq; eo magis hæ lachrymæ sunt à nobis magni faciendæ; quod cum lachrymis matris suæ fuere coniunctæ: quæ plerunque filij à matribus doloris socijs extorquent: ac fortassis, qui huic mysterio adfuerunt, Christũ, & matrem commiserantes collachrymati sunt. Quod si nos fide, vt par est, huic actioni assisteremus, sacramentumque hoc contemplaremur acrius, fletum Christi, ac matris eius cum nostro equidẽ associaremus: qui certè vtilis esset, vt filius noster mortuus suscitaretur, videlicet anima per peccatum mortua: & Christus diceret nobis, vt viduæ illi dixit: *Noli flere*, vel ad nostras lachymas Christus excitatus; ceu ad lachrymas Matthę, & Mariæ, Lazarum quatriduanum, proximum nostrum, & fratrem nostrum ad vitam reuocaret. Quapropter Christus docet nos flere anni in hoc exordio: quia post ad risum, & consolationem vocabimur: secundum illud: *Beati qui lugẽt: quoniam ipsi consolabuntur.* Et alio in loco: *Post tempestatem tranquillum facis, & post lachrymationem, & fletum exultationem infundis.*

Filius noster mortuus mystice quis ille deplorandus.

Luc. 7.

Ioan. 11.

Matth. 5.

Tob. 3.

Christi sanguis fusus in circũcisione quantum donum sit.

Tertium donum, quod ad nos hoc die misit filius Dei, sanguis eius est: qui charus esse homini solet, & amicus naturę dicitur. Et ad exaggerandum amorem, quem erga aliquem gerimus, consueuimus dicere; Da eem libram sanguinis mei pro vita eius: verùm id quidem intelligentia cõsequimur, reipsa nequaquam præstamus. At Christus reipsa exhibuit, subitò sanguinem fundens pro nobis suum. Omnes fructus noui propter raritatem, ac nouitatem solent magni pendi. tametsi nondum peruenerint ad suã maturitatem, nec sint admodum mites. En fructum nouum: nam quid magis nouum sanguine Dei, pariter, & hominis ex noua arbore producto, atque ex sanctissima Virgine Deipara, de qua: *Nouum faciet Dominus super terram, Fœmina circumdabit virum?* Si ętatem infantis consulas qui hunc sanguinẽ fudit, non erat satis maturus, sed immitis, & acerbus; si autem personam filij Dei, charitatemque ingentem, qua illum pro nobis obtulit, inspicias, maturus est, ac perfectus, non inferior illo, quem effudit in cruce. Hunc autem sanguinem in arrham redemptionis nostræ Patri obtulit Christus. Vt enim, qui vehementi affectu ducitur ad aliquid emendum, non parcit pretio, aut pecuniæ, modo illud assequatur, & ne ab alio tempore fortè præoccupatus rem charam amittat, arrhabonem pretij soluendi diligenter elargitur: ad hunc sane modum cum filius Dei in hunc mundum venerit, vilissimoque pretio vendi animas dæmoni animaduerteret, existimauit hanc mercem in cœlum hominibus destitutum introducere. Et quamprimũ ad nos venit, arrham pretiosi sanguinis sui liberaliter dedit, protestans integrum pretium in mensa crucis enumerandum: vbi sacculum pecuniarum totum effudit. Qui enim vnica sanguinis guttula mundum valebat redimere, ne vnã quidem sibi reseruandam putauit. Cum Sol manè oritur, maculasque rubicundas præse fert, certissimum imminentis pluuiæ, atque tempestatis indicium est: sic enim in Euangelio Christus dixit, *Et manè dicitis; Hodie tempestas; rutilat enim triste cœlum.* Et poeta etiam inquit:

Omnium maximè nouum, & pretiosum quid.

Hiere. 31.

Sanguinem suæ circuncisionis cur Patri Christus obtulerit.

Christus pro nobis suum sanguinem fundens, quasi nos fecisse videatur.

Signum certũ pluuię.

Matth. 16.

Virg. lib. 1. Georg. circa finem.

Ille vbi nascentem maculis variauerit ortum,
Conditus in nubem, medioq; refugerit orbe;
Suspecti tibi sint imbres:

Eadem ratione Sol iustitiæ Christus ortus nobis est cum sanguine circuncisionis, significauitq; imbrem copiosum sanguinis in cruce profundendum, in qua pretium integrum nostrę salutis dependit. Cùm nobilis de sua egreditur ciuitate, vt in alia diuersetur, citò infirmatur ob aeris mutationem, & delicatum corporis temperamentum: sed remedium esse solet opportunum venę scissio: ita filius Dei de cœlo ad nos descendens in terram, infirmatus est, adeò, vt sanguinis emissione indiguerit. Pastores, qui futuri sunt, solent à teneris annis frigore, calore, labore, fame siti, & alijs duris molestijs exerceri, vt rectè munere suo defungi valeant, vt fecisse Iacob legimus: ita Christus Dominus volẽs nostrum omnium fieri pastor, pauper fuit, & in laboribus à iuuentute sua. Consueuerunt Reges, atque summi Pontifices in sui Regni, aut Pontificatus exordio proijcere, aurea: vel argentea numismata, & alia missalia ad populum in publicæ signum lætitię: Christus Dominus verus Iudęorum Rex, verusque Sacerdos secundum ordinẽ Melchisedech, loco munerum missilium donat carnem, sanguinẽ, lachrymasq;, donis, & muneribus quibuscunque longè pretiosiores. Docetque nos sanguinem peccati (qui sanguis in Scripturis appellatur) atque adeo ipsum nostrum sanguinem infectum, atque corruptũ pro gloria Christi fundere. Fuit autem pulchra illa sanguinis cum lachrymis commixtio, quam etiam nunc, & in cruce,

Sanguis Christi circuncisi quid.

Christus circuncisus cui nobili similis.

Idem quos imitatus pastores.

Gen. 31.

Ioan. 10.

Psalm. 87.

Idem qualis Rex, & Pontifex, circuncisus.

Ioan. 1. & 19.

Psalm. 109.

Heb. 5. & 7.

Scripturæ frequenter voce sanguinis quid denotent.

ac in Eucharistia cernere est. Ergo disca-
Pueri Iesu circumcisio, quid nos doceat. mus à puero illo circumcidere omnes nostros sensus, & animæ facultates ab omnib. vitiosis, ac deprauatis affectibus, atq; actionibus, vt illam perfectam gloriæ circuncisionem promereamur, euadamusque periculosam illam, atq; horrendam, quæ in inferno fit per lapidem concidentem, & conterentem. Proinde in diuersorio viæ huius, & vitæ circuncidi nos sinamus ab sponso sanguinum Christo nostro, ne fides moriatur: quemadmodum filius Moysis ad necem quæsitus est; sitque grauissimus dolor vulnerum cum Sichimitis, atque ita interficiamur, sicut & illi. Promisit Deus in Deuteronomio: *Circuncidet, inquit, Dominus Deus tuus cor tuum, & cor seminis tui; vt diligas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, vt possis viuere*: quod de corporea intelligi non potest circuncisione: namque solus cordis tactus præsentaneã adfert mortem. Hic autem ait cor circuncidendum, vt possit viuere, ea nimirum vita, de qua dicitur: *Vt diligas Dominum Deum tuum.* Quoniam verò spiritualis hæc circuncisio non fit, nisi volentibus nobis, & acceptantibus, eamque in nobis fieri nostro etiam cum adminiculo, atque opera consentientibus, idcirco Hieremias ad eam adhortatur: *Circũcidimini, inquit, Domino, & auferte præputia cordium vestrorũ, viri Iuda, & habitatores Hierusalem.* Laudat Paulus illam Spiritus circũcisionem, negligit illam carneam, Rom. 2. & ad Coloss. *In quo* (scilicet Christo) *& circuncisi estis circuncisione non manu facta in expoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi.* Et ad Galatas: *In Christo Iesu neque circuncisio aliquid valet, neque præputium; sed noua creatura; id est, regeneratio per Baptismũ, & noua vita.*

Ni Iesus spiritalis noster sanguinum sponsus nos circuncidat, quid inde. Exod. 4. Gen. 34. Deut. 30. Cor quare Deus circuncidat. Spiritalis vt fiat circuncisio quid requirat. Hier. 4. Rom. 2. Colos. 2. Gal. 6. Noua creatura apud Paulũ, quid.

Habemus deinde in Christo lautum, & magnificum omni ex parte hisce diebus natalitijs apparatum conuiuium. Carnem enim suam teneram, & sacrosanctam, in die (inquam) Natalis in præsepi proposuit nobis edendam: die verò Circuncisionis proponit sanguinem suum tanquam vinum myrrhatum ad potãdum. Itaq; epulemur, vti Apostolus hortatur, in azymis synceritatis, & veritatis: vt ita edentes, & bibentes, digni simus, qui recipiamur in cœlesti conuiuio, cœnaque illa magna, ad quam sumus inuitati gratia, & munificentia ipsius Christi, cui cum Patre, & Spiritu Sancto, detur omnis laus, honor, gloria, & gratiarum actio, atque imperium in secula seculorum, Amen.

Christus etiã natus, & circuncisus, quã splendidum nobis ac pingue conuiuiũ exhibuerit. 1. Cor. 5. Luc. 14.

TRACTATVS XXXVII.

In illa verba: *Vocatum est nomen eius Iesus: quod vocatum est ab Angelo, priusquam in vtero conciperetur.* *Luc. 2.*

ETsi munus boni, & catholici concionatoris sit sacrosanctum nomen Iesu omnibus eloquentiæ viribus, & ornamentis semper illustrare, atque apud auditores extollere, & vsque in cœlum summis laudibus concelebrare: vti principes Apostolorum Petrum, ac Paulum fecisse sacræ litteræ memoriæ prodiderunt: nam de Paulo pronũciauit ipse Dominus: *Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram gentibus, & Regibus, & filijs Israel.* Petrus vero de hoc nomine disserens dixit: *Nec enim aliud nomẽ est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Tamen in hoc Euãgelij loco explicando, & die ipsa Circuncisionis id maximè præstare concionatorem, & decet, & conuenit. Namque eiusmodi nomen tunc à Deo quidem primò reuelatũ, deinde ab Angelo vocatum, & matri, ac Iosepho detectum, illi tandem impositum à Deo fuisse, declaratum est, totique Synagogæ notum factum. Ac meritò quidem, nã ea die salutem operari cœpit, imponendo finem circuncisioni, & à debito legis nos liberando. Expressit etiam eadem die liberationis modum, nempe per dolorem, & sanguinis effusionem: inchoauitque nouum Testamentum. Hinc Ecclesia sancta hoc mysterium rectè intelligens, in Epistola eiusdem solemnitatis lectitat: *Qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem sectatorem bonorum operum.* Etsi enim in cruce, & in morte redemptio nostra fuerit completa; eius tamen exordia, atque fundamenta in circuncisione sunt iacta. Quia verò nemo potest dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto, neque rectè illud, atque pro dignitate audire, nisi in eodem Spiritu sancto, proinde initio huius tractatus inuocãdus est nobis Iesus, atque illi cum Propheta supplicandum: *Deus in nomine tuo saluum me fac: & in virtute tua iudica me:* vt zelatores facti gloriæ sacrosancti nominis tui, inclusos mysteriorum thesauros in hoc nomine, ad fidelium lectorum vtilitatem, & consolationem, vti decet, reserare possimus.

Probi, & catholici concionatoris munus quod. Infra. 9. Sup. 4. Matt. 1. Sacratissimum nomen Iesu, quo magis tempore prædicandum in Ecclesia. Nouum Testamentum vnde sumpsit exordium. Tit. 2. 1. Cor. 12. Nominis Iesu laudatores quid facere in primis debeant. Psal. 53.

Synagoga olim valde sollicita erat de nominibus imponendis. Et meritò: quia (vt sapientes tradiderunt) Plato maximè in Cratylo, nonnisi ad eos, qui magna sapientia, rerumque cognitione, & vsu præditi

Iudæis cur magnæ curæ fuerit nominum impositio. Pl to.

Nominarebus imponere, quorum sit. diti sunt, nomina, quæ rebus ipsis consonent, inde re spectat. Vnde Adam, cùm esset sapientissimus, rerumque naturas, ac proprietates optimè calleret, cunctis animantibus nomina imposuit: *Omne enim, quod vocauit Adam animæ viuentis, ipsum est nomē eius*: Gen. 2. id est, nomé adæquans, & pulchrè circumscribens rei nominatæ naturam.

Iudęi quando solerent nomen imponere. Infra 17. Ideo in nominibus virorum, quæ in Scripturis continentur, magna latent mysteria. Moris autem olim fuit in die Circumcisionis, quemadmodum & nūc in Baptismo, nomina imponi: adeò vt ipsi Abrahæ, qui primus Sacramentum hoc Circumcisionis suscepit, nomen in eo ritu suscipiendo mutatum fuerit. Abraham quid sonet. Nam cùm anteà diceretur Abrahā, id est, pater excelsus; interposita est litera diuina, quæ præcipua est in nomine ineffabili, & bis posita, nempe, he, dictus est Abraham, id est, Pater multarum Gentiū. Abraham quid significet. Constatque tribus dictionibus, vna integra, ab, quod est, pater, & duabus corruptis, videlicet, ra, pro, rab, quod est multus: & Rom. 4. Supra 11. ham, pro, hamon, quod est populus, vel multitudo. Infrà 17. Eadem litera diuina addita est Saræ: nam cum antea diceretur Sarai, id est, Princeps mei, vel mea, addita est eadem litera, & dicta Sarah; quasi Princeps, vel (sic dicam) Principissa absolutè: Sarai Hebraice quid, & Sarah. quod indicat prærogatiuam quandam maximam datam vtrique, generandi aliquando ipsum de semine suo, id est, Christum nasciturum ex Virgine Maria. Fuit autem huiusmodi imponendi nominis octauo die consuetudo cum ratione coniuncta: Hęc octauo die imponendi nominis cōsuetudo quam laudabilis, ac rationi consentanea. nam antea peccator indignus erat nomine, vtpote Adæ peccato maculatus, & natura filius iræ, & quē Ephes. 2. Deus, vt peccatorem non agnoscebat. Sed hæc de Christo, & alijs, qui fuerunt in vtero sanctificati, non proferuntur, Hiere. 1. Luc. quia per Spiritum sanctum ad pactum Dei pertinebant, & ante nomina eorum præsignificata erant ab Angelo. Matth. 1. Luc. 2. Iesu verò nomen est de cœlo allatum, & per Angelum reuelatum, antequam in vtero conciperetur, Iesu nomen de cœlo cur allatum sit, ab Angeloque præsignificatum. nimirum qui nunquam fuerit Adæ filius, sed semper iustus, & sanctus, imò etiam iustificans, & sanctificans in fide sui aduentus futuri, atque promissi omnes, quicumque fide promissionem eius susceperunt, temporeque eum antecesserunt. ¶ Cæterùm quæ dicturi sumus de nomine Iesu, non de literis, aut syllabis, non de sono, Iesu nomen vim suam omnem, & excellentiam vnde mutuetur. aut prolatione, nec de ipsius scriptione, sed de significatu, reque per illud repręsentata intelligēda sunt. Nec enim nomen Iesu virtutem suam accipit à literis, aut syllabis, vel à sono, ac pronunciatione, vel à modo scriptionis; verū à Messiæ persona, quæ Deus est, & homo, excellentiam omnem suam mutuatur, illamque eiusmodi nominis fide, vel lecto, vel audito, vel prędicato, inuocatoue communicat: paucula tamen præmittemus, quæ ad nominis huius etymologiam, atque scriptionem pertinere videntur.

Nomen Iesu quale sit, quot literis constet. Primo igitur loco nomen hoc Hebræum est, non Græcum, vel Latinum: scribitur enim יהשוע, id est, salus, vel saluatio, à radice ישע. Consonatque rei hæc etymologia, quam Angelus ore suo expressit apud Matthæum: Matth. 1. *Vocabis*, inquit, *nomen eius Iesum: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum*. Estque nomen quadriliterum, siue tetragrammaton. Contra eos, qui nomen Iesu cum nomine Iehouah idem esse contendunt. Qua in re inprimis peccatū est à quibusnam, qui voluut nomen Iesu idem esse, quod nomen Iehouah, interposita litera ש in hunc modum יהשוה: atque ita esse πενταγράμματον, siue quinque literarum, & posteà per abbreuiationem triliterum יהו quemadmodum Reuclinus, Osiander, Reuclinus haret. Osiander haret. atque alij non tam solidè, & verè, quàm plausibiliter & in speciem philosophati sunt. I. Ratio. Matth. 1. Nam hoc in primis dissentiret Euangelio, vbi Angelus declarauit eius etymon esse à salute, vel à saluando: quod nulla ratione sine litera ע Hain, II. Ratio. constare potest. Deinde illa prima litera, he, nequaquam legeretur: quod est contra omnem grammaticæ regulam: nullum enim nomen, aut verbum est, vbi, he, in medio dictionis ponatur, quin proferatur, tametsi in fine posita pronunciari non cōsueuerit. III. Ratio. Item, illo tempore profanum fuisset existimatum (vt aliqui putant) homini alicui nomen imponere, quod contineret omnes literas nominis יהוה Iehouah; Iehouah, nomen apud Iudæos ineffabile. quod nomē est apud Iudęos ineffabile, & cuius loco, ob reuerentiam, proferunt Adonai: sed hoc non est solidum, quia nomen יהודה omnes literas nominis Iehouæ complectitur, & tamen commune erat omni Iudęo. IV. Ratio. Illud tamen solidius, quod titulus Christi cruci superpositus, qui Romæ in æde S. Crucis in Hierusalem magna religione asseruatur nomen Iesu Hebraicè scriptum, Ioan. 19. Titulus Christi cruci superpositus vbi asseruetur. nullum he continet, nec in principio, nec in fine, bene tamen literam ע hain. Et confirmatur hæc traditio, siquidem omnes Christiani Oriētales, qui literis Syriacis, Chaldęis, vel Arabicis vtuntur, semper apud eos nomen Iesu est quadriliterum sine litera, he, & expressa litera hain. Nomen Iehouah, vt & nomen Iesu, vnde deducatur. Non ergo nomen Iesu est nomen Iehouah, quia hoc à verbo, haia, quod est verbum substantiuum, significatq; Fuit, descendit: quemadmodum Iesus à verbo, Iascha, quod est, saluauit: significatum tamē nominis Iehouah, in significatu nominis Iesu pulchrè comprehenditur, vt postea di-

Nomen Iesu vbi prædictũ sit à Prophetis.
Isai.12.
Procopius in Isaiam.
Hiero. lib. 4. in Isaiam, in fine tom. 5.
Euseb. in Isaiã
Isa.7.
Infra 11.
Exod. 15.
Ioan. 1.
1.Cor.1.

stea dicemus. Itaq; in eo finem habuit prophetia Hieremiæ cap.23. *Hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus iustus noster.* Mentionem fecit ter Propheta Isaias huius nominis quadriliteri cap.12. Primò, cùm ait: *Ecce Deus Saluator meus.* Vbi Procopius, & Hieronymus, ac Eusebius annotant legi posse. *Ecce Deus Iesus meus*: vt quem supra Emanuelem, aut Semach, aut alijs nominibus nuncupauerat: iam nomine, quo eum Angelus vocari voluit, appellaret. Deinde subdit: *quia fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem.* vbi hebraicè dicitur: Deus Dei, vel, Deus de Deo, factus est mihi Iesus: id est, Verbum Deus de Deo, caro factum est, & factus est mihi salus, iustitia, sanctificatio, & redeptio. Tertio subiungit Isaias: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.* Vbi Procopius ter expressum esse nomen Iesu in hoc capite annotat. Sunt porrò aquæ istæ: vel dona Spiritus sancti, quæ de Christi fontibus, id est meritis fluunt; vel Sacramenta salutaria, & aquæ Baptismi, vt Ambrosius docet, & Origenes in librum Numerorum. Theodoretus verò, & Origenes in librum Iudicũ, per fontes Saluatoris intelligunt literas sacras, ex quibus fideles aquas cum lætitia hauriunt semper. Cyrillus verò, sanctos Apostolos, & discipulos, qui aquam verbi Dei per vniuersum orbem deriuarunt.

Procopius.
Quæ sint aquæ haurienda in gaudio de fontibus saluatoris, & qui fontes illi saluatoris.
Ambros. in Psal. 37. circa med. tom. 4.
Orig. hom. 1. in lib. Num. tom. 1.
Theod. in Isa tom 1.
Origen. ho 8. in lib. Iudicũ. in fine, tom. 1.
Cyril. lib. 1. in Isaiam, to. 2. cap. 12.

Iudaizantis, contra illa Prophetarum testimonia de nomine Iesu producta, sommnium confutatur.
Hieron lib. in Isa. 17. to. 5.

Vanum est autem, quod Iudaizantes quidam, & per uicaces annotant, quòd illis in locis præter quatuor dictas literas nomini Iesu addatur litera he, ה & quod nomina finita in ה fœminina sint, ac proinde Messiæ nequeant quadrare: fœminina quoque ה mutãt in ת in regimine: & ideò verterunt salutẽ non saluatorem. Sed hæc norunt solida, quoniam constat nomen יהוה Iehouah in, he, terminari; & tamen est masculinum, & per tot secula ante Christum natum septuaginta Interpretes verterunt masculinè κύριος, & Hieronymus Saluatorem, & Angelus tribuit hoc nomen Christo puero nato. Quod si his non credunt: obijcimus illis solidum, & inuictum locũ Isaiæ 62. vbi Hebraicè habetur ישעה & Hieronymus: *Ecce Saluator tuus venit, qui in Hebraico dicitur Iesus, &c.* Sequitur in Propheta: (*Ecce merces eius cum eo, & opus eius coram illo.*) Vbi duo, illa, eo, &, eius, masculina sunt, & Iesuah masculum referunt sicut Galba, Herua, Habia, Catilina, & Masinissa, etsi terminationem habeãt fœmininam sunt tamen virorum nomina. Ex his etiam deprehenditur, non posse constare, quod B. Irenæus martyr libro aduersus hæreses scribit, ait enim: *Iesus autem nomen secundum propriam Hebræorum linguam, literarum est duarum, & dimidiæ, sicut periti eorum dicunt, significans Dominum eorum, qui continet cœlum, & terram, quia Iesus secundum antiquam Hebraicam linguam cœlum est, terra autem iterum surauisser dicitur.* Hæc ille: quæ certe, neque ad numerum literarum, neque ad significatũ vera sunt. Deinde grauiter increpandi sunt Iudæi, qui ex contemptu tribus literis illud exprimunt, exclusa litera hain, in hunc modum, ישו vel sic, ישוה: sicut nomen etiam Mariæ permutant, & dicunt Iesum Ben-hariam pro eo, vt dicunt Iesua Ben-miriam. Sed hoc illi à nostris acceperunt Latinis, apud quos Iesu dicitur in omnibus casibus, præterquam in accusandi, & nominandi casibus, in quibus quatuor literas habet. Et ita produnt se hostes Mediatoris, ac salutis suæ, neq; ad se Messiam spectare. Eadem ratione ductus cum vix caperem, cui fundamento nitantur, qui apud Latinos scribunt nomen Iesu abbreuiatum literis tribus, quarum media sit aspiratio, in hunc modum, Ihs; nisi sequantur corruptionem Hebræorum. Admonitus tamen postea sum id euenisse, quod Græci nomen Iesu concisius tribus tantùm literis in hunc modum exprimere consueuerunt, nempè IHS: vbi Græcum similitudinem habet elementi aspirati apud Latinos: & inde irrepit mos ille, vt Latinè illis tribus literis conscribatur. Quod ex eo redditur probabile, quod etiam nomen Christi simili ratione, qua apud Græcos per abbreuiationem totidem literis scribi consueuit, nempè XPΣ. vbi etiam medium elementum, P. ρ, apud Græcos, similitudinem habet cum p. Latino: ex quo Latini tribus elementis X, & P, & S. expresserunt, hoc modo, XPS.

B. Iren. lib. 2. cap. 41. initio.

Qui nomen Iesu literis duabus cum dimidia constare asserunt quo in errore versentur.

Aduersus Iudæos Iesu nomen, eiusque matris Mariæ nequiter inuertentes.

Improbatur ea scribendi ratio nominis Iesu tribus per contractionẽ literis, aspiratione videlicet interposita.

Vnde factum sit, vt nomen Iesus tribus literis per abbreuiationem interdum scribatur, vt & nomen XPS.

Admonendus prætereà est lector, fuisse quosdam qui existimarent, nomen Iesu, nomen esse nouum, iuxta illud: *Vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit*: nullumque in veteri Instrumento ea voce significatum fuisse. Confitentur quidem alios dictos יהושע per quinque literas: vt fuit Iesus Naue, & Iesus Iosedec, Iosue autem alius in Bethsames, de quo 1. Regum liber meminit: Iesus item filius Sirach, & fortasse alij plures: & significat: Deus saluabit: nemo autem sit vocatus ישוע hoc est Iesua, quod est nomen Christi, & significat salutem, vel salutationem, ac proinde Deum.

Vnde quidam existimauerint nomen Iesu, nomen [illegible] Christo attributum fuisse.
Isa 62.
[illegible] Galatinus.
1. Reg. 6.

Verùm isti falluntur duplici nomine. Primum, quia non animaduerterunt, in Scripturis plerisq; alijs tributum hoc nomen quadriliterum, nempe apud Esdram

1. Argumẽ contra illam opinionem.

1. Esd. 3.
2. Esd. 3.
1. Par. 24.
2. Paral. 3.
Nomen Iesu quot literis constet, contra Munsterũ.

lib. 1. & 2. libro item Paralipom. 1. & 2. vbi Iesus filius Iosedec scribitur eisdem quatuor literis, quibus nomen Iesu, etiamsi à Zacharia Iehosua cum quinque literis scribatur. Hoc etiam non cum quinque literis (vt Munsterus) sed cum quatuor tantum scribi debet: vt indicat titulus Crucis Dominicæ Romę asseruatus, & linguæ communes, vt Syriaca, & Chaldęa testantur, & litera prima, Iod, nominis quadriliteri, subscribenda est cum puncto longo, fere, ad supplendum literam, he, ה, quæ deest, & exprimitur in nomine יהושע. non autem cum, scevua, sicut scribitur in Iehosua. Certe in Luca cum dicitur: *Vocatum est nomen eius Iesus*: & & apud Mattheum, vbi Angelus dixit ad Ioseph; *Pariet autem filium & vocabis nomen eius Iesum*: in Euangelio Syriaco legimus ישוע.

Luc. 2.
Matt. 1.
II. Argum.
Isa. 62.
Ephes. 1. & Colos. 1.
Illud Esaiæ: vocabitur tibi nomen nouũ, quod os Domini nominauit, de quo accipiendum sit.

Deinde falluntur, qui illud verbum: *Et vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit*: intelligunt de Messia, & non de Ecclesia, quæ corpus est Messię. Quod & literæ contextus indicat. Nam quod ait, *tibi*, fœminini generis est in Hebræo, non masculini.

Deinde sequitur: *Non vocaberis vltra Derelicta; & terra tua non vocabitur amplius Desolata, sed vocaberis voluntas mea in ea*. Quod apertè de Ecclesia Gentium dici videtur, vel de primitiua. Quod confirmat B. Ignatius in epistola ad Magnesianos, & Cyrillus Hierosolymitanus: qui nomen nouum exponunt nomen esse Christianorú. & Hieronymus in eadem verba: *Nequaquã vocabitur Hierusalem, & Sion, sed nomen nouum accipiet quod eis Dominus imposuerit, dicens ad Apostolum Petrum, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non praualebunt aduersus eam. Quod vocabulum à nomine Domini deriuauit, vt dicatur Dominicum. Et populus illius nequaquam veteri nomine Israel, sed nouo, id est Christianus.* Sic ille. Euseb. lib. de demonst. Euangel. *Nomen istud*: ait, *nouum quod antiquis ignotum fuerat, quod nam quæso fuerit, nisi Christianorum, quòd à Saluatoris nostri IesuChristi appellatione deductum, in toto orbe terrarum laudibus, & fauore celebratur?* Gregorius Nazianz. orat. de pauperitate fouenda: *Quid nos autem*, inquit, *qui magnum & nouum nomen hæreditate sumus adepti, vt à Christo appellemur gens sancta, Sacerdotium regale, &c.* Quanquam Cyrillus in dialogo de Trinitate, de nomine Iesu vaticinium Isaię explanet, fortassis propter Septuaginta interpretes, quia illa verba multis articulis Græcis ad exprimendam nominis dignitatem verterunt, dixerunt enim: καὶ καλέσει σε τὸ ὄνομά σου τὸ καινὸν, ὃ τὸ στόμα

B. Ignat. epist. 6, non procul à fine.
Cyril. Hierosolym. cateches. 10.
Hiero. lib. 12. in Isa. c. 62. sub initium, tom. 5.
Matth. 16.
Vnde vocabulum, Dominici, deriuatum sit teste Hiero.
Euseb. lib. 2. de demonst. [illegible]
Nomen nouũ prædictũ à Propheta quidnã illud Eusebio.
Greg. Naz. orat. 27 inter init. & med.
[illegible]
1. Pet. 2.
Cyril. Alex. dial. 5. circa princip. tom. 2. ante med.

Κυρίου ὀνομάσει αὐτό. Hoc est: *Et vocauit te ipso nomine tuo, ipso nouo, quod ipsum os Domini locutum est ipsum.* Idem tamé Cyrillus in Commentarijs super Isaiam. & lib. in Genesim in principio interpretatur de nobis, qui noua creatura facti nomen obtinuimus Christianorum. Et Clemens Alexand. in Pędagogo nomen nouum explicat, quod nunquam veterascet, quod semper erit nouum, æternum.

Idem in cap. 62. Isa. lib. 5. tom. 2.
Lib. 1. in Gen.
Quale nomen nouum, secundum alios.
Clem. lib. 1. Pædag. c. 5. sub initium.
Iesu nomen quale fuerit in Christo tantũ modo non in alijs.

Erat itaque nomen Iesu proprium alijs, præterquam Christo; tamen in efficax erat, & impotens apud omnes alios, qui nomen huiusmodi à parentibus suis acceperunt: Christus verò hoc nomen sortitus est à Deo impositum, & de cœlo allatum; ac proinde in eo fuit efficacissimum, & rei ipsi quàm maximè consonum, atque consentiens. In nouo verò instrumento illi soli, qui inuocationis, & latriæ est capax, id nomen reseruantes, liberis nostris nequaquam indimus. Considerandum est insuper B. Basilium in Asceticis verbum, Ἰησοῦς, deducere à futuro verbi ἰάομαι, id est, medebor, litera α, versa in, η: vt idem sit, Ἰησοῦς, quod ἰατρὸς, hoc est medicus. Idem dixit Cyrillus Hierosolymitanus. Et reuera etsi insolitum sit, etymologiam alicuius vocis petere ab alieno idiomate, siue lingua peregrina; haud sunt huiusmodi accommodationes contemnendæ. Iustinus Martyr apologia pro Christianis ad Antoninũ Pium: nomen Iesum Hebraicum, Græcè σωτῆρα, hoc est, Saluatorem, denotat: Et Irenæus reprehendit Valentinianos, quod nomen Iesus alterius linguæ existens, ad Grecorum numerum transferrēt, neglecto nomine Græco, σωτῆρ, id est, Saluatoris. Aliquando, σωτηρίαν, id est, salutẽ, aliquãdo σωτήριον, id est, salutare, in neutro genere: sicut sanctum etiam dicitur substantiuè, & genere neutro: *Quod ex te nascetur sanctum*. Omnibus quippe his vocibus appellatur Messias, qui nostræ salutis autor est ditissimus, & abundantissimus. Ipse etenim vt Deus est, salus in abstracto: *Dedi*, inquit, *te in lucem gentium, vt sis salus mea vsq; ad extremum terræ*; Et: *Israel saluatus est in Domino salute æterna.* Ipse quatenus homo in concreto dicitur Saluator: *Aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* Ipse idẽ qua ratione Deus est, & homo, vt vnguentum sanitatis, & salutis in vase Humanitatis repositum, vocatur in neutro, salutare, secundum illud: *Salutare tuum expectabo Domine*: & alius: *Ostẽde nobis Domine misericordiam tuam; & salutare tuum da nobis*: & B. Virgo; *Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo*; alludens, vt quidam annotant ad verba Habacuc: *Ego autem in*

Cur modo inter Christianos nemini Iesu nomen imponatur.
Basil. to. 2.
Iesu nomen vnde dictum teste Basilio.
Cyril. Hierosol. catech. 10. circa finem.
Iustin. Mart. Apol. 1. longè à initio.
B. Iren. lib. 2. 40. in fine.
Iesu, nomen quam aptum & accommodatum.
Quot omnibus nominibus exprimitur Messias & quare.
Luc. 1.
Isai. 49.
Supra 45.
Ibidem.
Gen. 49.
Psalm. 84.
Luc. 1.
Habac. 3.

Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo: & Simeon: *Quia viderunt oculi mei salutare tuum*: Et Isaias: *Videbit omnis caro salutare Dei.*

Luc. 1. Isa. 40. iuxta Septuaginta. & Luca 3

Cur nomen Iesu Deo proprium pro nomine proprio redditum non sit, sed semper vertatur saluator, aut salus salutare Dei.

Sed occurrit hoc loco non contemnenda dubitatio: cùm Iesus proprium sit Dei nomen, & id à veteribus Patribus non fuerit ignoratum, cur illa vox Hebræa non reddita sit pro proprio nomine, sed semper vertatur Saluator, aut salus, aut salutare Dei, cum propria nomina ex qualibet lingua integra ad nos transeant. Non enim pro Adam, & Isaac, vel Iacob, rectè vertitur, Terrenus, vel Risus, vel Luctator: nec Gregorius, vel Aristoteles, vel Hieronymus, vel Demosthenes redderetur, nisi stultè & insulsè, vigilans, optimus finis, sacrum nomen, populi robur; quæ sunt illorum nominum significata. Quare ergo non Iesus est dictus proprio, sed alijs titulis Saluatoris, vel salutis, vel salutaris est designatus? Dicendum est hoc consultò Spiritum Sanctum moderantem vocem Interpretum, siue Græcorum, siue Latinorum fecisse; vt ostenderet non tantùm nomenclaturam solam Domino conuenire quæ cum ei cum alijs communis fuit, qui eius typus fuerunt, sed etiam rem ipsam, & veritatem. Non enim Iudæi, vel Gentes expectabant nomenclaturam, quam in alijs videbant, sed ipsum Saluatorem, & Redemptorem mundi. Ideò dulcior vox erat: Ecce Deus Saluator meus, quàm, Ecce Deus Iesus meus. Porrò Latini sermonis, eiusque linguæ puritatis superstitiosi obseruatores vertunt, seruatorem, vel sospitatorem, vel liberatorem; verbum autem Saluatoris barbarum esse cōtendunt, nec apud bonos autores vsurpatum esse. Sed profectò, vt in Prouerbio est: *Qui vehementer emungit, elicit sanguinem*: & magis hæc subtiliter, quam solidè considerarunt.

Gen. 3. Infra 21. Infra. 23.

Nomen Iesu cuidam Latinistæ, quomodo reddant.

Prou. 30.

Nomen salutoris Latinum non barbarū esse ostenditur.

Nam inprimis quis negare, nisi impudenter, queat, eloquentiæ Christianæ lumina, Cyprianum, Lactantium, Arnobiū, Hieronymum, Augustinum, atque Ambrosium fuisse; qui tamen ab huius vocis vsu non abhorruerunt?

I. Argum.

Deinde quis negare valeat, res nouas nouis vocibus esse nominandas? quid autem magis nouum, quàm is, qui Deus, & homo est? Quod si vsus emollit vocabula, illaque congrua ac commoda reddit: quid ni potuerit vsus mille & quingentorum annorum, eoque amplius, hanc vocem iure latio donare? Quàm pulchrè ille dixit:

Multa renascentur, quæ iam cecidere, cadentque,
Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet vsus,
Quem penes arbitrium est, & vis, & norma loquendi.

Horat. de arte non longè à princ.

Hinc B. Augustinus lib. de Trinitate, de nomine Saluatoris disserens, ait: *Nisi infirmitas esset, medicum necessarium non haberet. Qui est Hebraicè IESVS, Græcè Σωτήρ, nostra autem locutione Saluator. Quod verbum Latina lingua antea non habebat, sed habere poterat, sicut potuit quando voluit.*

Aug. lib. 13. de Trin. c. 10. in fin. to. 3.

Adhæc, vt prætermittam saluandi verbum etiam à Cicerone, & Quintiliano aliquando vsurpari: quod quidam tamen deprauatum esse contēdunt: illud certè exploratum est, atque compertum, saluare, nihil aliud esse, quàm rem à periculo præsenti, & malo liberare: quemadmodum apud Hebræos Iaschach, & apud Græcos σώζειν, quod à pronomine, σὸς, σὴ, σὸν, id est, tuus, tua, tuum deducitur: vt σώζω, aliud nihil sit, quàm, te tibi reddo; liberare verò à periculo, & à casu imminenti, Græcè dicitur τηρεῖν, Hebraicè Schamar, & Nazar. Quanquam ergo Christus liberauerit à periculo inferni futuro, & venturo, & ab alijs peccatis, in quæ prolapsi fuissemus, nisi ille seruasset nos: (vnde & Seruator, & Liberator meritò dici potest:) tamen reuera omnes nos, pro quibus Saluator redimendis aduenit, sicut oues errraueramus: peccati seruitutem, ac dæmonis captiuitatem actu incideramus, eramusque sicut ouis, & sicut drachma perdita, censebamurque in infernum inferiorem, vnde Christi gratia erati sumus, descendisse. *Venit autem Filius hominis quærere, & saluum facere quod perierat:* & iterum: *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus.* Ad hanc autem actionem Christi significandam, qua nos de captiuitate, dæmonisque seruitute eripuit, aptius, & congruentius voce Saluatoris, quàm seruatoris vtimur. Seruatores enim patriæ apud Romanos dicebantur, non qui Rempublicam collapsam iam, omninoque dissipatam in integrum statum restituebant, sed eos tantummodo, qui ab imminenti periculo cadendi hostes propulsando, atque superando, Rempublicam seruabant, & custodiebant. Cumque hęc vox Saluatoris tempore Ciceronis non esset in vsu, non est mirum Action. 4 in Verrem sic dixisse: *Vidi, inquit, Syracusis statuam quandam inscriptam Σωτῆρα: hoc quantum est, magnum est, vt Latinè vno verbo exprimi non possit. Is est enim σωτὴρ, qui salutem dedit.* Hæc illa. Ex quo habes vocem Seruatoris haud satis exprimere inscriptionem illam, σωτῆρα: quia illa vox seruatoris erat in vsu

III. Argum. Cic. lib. 2. de nat. Deorum. Quintil. lib. 12. c. 10.

Saluare quid sit.

Seruatoris, & liberatoris nomine quā dignus Iesus.

Luc. 15. Ibidem. Psal. 85.

Luc. 19.

Matth. 9.

Seruatores apud Romanos qui dicerentur.

Ciceronis de voce σωτὴρ testimonium

Σωτὴρ, Græcè quid.

& à Cicerone vsurpatur sæpissime. Habes deinde vocem Saluatoris tunc vsitatam non fuisse: nam si fuisset, vno verbo Latino exprimi potuisset inscriptio illa. Quid enim est aliud Saluator, quam is, qui salutem dedit, quàm Saluator? Ab ætate tamen Ciceronis adueniente Christo, qui nos de morte peccati, ac de seruitute dæmonis crudelissima liberauit, meritò rei nouæ inditum est nomen nouum Saluatoris: atque illud iam vsus emolliuit, atque inualuit; ita vt ferè temerarius mihi videatur, qui hac religione Ciceronis teneatur, vt à voce illa abhorreat, non secus quã à cane, & angue, cùm tamen à consuetis vocabulis in religione minimè recedendum esse tradat Quintilianus, qui libro 1. capite 6. sic scripsit: *Saliorum carmina vix sacerdotibus suis satis intellecta: sed illa mutari vetat religio, & consecratis vtendum est.* Hæc ille. Nomine ergo Saluatoris consecrato iam in Ecclesia Dei, & à tot Patribus vsurpato libere vtendum est. Audi verba sextæ Synodi in Act. 12. *Omnino necesse est,* inquit, *non solum secundum sensum, sequi patrum dogmata, sed eisdem vocibus vti cum illis, nihilq; penitus innouare.* Ita illa œcumenica Synodus persanctè, & religiosè sanxit. Nos tamen, vt Saluatorem confitemur Christum, qui nos à morte culpæ liberauit, & à dæmonis dominio vindicauit; ita non negamus Christum seruatorem, qui & à multis, quæ alioqui admitteremus, flagitijs, & à multis laboribus, & angustijs, morteque ipsa propter gloriam suam nos præseruat. Atque hęc paucula satis sit præmisisse ad vocis huius intellgentiam: quæ sanè vox cùm à Deo sit imposita, & ab Angelo sit allata, Angelicam ad sui explicationem linguam requirit.

Saluator quid sit: quam dignum Latinis auribus hoc nomen.

A quibus vocabulis minime recedendũ esse, doceant Quintilianus.

Quintil.

VI. Synod.

Quod ad rem spectat, vt intelligas quãta æquitate, & prudentia hoc nomen sit impositum, considera diligenter, quod cum nomen dicatur quasi notamen, quòd rei naturam, ac proprietates describat, & exprimat: ideò duplex inuenitur nomen; aliud quidem naturam denotans, atque repræsentans, vt humana omnia, quę mentalia nomina vocantur à quibusdam: & huiusmodi eadem sunt apud omnes. De quibus Aristoteles dixit libro de Interpretatione capite primo, voces significare ex hominum institutione: propterea que ad placitum significare: conceptus verò naturaliter, atque ita esse eosdem apud omnes. Idem est enim conceptus, & notio panis apud omnes, qui intellectu vigent: aliud verò est nomen ex institutione humana, placitoque impositum, siue sit vocale, siue scriptum: atque hoc diuersis vocibus profertur, diuersisque etiam characteribus scribitur apud diuersas nationes. Nam quod Hebræi vocant Lechem, Grœci dicunt Ἄρτ. Latini, Panem, Germani, Brot: atque ita variæ voces sunt in varijs linguis. Simili ratione est quoddam nomen primarium Dei, naturâ, rem cuius est, ob suam similitudinem explicans, & perfectissimè exprimens: sicut Verbum Patrem naturâ explicat, quod eius sit coessentialis imago, & adæquata ipsi Patri, ita vt verè dixerit CHRISTVS; *Qui videt me, videt & Patrem meum.* Et iterum: *Non credis quia ego in Patre, & Pater in me est?* Hoc ergo est vnum substantiale, naturale, ac inuariabile Dei nomen. Aliud verò est externum ex primaria Dei institutione, Deum ipsum perfectè significans, siue sit vocale, siue in membrana Humanitatis descriptum: tale est nomen IESV, significatissimè humanam naturam summè in CHRISTO exaltatam, & cum diuina coniunctam naturam explicans, atque exprimens. Et quia hoc nomen diuina arte est impositum, & in arte maximè exigitur symmetria, & proportio vocis ipsius ad rem significatam: ideò accuratè considera, hoc nomen proportionem habere in primis ad Deum imponentem, & ad matrem, deinde ad Angelum, qui id annunciauit, pręterea ad diem Circuncisionis, in qua fuit impositum: item ad alia CHRISTI nomina, quæ multa sunt, tùm ad significatum, tùm etiam ad CHRISTI verba, operationes, miracula, ignominiosam mortem, ministros verbi, atque Sacramenti. Postremò, proportionem maximam habet ad piscandum hominem, cuius gratia maximè est impositum.

Nomen vnde dicatur: Idem quotuplex.

Nomen Dei duplex naturale & extrinsecum.

Ioan. 14.

Ibidem.

Quale sit nomen Iesu.

Nomen Iesu ad quænam habeat conuenientiam.

Matth. 1.

Primùm igitur, cùm impositio nominis, vt paullò ante diximus, ad Deum, qui naturas rerum, earumque nouit proprietates, spectet, IESVM autem nemo norit præter DEVM Patrem: vnde ipse CHRISTVS dixit: *Nemo nouit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis nouit, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.* Quis alius posset eum congruenti voce nominare prę́ter Deum, qui solus illum comprehendit, qui nouit, quis, quantus, & qualis sit?

Quam conueniat Deo nomini Iesu impositio.

Matth. 11.

Deinde, vt constat ex ijs quæ disseruimus de nomine Ioannis Baptistæ, solùm ad parentes spectat liberis nomina imponere. Hinc Zacharias scripsit: *Ioannes est nomen eius.* Cùm autem Iesus in terris patrem non haberet, vt habet in cœlis: necessarium

II. Ratio.

Luc. 1.

Ibidem.

sarium fuit hoc nomen à Deo Patre inditum, cœlitus imponi.

III. Ratio. Gen. 2.

Adhæc dominorum est seruis suis nomen dare in signum dominij; qua ratione Adam cunctis animantibus, quasi seruis, nomina imposuit, vti dominum, cui seruire debebant, agnoscerent: eodem modo Nabuchodonosor Rex Babylonis, Danieli, & tribus pueris, qui in fornacem ignis fuêre coniecti, in signum potestatis, dominationisque suæ mutauit nomina: perinde, atque hodie Turcæ quos ex nostris captiuos abducunt, Saracenica seruis eiusmodi indunt vocabula. Adhunc modum Christus Iesus, qui secundum Humanitatem seruus Dei Patris in Scripturis dicitur, iuxta illud: *In scientia sua iustificabit ipse iustus seruus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit.* Et alio loco: *Seruus meus es tu Israel, quia in te gloriabor.* Et alibi: *Parum est, vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & fæces Israel conuertendas. Dedi te in lucem Gentium, vt sis salus mea, & vsque ad extremum terræ, &c.* Ex quibus vltimis verbis planè colligitur Prophetam de Iesu verba facere. Iure hac ratione nomen à Domino accepit.

Dan. 1.

Isai. 53.

Supra 49.

Ibidem.

Ad Matrem quoque pertinuisse Iesu nomen imponere.

Habet etiam proportionem ad Matrem, erga quam singulare redemptionis genus exercuit, siquidem illa ab omni crimine personali peculari prærogatiua seruata est, etiam veniali, ab originali verò quod suapte natura tanquam Adæ filia cogebatur incurrere, quod nulli alteri credimus concessum, excellenter sanctificata fuit, vt meritò peculiari ratione potuerit canere: *Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.* Ita vt, quod CHRISTVS suapte natura, & suo (vt sic dicam) marte possidebat, videlicet immunitatem ab omni labe criminis, eandem Maria virgo, ex priuilegio tamen, obtineret. Sicut priuilegium fuit, quod sine viri semine, operaque conciperet; quod ventrem sine labore gestauerit; quod enixa fuerit salua virginitate, vllo absque dolore, quod paullò post obitum suum accellerata fuerit, atque completa in ea resurrectio. Ita vt in B. Virgine permulta liceat spectare priuilegia, quibus Iesus in illa singularem est operatus salutem.

Luc. 1.

Mariæ priuilegia.

Quæ proportio sit nominis eiusdem ad Angelum imponentem.

Deinde attendenda est proportio ad nuncium, videlicet Angelum, qui illum Mariæ, & Ioseph, ac per hoc reliquis omnibus denuntiauit, deinde per Ioannem Baptistam dicentem: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi:* multo verò magis per ipsum Christum, qui de se ipso testatus est: *Ego sum,* inquit, *lux mundi:* Et rursus: *Ego sum panis vitæ: Ego sum resurrectio, & vita:* quibus verbis περιφραστικῶς expressit vim sui nominis. Sed primi fuerunt Angeli, qui olim Verbum in se, Humanitatem verò in specie quadam repræsentatam in cœlo viderunt, atque salutem per eam sunt experti. Ideò tradit Lucas, vocatum esse ab Angelo priusquam in vtero conciperetur. Quod Origenes homilia decimaquarta in Lucam ponderans: *Vocabulum,* inquit, *Iesu, gloriosum omni adoratu, cultuque appellari, neque ab eis efferri in mundum, sed ab excellentiori quadam, maiorique natura.* Vnde signanter Euangelista addidit, dicens. *Et vocatum est nomen eius Iesus, quod vocatum fuerat ab Angelo, antequam in vtero conciperetur.* Ponderat Bernardus sermone 1. de Circuncisione, post natiuitatem puerum vocatum ab hominibus IESVM, & ab Angelo sic vocatum ante conceptum. *Idem quippe,* inquit, *& Angeli Saluator, & hominis: sed hominis ab incarnatione, Angeli ab initio creaturæ.* Ponderat etiam sermone vndecimo verbum illud, vocatum: *Vocatum planè,* inquit, *non impositum: nempe hoc ei nomen ab æterno. A natura sua proprie habet, vt sit Saluator: innatum est ei nomen hoc, non inditum ab humana, vel Angelica creatura.* Sic bonus ille pater. Angelorum verò reuelatione appellatio hæc Prophetis ignota non fuit. Inquit enim Habacuc in Cantico suo. *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo:* & Isaias: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris:* & in alio loco: *Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum: aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* Esdras quoque in persona Dei Patris, ait: *Reuelabitur filius meus Iesus cum his, qui cum eo sunt, & iucundabuntur.* Et rursus: *Morietur filius meus Christus, & seculum ad me conuertetur.* Et Rabbi quidam sanctitatis magnæ, & autoritatis, qui fuit ante CHRISTVM, vocatus Rabbi Accados: *Quia Messias,* inquit, *homines saluabit, vocabitur Iesus: Gentes autem alterius nationis, qui fidem eius sectabũtur, vocabunt eum Iesum.* Sibylla Erythræa nonnulla de fine mundi scripsit, ex quorum primis literis conficiuntur hæc verba: Ἰησοῦς ὁ Θεοῦ υἱὸς σωτὴρ σταυρός. Id est, *Iesus Christus Dei filius, Saluator, Crux.*

Ioan. 1.

Infra. 8.

Supra. 6.

Infra 11.

Angelorum prærogatiuum.

Origen. ho. 2.

Nomen Iesu quàm venerabile.

Quid quod ante natiuitatem puerum Iesum vocauerunt homines, Angelus autem ante conceptum.

D. Bern.

Nomen Iesu cur vocatum non impositũ dicitur teste Bernardo.

Idem.

Nomen Iesu longe ante incarnationem cognitum quibus, & per quos.

Habac. 3.

Isa 12.

Infrà 45.

4. Esd. 7.

Ibidem.

Rabbi Accados.

Erythræa Sibyllæ de Christo vaticinium.

Nominis Iesu impositionem quàm congruat diei circuncisionis.

Præterea proportionem habet ad diem impositionis, nempè ad Circumcisionem: cùm enim Circumcisio signum esset seruitutis, atque peccati, Christus dum circumcisus est, & vocatus Iesus, ab iniuria seruitutis, cum sit verus Dominus, & ab omni nota criminis liberatur, cum sit IESVS, hoc est, Saluator, & sanctificator homi-

hominum, qui peccatis obnoxij sunt. Vt enim Christus in Cruce per titulum superpositum: *Iesus Nazarenus Rex Iudaeorum,* ab iniuria Crucis, atque illius horrendi supplicij, quod nonnisi latronibus, aut seruis facinorosis, infligebatur, per titulum triumphalem est liberatus: (erat namque verus Iesus, virtutibusque floridus, atque Nazarenus, verus denique Iudaeorum Rex, hoc est, confitentium, siue laudantium Deum.) sic à Circuncisionis ignominia seruatus est per nominis impositionem.

Ioan. 19. Christus quare ab iniuria Crucis & passionis, itemq; Circumcisionis fuerit liberatus.

Adhaec analogiam habet ad alia Christi vocabula: Nam inter ea hoc solum est proprium; caeterra verò omnia appellatiua sunt, quae & cognomina vocamus; Vt, Baptista cognomen est Ioannis; & Christus, cognomen est Iesu. Vt enim Christus omnia virtute sua continet, ita eius nomen vim omnium aliorum nominum: vt manna excellebat cunctis cibis, omnes omnium sapores comprehendens. Reliqua siquidem CHRISTI nomina, vel Deum ipsum in se significant, vt Iehouah, Saddai, El, Qui est, de quo: *Qui est, misit me ad vos;* vel respectum ad creaturas denotant, vt Adonai, Elohim, hoc est, Deus, Iudex, Creator, Gubernator, Pastor: vel respectum ad diuinos effectus gratiae Dei, vt Emmanuel, vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus, fortis, pater futuri seculi, Princeps pacis, Accelera spolia detrahere, Festina praedari, Iustificator, remunerator, verùm sine labore, & dolore. Talesque appellationes, vel principium, vel medium, vel finem salutis designant.

Eadem quoque impositio nominis Iesu, reliquis eiusdem nominibus quam sit consentanea.

Sap. 16. Dei nomina cum Christo communia. *Exod. 3.* *Isa. 7.* *Infra 9.* *Supra. 8.*

At Iesu nomen comprehendit illa omnia, & simul principium, & medium, & finem salutis efficiendae complectitur: continet etiam dolorem, & sanguinis effusionem, qua nostram salutem operari dignatus est. Per prima enim, quae Deum in se significant, Deum vix agnoscimus: per secunda verò aliquo modò cognoscitur Deus: at per tertia magis cognoscitur, verum non ita ad DEVM trahitur anima: quod non significant labores, & cruciatus, quibus CHRISTVS nos redemit. Nomen Iesu verò, qua die cauterium circumcisionis accepit, & sanguinem fundere coepit, nos mirificè allicit, atque ad se pertrahit. Cùm igitur hoc nomen sit super omne nomen, vti Apostolus inquit, meritò omnium nominum proprietates, ac virtutes habet. Est enim nomen proprium, & appellatiuum; substantiuum, atque adiectiuum; indeclinabile, & declinabile per omnes casus; singularis numeri, dualis, atque pluralis; simplicis figurae, atque compositae; primitiuum, ac deriuatiuum. Inprimis igitur proprium est nomen, quia Deo soli per se conuenit posse salutem dare: ex quo Dauid: *Deus noster, Deus saluos faciendi:* & Ecclesia: *Deus, cui proprium est misereri semper, & parcere.* Appellatiuum est, quandoquidem ad salutem omnes ex se vocat. Substantiuum est, quoniam veram, beatamque salutis substantiam largitur; fundamentum iaciendo à fide, quae est sperandarum substantia rerum. Adiectiuum verò, quia multa super naturam conditam, & supra merita nostra, praemia adijciat in coelo, & in terra. Indeclinabile est, quoniam à recta via nunquam declinauit: declinatur tamen pro nobis per omnes casus. In casu enim recto per illud nomina saluandorum scripta sunt in coelis. In casu gignendi verò, per ipsum Pater genuit nos verbo veritatis, vt simus initium aliquod creaturę eius. In casu dandi, testatur ipse omnia sibi patrem tradidisse in manus suas, &: *Data est mihi omnis potestas in coelo, & in terra:* & ipse puer datus est nobis, & filius datus est nobis; & Apostolus: *Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* In Accusandi verò casu tacitè per se, vel per verbum suum praedicatum peccatores accusat, vt puncti, accusatique à conscientia, vel à daemone scrupulos ingerente, & ad Deum pro remedio confugientes coram Patre, vt iustus aduocatus excusat: *Si reprehenderit nos cor nostrum;* Dilectus; *maior est DEVS corde nostro.* In casu Vocandi, per se ipsum nos inuitat: *Venite,* inquit, *omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* In casu Auferendi, aufert ab electis suis cor lapideum, atque omne peccatum, quod vt talentum plumbi grauat animam, omnemque tribulationem, quae iustos posset submergere: praestatque vt cum tentatione prouentum faciamus. Est ergo nomen declinabile: quia multis modis nouit rationem impartiendę salutis. Est nomen masculinum in speciem, ac virtute foeminini, neutriusque generis: quia saluat omnes homines cuiuscunque sexus; & Angelos ipsos, qui neutrius sunt sexus, eo tamen quo supra declaratum est, modo. Est nomen singularis numeri: quoniam solus, & vnus est Deus, & verus mediator, & vna diuina Verbi hypostasis. Est dualis numeri, (quem numerum Hebraei habent, & Graeci) ob duas naturas in Christo impermixtas, Diuinam, & Humanam. Est pluralis numeri, ob multitudinem proprietatum, actionum, modorum, effectuum-

Iesu nomen quam multa comprehendat.

Philip. 2. Iesu nomen omnium nominum in se proprietates & virtutes continere.

Nomen Iesu cur proprium. *Psal. 67.*

Quare appellatiuum, idem & substantiuum atque ad adiectiuum.

Hebr. 11.

Nomen Iesu vt sit indeclinabile. Idemque vt declinetur per omnes casus.

Luc. 10. *Iacob. 1.* *Matth. 11.* & *Ioan. 13.* *Matt. vlt.* *Isai. 9.*

Rom. 8.

1. Ioan. 3. *Matth. 11.* *Ezech. 36.*

1. Cor. 10.

Nomen Iesu omnis generis, & numeri fuisse comprobatur.

1. Tim. 2.

Iesu nomen omnia item alia in se nomina, qua ratione cōplectatur

fectuumque saluandi. Vt enim theriaca antidotum est præstantissimum, vnaque voce exprimitur, si tamen velis explicare omnia, quæ in eius compositionem ingrediuntur, proprietates item, & virtutes eius, opus est multis vocibus, magnaque sylua nominum: ita sanè Iesus nomen est vnum, virtus tamen eius, ac proprietas varia, ac multiplex, effectus autem innumerabiles.

Nomen Iesu quomodo sit omnis figuræ.

Rursus, nomen est figuræ simplicis: quia Deus simplex est, & in Christo natura diuina minimè cum humana componitur, quin potius humana vnitur diuinæ. Compositæ verò, quia homo fuit, qui omnium est compositionum capax, & particeps: sicut Deus propter summam simplicitatem omnis prorsus compositionis est expers. Est rursus nomen primitiuæ speciei: siquidem, vt DEVS est, à nullo alio Deo essentia distincto deriuatur. Est speciei deriuatiuæ: quia, vt Verbum procedit à solo Patre in cœlo, vt homo verò, à sola matre deriuatur in terra.

Iesu nomen vt sit primitiuę speciei, atque deriuatiuæ.

Nomen Iesu qualem analogiam teneat ad suum significatum.

Insuper symmetriam habet ad proprium significatum, id est, salutem: quia nomen imago est rei ipsius. Nam vt nonnisi ironicè diceretur; fatuus quidam Salomon, vel deformis Absalon, vel pusillanimus Sampson, vel Æthiops albus: sic Christus, si non saluaret, frustra, & ironicè diceretur Iesus. Vt enim in hac salute deitas comprehenditur, quæ substantia quædam est à nobis impenetrabilis, planeque imperuestigabilis: ita nomen Iesu seu Saluatoris ponit, non nominat deitatem, quemadmodum clauus & malleus ferrum, ex quo efficiuntur, ponunt. Existit in illa etiam salute humanitas, quæ quoniam vnita Deo est, instrumentum salutis est: sicut vnguentum ipsi sanitati coniunctum verè sanare diceretur. Vnde scriptum est in Canticis: *Oleum effusum nomen tuum.* Iesus ergò Deum salutem, & hominem eam habentem, quasi vas quoddam sanitatis, eamque ad alios deferens, significat. Præterea intellige Saluatorem ex officio & arte. Nam vt cantor non est, nec mercator, nec sartor quicunque, nisi is, qui officium, artemque canendi, vel negotiandi, aut sartiendi tenet: ita Iesus siue Saluator, plus est, quàm saluans: quia significat habitum, artem, exercitiumque saluandi. Ac quemadmodum artifices, tabernam publicam aperiunt, pluresque ministros artificium illud (qualecunque sit) exercentes, habet: ita Dominus Iesus saluator est: templum eius est, taberna; ministri, Episcopi, & Sacerdotes, in quibus ipse tanquam magister operatur: nam illi verbum, & Sacramenta, externaque omnia adhibent: Christus autem intus solus operatur, & salutem administrat. Nomen etiam Iesu creatorem ponit: eius quippe est reficere, cuius est facere. Saluat igitur Iesus, ex nihilo ad aliquid creaturas producendo: rursus de malo statu peccati, quod peius est, quàm non esse, ad bonum gratiæ gradum instaurando: rursus de statu gratiæ ad felicissimum gloriæ statum euehendo, exaltandoque naturam: atque hæc quidem omnia agit per optimum, ac summum esse incarnationis, quod omne esse naturæ, gratiæ, & gloriæ longè antecellit. Seruat ergò Iesus ab ira Dei, à captiuitate diaboli, à peccati seruitute, à metu ac reatu mortis (in quam tamen in Nouo Testamento potiùs ob Christi imitationem, quàm propter scelus incurrunt fideles) à vi & dominio carnis in Spiritum rebellantis, à vinculis deprauatarum nostrarum affectionum, à temporarijs pœnis, quas magni loco beneficij tolerant iusti. Proinde væ Iudæo, qui expectat Messiam à seruitute Romanorum, & oppressione Gentium redemptorem & vindicem, ignorans vera mala Spiritus, & deplorandam seruitutem dæmonis, sub quo detinetur captiuus. Itaque plus est saluator, quàm creator: siquidem maius est, suscitare mortuum ad vitam, quàm generare viuum: præstat etiam reficere perfectè annulum ruptum gemma pretiosissima addita, quàm de integro efficere: *Vbi enim abundauit delictum, superabundauit & gratia:* & Ecclesia canit Deum alloquens: *Hominem mirabiliter condidisti, & mirabilius reformasti.* Et quemadmodum filij à parente in lætitia generati, mortui si essent, & ab eo pro ipsis gemente, atque moriente suscitati, plus deberent patri quatenus medicus est, quàm quatenus pater: ita nos plus debemus Christo, quatenus Iesus est, quā quatenus creator fuit. Et licet homo per creationem substantiam humanam, vel esse reale, quod appellant, acceperit, per redemptionem esse gratuitum, & diuinum: amplius tamen est esse gratiæ, etsi extrinsecum: quo pacto sæpè pretiosior est pictura, vel sculptura, quàm charta vel tabella, in qua est: velut ornamenta equi plus equo ipso valent interdum. Ergò magna ratione Christo est impositum nomen Iesu: nam hic solus potest, nouit, & vult saluare. Nam quod valeat, miraculis, atque alijs operibus admirandis euidenter demonstrauit: propterea enim omnem

Quemadmodum illud nomen ponat, haud nominet deitatem.

Humanitas quomodo saluet.

Cant. 1.

Qualis item sit saluator Iesus.

Varijs modis saluat Iesus.

Si est saluator Iesus, cur a morte non saluet?

Cur nomen Saluatoris maius, quam Creatoris.

Rom. 5.

Saluatori Christo cur quàm Creatori amplius debeamus.

Quàm potens Saluator Iesus.

ſanabat languorem, & omnem infirmitatem, dæmonia de corporibus pellebat, mortuos reuocabat ad vitam: quò intelligeremus, ipſum eſſe verum Ieſum, ſiue Saluatorem, cuius eſt peccata remittere, dæmones de cordibus hominum propulſare, & vitam extincto peccato, & morte reſtituere. Hinc peccatrici atque adulteræ fœminæ peccata dimiſit; & paralytico poſcenti ſalutem corporis, dixit: *Vt autem ſciatis, quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata; tunc ait paralytico: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula*: Illi verò item ſanato dixit: *Ecce ſanus factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat*: Latroni verò in Cruce eius ſe memoriæ commendanti, ilicò Paradiſum promiſit. Animaduertis igitur, quàm certis ac manifeſtis argumentis Chriſtus comprobet, poteſtatem dimittendi peccata penes ſe eſſe? Profectò non tantum tu potes in perditionem & interitum tuum perficere, quantum Chriſtus in tuam ſalutem operatus eſt.

Matth. 4. & alibi paſſim. Luc. 7. Matth. 9. Ioan. 5. Luc. 23.

Deinde nouit etiam ſaluare Chriſtus. Eſt enim virtus Dei & ſapientia, & ſigna eius admirabili ſapientia referta, irreprehenſibilis quoque, ac ſanctiſſima vita, officijſque charitatis refertiſſima, planè arguunt eius in ſalute danda ſapientiam: aptiſſimumque dæmones ſagaciſſimos ac callidiſſimos omnium mortalium, decipiendi modum adinuenit. Obturabat ſimul ora Scribarum & Phariſæorum, qui vt verbis doloſis eum caperent in ſermone ad perdendum eum, accedebant: cùm contrà, Ieſus vel caperet ad ſalutem, vel ſilentium certè illis confuſis imponeret.

Ieſus quòd probè nouerit ſaluare. Matth. 22. & alibi paſſim.

II. Argum. Matth. vlt. & Mar. vlt. Act. 2. Luc. 21.

Miſit etiam per vniuerſum terrarum orbem ad Euangelium diſſeminandum duodecim diſcipulos ſuos, viros planè ſimplices, rudes atque imperitos: in quos miſſo in momento cœlitus Spiritu ſancto reddidit eos ſapientiſſimos: quorum ſapientiæ, & Spiritui neque Iudæi, neq; Philoſophi, neque Reges, neque Cæſares, neq; mundus totus, vel ipſi etiam cacodæmones vnquam reſiſtere & contradicere potuerunt.

III. Argum. Sap. 2. Rom. 5. Gen. 25.

Adhæc, peccata omnium hominum in ſe ipſum tranſtulit: vt quemadmodum per vnum hominem peccatum, & mors in mundum intrauerunt: ita per vnum, qui Deus eſſet, & homo, iuſtitia, atque vita in omnes diffunderetur, cuius iuſtitiam tanquam veſtem Eſau induentes, benedictionem cœleſtis parentis promereremur.

Poſtremò ſaluare etiam vult: quod multis modis nobis declarauit. Promiſit enim, qui verax eſt, & fidelis in omnibus verbis ſuis. rogat ſupplex, atque inuitat, præ manibus ſalutem offerens vnicuique. *Tota die*, inquit, *expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem mihi*: queritur quod ſalutem noſtram refutemus: *Quoties*, inquit, *volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas: & noluiſti?* Reliquit Sacerdotes loco ſui cum poteſtate remittendi peccata, vt ſecurè poſſimus nobis polliceri in tuto eſſe noſtram ſalutem, ſi per nos non ſteterit, & illam reſpuamus ingrati. Quod ergò velit nos ſaluare Dominus Ieſus, multa, atque ea præclara argumenta habemus. Gloria enim Saluatoris eſt, perditos ſaluos facere, ſicut medici periculosè ægrotantes ſanare; & aduocati eſt clientulorum cauſas euincere, atque illis patrocinari.

Quod velit ſaluare Ieſus. Tit. 1. & Heb. 6. & alibi paſſim. Iſai. 65. Rom. 10. Matth. 23. Sap. 18. & Ioan. 20. Ieſu efficax illa voluntas ſaluandi ex multis colligitur.

II. Ratio. Deinde ob id homo, & cognatus noſter fieri voluit, ne vllam de eius ſalutari voluntate dubitationem haberemus.

III. Ratio. Præterea expenſas ſanguinis ſui in Cruce fecit, quibus modis comparatam eſſe ſalutem intelligeremus, iuxta illud: *Quia apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio. Et ipſe redimet Iſrael ex omnibus iniquitatibus eius*: & Apoſtolus: *Ipſe propitiatio eſt pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi.* Ita vt nobis denuntiari mandauerit: *Ecce prandium meum paraui, tauri mei & altilia occiſa ſunt, & omnia parata, venite ad nuptias.*

Pſal. 129. 1. Ioan. 2. Matth. 22.

IV. Ratio. Luc. 22. Sitire ſe pariter ſalutem noſtram maximè declarauit, quando ad mortem laborantibus nobis, tota vita fecit dietam; pro nobis ſudauit in horto, accepit ſyrupum moriturus fellis & aceti: decubuit in lecto Crucis, imò contuſus eſt malleis, vt fieret nobis emplaſtrum: medicinam amarã pro nobis ſumpſit ipſe medicus, venamq; ſuam ſcindi permiſit, quò in corpus ſuum dimanaret ſalus: atque adeò ſanitate vinceret modus eam acquirendi. Seleucus Rex, alterum oculum ſibi eruit, alterũ fillo iuſſit pro adulterio à filio admiſſo: ne lex ſua in adulteros lata violaretur: at Chriſtus longè maiori charitate præditus, pœnam noſtram, quam debebat omne genus humanum, infinitis penè, enormibus, atrociſſimiſque delictis integram ſubire voluit.

V. Ratio. Luc. 15. & ſeq. Sap. 6. Præuenit nos quoq; plerumq; hæc diuina & ſpiritualis ſalus: quemadmodum filio prodigo redeunti pater clemētiſſimus occurrit, & in amplexus eius incidit; atque, vt Salomon ait, *Praeoccupat* (eos ſcilicet) *qui ſe concupiſcũt, vt illis ſe prior oſtendat.* Itaq; ſalute-

iam

am per fidem & baptismum imploratam, consummauit profectò ille, de quo Apostolus: *Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet, vsque in diem Christi Iesu:* & alio in loco: *Nunc autem propior est nostra salus, quàm cùm credidimus,* gloria est enim ædificantis Christi, in nobis perficere, ne de ipso dicatur: *Hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare.* Item: *Si cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius: multò magis reconciliati, salui erimus vita ipsius.* Ob hanc causam denique credentibus, Spiritum sanctum in arrham, & pignus salutis nostræ certissimum impertitus est, vt omnem ansam nobis dubitandi præcideret. Vt ergò hic Saluator potentissimus est ac sapientissimus, atque nostri beneuolentissimus, sic & nos facultatem, sapientiam, atque voluntatem acceptandi salutem hanc habere conuenit, ne nobis frustra Saluator existat. Sine nostra enim voluntate Dei administra & socia, fide, atque liberi arbitrij viribus salutem consequemur nunquam. Sub tali enim ac tanto Saluatore perijt Iudas perditionis filius, quia perire voluit. Nemo ergò sibi tantum de Saluatore blandiatur, quantum à seipso metuat, ne gratiæ Dei, suæque saluti desse inueniatur. Ergò, vt mittenti funem in puteum, quo te in illum prolapsum extrahat, opus est te funem arripere, ne pereas: sic Deo mittenti ad te Christum in hunc mundum ad te liberandum, debes illum fidei & Sacramenti veluti manibus quibusdam apprehendere, impedimenta omnia salutis obijciendo tuæ, medicum ipsum, & medicinam pœnitentiæ, dietam ieiunij, scissionem venæ per restitutionem eorum, quæ non sunt tua, & superfluorum per eleemosynam, vomitum confessionis peccatorum, liberè acceptando: nullus enim infirmus etiam ad mortem deploratus, modò obedientem se præstiterit, sub tanto ac tali medico & Saluatore perire poterit: secus qui diligunt tenebras, & morbos peccatorum: *Qui enim fecit te sine te, non te iustificat sine te:* vt rectè Augustinus dixit.

Phil. 1. | Rom. 13. | Luc. 14. | Rom. 5. | VI. Ratio. | Act. 2. & 2. Cor. 1. | Saluator à nobis Iesus quid requirat. | Ioan. 14. | Matth. 27. | Iesus nobis Saluator quomodo apprehendendus. | August. ser. 15. de verbis Apost. c. 11. 10. 10

Rursus habet etiam mirificam hoc nomen ad Saluatores, qui in Veteri Testamento in typum Christi præcesserunt, conuenientiam & proportionem. Siquidem excellentes singuli fuêre, & virtutibus illustres viri, maximè verò illi, qui ab insigni aliqua temporali seruitute, vel captiuitate populum liberarunt, Christum æternæ salutis autorem præfigurarunt, & ante alios Ioseph filius Iacob: qui spiritu Prophetico donatus, septem fertilitatis, totidemque sterilitatis annos præcognouit, & frumentum asseruari iussit: in quo pulchrè est Christus adumbratus: qui in sterilitate sæculi huius præsagiens animarum famem, atque egestatem, prospexit de grano frumenti, seu de Sacrosancto pane altaris ad pascendas explendasque animas. Pharao autem nomen ei mutauit, vocans eum Saluatorem mundi: quod quantum cum nostro Christo cohæreat, atq; illi quadret, tu te ipse, prudens Lector, considera & perspice: quanquam litera Hebræa asserat illum vocatum *Saphnath Pahaneath:* videlicet, vir cui abscôdita reuelata sunt, vel absconditorum expositor. Sed & in hoc rectè quoque Iesum delineauit, qui sub speciebus panis & vini latere suum pretiosissimum corpus & sanguinem declarauit. Et vt ille Ægyptum ab ingruenti fame liberauit, ne periret, frumentum in fossis abscondendo: ita profectò Christus mundum à fame spirituali, quæ grauius animas quàm corpora premit, sub accidentibus panis & vini latitando, ad salutem nos pascit, nutrit, atque sustentat. Fuit etiam repræsentatus in omnibus ijs Iudicibus, quos Saluatores vocat liber Iudicum: qui diuersis à captiuitatibus, vel Philisthæorum, vel Madianitarum, vel Moabitarum, vel etiam aliorum populum ad tempus liberarunt. Multaque hoc loco detegi mysteria possunt, nempe, qua ratione Gedeon paucis militibus, atque illis inermibus magnû exercitum Madianitarum fuderit, populumque Dei liberauerit: quæ quidem liberatio salutem per Iesum partam significauit; vel teste Isaia Propheta, qui capite 9. ait: *Iugum enim oneris eius, & virgam humeri eius, & sceptrum exactoris eius superasti, sicut in die Madiam.* Paucis namque Apostolis per vniuersum orbem ad prædicandum missis imperium dæmonis fregit, & salutem omnibus populis peperit. Aptè quoq; in Samsone est adumbratus Christus, cuius tum mors atque resurrectio in illo depicta fuere: haud minùs etiam congruè Iephte, qui votum Deo obtulerat pro victoria obtinenda, atque filiæ suæ non pepercit, Iesum adumbrauit: qui propriæ filiæ, nimirum humanitati innocentissimæ minimè pepercit, modo de peccato, atq; dæmone victoriam obtineret. Verùm hisce omnibus prætermissis, tres viri potissimùm extitere, qui nomine etiam ipso, nec tantùm re Iesum nostrum præfigurarunt. Alter fuit Iosue, siue Iesus Naue fortissimus bellator qui populum Dei introduxit in terram promissam. Alter fuit Iesus Sirach vir sapientissimus, librum qui Ecclesiastici edidit: Tertius fuit Iesus Iosedec, q fuit sacerdos magnus,

Nomen Iesu ad saluatores antiquæ legis appellatos, quantam habeat conuenientiam. | Gen. 41. & seq. | Ioseph patriarcha elegans Christi typus. | Matth. 26. | Gen. 41. | Ioseph patriarchæ Hebraicè nomen Saphnat pahaneath | Saluatoris nomini quomodo quadret. | Gedeon, vt Christum saluatorem adumbrauerit. | Iud. 7. | Isai. 9. | Christi & Apostolorum illustris victoria. | Iudic. 13. & Infrà. | Supra 11. & seq. | Samson, ac Iephte, vt eundê figurauerint. | Iesus Naue, seu Iosue, Iesus Sirach, & Iesus Iosedec, quàm insignes viri hi fuerunt.

magnus, optimæ atque sanctissimæ vitæ: qui simul cum Zorobabel populum captiuum in Babylone detentum in patriam reuocauit, templumque Dei instaurauit. In his ergò tribus præcipuè fulgent ac splendent Saluatoris nostri Iesu mysteria. Etenim potētiam in debellandis hostibus nostris spiritualibus repræsentauit Iosue Naue, qui propterea de terra promissa eiecit Chananæum, quemadmodum Iesus noster, principem mundi huius, hoc est, diabolum de mundo expulit, populumq; electum in terram viuētium per ascensionem suam introduxit. Secundus Iesus Sirach, qui renouauit sapientiam de corde suo, in doctrina mundum illuminante, ab erroribusque purgante Christum Patris sapientiam adumbrauit. Tertius verò in sanctitate atque sacerdotio Christum retulit, qui sacerdos est in æternum secundùm ordinē Melchisedech: & qui templum spirituale, vt ille ex materia lapideum fabricatum, restaurauit, exædificauitque. *Tu es*, inquit, *Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Ac vt Iosue Naue dux eorum fuit, qui exierunt de captiuitate Ægypti: & Iesus Iosedech eorum dux, qui de captiuitate Babelis egressi sunt: ita Iesus dux est salutaris in liberandis hominibus à peccato originali, ac personali. Omnis namque remissio peccati siue per baptismum fiat, siue per sacramentum pœnitentiæ, à meritis Iesu Christi originem habet.

Num. 14. & seq. 1. Esdr. 2. & seq.

Quàm elegans fuerit typus Iesus saluatoris nostri.

Psal. 109. & Hebr. 7. & alibi. Matth. 16.

Omnis peccati remissio vnde oriatur. 2. Cor. 5.

Præterea inuenitur proportio huius nominis ad verba, & actiones, ad sacramēta etiam & ministros Christi. Etenim si attentiùs cōsideres Christi actus, omnes deprehendes salutares extitisse: nam vel sputum eius terræ admixtum, salutem oculis cœci nati restituit: fimbria fide contacta, sanitati hæmorrhoyssam reddidit: & tandem *Virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* Verba eius erant salutifera: nam vel pellebant dæmonia de corporibus obsessis, vel remittebant peccata, vel salutaria monebant, docebantque, atq; cùm erat opus, increpabant. Iacobi siquidem est Apostoli illa vox: *In mansuetudine*, inquit, *suscipite insitum verbū, quod potest saluare animas vestras:* & Apostolus Paulus: *Non enim*, inquit, *erubesco euangelium: virtus enim Dei est in salutem omni credenti:* & Act. 13. *Vobis verbum salutis huius missum est.* Sacramenta ab eo instituta efficacitatem salutiferam continent: vnde de baptismo ait Paulus: *Secundùm suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti, quem effundit in nos abundè,* &c. De Eucharistiæ Sacramento Christus ipse pronuntiauit: *Qui manducat, inquit, hunc panem, viuet in æternum.* Ministri Euangelij dare salutem dicuntur: hinc Paulus: *Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos.* Tempus ipsum noui testamenti nō caret etiam salutis priuilegio: ait namque Apostolus: *Tempore accepto exaudiui te, & in die salutis adiuui te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Denique vt pœnæ huius vitæ, ac molestiæ, atque adeò mors ipsa, dæmonumque persecutiones, vi (inquam) hęc omnia salutem nostram adiuuent promoueantque, Christus efficit. Nam *diligentibus Deum omnia cooperātur* (scilicet ipse Christus) *in bonū.* Cùm ergò rationes tot communicandę salutis pro sua sapientia, quæ summa est, adinuenerit, rectè dictū est à Propheta: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.* Omnia quippe Christi mysteria, actus omnes, verba omnia, sacramenta, ministri, fontes sunt perennes hauriendæ percipiendæque salutis.

Iesu nominis ad eius actiones, verba, & sacramenta, maxima proportio.

Matt. 9. Luc. 6. Matth. 4.

Iacob. 1. Rom. 1.

Act. 13.

Tit. 3.

Ioan. 6.

Idem nomen Iesu ministris Euangelij, ac tempori noui testamenti, quomodo respondeat.

1. Cor. 9. 2. Cor. 6. Isa. 49.

Rom. 8.

Isa. 12. Quàm rectè dictum sit à Propheta: Haurietis aquas in gaudio de fontib. saluatoris.

Ad extremum, aptissimum est hoc nomen ad expiscanda corda nostra, à carnaliumque cupiditatum aquis extrahenda, amoreque suo saucianda atque suspendenda, quoniam in hoc sacrosancto ac mellifluo nomine lactitare poteris, illum pro te incarnatum, pro te circuncisum, pro te sic appellatum, pro te prædicasse, orasse, vigilasse, suscepisse nudis pedibus peregrinationes, fudisse lachrymas, atque ieiunasse, pro te cruci suffixum, mortuum, suscitatum, cœlosque conscendisse, atque inde largiter pro te Spiritum sanctum in consolatorem, & præceptorem, in pignus & arrham æternæ hæreditatis emisse. Qui ergò propter nos seruandos ex charitate omnia agere voluit, dignus est, propter quem, & in cuius gloriam omnia opera nostra efficiamus. Quare Paulus dixit: *Siue ergò manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite.* Nam & Pater hoc nomen gloriosum efficit: *Pater clarifica nomen tuum:* & ipse Iesus ait per Prophetam: *Sanctificabo nomen meum magnum, quod polluistis in gentibus:* & de Spiritu sancto idem dixit: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet.* Angeli quoque hoc nomen prædicant, quorum vnus dixit: *Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus.* Homines, præsertim iusti, in hoc nomine illustrando vitam consumere debent. Dæmones ipsi etiam istud nomen, vel coacti clarificant, dum vel recedunt de corporibus ad huiusce nominis inuocationem, vel flectunt gēnua: mali etiam, & infideles, vt exorcistæ illi Scæuæ, Act.

Idem Iesu nomen sacrosanctum, quam efficax sit, & potens in cordibus nostris.

Corda illi nostra quo modo respondere debeant.

1. Cor. 10. & Colos. 3.

Quàm gloriosum nomen Iesu.

Ioan. 12. Ezech. 36.

Luc. 2.

Philip. 2.

Act. 19.

19. in quos inuolauit dæmon: *Iesum*, inquit, *noui; & Paulum scio: vos autem, qui estis?* Tradit historia Scholast. in Acta Apostolor. Dionysium Areopagitam disputasse cum Paulo: & cùm fortè transiret cœcus per viã coram eis, dixit Dionysius ad Paulum: *Si dixeris huic cœco: In nomine Dei tui, vide, & viderit, statim credam. Et ne vtaris verbis magicis, quia fortè nosti verba, quæ habent eiusmodi efficaciam: hac*, inquit, *vtere forma verborum: in nomine Iesu Christi, nati de Virgine, crucifixi, mortui, qui resurrexit, & ascendit in cœlum, vide.* Imò, inquit Paulus Dionysio, *vt omnis tollatur suspicio, tu ipse hac forma vtere, præscriptaq; verba profer: & sequetur effectus.* Quod cùm fecisset Dionysius, ilicò cœcus vidit, & Dionysius ad Christum est conuersus. Quamobrem rectè Christus dixit. *In nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit, super ægros manus imponent, & benè habebunt.* Inest igitur in nomine hoc virtus implendi omnia desideria: nam quicquid petierimus Patrem in hoc nomine, liberaliter nobis dat. Si enim tristis es, consolatur: si peccator, iustificat: si ea, quæ tuæ saluris sunt, ignoras, docet: si pauper es, ditat: si ignobilis, nobilitat: si iustus, conseruat & perficit: si periculum instat, præseruat: si cecidisti, subleuat: si æger es, sanat. Vt enim Principes insignem penes se habere solent medicum, cuius ope atque opera morbis vel occurrant præsentibus, vel resistant futuris: ita nobis nomen suum saluare potens medici instar reliquit, ne à magnis in hac re Principibus superemur. Quippe apud Christum omnes sunt magni Principes, qui eum diligunt, colunt, atque venerantur. Est igitur hoc sacrosanctum nomen oleum siue vnguentum effusum benè olens naribus fidelium; cibus ac panis vitæ esurientibus, habendumque vt mel linguæ, melos auribus, lux oculis, cordi iubilus, medicina morbis, portus nauigantibus, turris fortissima iustis, ad quam confugiet iustus, & saluabitur. Estque huiusmodi nomen dignum omni cultu, genuflexione atque latria: in quo vult Paulus flecti omne genu, cœlestium, terrestrium, atque infernorum. Quare cùm olim Bernardinus Senẽsis falsò calumniam esset passus, quod Iesu nomen in tabella scriptum populo ad adorandum proponeret; per diploma Martini Papæ quinti commendatur non solùm eius animus, sed etiam factum, vt religiosum, ac pium. Tale enim nomen Iesu, siue voce prolatum, vel auditum; siue vbicunque scriptum, aut pictum, sculptumque, dignum est latria, non ob ipsam vocem nudam, scripturam, vel picturam, verùm propter eius significatũ: sicuti crux, atque imago Christi propter typum, mysteriumque in ea repræsentatum latria meritò adorantur. Ioannes verò vigesimus secundus ducentos dies veræ indulgentiæ omnibus, qui ad nomen Iesu genua flecterent, vel caput inclinarent, vel tunderent pectus, largitus est. Ergò adora reuerenter hoc sacrosanctum nomen, inuoca ex corde: quia omnis quicunq; inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Confitere lingua coram hominibus, vt dignus habearis, quem Iesus confiteatur coram Patre suo. Gloriare in hoc nomine, & exulta in eo, vti B. Virgo: *Exultauit*, inquit, *spiritus meus, in Deo salutari meo.* Nos enim gloriamur in appellatiuis, quod videlicet de tali familia, vel progenie illustri, quia intus vani sumus. Patere pro hoc nomine, vt Apostoli, qui ibant gaudentes à cõspectu cõcilij: quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Benedic frequenter, & dic cum Iob: *Sit nomen Domini benedictum.* Nam lingua plus ad Iesum laudibus celebrandum, quàm ad gustandũm, vel ad animi sensa explicanda condita est. Hinc Propheta ait: *Laudabo nomen Dei cum cantico; & magnificabo eum in laude.* Expende nomen tuum in hoc nomine clarificando, atque cohonestando: *Beati enim estis* (ait Christus) *cùm maledixerint vobis homines & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malũ aduersum vos, mentientes propter me.* Vt enim Iesus finis est omnium rerum; ita omnium nominum finis est Iesu nomen. Et scribe hoc sanctum nomen in tabulis cordis tui; nam Deus in capite libri vitæ, in quo sunt omnes prædestinati, principem locum tenet. Fuit etiam in ligno crucis id scriptum litteris Latinis, Græcis, & Hebræis, ad pugnandum pro nobis. Est item scriptum in portis cœlestis Hierusalem, vt narratur Apocalyp. 22. quòd nulli pateat ingressus, nisi in virtute huius nominis. Hoc etiam in primis Christiani mente cuiuslibet imprimi debet: vt de sancto Ignatio martyre constat: cùm enim hoc nomen in tormentis frequenter proferret, rogatus à paganis, cur Iesum toties nominaret, illud scriptum habere in corde suo, respondit: quo interfecto, & semideuorato à leonibus aureis litteris hoc idem nomen scriptum in qualibet parte cordis aperti cõpertum est. Nemoque benè pati potest pro Christo, nisi cor eius nominis huius virtuteatq; dulcedine sit delibatum. Quemadmodum aũt in prælio, qui excubias agunt nocturno tẽpore, vt se inuicem agnoscant,

salutis

Margin notes (left): Iesu nominis efficacia. — Hist. Schol. in cap. 17. Actuũ Apostol. — Diony. Areopag. quomodo ad Christum conuersus. — Pauli Apostoli prudentia. — Marc. vlt. — Ioan. 14. & 16 — Nominis Iesu virtutes. — Quale nobis esse debeat hoc sanctum nomen Iesu. — Cant. 1. — Ioan. 6. — Prouer. 18. — Phil. 2. — Pium, ac religiosum facinus in sanctũ Iesu nomen, D. Bernardini Senensis.

Margin notes (right): Iesu nome[n] quatenus c[o]lendum, a[c ve]nerandum. — Quanti fa[cien]dum nobi[s] hoc nome[n] Iesu. — Ioel. 2. & Act. 2. & Rom. 10. — Ibidem. — Luc. 1. — Ioanis que [...] stra gloriat[io]. — Act. 5. — Iob. 1. — Linguę mu[ne]ra præcipua. — Iacob 3. — Psalm. 68. — Matth. 5. — Vbi scriben[dum] sit nomẽ Ie[su]. — Psa. 39. — Heb. 10. — Exod. 32. — Dan. 12. & Luc. 10. — Ioan. 9. — Ignat. martyr. nomen Iesu scriptum gestabat in corde litteris aureis scriptum. — Benè quis patiatur pro Christo.

salutis causa nomen dant, quasi tesseram: sic nos cùm in continuo conflictu, tenebrisque versemur, Iesu nomen demus, vt ab imminenti periculo liberemur, & salute æterna perfruamur, præstante eodem Domino nostro Iesu Christo, cui cum Patre, & Spiritu sancto deferatur omnis honos, gloria, laus, maiestas, & imperium in secula seculorum. Amen.

Iesu nomen si dederimus, quid assequemur.

TRACTATVS XXXVIII.

Matt.2.

In illa verba Matth. 2 *Cùm natus esset Iesus in Bethleem Iudæ, in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Hierosolymam dicentes: Vbi est qui natus est Rex Iudæorum?*

Luc.2. Magorum cur ad Christum adorandum aduentus describitur. Deut.18.

EXplicauimus Christi natiuitatem, atq; eius patefactionem Iudæis pastoribus factam, vt Lucas enarrauit: Matthæus nũc ostendit gentibus fuisse patefactam, vt Iudæis de Christo communi Saluatore à se persuaderetur, si acceptare vellent; vel cõfonderentur, si repugnarent. Etsi enim Christus peculiariter Iudæis esse promissus, & natus: illis tamen nõ credentib. promissum est gẽtibus hoc salutare Dei. Hinc Christus dixit: *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* Et iterum: *Multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cælorum: filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores.* Et Paulus: *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes:* quod adoratione Magorum constat. Ait ergò: *Cùm natus esset Iesus in Bethleem Iudæ*, quomodo, & quando, & vbi natus sit Messias, luculenter est à nobis superiùs dissertum. Interpretatur autem Bethleem, domus panis: quod alio nomine dicitur Ephrata, id est, fertilis, vel fructifera, ob fertilitatem & copiam frugum. Erat enim horreum adiacentis regionis: vt Sicilia Italiæ horreum, seu cella penaria vocatur à Cicerone ex sententia Catonis. Porro illi verbo Bethleem, adiecit Iudæ, quoniam est alij Bethleem in tribu Zabulon, vt habetur Iosu. decimonono, & Iud c. duodecimo. Propterea non est recipienda lectio Græcorum codicum recentiorum, qui habent, *In Bethleem Iudææ:* repugnat enim illis testimonium Prophetæ ipsius paulò infra citatũ: *Et tu Bethleẽ terra Iuda, nequaquã minima es,* &c. Deinde

Matth.21. Messias cur gẽtibus promissus. Supra 8.

Matth.2.

Bethleem domus qualis, cur Ephrata etiam dicere tur. Cicer. act.4. in Verrem. Typus Gry phinus. Cur dicta sit Bethleem Iudæ.

Mich.5.

etiam ratio, siquidem Iudæa totam terram promissionis, & omnes tribus complectitur: sic dicta, à nobiliori ac potiori tribu regia. In Iudæa verò vtraque Bethleem tribus Iudæ, & tribus Zabulon continetur. Vnde Hieron. in hunc locum: *Librariorum*, inquit, *hic error est. Putamus enim ab Euangelista primùm editum, sicut in ipso Hebraico legimus Iudæ, non Iudææ. Quæ est enim aliarum gentium Bethleem, vt ad distinctionem eius hic Iudææ poneretur? Iudæ autem idcircò scribitur; quia est & alia Bethleem in Galilæa. Lege librum Iesu filij Naue Denique & in ipso testimonio, quod de Michææ prophetia sumptũ est, ita habetur, & tu Bethleẽ in terra Iuda.* hactenus ille. Sed certè hæc producta à B. Hieron. ratio, non est tam solida & efficax, vt conuincat: nam & si interdum Iudææ nomine veniant omnes tribus, & omnes Iudæi; aliquando tamen capitur pro sola tribu Iudæ. Vnde in hoc eodem cap. dicitur: *Audiens autem Ioseph quòd Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode.* Et superius fortem, siue tribum Iudæ vocauit Iudæam: *Ascendit & Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth in Iudæam, ciuitatem Dauid.* Ad hæc in Actis dicitur: *Ecclesia quidem per totam Iudæam, & Galilæam, & Samariam habebat pacem, & ædificabatur.* Vbi Iudæa cõdistinguitur Samariæ, & Galilææ. Codex quoque Euangelij Syriaci, Iudææ habet. Vtraque ergò lectio bona est, & idem significat.

Iudæa quàm late pateat, & vna denominata.

Hieron. in c.2 Matt. tom.9. init. Iosu.19.

Iudæa interdũ pro sola tribu Iudæ accipitur in sacris literis.

Luc.2.

Act.9.

In Bethleem natus cur Christus.

Pulchrè autem in Bethleem natus refertur Christus: nam in ea natus est Dauid paruus corpore, sed pulcher aspectu, & viribus fortis, psallendiq; arte præditus, qui dæmonem ex Saule pellebat, qui q; in Bethleem in Regem fuit inunctus; Christũ prçfigurans humilem corpore, sed spiritu pulcherrimum, robore fortissimum, qui fortem debellauit armatum: qui sua prædicatione dçmones de cordibus fugauit hominum. Cõnsentaneum ergò fuit, & ipsum in Bethleem Regem inaugurari & nasci. Erat etiam congruum, vt panis viuus è cçlo descendens, in domo panis, quæ Bethleem est nasceretur: & fructus terræ sublimis, non nisi in fructifera ac fertili tellure, hoc est, Ephrata, ad satiandum mundum prodiret. Vbi enim Christus est, ibi est omniũ abundantia bonorum, non solùm spiritualium, sed etiam tẽporalium, quæ sine Christo satiant nequaquam hominem. Aptissimè aũt hæc Bethleem, siue Ephrata. B. Virginẽ repræsentat, vnde prodijt Christus, quç verè domus est panis & fructifera: ad quam nos tanquam pueri ad matrem cõfugere debemus, panem postulantes, videlicet precantes, vt Iesum, benedictum fructum ventris

1.Reg.16. ibidem. 2.Reg 5. Dauid rex elegans Messiæ typus. Luc.11.

Ioan.6. Isa.4.

Bethleem, siue Ephrata, quid mystice.

sui

fui nobis & in hac vita, & post hoc exilium ad edendũ ostendat. Rectè item parua nominatur in millibus Iuda, ob insigně eius humilitatem, & in oculis suis paruitatem, ob quam in Messiæ matrem delecta est. Et dicitur *Bethleem Iudæ*, id est, in domo panis, & confessionis, siue laudis: quoniam nulla vnquam tanta Deum laudandi ratio extitit, quam quòd Deus panis noster tum per incarnationem, tum per Sacramentum Eucharistiæ efficeretur. Atque cùm panis noster esse voluerit, non se in arca incluserit, verùm in domo panis, ad quam omnes cõfluere solent, se nobis exhibuerit; imò etiam in præsepi reclinari voluerit, vt nos ostenderet, & iumenta esse, & rationem hãc esse huius panis edendi, si iumentum quis fiat, id est, stultus, vt sit sapiens. Tu quoque si paruus sis in oculis tuis, & frequenter sacrum panem altaris edendo, præmissa criminum tuorum confessione, qua Deum confitearis, peccatorum remittendorum potestatem sacerdotibus contulisse, iuxta spiritum eris altera Bethleem Iudæ, in qua Christus in lucem edetur magna cum Angelorum, ac pastorum tuorum, quibus illud innotescet, lætitia & voluptate. *In dieb. Herodis Regis.* Hoc ad rei euidentiam ponitur. Et in primis aduerte, non satis fideliter per Erasmum hunc locum interpretatum, vertit enim: *Temporibus Herodis*, cùm Græca ipsa habeat littera, ἐν ἡμέραις, & dies in scripturis omne tempus significet: & Euangelista alludat ad Prophetas, qui Regũ tempora per dies solent exprimere, vt Isai. cap. 1. *Visio quam vidit, &c. In diebus Oziæ, Ioathan, &c.* Atque hoc quidem non sine ratione: vt insinuet Spiritus sanctus breuitatě temporis, quo Reges dominantur: *Omnis enim potentatus*, vt ait Sapiẽs, *breuis vita.* Deinde quia Matthęus ad Iudæos scribens, nõ meminit Augusti Cæsaris: vt Lucas, qui scribebat ad Gentes. Christo autem in cunis vagiente, & per ætatem fari necdum valěte, quintuplex de eo loquebatur prophetia in hoc Euangelio insinuata. Prima quidem de loco Bethleem, in qua Christus natus est, quę inferiùs exponetur suo loco: secũda, de tempore, de quo prædixit Iacob: *Non auferetur*, inquit, *sceptrum de tribu Iuda, & dux de femore eius; donec veniat qui mittendus est.* Tertia, de stella prænuntia ortus Christi, de qua Balaam: *Orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israel, &c.* Quarta de aduentu regum, & gentium ad Christũ, de quo Isaias: *Ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui.* Quinta, de muneribus, quibus Christus erat cohonestandus: vnde David: *Reges Tarsis & insulæ munera offerent; reges Arabum & Saba dona adducent.*

Quid, quòd ea dicitur parua in millibus Iuda. Luc. 1. Psal. 72. 1. Cor. 3. Quo modo quis Bethleem Iudæ esse possit. Matth. 18. Ioan. 20. Erasmiana hęc interpretatio: In temporib. (pro diebus) Herodis regis, quare nõ probetur. Eccl. 10. II. Ratio. Mich. 5. Quintuplex de Christo prophetia. Gen. 49. Num. 24. Isai. 60. Psal. 71.

Quod attinet igitur ad secundam: Herodes propriè Rex fuit, alius autem eius filius nonnisi Tetrarcha, propter regnũ Iudææ in quatuor eius filios diuisum: quanquam aliqua ratiõe dici Rex posset, & Rex appelletur, Matth. 14. Africanus apud Nicephorum, lib. 1. 6. & 9. docet Herodem Ascalonitam Apollinis templi æditũ, fuisse seruum: Eusebius verò lib. 4. præpar. Euangel. cap. 1. æditũ fuisse Apollinis ex eorum classe, qui serui vocarentur, cuius Herodis filius Antipater ab Idumæis captus, & apud eos educatus pecuniæ inopia, vt tradit Affricanus, à patre redimi nõ potuisse, deinde bellica virtute & prudentia in Hyrcani Iudæorũ Pontificis amicitiam insinuatus est: & deinde in amicitiam Romanorum euectus, primò Palęstinæ totius procurator est constitutus, & deinde ab Augusto Iudæorũ Rex declaratus. Sed loquimur nunc de patre, qui natione alienigena erat, nempe Idumæus, inuasor, atque vsurpator regni Iudęæ: anno cuius 31. sicut 42. Augusti natus est Christus, in illoque prophetia completa est prædicta, *Non auferetur sceptrũ de Iuda, & dux de femore eius*, siue, vt Hebraicè habetur, scriba, seu legislator, seu præceptor, seu Magistratus. Nam post captiuitatem Babylonicam collegium Sanedrim durauit, vbi erant, qui ex hac tribu oriundi, tanquam regij cõsiliarij populum regebant. Quare prudenter Propheta non tantùm dixit: *Non auferetur sceptrum de Iuda:* sed addidit: *neq; scriba, vel legulator, &c.* Scribit autě Philo libro suæ Chronologiæ (si vlla tamen est illi fides habenda) in hũc modum: *Anno verò 30. principatus sui tyrannici Sanedrin ex domo Dauid deleuit, & Annaleum quendam, atq; Sanedrin ex proselytis suffecit, qui nimium in lege videbantur eruditi: tum & Salomen sororem suam, & virum eius de tribu Iuda, itemq; proprium filium, quem ex vxore eiusdem tribus susceperat, interfecit: quòd diceretur iam in lege promissus Christus natus.* Et subdit Philo: *Fessi tandem Hebræi, vltrò ipsi (scilicet Herodi) ac eius posteris Regnum obtulerunt, iurantes in fide ipsius ac posterorum sese permansuros. Regnauit hic primus Herodes Ascalonita tyrannico principatu annis 31. & legitimo, 6. & filius eius Archelaus annis 9.* Talmud. in lib. Baba Batra in diffinitione Assuraphin: *Herodes*, inquit, *Ascalonita seruus fuit Asmonæim: qui, suscepto per vim regno, interfecit vniuersos Sanedrin septuaginta iudices, vno reseruato Baba filio Baroch, cui eruit oculos.* Hæc ibi. Et quod dicitur: *Nec dux de femore eius.* Hebraicè scribitur: *Etiam de inter pedes eius:* honestè alludens ad si-

Illud vaticiniũ Non auferetur sceptrum de tribu Iuda, &c. quando impletum sit. Matth. 14. Philonis Iudæi de Ascalonitæ Herodis regis crudelitate testimonium. Idem. Herodes ille quandiu regnarit. Talmud Ziris generis obscuritas, violentia.

rum pudendorum, quæ instrumenta sunt generationis. Sequitur in prophetia: *Donec veniat, qui mittendus est.* Vbi apertè B. Hieronymus legit, שלוח Schiloach, quæ vox, teste Ioanne Euangelista, cap. 9 interpretatur, Missus. Nam simpliciter Messias per missum, vel mittẽdum significabatur: *Mitte, inquit, Moses, quem missurus es: emitte agnum Domine dominatorem terræ.* Thargum verò Onchelos, cuius autoritas Iudæis est sacrosancta, loco verbi huius dixit: *Donec veniat Messias:* & pro eo quod sequitur: *Et ipse erit expectatio gentium*, legit Thargum: *Et ipsius est regnum.* Porrò LXX. interpretes verterũt illud verbum τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ, id est, quæ reposita sunt ei, scilicet mysteria temporis Messiæ, quam lectionem sequitur Cyprianus in lib. in Iudæos, dicens: *Quoad vsque veniant deposita illi,* & Origenes homil. vltima in Genesim, & martyr Iustinus in Apologia 1. ad Antoninum Pium. Iudæi verò apertè cùm vidissent hoc testimonium Christi Iesu aduentu expletum, corruperunt illam vocem, & legunt שילה, id est, Schilo: quæ vox apud illos integra nihil significat. Et demum, quòd ita legeretur, vt corruperunt ipsi, non est sensus: *Donec veniat Saul*, quia nondum datum erat sceptrum Iudæ, cuius ex tribu primus regnauit Dauid, nec dum ab eo ablatum. Nec etiam fingi potest, quòd sit Ieroboam, qui vnctus est in Silo: sicut nec Carolus Quintus est Bononia, quod in ea sit coronatus Imperator. Sed si he, pro vau, ponitur in illa voce Hebræa, multa potest significare, ita malitiam eorum Spiritu sancto corrigente, & nostram ad vtilitatem conuertente.

Primò namque significare potest Schilo, *Cuius illud*, scilicet sceptrum. Deinde si maneat ה, cùm Mappictus significat: *Filius eius*, scilicet mulieris Iudæ: est enim nota fœminei generis, & significaret filium mulieris, non viri. Item significat secũdinam, qua puer in vtero inuoluitur: & designat humanitatem, in qua (vt in Silo erat arca Domini olim) Deus habitauit. Significat præterea: *Munera ei*, vt Rabbi inquit Salomon, & supplendum est, offerentur: & ad hunc sensum videtur respexisse septuaginta, vertentes: *Quæ reposita sunt ei.* Ad hæc secundùm alios denotat prosperitatem, fœlicitatem ve. Est namq; Christus mundi fœlicitas. Et quomodocunque interpreteris tandem de Messia esse sermonem, illumq; iam aduenisse colligitur: nec alius præter Christum est expectatio gentium, siue auditio obedientiaque: neque de alio, quę sequuntur, intelligi queunt: *Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem ô fili mi asinam suam.* Nato enim Christo, vt legales ritus & cæremonię, ita terrenum regnum debuit cessare. Atque hæc obiter in Iudæorum dicta sint peruicaciam. Sequitur tertium vaticinium: *Ecce Magi ab Oriente venerunt Hierosolymam.* Notabilis res illo aduerbio *Ecce*, significatur: tum ob Magos ipsos, qui Christum puerum nondum verba promentem adorarunt, vbi ciues iuuenem illum, & miracula edentem crucifixerunt: tum ob Iudæos contemnentes gentilitatem, cuius erant primitiæ. Significat item rem nouam & lętam: parum enim videretur, Christum nasci, ni natus agnosceretur, & puer adoraretur, & muneribus ornaretur. Denotat nobiles & diuites viros, quò maiores sunt, eo plus impediri à nobilitate & potentia, quo minus Christum sequãtur: ita vt penè miraculum sit tales ad Christum venire. Nihil etiam gentibus promiserat, vt Iudæis: idcircò de Iudæis non dixit, ecce pastores. Ita Christus miratur de Centurionis fide, & Chananææ, & Samaritani leprosi mundati, nõ autem ita de alijs Iudæis per fidem ad se venientibus: imò de regulo conquestus, dixit: *Nisi signa & prodigia videritis, non creditis.* Denotat quoque rem præsentem, & in promptu: nam statim post Christum natum stella illis visa est, & sese ad iter accinxerunt: alioqui in Bethleem Christum nequaquam inuenissent. Qua festinatione docent nos, statim, vt apparuerit stella diuinę inspirationis, siue vocationis, ductum vt eius sequamur, quocunque illa præiuerit. Hinc pulchrè sapiens ait: *Non tardes conuerti ad Dominũ, & ne differas de die in diem.* Dicendum quæ vox sit Magus, quidque significet: Deinde an hi Magi essent Reges, & Sacerdotes, vt quidam volũt; item quot essent numero, quæq; essent illorũ nomina: Postremò vnde & quorsum venerint.

Ad primum hæc vox, Magi, secundùm aliquos Hebræa est à verbo הגה, quod est meditari addita heemantica, mem, vt magi sint meditantes & sapientes. Secundũ alios autem vox Persica est, vt & ipsi qui venerant, Persæ erant siue Chaldęi, vt dicemus. Quemadmodum enim Satrapa, gaza, & paradisus, voces sunt Persicæ, atque ex illis in Græcam, Latinamque linguam translatæ sunt; ita etiam vox Magus, & teste Beato Chrysostomo in 2. homil. operis imperfecti in Matthæum: silentes interpretantur, quod silentium & quietem agerẽt, vt commodiùs philosopharẽtur, siue quod discipulis Indicerent silentium per quinquennium, vt Pythagoras. Propriè autem hæc vox significat eum, qui sapiens à Romanis dici-

Explicatur illud: Donec veniat, qui mittendus est.
Schiloach Hebræis quid.
Exod. 4.
Esai. 16.
Thargum.
Onchelos.
Idem.
Cyprian. lib. 1. in Iudæ. c. 21.
Orig. tom. 1. initio
Iust. mar. to. 1 iuxta init.
Iudæi hunc locum vt corruperint.
3. Reg. 4.
Huius vocis Schilo apud Hebræos varia significata.
Iudic. 18. & supra alibi.
Rab. Salomon
Significatus omnes illos vocis Schilo Messiæ conuenire.

Admiranda Magorum fides, vnde colligitur.
Rom. 8.
Nobiles & diuites quid impediat ne se tardet a Christi sequela.
Luc. 2.
Matth. 8.
Infra 15.
Luc. 17.
Matth. 8.
Ioan. 4.
Magorũ quid nos doceat festinus ad Christum aduẽtus.
Eccl. 5.
Magus quam sit vox.
Magus quid propriè.

[*Porphyrius. Diog. Laër. Magia duplex.*]

dicitur, à Græcis Philoſophus, Scriba à Iudæis, ab Ægyptijs Propheta, à Gallis Dryida, ſiue Druida, Chaldæus ab Aſſyrijs, ab Indis Gymnoſophiſta, ſiue Brachmana: vt autores ſunt Porphyrius, & Diogenes Laertius in 1. cap. de vitis Philoſophorum. Duplex eſt enim magia, altera naturalis, & ſuperſtitione carens, dæmonumque commercio, quam fortè iſti profitebantur, de quibus Laertius teſtatur:

[*Idem. Magorum officia ſecundũ eundem.*]

Chaldæos item circa aſtronomiæ rationes, prædictionesq́; occupari, Magos deorum vacare cultui, ac preces illis & vota, ac ſacrificia, quaſi ſoli ab his exaudiantur, offerre, ſigna & ſtatuas reprehendere, & eos qui putant deos eſſe maſculos vel fœminas: & magica illos diuinationis ignaros tradit Ariſtot. in libr. Μαγικῷ. Hæc ille.

[*Ariſtot.*]

Ex quibus verbis habes, illos diuinis vacaſſe quaſi ſacerdotes, populumque in his quæ ad Deum ſpectant, inſtituiſſe. Altera verò ſpecies magiæ eſt, quæ Græcis γοητεία, & alia honeſtiori voce theurgia dicitur, quæ falſa & ſuperſtitioſa eſt ſcientia, dæmonumque inuocationibus, & falſis aſtrorum diuinationibus incumbẽs. Et quoniã apud Chaldæos vigebat hæc ars, Chaldæi dicuntur & Planetarij, id eſt, errantes, & in errorem alios mittentes. Non erant tales Magi iſti, nimirum malefici, vt Chryſoſtomus docet, de quibus meminit Euangeliũ, ſed prioris magiæ profeſſores. Vnde Porphyrius Magum vocat, id eſt, diuinorum interpretem. Cic. lib. de diuinatione: *Omninò, inquit, apud veteres, qui rerum potiebantur, ijdem auguria tenebant. Vt enim ſapere, ſic diuinare, regale ducebant. Vt teſtis eſt noſtra ciuitas, in qua & Reges augures, & poſtea priuati eodem ſacerdotio præditi, rempublicam religionum autoritate rexerunt.* Et infra: *Et in Perſis augurantur, & diuinant magi, qui congregantur in fano commentandi gratia, atque inter ſe colloquendi: quod etiam idem vos quondam facere Nonis ſolebatis. Nec quiſquam Rex Perſarum eſſe poteſt, qui non ante Magorum diſciplinam, ſcientiamq́; perceperit.* Sic illè. Plato verò in Alcibiade, Zoroaſtris magiam non aliud quàm diuinorum ſcientiam docet, quam Reges Perſarum filijs tradebant, vt benè rempublicam gubernarent. Philo libr. de ſpecialibus legibus ait: *Veram quidem illam magiam, hoc eſt perſpectiuam ſcientiam, per quã naturæ opera cernuntur clariùs, vt honeſtam, ex petendamq́; non plebeij ſolum ſectantur, ſed etiam Reges Regum maximi, præſertim Perſici, tam curioſi harum artium, vt regnare nõ liceat, niſi cum magis verſato familiariter.* Plinius tres artes complecti magiam docet, Phyſicen ſcilicet & Metaphyſicam, & Aſtrologiam, & Magiam imperare regum regibus

[*Γοητεία ſeu Θεουργία quid. — Chaldæi & Planetarij vnde dicti. — Chryſoſt. hom. in Matt. 6. & 7. to. 2. initio. — Porphyrius. — Cicer. lib. 1. de diuinatio. — Magiæ naturalis ſtudia vbi maximè floruerint. — Plato. — Philo. p. 2. Magi olim apud Perſas ſoli regnabant, teſte Philone. — Plin. li. 30 c. 1. Magia quibus artibus conſtet.*]

in Oriente. Etſi eo loco Orientalium magiam improbet. Iuſtinus martyr lib. quæſtionum à gentibus propoſitarum aſſeuerat, Apollonium Tyanæum magum experientia veræ magiæ multa admiranda opera effeciſſe. Verba Iuſtini ſunt hæc: *Ac miracula quidem à Moſe præſtita, vt quæ diuina vi & efficacia eſſent præſtita, per tranſmutationem eius, quod ſubiectum erat, in naturam eius, quod perficiebatur, ſunt facta. Quæ autem incantatores edidêre, dæmonum operatione ſunt exhibita, oculos ſpectantium præſtigijs decipientium: vt ſerpens qui non eſſet, tanquam ſerpentem: & qui ſanguis non eſſet, quaſi ſanguinem: & quæ ranæ non eſſent, veluti ranas cernerent. Siquidem Apollonius, vt vir naturalium virium peritus, & rerum quæ in eis ſunt, tum repugnantia, tum cognationes ſciens, eiuſmodi ſcientia effectus edidit, non diuina id poteſtate fecit. Quam ob cauſſam in effectibus omnibus opus illi fuit congruentis materiæ aſſumptione, ad id quod efficiebat complendum, ipſum opera ſua adiuuantis. Saluator autem noſter Chriſtus miracula diuina potentia ſua exhibens, haudquaquam materia indigens fuit, ſed iuſſiones atq́; prolocutiones eius conſequebantur, & conſequuntur res ipſæ.* Hæc ille. Hieronymus verò in Danielem ſic inquit: *Quos nos hariolos, cæteri* ἐπαοιδοὺς *interpretati ſunt, id eſt, incantatores. Ergò videntur mihi incantatores eſſe, qui verbis rem peragunt. Magi, qui de ſingulis philoſophantur. Malefici, qui ſanguine vtuntur & victimis, & ſæpè contingunt corpora mortuorum. Porrò in Chaldæis,* γενεθλιαλόγους *ſignificari puto, quos vulgus mathematicos vocat. Conſuetudo autem & ſermo communis, magos pro maleficis accipit: qui aliter habentur apud gentem ſuam, eò quòd ſint Philoſophi Chaldæorum: & ad artis huius ſcientiam reges quoque ac principes eiuſdem generis omnia faciunt:* & reliq. Idem lib. aduerſus Iouinianum: *Eubulus, inquit, qui hiſtoriam Mithræ multis voluminibus explicuit, narrat apud Perſas tria genera Magorum: quorum primi qui ſint doctiſſimi & eloquentiſſimi, excepta farina & olere, nihil amplius in cibo ſumere.* Idem epiſtola ad Paulinum, initio: *Apollonius, ſiue ille Magus, vt vulgus loquitur, ſiue Philoſophus, vt Pythagorici tradunt,* & reliq. Hæc ille. Ex quibus omnibus vides duas ſpecies magiæ: & alteram ab errore vacuam eſſe confirmans author operis imperfect. in Matthæum: *Qui ſunt Magi? inquit, Viri Orientales, qui venerunt à Perſide. Magi enim apud illos non malefici, ſed ſapientes intelliguntur.* Hæc ille. Quare cum Origenes hanc ſpeciem magiæ non vituperaſſet, ſed laudaſſet, immeritò eſt à Theophilo Alexandrino reprehenſus. ait enim, *Confundatur Origenes, qui inter cætera flagitiorum genera, quæ confingit, magicis quoq;*

[*Iuſtin. martyr li. quæſt. q. 24 & 26. tom. 3. — Exod. 7. — Quæſt. 24. — Apollonij Tyanei admiranda opera qua vi perfecta. — Chriſti miracula qualiã illa. — Hieronym. in Daniel. cap. 2. ab init. to. 5. ſub finem. — Harioli, incantatores ſiue, magi, ac malefici, quid inter ſe differant. — Idem lib. 2. aduerſ. Iouin. longiuſculè ante med. to. 2 ſub initium. — Apud Perſas tria genera Magorum. — Idem tom. 1. — Aut. oper. imperf. in Matt. hom. 2 to. 3. operum D. Chryſoſt. — Theoph. Alexand. l. 1. Paſchali. — Origenes immeritò reprehenſus ob laudatum vtilis magiæ ſtudiũ. — Origen.*]

artibus patrocinium tribuens in tractatibus suis, his locutus est verbis: Ars magica non mihi videtur alicuius rei subsistentis vocabulum, sed & si sit, non est opus mali, nec quod haberi possit contemptui. Hæc dicens, vtique fautorem se esse demonstrat Elymæ magi, qui Apostolis repugnauit, & Iannæ, atque Mambræ, qui Moysi magicis artibus restiterunt. Hæc ille. Sed cùm Origenes frequenter Magorum maleficia detestetur, præcipuè super librum Numerorum, non est quod malum de Origene suspicemur. Tales erant Magi isti minimè superstitiosi, aut diuinatoriæ astrologiæ vanitatibus deditis: nam tales indigni fuissent, qui vel quærerent Christum, vel quæsitum inuenirent, ne dicam, adorarent. Quod si dicas, ante Christum ipsis cognitum dici magos, secus, postquàm illum adorarunt. Repugnat textus ipse huic dicto: nam eos post adorationem vocat Magos, dicitur enim: *Tunc Herodes videns quòd illusus esset à Magis, &c.* Ex quo Tertullianus libro aduersus Marcionem testatur, quod secundùm ordinem suum, & statum essent Philosophis excellentiores. Et profectò ratio non patitur, vt qui fidem habebant venturi Messię, & tantis itinerum periculis se pro eo adorando exponebant, vt inquam superstitiosi magi dicantur. Quod si quis de Magis plura nosse desiderat, legat Cœlium Rhodiginum, & Augustinum Steuchum lib. de perenni philosophia. Verùm cùm hi Magi (vt fieri solet) ad superstitiosa & curiosa declinauerint, & illicitis dæmonum pactis sese immiscuerint: factum est, vt magorum nomẽ pro maleficis vsurpari cœperit, quomodo etiam astrologia, quæ magiæ pars est: cùm prius esset idẽ quod astronomia, cœpit pro iudiciaria vanitate accipi. Ita etiam nomine Sophistæ, & tyranni inuidiam apud Græcos abire cœpit. In sacris tamen literis hoc nomen magorũ, & benè, & malè accipi consueuit. Dicitur enim in Leuitico: *Non declinetis ad Magos, & ab ariolis aliquid sciscitemini.* Et infrà: *Anima quæ declinauerit ad magos, & ariolos,* pro malefico accipitur. Sic dicitur in Actis Simon Magus, Elymas Magus, & quidam magicas artes sectati ad fidem conuertuntur, & eorum libri exuruntur. In bonum autem accipitur hoc nomen apud Danielẽ, vt ratio textus insinuat: quia ad somnium Regis interpretandum vocantur Magi, & malefici, & Chaldæi, vbi magi à maleficis distinguuntur. Hieronymus etiam ibidem testatur, magos esse, qui de omnibus philosophãtur. Dictio verò Hebræa, quam Hieronymus vertit semper per nomen magi, vt Santes Pagninus ex Rabbi Dauide producit, propriè astrologum significat. Hoc ergò loco magus in bonam partem accipitur. Hactenus de primo membro.

[Margin: Act. 13. 2. Tim. 3. Idem hom. 13. super Nume. — Tertul. lib. 3. aduer. Marcion. circa medium. — Celius Rhodig. l. 3 c. 12. Aug. Steuch. li. 1. de peren. philoso c. 3. — Vnde factum sit, vt magorũ nomen pro maleficis vsurpari cœperit. — Leuit. 19. — Infrà 20. Vbi scripturarum illud benè sonet. Act. 8. Infra 13. Infrà 9. Dan. 2. — Magi qui Hieronymo, Hebræis quid propriè. — B. Hieronym. in c. Dan. 2. tom. 5. Santes Pagni.]

Circa secundum, non est dubium illos fuisse sapientes iuxta proprietatem vocis. Et erant apti ad regnandum: quoniã sapientia maximè conuenit regibus. Nam & Salomon sapientiam ad regnandum præ cæteris regibus à Deo postulauit, & de Messia inquit Propheta: *Regnabit rex, & sapiens erit:* & Plato aiebat beatas fore respublicas, si aut sapientes regnarent, aut Reges philosopharẽtur. Natura etiam duce, vt ait Philosophus, qui sapientia præstant, alijs præesse debent. An autem hi Magi fuerint Reges, nec ne, in dubium est à quibusdam reuocatum: ob id videlicet, quòd scriptura rem tantã minimè siluisset, cùm id ad Christi gloriã maximè faceret: & quia Scripturæ, quæ prædicunt Reges cum muneribus ad Christũ venturos, non videntur ad literam loqui de aduentu Magorum horum. Veteres quoq; patres, reges istos non vocarunt: rectè tamen hos dici admittunt, eò quòd essent potentes, & propter suam insignem sapientiã soliti essent regibus Persarum astare, qui eorum consilio cuncta gerebant. Vnde in libro Esther septem sapiẽtes de more regio semper astabãt Assuero Persarum regi, Duces Persarum atque Medorum, scientes leges, ac iura maiorum.

[Margin: Hosce tres Magos verè sapientes fuisse. — 3. Reg. 3. 2. Paral. 2. & Sap. 7. Hierem. 23. Plato. & alibi, to. 3. Arist. lib. 3. politico. c. 3. — Rationes quorundã ad probandum hos tres Magos, reges minimè fuisse. — Esa. 71. — Esther. 1.]

His tamen non obstantibus contrarium multis, & pijs, & probabilibus argumentis demonstrari potest. Nam & à scriptura in primis illud non obscurè dictum est, ait enim Dauid: *Reges Tharsis, & insulæ munera offerent: Reges Arabum & Saba dona adducent.* Adhæc Isai. *Ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui.* Vocat autem splendorem ortus tui, stellam, quæ Magos in Bethleem adduxit ad Christum puerũ adorandum. Rursus in eodem contextu subdit Isaias: *Omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes, & laudem Domini annunciantes.* Quia enim regnum totum in rege consistit, & tota respublica in legatis suis ad principem missis nititur: simili ratione Sabæi omnes dicuntur venisse, quia eorum oratores ad Christum adorandum venerunt. Idem etiam docet traditio Ecclesiæ, quæ loca citata ex Prophetis ad hosce Magos accommodat, de ijsq; intelligenda sua autoritate interpretatur. Ad idem valent picturæ Ecclesiasticæ, prę sertim autoritate & vetustate commendatæ. Etsi ergò in Euangelio reges non dicantur, satis tamen est, alibi in scriptura reges appellari. Sicut nec liber Iob tradit, eius tres amicos reges extitisse; sed hoc liber Tobię expressi. Vnde, &

[Margin: Hos Magos reges fuisse multis argumentis colligitur. — Psal. 71. Isai. 60. — Splendorem ortus quem vocet Isaias. II. Argum. — III. Argum. — IV. Argum. Tob. 2. — V. argum. à Patribus sumptum. Ambros. lib. 1. de offic. c. 12. tom. 1. in tio. Tertul. li. aduers. Iudæos, c. 6. ante med.]

de,& ipsi magi videri possunt, si eorum in disputando scientiam quis perpendat, vt dixit Ambros.lib.de officijs. Idem quoq; tradunt Patres, Tertullian.lib. aduersus Iudæos ait: *Accepit Christus infans virtutem Damasci, & spolia Samariæ. Maneant enim Orientales illi Magi, infantiam Christi, vt regem auro, thure, & myrrha remunerantes, & accepit infans virtutem Damasci sine prælio, & armis*, & infra ex Psalm. *Reges Arabum, & Saba munera afferent illi*. Nam & Magos reges ferè habuit Oriens, & Damas. Arabię regio deputabatur. Eadem prorsus dicit lib. aduersus Marcionem. Idem docet Cyprian. ser. de Baptismo; Hieronymus in Psalmos; Augustinus lib. de mirabilib. sacræ scripturæ, Chrysost. in opere imperfecto in Matthæum his verbis: *Oportuerat namq; eos continuò sentire, quantum sibi esset additum dignitatis, de tanti scilicet natiuitate regis, qui Persarum ad se regem ortu suo triumphante traxisset*. Quę verba Chrysost. non nisi durè ac violenter exponuntur, quod Magi nonnisi Persarum regis consensu atque iussu venerint ad adorandum Christum. Et Theophylact. reges Persicos vocat. Indicat, & ratio: Nam, vt diximus ex Cicerone, Persarum rex nemo esse poterat, qui non magicam scientiã percepisset, & ex Plinio, magia in Oriẽte regũ regibus imperabat, nihil mirum est, istos Magos reges fuisse. Cumque hoc magis ad Christi gloriam illustrãdam spectet, & ad hæreticos reuincendos, qui hoc, vt inuentum Papistarum negant, magis faciat, non video cur debeat hoc reprobari. Maximè cùm Ammianus Marcellinus scribat, ex hoc Magorum semine septem post mortem Cambysis Persicum regnum inijsse, qui Darij factione fuerunt oppressi. Erant isti reges, vel potiùs reguli, domini oppidorum, & vrbium singularium; vt barones, comites, marchiones, duces, ac principes sunt in regno Neapolitano, & quales multos olim habebat Hispania. Et tres amici Iob Tobiæ 2. dicuntur reges, & Iosue 12. legimus 31. reges ab ipso interfectos. Iudicũ verò 1. cap. 70. *reges præcisis manuum ac pedum summitatibus comedebant sub mensa mea ciborum reliquias*. Totaq; Cælesyria numerat 17. tetrarchias, lib. 5. cap. 23. & Decapolitana quæ parua erat prouincia, sex tetrarchias habebat, quæ instar regnorum erant, cap. 18. Plinij: erantque isti reges velut tetrarchæ. Plutarchus in Lucullo Tygranis Armenij factum describens, qui paulò ante Christum in Asia floruit: *Ministrabant ei permulti reges, quorum alij velut pedisequi astabãt, & pedestres equitanti interiores tunicas induti accurrebant ei*. & infra ait: *Erat insana viri temeritas, cui tot populi, tot reges, tot peditum legiones, & equitum millia animos attollebant vnde subijt quòd reges regum vocarentur*. Hactenus ille. Extat & Claudiani Epigramma, vbi Magos Reges vocat, cuius ferè initio ait:

Idem li. 3. aduers. Marcion. circa med.
B. Cyprian.
Hieronym. in Psal. 71. 10. 8.
Aug. lib. 3. de mirabilib. sacræ script. ca. 4. tom. 3.
Chrys. hom. 6. oper. imperf. in Matth. circa med. 10. 2.
Theophyl. in Matth.
VI. Argum. ab ratione ipsa.
Cicer. lib. de diuinatio.
Plin. lib. 30. cap. 1.
Ammian. Marcel. li. 23. paulo a med.
Claudian. in epigrammate de Christo.

Dant tibi Chaldæi prænuntia munera Reges,
Myrrham homo, Rex aurum, suscipe thura Deus
& reliq.

Cur Magi ab Herode minus forsan honorificè excepti fuerunt.

Quod si Magos parum honorificè exceperit Herodes: hoc aut Herodianum fastum arguit, aut Romanam gloriam. Indignum verò est, magni Regis tumorem in minutorum inuidiam, odiumque conuertere.

Cur Magos potius quam Reges Matthæus appellauerit.

At dices; Cur potiùs Matthæus Magos eos, quam Reges nominauit? Quia nimirum magis è re nostra, & Dei erat, vt sapiẽtes de Christo redderẽt testimonium, quã reges: Reges enim plerunque ignari & imperiti sunt, aliorumque sententiam sequuntur, & cùm sapiunt, sapientium reguntur consilio. Maius ergò est testimoniũ, quod datur à sapientibus, quàm quod à regibus. Deinde vt ostendatur, quàm sit æquum, & conueniens, vt qui rex futurus est, sapiens sit, quique alios sapientes gubernaturus est, sapientia qua cæteros gubernet, & regat, antecellat. Præterea coram summo Christo Rege nullus fidelium vocari rex debet: Vt enim coram sole stellæ remittũt lumina sua, sic coram Imperatore Christo regium nomen cessat. Ampliùs qui primi à Deo desciuerunt, sapientes fuerunt: dæmones enim à sapientia nomen habent: ita qui primi Deum quæsierũt, sapientes sunt: quippe Magi, sapientes interpretantur. Dæmones igitur ceciderunt, Magi resurgunt; vt intelligamus, sicut nihil esse periculosius sapientia sibi relicta, ita nil conducibilius sapientia diuino lumine illustrata. Non omittendum tamen esse duxi, quod Herodotus Magorum gentem non in Perside, sed in Media collocat: Plinius quoq; *Persia*, inquit, *habet in extremis finibus Laodiceam, ab Antiocho conditam: Inde ad Orientem Magi obtinent Passagardas castellum, in quo Cyri sepulchrum est. Et horum Ecbatana oppidum translatum ab Dario Rege ad montes*. Certè Ptolemæus in sinu Persico assignat peculiarem locum, quem sinum Magorum vocat: vt Magos, sicut & Chaldæos non tam artis, quàm ex gentis vocabulo fuisse nominatos colligas. Verùm prior sententia solidior est, & plures ex antiquis habet assertores.

II. Ratio.
Qua nihil sapientia periculosius, eademque qua conducibilius nihil.
Magorum regio vbi sita.
Herod. lib. 3.
Plin. lib. 6. cap. 26.
Ptolom.

Tres Magos sacerdotes quoque fuisse vnde constat.
Hysto. Tripar. l. 3. c. 2. in initio.

Deinde tradunt nonnulli, hos Magos fuisse gẽtilium sacerdotes. Nam illud insinuare videtur historia Tripartita, quæ Magis sacerdotium tribuit, his verbis: *Hoc autem*

tem factum (nempe quod Persæ fieri et Christiani, haberentque Ecclesias & sacerdotes) *Non mediocriter contristabat Magos, qui religionem Persarum veluti quadam sacerdotalis tribus per successionem generis ab initio commissam habere noscuntur.* Hæc ibi. Et L. Apuleius tradit inter Persas vocari solitos Magos, eos qui essent apud eos sacerdotes. Quadrat autem his, quæ diximus ex Porphyrio, Diogeneque Laertio: Namque Magi erant diuinorum interpretes, docebantque de diuina Deorum generatione: offerebant preces & sacrificia, quod est ministerium sacerdotum. Ità etiā Cicero superius à nobis productus docet illos in fanū docendi gratia, & colloquendi conuenire solitos. Atq; idem confirmari etiam potest ex sacris literis, quæ tradunt, regnum repugnare minimè sacerdotio. Melchisedech enim, Rex Salem fuit, Deique summus sacerdos. Poeta quoq; Latinus de Anio Rege sic cecinit:

Rex Anius, rex idem hominum, Phœbiq; sacerdos,
Vittis, & sacra redimitus tempora lauro.

Heli, atque Samuel Sacerdotes, vel Leuitæ fuerunt, & iudices populi Dei: Machabæi de genere sacerdotali, per multos annos Iudææ regnum obtinuerunt. Christus Dominus regia & sacerdotali præditus fuit dignitate: quanquam eius regnum magis spiritale fuerit, quàm temporale. Neque illa duo, sacerdotium, & regnum diuisit Christus, propterea quòd suaptè natura sibi inuicem repugnent & contradicant: verum quia tale sacerdotium, quale illud est Noui Testamenti, haud decet cū regno esse coniunctum, quemadmodum nec aurum cum plumbo, lutove. Indignum est enim spiritualia tractantem, secularibus immisceri curis, vt Paulus docet. Interdum etiam requirunt hæ potestates, & gradus oppositas functiones, ac valdè sæpè diuersas. Nam regibus ex officio incumbit effusionem sanguinis alieni haudquaquā vereri; at sanguinis proprij effusionem sacerdos gloriosam ducere, diuina lege tenetur. Ille seueritate, hic clemētia clarere debet: diuitias ille, hic paupertatem, ille gloriam, hic gloriæ contemptum colit: ille seruos & milites: hic lachrymas, precesq; pro armis debet habere. Sed quoniam fragilitate humana fit interdum, vt quis magis glorietur de ministerio temporali, quàm de spirituali; cùm tamen hoc principale sit, illud verò consequens atq; aduentitium, quod perinde est, ac hominem gestantem torquem auream, magis gloriari in calceo, quā torque. Ideò simul in vno & eodem cōsistere ægrè possunt. Ergò quemadmodum obedientia & charitas duo illa officia aliquando coniungit, sic ambitio suis finibus non contenta, interdum regem, vt vsurparet officia sacerdotis, impulit, vt testantur sacræ literę: interdum verò sacerdotem occupare regnum, quod absurdius est: siquidem à gradu superiori ad inferiorem venire, est descendere. Vtcunque autem res habeat, certè cū vtraque potestas in vnum & eundem hominem concurrit, danda est opera, vt quēadmodum corpus ex coniunctione, quam habet cū anima, illustratur & viuit, nequaquam verò è conuerso anima à corpore accipit; ita regnum à sacerdotio animari & ornari debet, non autem sacerdotium à regno. Et hactenus de secundo.

Iam de tertio. Quot numero fuerint hi Magi, non exprimit Matthæus: tres tamen fuisse, scriptura innuere videtur, quæ ter nominat reges. Nam in prædicto Dauidis loco ter reges appellantur plurali pro singulari sumpto: *Reges, inquit, Tharsis, & insulæ munera offerent: Reges Arabum, & Saba dona adducent: & adorabunt eum omnes reges terræ.* Est etiam hic numerus primus multitudinis ad mysterium Trinitatis repræsentandum aptus. Idem quoq; comprobat munus quod obtulerunt triplex, aurum, thus, & myrrha, idem patrum traditio docet. Hinc Leo serm. 1. & 4. & in 5. ter. & in 7. & 8. tres fuisse tradit. Idem picturæ Ecclesiasti æ cōprobant. Idem postremò ab eorum corporibus, quæ tria Coloniæ Agrippinæ magna cum veneratione asseruantur, planum fit, atque perspicuum. Quod ergò author operis imperfect. in Matth. homil. 2. docet fuisse duodecim, haud est adeò receptum, vel testatum, nisi velimus benignè interpretari, illos nō venisse solitarios, sed conuenienti stipatos comitatu, qui ad numerum duodecim peruenisset, præter dromedarios: namq; huiusmodi potiùs reguli erant quàm reges.

Nomina autem eorum, vt testatur Zacharias Chrysopolitanus in harmonia sua Euangelica, Hebraicè quidem sunt Appellius, Amerius, Damascus, Græcè verò Μαγαλάθ, Παγγαλάθ, Σαρακίν. Sed profectò hæc, conficta sunt ab aliquo nebulone, & meræ nugę, quibus impositum est illi bono patri. Propria verò & recepta vocabula sunt; Balthasar, Gaspar, Melchior (vt traditio habet, & historia docet scholastica) quæ à Chaldæo idiomate ac Persico minimè sunt aliena vel peregrina; neque ratio aliqua est cur fingerentur hæ voces.

Ad quartū. Dicuntur venisse ab Oriente, non absolutè ab Oriente extremo, quia esset distantia per leucas 2400. nec po-

t uissent

Marginalia (left): L. Apuleius Apologia 1. — Eadem confirmatur traditio à Magorum officijs. — Porphyrius. Diog. Laer. Cicer. lib. 3. de diuinat. — Vbi docerent Magi, atq; inter se consultarent. — Gen. 14. — Virg. lib. Aeneid. — 1. Reg. 2. Infra 12. 1. Mach. 2. — Spiritale, non temporale cur fit regnū Christi. — 1. Tim. 2. — Regia & sacerdotalis dignitas, & officiū in quo distinguantur. — De ministerio temporali potiùs quàm spirituali gloriantes, quid facere videantur.

Marginalia (right): 2. Paral. 26. — Cui regia simul & sacerdotalis dignitas inest, quid ille præstare debeat. — Hos reges numero tres fuisse. — Psal. 71. — Ternarij sacramentum numeri. — Leo Pap. — Magorum vbi corpora asseruentur. — Aut. oper. imperf. in Matt. tom. 2. operū D. Chrysost. Illos duodecim fuisse secundum aliquos, vt veri. ... 60. — Quæ fuerint Magorum nomina. — Zach. Chrysopolitanus. — Histor. schola. c. 8. — A quo Oriente venerint Magi Hierosolymam.

fuissent iumenta alioqui velocissimi cursus tātam absoluere viam, 13. diebus, & tam velox motus causa interitus extitisset. Nec rursus ab angelo portati fuerunt miraculo, vt Remigius docet: quemadmodum Habacuc per Angelum in Chaldæam breuissimo tempore delatus est: Quoniam non esset opus stella dirigente, si per angelos delati fuissent: nec rectè de illis diceretur quod venerunt Hierosolymam, sicut dicitur de Simeone, quod venit in Spiritu in templum. Adhęc per aerem in Bethleem deducti vlla sine interrogatione fuissent in regia ciuitate de Rege nato facta: nec opus erat tot diebus ad conficiendum iter. Ratio item suadet, vt absque vrgenti caussa miracula ne multiplicentur: Frustra enim fit per plura, quod potest fieri per pauciora, vt docet Aristoteles: Cùm tamen hi Reges naturaliter, & sine graui labore breui tempore venire potuerint. Præterea peccat hæc positio, quæ asserit, Orientem partem esse orbis, quæ opponitur Occidenti nostro.

B. Remig. in Matt. *Dan. 14.* Quomodo venerint. *Luc. 2.* Miracula non sunt sine ratione multiplicanda. *Arist. lib. 8. Topico. to. 1.*

Quod vt manifestius, explicandum est duplici modo Orientem posse accipi. Primo quidem modo, vt Oriens sit primus punctus horizontis ab ea parte ex qua Sol mouetur ad nos vergendo: Et cum non sit locus in orbe, vbi non sit Orientalis punctus alicuius Horizontis; non erit vllus locus, in quo Oriens non sit. Et idem de Occidente. Nihil namque loci est, in quo non inueniatur punctus Occidentalis alicuius Horizontis. Et sic vbique est Oriens atque Occidens: imò illemet punctus, qui est vni Oriens, est etiam alteri Occidens. Atque hac ratione nunquam sumitur in scriptura Oriens: quia nihil magis determinaretur, si diceretur, esse aliquid in Oriente, ac si diceretur esse in Occidēte, cum in eodem puncto sit Oriens, & Occidens respectu diuersorum. Alio modo capitur Oriēs magis largè, & tunc potest sumi, vel absolutè, vel relatiuè. Absolutè quidem dicimus Orientem, primam partem terræ habitabilis, quæ spectat Orientem solem: atq; hæc est India. Sumitur alio modo per respectum, qua ratione dicimus vnum locum esse ad Orientem alterius, nam quicūque locus magis vergit ad illam partem, ex qua sol oritur versus nos, vocatur magis Orientalis, quàm alius, etiam si non distet ab eo, nisi per vlnam, aut brachium: in priori verò sensu accepit ista opinio Orientē pro vltima terra habitabili atque Orientali, quæ India est.

Duplex est Oriens. Scripturis prorsus incognita cuius nam acceptio Orientis. Aliæ Orientis acceptiones consuetæ ac familiares.

Alia secunda sententia est B. Hieronymi aientis, hos reges venisse de extremo Orientis, siue de principio Indiæ, adiutos dromedarijs, quæ sunt animalia velocissima, atq; vno die cōficiunt iter, quod equus maximè pernicitatis tribus diebus valet perficere. Sed certè in hanc sententiam faciunt quam plurima, quæ demōstrant euidenter non solum 13. sed nec 30. dierum spatio tātùm iter posse confici: valdeq; afflicti atq; grauati fuissent hi reges tāta celeritate ambulantes, neq; dromedarij isti fuissent Madian, & Epha: vt Isa. testatur: sed potius dromedarij Indici, siue Orientales. Tertia sententia docet, Magos in Bethleē venisse post annum integrum, & diebus 13. neque tunc opus fuisset dromedarijs, quia tanto tempore facile erat etiam à principio Orientis ad Hierusalem vsq; peruenire. Sed opinio hæc falso innititur fundamēto, népè quòd accipit Orientem pro prima parte Orientali terræ habitabilis: nec opus erat tāto tempore, nam tam celeriter festinantes, ante finem anni iter emensi fuissent, nec post annum inuenissent Christum in Bethleem, quem adorarēt, imò nec post 40. dies, quia iam inde recesserāt in Hierusalem ad exhibendum in templo Christum Dominum, sed neque in Nazareth: iam enim inde Angeli voce admoniti in Aegyptū se recepissent. Cùm itaque Magi Christum inuenerint in Bethleem, nondum ergo transierāt 40. dies, nedum annus cum 13. diebus. Ex his minus verisimilis redditur, 4. sentent. Epiph. in hæres. 51. duos annos à Christo nato, Magos ad Christū adorandum venisse. Hanc sententiam sequuntur Zach. Chrysopolit. Iacob Faber, atq; Osiander hęreticus: cuius positionis caussę afferūtur duæ: Altera quod in die purificationis, non agnum tanquā diues, sed turturem, aut pullum columbæ obtulit: non ergo potuit mater inuenire pretium agni: atq; ideo thesaurum à Magis nondum acceperat. Altera caussa est, quòd Herodes mandauit occidi omnes pueros à bimatu, & infra, secundum tēpus quod exquisierat à Magis. Siquidem haud vero simile est, Herodem interfecturum pueros iuxta tempus stellæ, si ab eius ortu ad Magorum aduentum, nonnisi tredecim effluxissent dies. Et quomodo dixissent: *Vidimus stellam eius in Oriente?* significantes nō solùm regionem, in qua erant, esse Orientalē ad Hierusalem, sed ex ipso vero Oriente venisse, qui longo interuallo ab Hierusalem distat: ac propterea eguerunt multis mensibus, & annis aliquot ad veniendum. Verū hæc sententia priori est lōge improbabilior, ac rursus improbatur. Primo ex eo: *Cùm natus esset Iesus in Bethleem, ecce Magi ab Oriente, &c.* Sanè, si quando venerunt, fuisset

II. sententia quæ reijcitur. *Hieron. to. 9 in princ.* *Isa. 60.* III. Opinio, etiam minimè probabilis. *Luc. 2. & seq.* IV. sentent. *B. Epiphan. Zacharias Chrysopol. Iacob. Faber. Osiand. hær.* Magos ad Christum adorandum, venisse post biennium, opinantes, quibus se te illi rationibus adducantur. *Matth. 2.* I. Argumentum contra illam sententiam.

fuisset Christus anniculus, aut bimulus, Euangelista non dixisset: *Cum natus esset Christus, ecce Magi, &c* quod non de re tam sera, sed subita ac repentina, siue de proxima, vel præsenti dici solet: *Ecce*, vt Genesi vigesimoquarto: *Nec dum*, inquit, *intra se verba compleuerat, & ecce Rebecca egrediebatur*, & Ioannes: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, & Pœta:

Gen. 24.
Ioan. 1.
Virg. eclo. 3.

Audiat hæc tantum, vel, qui venit, ecce, Palæmon.

II. Argum.

Recens ergo natus erat Christus, quando Magi aduenerunt. Deinde, si Magi inuenerunt puerum in in Bethleem, ergo ante diem purgationis accesserunt, nam vltra id temporis Christus non fuit in Bethleem: vt enim inquit Lucas, capite secundo. *Vt perfecerunt omnia secundum legem Domini, reuersi sunt in Galilæam, in ciuitatem suam Nazareth, &c.* Cur enim reuerteretur in Bethleem, vbi locus non erat Virgini ad reclinandum infantem, nec eo venerant, vt morarentur, sed vt profiterentur in ciuitate sua?

Luc. 2.

I. Ratio diluitur aduersariorum.

Rationes etiam illius sententiæ debiles sunt, & infirmę, namque ad primam respondetur, liberalitatem, & beneficentiam Virginis fuisse in caussa, vt aurum acceptum erogaret in pauperes: vel prudentiæ fuisse, quę viaticum parauit profectioni in Aegyptum: nam si Ioseph ante purificationem de profectione in Aegyptum ab Angelo fuit admonitus, iuxta illud: *Qui cum recessissent, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph*. siue Magi oraculum per aliam viam ingrediendi, illi communicauerint, credibile est, prudentissimam Virginem iam inde quod ad fugam peregrinationem que opus erat, sibi prospicere cœpisse. Secunda verò ratio, quæ magis videtur vrgere: quod Herodes occiderit pueros ab bimatu, & infra, secundum tempus, quod exquisierat à Magis: quo loco videtur indicari, stellam ante biénium illis apparuisse. Non enim mox à nato Christo venerunt, nam statim recedentibus Magis, Herodes occidit pueros, ait siquidem textus: *Tum Herodes videns quod illusus esset à Magis, &c. Mittens occidit omnes pueros*, particula autê: *Tunc*, non minus significat rem præsentem ac proximam, quam vocula: *Ecce*, Respondeo in primis, vt Euthymius admonuit, quod illa oratio ad id, quod pręcessit, non est referenda à bimatu, sed solùm ad particulam, & infra, cui proximè est coniuncta, legendo in hunc modum: *Et mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethleem, & in omnibus finibus eius à bimatu*, & posita ibi hypodiastole, subdatur: *Et infra, secundum tempus quod exquisierat à Magis.* Quare non est intelligendum, peremisse bimulos secundum tempus exquisitum, sed tantum alios minimos, quibus solis apparitionis stellę tempus accõmodauit. Cur igitur bimulos occidit, si non secundum tempus stellæ? Respondeo eadem ratione, qua non solùm in Bethleem iuxta Prophetam, in qua natus est Christus, sed etiam in omnibus finibus eius: de quibus nil Propheta prædixerat. Vt ergo ex propria malitia ampliauit locum, sic ampliauit, & tẽpus. Prçterea probabile videtur, Herodem Romam euocatum, vt accusationi filiorum responderet, necem illam puerorum patrare distulisse, quam post reditum suum edidit: nam euocatus Romam fuit, vt scribit Iosephus lib. 16. antiquit. cap. 7.

Math. 2.
II. Ratio eorundem quam infirma.
Euthymius.
Herodes quomodo intelligendus occidisse omnes pueros secundum tempus quod exquisierat à Magis.
Mich. 5.
Ad illud, cur bimulos occidit Herodes, si non secundum tempus stellæ.
Ioseph. histor.

Quinta sententia est autoris super Matthæum, operis imperfecti, & Augustini in sermone particulari de Epiphania: quod stella apparuerit istis Magis per duos annos ante Christi natiuitatem, qua visa se ad iter compararunt, & à remotissimis partibus Orientis ad Christum tertiodecimo post ortum eius die peruenerunt. Cuius sententiæ rationem hanc adferunt: quoniã Herodes post recessum Magorum ab eis se videns illusum, mandauit occidi pueros à bimatu, & infra secundum tempus quod exquisierat à Magis.

V. sententia.
Aut. ope. imp. in Matt. ho. 2. oper. D. Chrys.
B. Aug. ho. 10.

Sed in hanc sententiam illud facit, quod per stellam, quę visa est illis, nouerãt Christum esse iam natum: dixerunt enim. *Vbi est qui natus est Rex Iudæorum? Vidimus enim stellam eius in Oriente, &c.* indicantes ortũ stellæ prænuntiasse factam natiuitatem. Deinde citiùs venire potuissent, quia vix vnius anni est iter. Et venientes, nondum nato Christo, essent illusi: vel defatigarentur expectando. Quod ergo Herodes occiderit pueros à bimatu, & infra, secundum tempus quod exquisierat à Magis: inde est, quòd ponebat puerum natum nondum fuisse ante ortum stellæ: qua in re diligenter instructus fuerat à Magis.

Refellitur etiã hæc opinio, de stella biennio Magis visa ante natiuitatem.

Ergo dicendum est, has omnes sententias in eo maximè peccare, quod per Oriẽtem intelligant extremas Orientalis Indiæ partes, cùm tamen iuxta veritatem dicendum sit, Orientem accipi relatiuè pro terris, quæ respectu Iudęæ erant Orientales. Sic enim diebus tredecim absque miraculo, vel graui labore iter illud emetiri potuerunt: quo quidem intellectu consueuit Scriptura accipere Orientem. Sic enim dicitur Genes. secundo: *Plantauerat autem Dominus paradisum voluptatis ad Orientem*, nempe ratione terræ Palæstinæ, nam creditur fuisse in Mesopotamia paradisus ille: narratur et-

VI. sententia, & vera.
Gen. 2.
Vbi creditur fuisse paradisus terrestris.

Gen. 4.
Infra. 25.

tur etiam habitasse Cain ad Orientalem plagam Eden: hoc est, in illa parte terrę, quæ respectu Eden, Orientalis erat: & Gen. 25. scribitur, Abraham separasse filios suos ex concubinis natos, à filio suo Isaac, ad Orientalem plagam: & tamen Isaac habitabat in terra Chanaan, Ismael verò inter Sur, & Cades in solitudine: vt ibidem perhibetur.

Isai. 11.
Quos prædari sint Iudæi filios Orientis, iuxta Pro.

Alij verò, vt Madian, & Epha, & Cepha filij Abrahæ, incoluerunt ciuitates ex ipsorum nomine nuncupatas, quæ propinquæ erant terræ promissionis: & tamen vocantur respectu illius Orientales. Item Isaiæ vndecimo dicitur, quod Iudæi prædabuntur filios Orientis, videlicet finitimas Orientales terras, siquidem alias extremas Indiæ patres, vtpotè distantissimas, non solū prędari, sed ne cognoscere quidem poterant. Iob etiam, qui habitauit in terra Hus Arabiæ proxima, dicitur magnus inter omnes Orientales, Genesis 13. Loth: *Elegit sibi regionem circa Iordanem, & recessit ab Oriente*, & Numer. 23. ait Balaam: *De Aram adduxit me Balac Rex Moabitarum de montibus Orientis*. Syria quoque 4. Regum 13. appellatur Orientalis, quæ nihilominus erat ipsi Chanaan terræ coniuncta. Atque hęc sententia, quam magno consensu multi doctores sequuntur, & inter alios beatus Thomas, & Nicolaus de Lyra, probabilior videtur, ac minus scrupulis patet. Nam siue Magi posteri fuerint Balaam, ac proinde ex Mesopotamia Orientali Iudæis, vt percensetur Numer. 22. in confinio Amonitarum, vt tradunt Chrysostomus, Hieronymus, Ambrosiusque: siue essent Sabæi, vel Persæ, seu Chaldæi, partem sinus Persici habitantes. Nam sinu in illo Ptolemęus in sexta Asiæ tabula ponit Magorum sinum: cui, & ipsum nomen Magorum adstipulatur: siue accesserint ex Arabia: quę sententia Iustini Martyris fuit in dialogo contra Tryphonem: & munera etiam illi attestantur: Dubitari nequit quin totum illud quod erat itineris decem diebus côficere potuerint. Nam distat Hierusalem ad Aram, 172. parasangis Persicis, Hispanisue: ad Vr verò Chaldæorum, 212. & cum Laban Iacob fugientem à Mesopotamia in Iudæam insequeretur, septimo die consecutus est illum in monte Galaad, qui est principium Libani: Et tamē Iacob secum ducebat greges ouium, vxores & paruulos. Laban verò non ante tertium diem fugam Iacob deprehenderat. Regio item illa dromedarijs abundat (quorum Isaias meminit, capite sexagesimo, & in illis venisse Magos, testatur Cyprianus sermone de stella, & Magis) quos vno die

Iob 1.
Gen. 13.
Num. 25.
4 Reg. 13.
B. Thom. in 3. p. q. 36. art. 6. tom. 12.
Nic. de Lyra.
Variæ sententiæ de ortu Magorum.
Num. 22.
Chrysost. ho. 7. in Matt. to. 2.
Hieron. ibid. tom. 9.
Ambr. lib. 2. in Luc. ca. 15 to. 5. Ptolem.
Iustin. mart. tom. 2.
Parasanga quot olim stadia complectebatur.
Gen. 31.
B. Cyprian.

mille stadia côficere affirmat Philostratus libro secundo, de vita Apollonij, & Aristoteles libro nono animalium, capite vltimo, asserit celerius illos currere, quam Nyseos equos.

Dromedarij vno die quot stadia conficiant.
Philostrat.
Aristot. to. 2.
Hieron.

Nec te moueat quod Hieronymus in capite secundo, & vigesimo quinto Hieremię, Chaldæam, ait, in Aquilonis parte sitam esse respectu Hierusalem: Nam quia inter Orientem, & Aquilonem sita est, interdum Aquilonaris, interdum Orientalis dicitur. Et de hac quæstione dictum sit hactenus.

Cur venerint ab Oriente Magi.
Gen. 3.
Rom. 5.
Damas. lib. 4. cap. 13.
Cur nos ad Orientem conuersi orare consueuerimus, teste Damasc.

Ab oriente igitur venerunt Magi: quandoquidem ibi primùm orta fuit præuaricatio, & idololatria, vt vbi abundauit delictum, superabundaret & gratia; & ibi fieret principium visitationis, & Ecclesię. Ideo Christus in cruce positus est, teste Damasceno, facie versa ad Occidentem, ad significandum, culpam in Oriente contractum, se post dorsum sum posuisse. Et ideo nos conuerti si ad Orientem, vt Christum nos spectantem intueamur, orare consueuimus.

Cur venerint Magi ad Christum adorandum.
II. Ratio. Magorum fides cum illa Abrahæ comparatur in quatuor.
Gen. 12.
Hebr. 11.
Gen. 12.
Gen. 15.
Rom. 4.
Gen. 15.
Iudith. 5.
III. Ratio aduentus Magorum ad Christum adorandum.

Quorum autem venerint, explicandum est. Nimirum venerunt ij, primùm, vt perspicua redderetur bonitas diuinę prouidentiæ, quæ non tantum Iudęos, sed etiam exteras nationes per fidem in CHRISTVM saluas facere instituit. Deindè quò illustris fides Magorum appareat: quę certè si non maior, par tamen illi Abrahæ fidei possit videri. Nam vt ille primò exijt de terra sua ad imperium Dei, sic isti solo ductu stellæ, nullo alio (quod quidem legitur) imperio diuino ad Christum venerūt. Ille confisus verbo Domini venit in terram quam nesciebat; sic isti in terram quam ignorabant. Deinde exijt Abraham, in spe quod esset futurus in gentem magnam: istis nihil tale est promissum. Imò cùm diuites, & sapientes essent domi suæ, omnibus tamen propter Christum adorandum ad têpus nudati sunt. Adhęc promissus est Abrahę Christus, in quem credidit, & reputatum est ei ad iustitiam: at isti non crediderunt tantum, verum etiam in regia ciuitate coram hominibus apertè confessi sunt: neque deterriti stabuli paupertate, squalore ac fœtore, eum adorauerunt. Denique Abraham egressus est de Vr Chaldęorum, fugiens imminens periculum ignis, quod nollet adorare eorum idola, vt dicitur Iudith 5. isti sponte, & sine necessitate egressi sunt de regno suo, & obtulerunt munera saluatori. Item venerunt Magi, vt fidem Christi profiterentur, in confusionem Iudęorum. Nam, vt olim Ionam prophetam

Iona 3. 4. Reg. 5. Luc. 4. 3. Reg. 17. Matth. 8. Infra 15.

neglectis filijs Israel, mittit ad Niniuitas, Heliseus vero sanitatem contulit Nahamā Syro, & Helias viduam Sarepthanam, alienigenamque miraculo pauit: nec non Christus Centurionis, ac Chananææ fidem laudauit, vt excitaret Iudęos, vel confunderet; Ita hoc loco hęc historia introducitur, vt Iudæi vel excitentur ad fidem, vel confundantur. Hinc Chrysostom. in hæc verba ait: *Quod de Niniuitis fecit Deus mittens ad eos Ionam: quod in Samaritana, atque Chananæa, hoc etiam fecit in Magis, & idcirco dicebat: Viri Niniuitæ & regina Austri surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam: quoniam illi quidem minoribus crediderunt, isti verò nec maximis.* Sic ille. Ergo futurum erat & gentilitas Christum sequeretur, Iudæa negligeret. Præterea Christus agnitus est à Magis, & à pastoribus; vt intelligas nemini suam paupertatem, vel suas diuitias impedimento esse, quin Christum agnosceret, Christumque non minus in salutem diuitum venisse quam pauperum.

D. Chrys. ho. 6. oper. imperf. in Matt. ante med. to. 2. ini. Ioan. 4. Matth. 12.

IV. Ratio, cur venerint Magi. Luc. 2.

In eo, quod ex Iudæis pastores tantummodo, ex gentibus vero reges venerũt ad Christum adorandum, quid fuerit diuinitus ostensum.

Illud quoque perpende, quod ex Iudæis rudes, & obscuri, id est, pastores, ad Christum natum adorandum venerunt, ex gentibus verò reges, & sapientes, vt in eorum aduentu pręluderet Spiritus Sanctus, quod futurum erat, nempe per paucos Iudæos Messiam suum agnituros, plurimos autem, & innumerabiles ex gentibus. Ita enim natura cõparatum est, vt cùm nobiles ac primarij viri Dei religionem sequuntur, populi omnes cõfestim ad eam accurrãt: cùm verò parui, & obscuri, difficillimè alij permouentur, & rarissimi sectantur. Atque hæc de quarto.

Cur Magi venerint Hierosolymam. Isa. 55.

Sequitur: *Venerunt Hierosolymam.* Regiam videlicet, & sacerdotalem ciuitatem, in qua probabiliter putabant eum delitescere. Sed falsi sunt longè. *Non enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ, neque viæ vestræ, viæ meæ, dicit Dominus.* Homines alta quærunt, Christus humilia, & quæ salutaria sunt. Bethleē elegit Dominus natiuitati, Hierosolymam morti. Neque verò isti timebant Herodē, quem intrantes nosse poterant Idumæum, & alienigenam: nec patrem esse Messiæ Regis Iudæorum, quem Deum credebant: putabantque Christum regem quem quęritabant, ipsis opitulaturum: *Ambulans quoque simpliciter,* vt scriptura inquit, *Ambulat confidenter: Et iustus sicut leo, confidens, absque terrore erit.* Vnde Chrysostomus homil. sexta, pulchrè ait: *Considera igitur horum, & admirare virtutem, non modo quia tam longi itineris subire laborent, sed etiam quia tam simpliciter, & liberè egere cum rege. Etenim ne subdolè missi ab aliquo putarentur, & ducem sui itineris produnt, & longinquitatem regionis fatentur, & fiduciam mentis ostendunt Venimus, inquit, adorare eum: Et neque tumultum populi atque clamorem, neque potestatem reformidant tyranni. Vnde mihi videntur isti etiam in regione propria facti esse postea ciuium suorum magistri. Qui enim nequaquam ista dicere timuerant, multò hæc ipsa liberius patriæ suæ hominibus prædicarunt: quippe præter stellæ iudicium habebant, & angeli responsum, & Prophetæ testimonium.* Hęc ille.

Herodem regem quare nõ timuerint.

Prou. 10.

Infrà 28. Chrys. to. 2.

Magorum magnanimitas & fiducia.

Dicentes: *Vbi est qui natus est Rex Iudæorũ?* Non dubitant an natus sit, norãt enim certò natum, nec an iure rex natus, necne, nouerant siquidem ex stellæ prodigio regem eum non solum Iudææ, sed vniuersi orbis esse: sed vbi, & qua in parte ciuitatis natus, vel quo in palatio delitesceret, non nouerant. Vbi primum vides fortitudinem, audentem confiteri coram hostibus ipsam veritatem, solet testimonium alienorum, & præsertim inimicorum maioris esse ponderis, & fidei, vt testatur Basilius sermone de natiuit. Deinde Magorum sapientiam perspicis, nempe fidem; dicunt enim: *Qui natus est Rex Iudæorum?* id est. Spiritu sancto vnctus ad regnum, & natus Rex, quoniam innocens, sapiens, & iustus. Et sicut natus est Rex, ita & mortuus est Rex, sic testatus est ille titulus super crucem scriptus, cùm Christus moreretur: *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum.* Regum ergo testimonio Christus nascitur Rex, & principi Pilati titulo Christus moritur Rex, contra quod consilium etsi insurgunt Iudæi, tamen persistit Pilatus: *Quod scripsi,* dicens, *scripsi.* Alij autem omnes etiam filij regum, & imperatorum, non sunt reges, donec iurentur, & acceptētur in reges. Quia verò Christus à Deo cõstitutus est rex, à tempore conceptionis, & post resurrectionem declaratum est, regnum ipsius esse planè spirituale, & diuinũ, sicut ipse dixit: *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra.* Propterea volentes eum regem facere, fugit & latuit, quia regnũ eius non erat de hoc mundo: id est, non pendebat ex electione, & voluntate hominum. Erat tamen Rex Iudæorum, scilicet credētium, & confitentium eum regem spiritualem: quę quidem fides, & confessio sine Dei beneuola voluntate, atque gratia ab hominibus nequit haberi. Et quoniam regnum est spirituale, nihil detrahit regibus sæcularibus; quin potiùs illos illustrat ac decorat: illis dando spiritum suum ad regna sua rectè administranda, ac finem nobilissimũ gloriæ Dei ostendendo, ad quē in gubernatione semper est collimandum *Vbi est qui natus est Rex Iudæorum?* Si ad pastores ve-

Num. 24. His verbis Magi tãtam quid postulent: Vbi est qui natus est Rex Iudæorum.

Basil. ho. 25. tom. 1. Magi qualem regem agnouerint Christũ, & venerati sint.

Ioan. 16.

Ibidem.

Quale regnũ Christi tantummodo.

Matt. vlt. Ioan. 6. Infra. 18.

Quorum rex sit Iudęorum Christus.

Temporalibus ille regibus quid conferat.

Luc. 2.

res venissent, poterat ab eis indicari, vt quibus erat ab Angelo indicatum, & ipsi viderant: at venerant ad Iudæos, bene habet: & ipsi possunt indicare, quibus indicatum sit à Prophetis. Horum dicta secuti, assequuntur, vt videant quem petunt, licet indicantes non viderint, vt prædicatores qui docent quæ non faciunt. Et sicut tunc Magis locutæ sunt scripturæ, sic nobis Prophetæ modò omnes loquuntur, & Christum ostendunt, verusque sensus earum nobis, & intellectus vnà cum scripturis traditus est, vt agnoscamus Christum. Sed Iudæi nobis nunc dicunt: *Vbi est qui natus est Rex Iudæorū?* Sed cum illi veniant, vt explorent, non, vt adorent, non agnoscunt Christum in humilitate, qua offenduntur, nempe quod præter spem ipsorum terrena contempsit, & tamen ipsi terrena amiserunt, quia regem suum repudiarunt. Nunc etiam illudunt Iudæi, cùm vident crucis titulum, & illic eis à Pontio Pilato, id est, gentili, & profano homine, indicatur vbi sit Christus Rex Iudæorum, vt qui assumptus à terra omnia trahat ad se ipsum: nisi illos qui terræ hærent, nec ab ea se subleuari sinunt. Et mirum sanè est: Magi Christum ad adorandum quęrunt, & inueniunt: Herodes quærit ad perdendum, & non inuenit. Ita, qui in scripturis quærit vnde discat auaritiā, & discat liberalitatem, & religionem pariter, & humilitatem, is Iesum inuenit, & adorat: visitationeque angelica ducitur in viam: qui verò quærit fomenta hæresis, vel peccatorum vitiorumque, quibus Christū interimat, se ipsum, non Christum, miser interimere potest.

udæi Christū natū in Bethleem Magis indicantes, nec videntes ipsi, quos figurauerint. *Matth. 13.*

Cur illi Christum non agnoscant.

Ioan. 19.

Christus quos trahat ad seipsum tantum modo. *Sapie. 12.*

Quid est quod Herodes Christum quęrens non inuenit; bene autem Magi.

Nos igitur Christum in scripturis quæramus, & in Ecclesia Dei quasi in altera Bethleem; quę vera est domus panis satiantis: stellamque ducem fidei sequamur, quæ tutos nos, & securos atque cum gaudio magno valde perducet ad cōtemplandam speciem celsitudinis Domini nostri Iesu Christi: qui cum Patre, & Spiritu sancto, viuit, & regnat in secula seculorum, Amen.

In qua Bethleem Christū quærentes inuenimus.

TRACTATVS XXXIX.

In illa verba: *Vidimus enim stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum. Audiens autem Herodes Rex, turbatus est, & omnis Hierosolyma cum illo.*

Matth. 2.

Ordo tractationis huius.

EXposuimus superiori tractatu quales fuerint illi Magi, & qualis sit ille locus Orientis, vnde profecti sunt; simul etiam tempus, quo ilud iter emetiri potuerunt; nunc de stella, quę illis apparuit, luculenter est philosophandum: dicendumque in primis quęnam fuerit, an vna de septem planetis, vel fixis, in firmamento octaua sphæræ; vel an esset cometes; vel cur non miserit Deus columnam nubis, & ignis, vt olim ad filios Israel; item de motu eius, atque directione Magorum: & quid fieret de illa, quando manebant in diuersorijs, & noctu quiescebant, vel quid actum est de ea, postquam stetit super locum, vbi erat puer. Deinde cur per stellam vocati Magi: item cur euanuit in ingressu Hierusalem. Postremò, an secūdum astrologos hęc stella aliquod haberet in natiuitate Christi dominium atque virtutem.

Exod. 13.

Ad primum dubium, vt docet Nicephorus Calistus lib. 1. cap. 13. haud erat planeta vllus, vel stella fixa in ijs, quę sunt in octaua sphæra: vt quidam opinati sunt quod his rationibus euincitur. Prima est, quoniā stellæ fixę atque errantes nunquam apparent nisi per noctem: at ista potius in die apparebat, quia tunc dirigebat Magos: nō enim est probabile illos de nocte semper ambulasse: & tamen si noctu, & interdiu pergerent, illa illuminassent, vt columna ignis, & nubis olim. Exod. 13.

Quænam fuerit stella quæ Magis apparuit.

Nicephor. Calist.

I. Ratio, ad probandum non fuisse planetam, aut vnam ex stellis fixis.

Secunda ratio: quoniam oportuit hanc talem apparere, vt intelligerent per eam aliquid nouum portēdi, ac proinde fuit necesse, distinctā ab errantibus, & fixis videri: cumque ideo tantum apparuerit, vt illa reges conspecta, illico ad Christum regem mouerentur adorandum; ideo si esset vna è stellis naturalibus, non haberent caussam, qua potius modò, quàm prius mouerentur ad veniendum ad Christum.

II. Ratio.

Tertia ratio est, quia illa Magos dirigebat in via; & tamen nulla de fixis, vel erraticis posset dirigere, quod mulę simul sint nec appareret quę illarū potius, quam alia, deduceret: stellę etiam mouētur motu circulari tum ascendendo, tum descendendo: hæc autem mouebatur motu recto, & plano, secundum rationem viæ: sicut viatores semper sunt in plano super terram: ita stella eodem modo, & pariter semper distabat à terra, atque vt posset viam monstrare, oportuerat illam valde esse propinquam terrę, propter multitudinem viarum, vt in binijs, triuijsue. Planetę verò, vel cęteræ stellę cū sint à nobis multum eleuatæ, haud possunt ostēdere vnam viam magis quam alteram, quod quælibet stella naturalis propter magnam eleuationem æqualiter videtur omnem viam rectam aspicere.

III. Ratio.

Stella Magorū cuius motus.

Planetæ, aut stellæ hæ, cur minus aptæ viatorum duces, & indices.

Quarta ratio: stellæ naturales mouentur motu continuo, & irrequieto: hęc autē motu interpellato, ac interrupto; & quiescen-

IV. Ratio.

tibus Magis illa quiescebat, cũ Magis sem-per ambulare non esset integrum: stellæ quoque naturales vna nocte mouentur ab oriente vsque ad occidentem: ista verò in 13. diebus nõ est mota, nisi à Mesopotamia, vel Perside, vnde veniebant in Bethleem vsque: mouenturque astra omnia motu conformi ab Oriente in Occidentem, vt apparet: ista verò mouebatur à Septentrione in Meridiem: quoniam Mesopotamia, vel Persis, Septentrionalis est Hierosolymæ, & Bethleem.

V. Ratio.

Quinta ratio: sydera vniformem apparitionem habent: at ista apparitionem habuit, & occultationem quasi voluntariam in ingressu Hierusalem: seruant etiam semper situm suum in cœlo: hæc autem descendit, & stetit supra locum vbi erat puer: vt testatur Euangelium: quod alijs stellis naturalibus congruere nequit. Vnde Augustinus lib. 1. contra Faustum Manichæum, cap. 5. ait: *Et ne nos quidem sub fato stellarum nullius hominis genesim ponimus, vt liberum arbitrium voluntatis, quo vel benè, vel malè viuitur, propter iustum iudicium Dei ab omni necessitatis vinculo vindicemus, quantò minus illius temporalem generationem sub astrorum conditione credimus factam, qui est æternus vniuersorũ creator, & Dominus? Itaque illa stella, quam viderunt Magi, Christo secundũ carnem nato, non ad decretum dominabatur, sed ad testimonium famulabatur, nec eum subijciebat imperio, sed indicabat obsequio. Proinde non ex illis erat hæc stella, quæ ab initio creaturæ itinerum suorum ordinem sub creatoris lege custodiunt, sed nouo Virginis partu, nouũ sidus apparuit, quod ministerium officij sui etiam ipsis Magis quærentibus Christũ, cùm ante faciem præiret, exhibuit, donec eos vsque ad ipsum locum, vbi Dei verbum infans erat, præeundo perduceret.* Hæc ille. Chrysostomus quoque homil. 6. in Matthæum sic habet: *Quod enim*, inquit, *non vna fuerit hæc stella de pluribus, imò (vt ego arbitror) nec stella omnino sed quædam inuisibilis virtus in specie syderis figurata, ab ipso primùm itinere monstratur. Non est enim stella, omnino non est, quæ per hanc cæli plagam cursum tenere doceatur: sed siue dixeris Solem, siue dixeris Lunam, astraq; cætera, ab Oriente ferri omnia in Occidentem videmus. Hæc verò à Septentrione in Meridiem stella veniebat. Sic enim secundum locorum situm Palæstina spectabat ad Persidem. Secundò verò etiam de tempore istud probari possibile est. Neque enim in nocte cernitur, sed lucente prorsus die, ac Sole fulgente. Quam lucendi vim non modò stella nulla, sed nec ipsa quidem Luna sortita est: quæ licet multò clarius omnibus coruscet astris, continuo tamen ortu Solis absconditur, & quæ prius illustrabat omnia sub multo clariore sydere vix ipsa conspicitur. Hæc verò stella ipsos etiam Solis radios proprio quodam, præcipuoque fulgore superabat, clarius illis profectò apparens, atque in tanto eorum lumine magis ipsa resplendens. Tertiò autem ab ipsa interpellatione lucendi, stellæ huius nouitas indicatur. Nunc enim occultabatur omnino, nũc toto prorsus fulgore radiabat. Nam vsque ad Palæstinam venĩetibus Magis, quasi dux itineris semper apparuit: cùm verò Hierosolymam introissent, sese rursus abscondit. Deinde cùm Herodi caussam itineris indicassent, eoque relicto ad puerum pergerent adorandum, iterum se illis eadem stella monstrauit. Hoc autem non agit motus syderis, sed virtus quædam plena rationis. Neque enim proprium quempiam illa tunc stella cursum tenebat, sed cum eos videret pergere, etiam ipsa pergebat: cùm verò eos stare conspexerat, stabat ad voluntatem prorsus viantium, & vtilitatem cuncta dispensans: sicut etiã illa quondam in eremo nubis columna pro opportunitate rerum nunc stabat loco, nunc progrediens mouebat exercitum. Quartò etiam ab ipso demonstrationis modò facilè istuo lucideque perspicitur. Non enim in excelso constituta cæli, eum qui inquirebatur à Magis ostendit locum, neque enim sic discere illi aliquando potuissent; sed descendens, & inferiorem aeris partem tenens, istud effecit. Nostrum enim quia tam exiguum, & humilem locum, ac breue tugurium, quod (vt ita dixerim) corpusculum illud paruuli continebat, nequiuerit de cælo stella monstrare. Neque enim tantã illius breuitatem loci, tam inæstimabilis altitudo designare potuisset, quod certè persacile à lunari potest orbe cognosci. Luna enim cùm tam multis sit sublimius clara syderibus, in tam grandis latitudinem diffusa terræ, cunctis mundi habitatoribus creditur esse vicina. Quemadmodum igitur stella tam exiguum locum, tugurij scilicet, atque præsepis ostendit, nisi sublime illud relinquens ad inferiora venisset, superq; ipsum ferè caput pueri constitisset?* Hæc ille. Sed ante hos omnes Ignatius sic habet epistola 14. ad Epheseos prope finem: *Stella*, inquit, *in cælo (scilicet aereo) fulsit super omnes, quæ ante ipsam erant.* (Ergo fatetur Ignatius nouam conditam hanc stellam) *Et lux eius inæstimabilis, & noua, atque peregrina apparuit videntibus eam. Cætera verò sydera simul cum Sole, & Luna, coruscafacta sunt illi stellæ, illa verò superabat omnes splendore suo: & facta est perturbatio, vnde facta est illa nouitas, quæ apparuerat.* Hæc ille.

August. to. 6. longiuscule à princ.

Augustini, eorum, qui hominis genesim stellarum fato subijciunt, confutatio.

Gen. 1.

Chrysost. tom. 2. init.

Qualis fuerit illa stella Chrysostom.

Stella illa quam lucida.

Exod. 13. & 33.

B. Ignat.

Quod non esset cometes.

I. Argum.

Deinde, non fuit de cometis, qui gignuntur in aere, vt quidam existimarunt. Primùm, quia cometæ solùm videntur per noctem, tametsi noctu, diuque moueantur, vt aliæ stellæ cœlestes, nec tamen apparent nisi in nocte: ista tamen in die apparebat. Mouentur deinde motu circulari cometæ ad motum totius orbis ascendendo, ac de-

II. à motu cometæ.

scendendo: ista verò motu recto, & plano non se tollendo, vel deprimendo, vel in fine, & cum moueantur in suprema aëris regione, nobis non appropinquant, viam vt indicent, cùm etiam moueantur ad motū orbium propter contactum sphærarum, in vna die, atque nocte absoluunt integrum circulum, cùm hæc Mesopotamia in Bethleem tantummodo per 13. dies mota fuerit.

III. Argum.

Item cometæ semper apparent, donec consumpta materia ipsorum postea euanescãt, & post hæc nunquam appareant: hæc verò interdum apparebat, interdum occultabatur. Cometarum motus est naturalis: ista verò erat quasi voluntarius, siquidem Magis pergentibus pergebat & ipsa; stantibus, stabat.

IV. Argum.

Præterea, cometa etiam non erat cōueniens signū natiuitatis. Nam vt hæc erat supra naturam, ita exhiberi debuit signum supra naturam, atque diuinum: siquidem naturalia haud possunt esse conueniētia signa rerum, quæ sunt supra naturam, naturalia namque determinata sunt, & ex necessitate agunt: quæ verò supra naturam existunt, purè libera sunt, pendentque ex voluntate diuina.

Naturalia rerum supernaturalium minus idonea symbola cur sint.

Cometa autem res naturalis est, quæ habet naturalem, & determinatam caussam suę productionis, & ita significatio cometarum est determinata: & cometæ vix aut nunquam apparent in natalibus regum, aut principum, quin potius sint signa corū casus, & interitus. Ergo quæ Magos direxit stella, nec fuit de cœlestibus aliqua, vt ait Chrysostomus super Matthæum: nec etiā fuit de cometis: vt innuit Augustinus ser. 3. de Epiphania sub initium: *Quid erat*, inquit, *illa stella quæ nec vnquam antea inter sydera apparuit, nec postea demonstranda permansit?* Hæc ille.

Chrysost. iam citatus
B. Aug. to. 10.

Stellæ tamen cœlestes haud sunt nouæ, quoniam fuerunt ab orbe condito: nec cometæ noui sunt; tametsi enim non semper appareant, à principio seculi tamen secundum diuersa tempora, & regiones varij apparuerunt cometæ.

Cometæ cur minime sint noui, vt stella Magorum.
Gen. 1.

Dicendum est igitur ex sententia S. Thomæ in 3. part. quæst. 36. art. 8. illam stellam fuisse artificialem ministerio angelorum de integro formatam: videlicet impressionem quandam supra vires naturę factam in aëre infimo circa terram: fuitque corpus valde densum multum habens de lumine, & propter sui rotunditatem, & flāmas stella vocatur: quemadmodum in egressu filiorū Israel, quòd nescirent viam, fecit Deus columnam nubis, & ignis, eratque corpus quoddam ex densis vaporibus constipatū.

Verior ponitur opinio de stella Magorū qualis fuerit.
B. Tho. to. 12.

Non misit autem Deus columnam nubis, & ignis ad ducendum Magos: vt olim Iudęos: eo quod Deus edocere volebat populum ex Aegypto per desertum, in quo non erat via, nec ambulauerat per illud vir, vt dicitur Hierem. 2. & nesciebat populus viam, & nullus erat in deserto qui eam illis indicaret: & quia ignorabant loca, in quibus castrametari deberent, ideo dedit eis columnam nubis, quæ extensa erat in longitudinem, & minus lata.

Cur non miserit Deus, vt olim Israelitis, columnam ignis, & nubis.

Exod. 13.
Hiere. 2.

Erat etiam nubes, quia impressio erat facta ex vaporibus ad formam verę nubis, nisi quod densior erat & solidior quam nubes; nam alioqui non posset multum lucere, cum corpora diaphana, ac peruia nequeant esse multum lucida, sed parum; secus verò terminata corpora, atq; densa, quæ maioris lucis sunt capacia.

Quare dicitur columna nubis illius quæ figura, vt a nube distincta.

Cōseruabatur autem ista columna virtute diuina, nam aliàs (vt nubes interdum densantur, interdum raræ fiunt, atque resoluūtur in præiacentem materiam) citò fuisset columna dissoluta. Deus autem miraculo seruauit per quadraginta annos in eadem quantitate, figura, & colore.

Eadem columna vnde conseruabatur.

Exod. 16.
Num. 9.

Nubes huiusmodi pręcedebat castra, Israelitarum populum per diem, & vbi nubis stetisset, figebāt castra: dum verò Sol occumberet, vertebatur columna in colorem ignis splendentis, & illuminabat. Stella autem Magis indicabat viam, eratque impressio coacta ex vaporibus, pellucida, & pręcedens eos fulgor, ac splendor stellæ, & columnę supra naturā erat: tum quia si fuisset naturalis eius lux, obscuraretur à Sole: quoniam nulla est lux, quæ non vincatur, & obscuretur à Sole: vt est videre in astris, quæ interdiu non videntur, & tamen videbatur stella: & diebus æstiuis, sed serenis nubes, vel soluuntur, vel sole impendente nequaquam cernuntur: hæc autem columna erat indissoluta, atque vniformis in colore, deinde mutabatur color iste quotidie; vt per diem videretur nubes, per noctem verò purus ignis: quæ quidem mutatio naturalis esse non poterat tā hyeme, quàm æstate. Et stella si naturaliter fulgeret, quousque desineret omnino, vel obscuraretur maiori luce, & tamen aliquando apparebat, vt in Oriente: & in egressu Hierusalem aliquando abscondebatur: vti quando ostendit puerum in domo: quod videtur esse voluntarium.

Stella Magis quid præstitet.

Columnæ nubis, & ignis difformitas.

Adhæc, columna aliquando ex vna parte conspecta, ac tota fulgens, vt ignis, & ex alia parte obscura, & nigra, vt in trāsitu maris rubri volentibus Aegyptijs accedere ad filios Israel, Exod. 14. quod fieri non poterat naturaliter: ideo sic vt nubes illa seruiebat, vt instrumentum diuinę voluntatis, ita & colores, ac cætera accidentia pro eius beneplacito mutabantur. Et stella si naturalis fuisset, fulgor non potuisset tam subitò

II. Ratio columnæ scilicet nubis, & ignis olim Iudæis, non Magis concessæ.
Exod. 14.

deficere,& euanescere, sed paulatim,vt in naturalibus fit:tamen illa repente euanuit, vt etiam repente apparuit.

III. Ratio ab eius magnitudine latitudineque desumpta. *Exod.12.*

Quoniam verò Deus omnia ordinatè,& sapienter agit;& ordinatum est,quod quadrat,ac cõuenit fini suo: populus ergo Hebræorum illuminandus,& ducendus, cùm esset magnus,quòd essent 600.millia peditum,præter fœminas,& paruulos,& senes, & vulgus Aegyptium promiscuũ innumerabile, egebat magno lumine ad illuminãdum omnia castra:ideo fuit magna columna,lata in modum nubis,& longa, vt omnia clarè lucerent. Reges autem Magi tres erant,neque habebant secum magnas familias ; idcirco necessaria non fuit columna, sed paruũ corpus lucidum ad modum stellæ.

Altera ratio magnitudinis eiusdem.

Preterea indigebant Iudæi pro nocturno tempore magna columna, quia per diẽ etiamsi esset corpus illud dirigens paruum, sicut stella, satis erat ad dirigendum, tametsi videretur à paucis qui præcederent,cęteri verò sequerentur,etiamsi columnam, vel stellam non viderent : tempore verò noctis manebant in campo, egebantq; magno lumine, quò castra omnia illustrarentur:at Magi solùm interdiu egebant directione viarum,nam per noctem,cùm non facerent iter,nec faciendi itineris vlla subesset necessitas,haud egebant lumine. Et hactenus de hoc sit dictum.

De motu huius stellæ,ac directione Magorum agitur. *Exod.13. & 14. Num.9.*

Non eodem autem modo regebat hæc stella Magos,sicut columna olim filios Israel:nam olim columna mota,vel quiescẽte,etiam per annum,vel tardè, vel velociter:manè,vel meridiè: vespere, vel media nocte filij Israel eodem modo mouebãtur ad motum columnæ. Magi autem non sic mouebantur ad motum stellæ; imò contra stella mouebatur ad eorum motum, atque pergebat.Nam quãdo ipsi cœperunt egredi Hierosolymam, stella cœpit eos præcedere,& ante hoc non videbant eam ; & sic stella mouebatur ad motum Magorum, cùm illi vellent ambulare, & quiescebat illis quiescentibus.Stella etiam non tantùm visa in Oriente à Magis, sed etiam dux viæ totius extitit;vt Eusebius iuxta versionem Ruffini in lib.historiæ docet Ecclesiasticę. Visaque est à Magis supra verticem , & ad perpendiculum terræ Iudææ eam respicere,autor est idem Eusebius libro de demõstratione Euangelica.

Euseb. lib.1. hist. Eccles. c.10.&c.1.

Idem lib.9. demon. Euãg. demonstr.1. eod.tom.

Porrò ratio huius diuersitatis existit multiplex,ac varia: quoniam Magi non habebant aliud,quod agerent, nisi perfectioni insistere,quoad peruenirent ad locum,vbi Christus manebat: ideo expediebat eis promptè, & expeditè proficisci tẽporibus opportunis,ob id conueniebat stellam moueri ad eorum voluntatem. Aliàs enim cùm ipsi vellent pergere, & stella non præluceret,temporis iacturam facerent: & cum opus esset quiescere,ob defatigationem, vel opportunitatem loci,neque possent,oportebat eos moueri. At non sic euenit Iudęis, quia non erat mens Dei,vt semper perambularent,quandiu possent,sed vt aliquãdo diu gressum sisterent in aliquibus locis ex caussa:sicut in monte Sinai,vbi per annum manserunt,quoniam ibi data est lex,& sanctuarium fabricatum : & sic in alijs locis similes ob caussas morabantur ad arbitriũ Dei:id quod non eueniret,si ex eorum voluntate penderet motus,vel quies.

I. Ratio huius diuersitatis. columnę scilicet ignis & nubis,& stellæ Magorum varia,ac multiplex adfertur.

Exod. 19.10. Infra. 40.

II. Ratio.

Deinde Magi pauci erant viri,& cõcordes inter se, cùm pergerent ad visitandum Regem Iudæorum ; ideo facilè erat conuenire inter ipsos de tempore profectionis.Secus verò si infiniti,& discordes inter se fuissent,quorum quidam vellet manere,alij ambulare: ideo ne fieret vlla seditio,placuit Deo,non moueri nubem ad motum eorum , sed potiùs ipsos ad motum nubis.

III. Ratio.

Pręterea Iudæi erant viri timidi , & increduli,vt timerẽt de loco moueri,nisi Dei expresso mandato,nollentq; alicubi castrametari ex eodem motu , ni iuberet Deus. vt ergo non opus esset toties pręcipere motum vel quietẽ, vel etiam caussarentur Prophetis tale nil dictum, voluit per motum nubis id omnibus significare,atque ita euidẽter,vt nemo posset inficiari:& sic Exod. 14.& Num.9.per mandatum Dei Israelitæ mouebant castra, & per idem mandatum Dei figebant tentoria. Et motus,vel quies nubis dicebatur Dei mãdatum. Magi verò nec timidi erant,nec increduli, vt nõ auderent moueri absq; Dei peculiari mandato.

Exod.14. Num. 9.

IV. Ratio.

Adhæc mouebantur Iudæi per desertum, in quo non erant humanę habitationes, & ipsi nesciebant quo loco expediret eis longo tempore manere,& quo, paruo: maximè quia gẽtes vicinæ deserto illi habitabãt, vt Amalechitæ, Arabes, Idumęi, Ammonitæ,ac Moabitę, qui incautos illos facilè poterant aggredi , vt fecerunt in Raphidim Amalechitæ, Exod.17.quare conueniebat moueri ad motum nubis , non nubem ad motum eorum.Magis verò secus accidit.

Exod. 17. & seq.

Quòd Magis hospitantibus & noctu quiescentibus ibi quoque hæc stella consisteret.

Quid verò fieret de stella,quando in hospitijs quiescebãt Magi. Dicendũ est,quòd stella ibi quoque manebat super locum illum:nam ita erat de columna nubis , quæ dirigebat Iudæos,quia manebat quieta super castra. Deinde idem patet de stella,quę subtraxit se,& occultauit in ingressu Hierosolymæ, de quo Iudæi non sunt admirati:

ideoque

ideoque cœperunt sciscitari de Christo, & quãdo egressi sunt Hierusalem, & visa stella gauisi sunt valde. Si tamen in locis singulis, in quibus Magi manebant, consueuisset stella occultari, donec iterum se ad iter accingerent, neque admirati, neque gauisi fuissent. Ergo aliquid nouum hoc fuit, & cõsequenter illa stella non euanescebat, nec occultabatur, sed manebat in loco Magorum.

II. Ratio.

III. Ratio.

Adhæc cum euanuerit stella magis ad ingressum Hierusalem, putauerunt ibi esse Christum natum, & quæsierunt de eo. Si autem in singulis locis, in quibus manerẽt, euanesceret, quousq; rursus inciperẽt progredi, in quolibet loco quærerent de ortu Christi, saltem postquam essent in Iudæa, vel nullibi, & tamen in Hierusalem quæsierũt, vbi constat, quod euanuit stella, & tamen in alijs non quęrebant. Ergo in cõmunibus locis semper stella manebat apparens Magis, pręterquã in Hierusalem; vbi propterea de Christo quæsierunt, & non alibi. Ergo dicendum est, stellam, ex quo semel cœpit apparere, nunquam occultatam fuisse, sed quemcunq; in locum intrassent, & manerent, ibi tantisper stella quoque manebat super locum illum, vel domũ in qua manebant: & cum essent discessuri, præcedebat ipsa.

An visa fuerit & alijs hęc stella.

Quod si obijcias; Cęteri nonne mirabantur, illam videntes? Respondeo: hanc stellam visam fuisse ad ostensionem natiuitatis Christi; ideo non erat conueniens, cuiquã homini celari: imò cedebat in gloriam Dei, quòd omnes illam nossent. Sicut etiam columnam nubis, & ignis, quæ annis quadraginta visa est Israelitis, quibus manserunt in deserto, nunquam ad aspectum gentiliũ euanuit, sed semper pendebat idoneè super castra, ac proinde Deus magis laudabatur; vt refertur Num. 14. Sicut ergo illa apparuit ad ostensionem dignitatis Iudæorum, quibus recẽs data erat lex Moysi: ita decuit stellam istam semper apparere ad dignitatem, ac decus Christi, & ad glorię ostensionem noui Testamẽti. Vel dici potest, quòd non videbatur ab alijs; vti lux abeuntibus simul cum Paulo Damascum, & columba visa à solo Ioanne: vel non intelligebatur, visa: vt vox illa: *Et clarificaui, & iterum clarificabo:* quam putarunt tonitruum esse, vel angelum.

Exod 13. Num. 9. Num. 14. Exod. 20. & seq.

Altera solut. Act. 6. Ioan. 1. Infrà 12.

Quomodo moueretur hæc stella.

Quomodo autem moueretur stella, dici solet, quod angelus, qui apparuit pastoribus in specie humana ad annunciãdam Christi natiuitatem, ipse præcessit Magos in figura stellæ, non quidem quod ipse sit transformatus in stellam, quæ præcessit Magos, cũ spiritalis naturę angelus sit, stella verò corporea: sed quod illam moueret. Et quod ait D. Thomas in 3. part. qu. 36. art. 7. nimirum hanc stellã fuisse motam per diuinam voluntatem: non ita accipias, quasi creatura corporea intelligeret Dei voluntatem: vel quasi non haberet aliud principiũ motus: cùm oporteret dari formam mouentẽ à principio intrinseco, scilicet angelũ; nam angeli omnes sunt administratorij spiritus, propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis, autore Paulo.

D. Thomas tom. 2.

Heb. 1.

Hic autem procurabatur salus gẽtilium, tum quia angelus manifestauit pastoribus natiuitatem: tum quia columnã nubis mouebat angelus præcedens Iudæos. Scribitur enim Exodi decimoquarto: *Tollensq; se Angelus Domini, qui præcedebat castra Israel, abijt post eos; & cum eo columna nubis.* Et Exodi decimotertio dicitur: *Dominus præcedebat ad ostendendam viam in columna nubis:* & accipitur Dominus pro Angelo frequenter more scripturarum, quoniam repręsentabat Dominum.

Luc. 2. Exod. 14. Supra 13.

Angelum Domini, ipsum Dominum intelligunt scripturæ.

Quid factum sit de stella, postquam Magos perduxit in Bethleem.

Porrò hæc stella, postquam Magos adduxit in Bethleẽ, minimè cœpit postea lucere in firmamento cum reliquis; nam hæc non fuit cœlestis, verùm communicabat in natura cum elementis ipsis, & sic erat corruptibilis: cùm tamen cœli, astraque sint incorruptibilia, ex sententia Aristotelis: nõ decebat autem cum incorruptibilibus ponere corruptibilem stellam: nec verò si etiam corruptionis fuisset expers, debuit in cœlo collocari propterea: namque eiusmodi, aut erat necessaria ad influendũ aliquid in vniuerso orbe, vel nõ erat: si erat necessaria, ergo antea deficiebat, neque fiebat influxus completus ad generationem rerũ, & corruptionem: si non erat, frustra, & superfluè poneretur in cœlo: ergo non est reposita, sed redijt in præiacentem materiã, id est, in vapores, ex quibus erat cõposita, quod facilè sine miraculo fieri potuit; quãuis vt in ea esset ille fulgor, miraculo opus erat: atque ita cum desineret conseruare illum fulgorem, cessaret, & interiret, tametsi soliditas corporis, vt posset esse satis lucida, non statim interierit, sed ad tempus durare posset naturaliter, nisi Deus infinita virtute sua illam destrueret: atque idem de columna nubis videtur esse dicendũ. Postquam enim peruenerunt ad Iordanem, nunquam est visa amplius, licet ad id vsque tẽporis supra naturam sit conseruata: idemque de columba, in qua dicitur descendisse Spiritus sanctus super Christum in Iordane; siquidem ista erat corpus densum ex vaporibus conflatum siccis, & purum.

Philos. lib. 1. de cælo, to. 3.

Hanc stellam non fuisse ex illis quæ sunt in firmamento.

Columna nubis, & ignis quando euanuerit.

Iosue. 3. Ioan. 1.

Quod attinet ad secundum, Magi vocati

Cur Magi per stellam [illegible] sint vocati.

lucrunt: illi intellexerunt, per aduentum Christi magicam artem cessaturam, isti diuinæ legis mysteria intelligere noluerunt: illi confitentur alienum, isti proprium non agnoscunt. In sua enim propria venit, & sui eum non receperunt. Et hæc quidem stella ab omnibus videbatur, sed non ab omnibus intelligebatur. Hæc ille.

Ioan. 1.

Idem quoq; ante eum docuit Eusebius lib. 9. de demonstrat. Euangel. demonstr. 1. Ait etiam Hieronymus: *Ad confusionem Iudæorum, vt natiuitatem Christi à Gentibus discerent, oritur in Oriente stella, quam futuram Balaam, cui successores erant, vaticinio nouerant. Lege Numerorum librum.* Hæc ille. B. Remigius in Matthæum: *Sciendum est*, inquit, *quia varia est de Magis opinio. Quidam enim dicunt, eos fuisse Chaldæos. Chaldæi enim stellam pro Deo colebant: Et ideircò dixerunt, quod nuncupatiuus eorum Deus, ostenderit Deum verum natum. Alij verò dicunt, Persas eos fuisse. Nonnulli ducunt, illos de vltimis finibus terræ fuisse. Alij verò dicunt, eos fuisse nepotes Balaam: quod magis est credendum. Balaam enim inter cætera quæ prophetauit, dixit: Orietur stella ex Iacob. Illi verò habentes hanc propetbiam, mox vt viderunt stellam nouam, intellexerunt, Regem natum, & venerunt. Quod si successores fuerunt Balaam; Reges istorum non longè distant à terra Promissionis: ideircò in tam breui spatio Hierusalem venire potuerunt. Sed tunc quærendum est, quare Euangelista dicat eos ab Oriēte venisse, quod ideò est, quia ab illa regione venerunt, quæ in Orientali parte Iudæis posita est. Pulchrè autem ipsi ab Oriente venisse dicuntur: quia omnes qui ad Dominum veniunt, ab ipso, & per ipsum veniunt. Ipse enim est Oriens, secundum illud: Ecce vir Oriens nomen eius.* Hactenus ille. Ambrosius lib. 2. in Lucam: *Sed tamen*, inquit, *qui sunt isti Magi, nisi (vt historia quadam docet) qui à Balaam genus ducunt, à quo prophetatum est: Orietur stella ex Iacob. Isti ergo sunt non minus fidei, quàm successionis hæredes. Ille stellam vidit in spiritu: isti viderunt oculis, & crediderunt. Viderunt nouam stellam, quæ non erat visa à creatura mundi: viderunt creaturam, & non solùm in terra, sed etiam in cælo gratiam noui hominis requirebant, secundum quod Moyses propheticè posuit: Qui orietur stella ex Iacob, & exurget homo ex Israel. & cognouerunt hanc esse stellam, quæ hominem Deumq; signabat, & adorauerunt paruulum. Vtique non adorassent, si paruulum tantùmodo credidissent. Magus ergo intelligit suas cessare artes, tu non intelligis tua dona venisse? Ille fatetur alienum, tu non cognoscis promissum? Ille contra se credit, tu pro te non putas esse credendum?* Hæc ille. Qui, etsi Magicis, & maleficis artibus Magos fuisse imbutos credit, quod nequaquam est verisimile, vti superiùs impugnauimus: tamen rectè traditionem ex Prophetia Balaam de stella oritura docet: atque Magos Balaam non tam successionis hæredes, quā fidei fuisse: quod mihi doctè admodum videtur fuisse dictū: nec enim quærerent per stellam Christum natum, nisi in illum prius credidissent: nec illum adorassent in stabulo prostrati, ac muneribus honestassent, nisi Deum agnouissent. Indignum verò est, illos, qui venturum Christum fide nouerant, superstitiosis, magicisùe artibus vacauisse. Autor libri Quæstionum Noui & Veteris Testam. in 2. parr. quæst. 39. *Oritur stella ex Iacob, & exurget homo ex Israel, &c. Hæc est prophetia*, inquit, *Balaam, non quia fuit propheta, sed Deus causam populi sui egit per illum, non voluntariū, sed inuitum: sicut prophetasse inueniuntur missi à Saul ad Dauid capiendum: Et sicut ipse Saul, cùm dictum est: Nunquid & Saul inter Prophetas? Hunc enim probare voluit Deus, quanta sit maiestas Dei Iudæorum, qui eum maledicere venerat, conuertit, vt bonum illi videretur benedicere populum Dei Nec enim maledictum poterat timere, cuius cor habebat in potestate. Hunc ergo prophetam hanc intimasse collegis suu datur intelligi, qui cum curiosi sint circa astra videntes stellam incognitam, nimia claritate fulgentem, ita vt solem luce superaret (videbatur enim per diem) conferentes inter se, animaduerterunt hāc esse stellam, quam futuram dixerat Balaam.* Sic ille. Leo Papa sermone de Epiphania; *Quāuis autem*, inquit, *diuinæ dignationis esset hoc munus, vt cognoscibilis Gentibus fieret natiuitas Saluatoris: ad intelligendum tamen miraculum signi, potuerunt Magi, & de antiquis Balaam prænuntiationibus commoueri, scientes olim esse prædictum, & celebri historia diffamatum: Orietur stella ex Iacob, exurget homo ex Israel, & dominabitur Gentium.* Hęc Leo. Eandem traditinem Euthymius docet hoc loco. Rursus Augustinus sermone de Epiphania ait, quod Angelus reuelauit istis regibus, stellam istam Christum natum significasse; quasi diceret: Ista stella quam videtis, Christus est, Ite, & adorate illum. Leo verò Papa sermone de Epiphania, ait, non solum Magos stellam vidisse, sed habuisse illuminationem quandam per Spiritum sanctum ostendentem, illam stellam Christum natum designare: cum ait: *Præter illam speciem, quæ corporeum incitauit obtutum, fulgētior veritatis radius eorum corda perdocuit, vt priùs quàm labores itineris inchoarent, eum signari sibi intelligerent, cui in auro regius honor, in thure diuina veneratio, in myrrha mortalitatis confessio deberetur.* Hæc Leo. Chrysostomus homilia 62. in Epiphania; *Cuius luminis splendor*, inquit, *etiam Magorum corda penetrans, spiritali luce perfudit, vt Regem Iudæorum,*

Euseb. Cæsar. tom. 1.
Hiero. hoc loco tom. 9. in princ.
B. Remig.
Chaldæi quō Deum colebant.
Num. 24.
Magi cur ab Oriente venisse dicuntur, secundum Remigium.
Zachar. 6
Ambr. c. 14. circ. med. to. 5.
Magi Balaam prophetæ non minus fidei, quam successionis hæredes vnde noscantur.
De Magis quid Ambrosius non minus fide dignum videatur sensisse.
Operum D. Aug. to. 4.
1. Reg. 19. Supra 10.
Leo Papa ser. 4. sub init.
Euthymius
Aug serm. 4. de Epiphan. seu ser. 67. de diuers. sub initium to. 10.
Leo ibid. ante medium.

rum, creatorem cœli, signo nascentis nouæ stellæ cognoscerent. Nec enim Christum Dominum nostrum Magi falsæ religionis autores cognoscere poterant, nisi dignationis diuinæ munere illustrati. Iterum ergo Dei misericordia per Christi exuberauit aduentum, vt ad omne genus hominum se cognitio veritatis eius extenderet: quæ idcircò ante Magos eluxit, vt manifesta Dei pietas nosceretur, nec aliquis desperaret, posse sibi salutem credenti donari, quia iam conspiceret Magis esse donatam. Sic ille. Hilarius cano. 1. in Matth. *Stella ortus*, inquit, *primùm à Magis intellectus, indicat mox Gentes in Christo credituras, & homines professionis longè à scientia diuinæ cognitionis auersæ, lumen, quod statim in ortu eius extitit, cognituros.* Hæc Hilarius. Quæ certè omnia cum ratione coniuncta, & pietate sunt. Non ergo dicti sunt Magi, quod illuserint Herodē, quasi Magi sint illusores: nec quia hoc fuit fortuitò factum: nec item Magicis vel superstitiosis artibus illi præditi fuerūt: nam tales haud crederent in Christum, qui vacarent artibus dæmonum. Nec verò etiam (vt mea fert opinio) erant astrologicæ periti artis, vt Leo Papa sermone 4. de Epiphania vocat gentem, quæ spectandorum syderum arte pollebat: & Chrysostomus homil. 6. in Matthæum tradit: ait enim: *Et qua, inquit, ratione Magos per stellam duci ad Christum, & quonam modo? Oportuit prophetas mitti potius: sed nequaquam Magi credidissent Prophetis. Aut voce aliqua desuper insonare. Nec hanc quidem tantopere curassent. Aut Angelum mittere, verùm hunc quoque forsitan præterijssent. Propterea igitur omnia huiusmodi derelinquens, per ea illos vocat, quæ familiaria eis consuetudo faciebat, mira quidem dispensatione pietatis ad hominum condescendens salutem.* Hęc ille. Quos alij sequuntur. Cyprianus serm. de stella, & Magis initio: *Erant in illis regionibus* (scilicet Arabum, & Saba) *viri syderum inspectionibus assueti, qui arte mathematica vim, discursumq́ nouerant planetarum, qui ex elemētorum natura rationem temporum metientes, astrorum ministeria certis experimētis proprijs dicebant effectibus aßignata. Hi ex vaticinijs Balaam olim audierāt stellam oriri in Iacob, & hominē in Israel, cuius fortitudo quasi rhinocerotis, ad quem trieribus de Italia venirent, &c. orto repente nouo sydere, ad antiqua recurrentes volumina, tam testimonio muniti, quàm signo, dromadis inuecti, in Iudæam stella duce perueniunt.* Et Hierony. in Isa. 47. super illud: *Sta cum incantoribus tuis:* & infra: *stent, & saluent te augeres cœli; qui contemplabantur sydera, &c.* asserit Magos dixisse, se stellam Domini vidisse, vel ex artis scientia, vel ex vaticinio Balaā prophetæ. Sed hoc profectò probabilitatem tātùm habet, propter testimoniū veterum patrum, illud affirmantium: tamē si rationē consulas, nō videtur simile vero. Siquidem hæc de stella non acceperunt ex astrologica disciplina, verū ex traditione & vaticinio Balaam. Deinde quoniam hęc stella diuersum ab alijs tenebat motū, nec erat cœlestis, sed recens condita. Tum etiā quomodo ex stella iudicassent Regem Iudęorum, cùm regnum Christi non esset de hoc mundo: Quin etiam potius viderentur abstrahendi à vanitate illius scientiæ, quàm per illam trahendi, & confirmandi in vana scientia. Quamobrem temerarij mihi vidētur, qui locum de stella ex Iacob, Num. 24. de Christo non interpretantur: vt faciunt omnes Patres, & præsertim Iustin. Martyr in Apolog. 2. ad Antoninū Pium pro Christianis, Irenæus etiam lib. 3. c. 10. & Origen. homil. 12. in libr. Numeror. ait: euidenter de stella, quæ Magis in Oriente apparuit, prophetari, & de diuina eius natura dici: *Orietur stella ex Iacob:* de humana verò: *Et exurget homo ex Israel:* & homil. 13. Numer. *A Balaam fertur Magorum genus, & institutio in partibus Orientis vigere, qui descripta habentes apud se omnia, quæ prophetauerat Balaā etiam hoc habuerunt scriptū, quod orietur stella ex Iacob, & exurget homo ex Israel. Hæc scripta habebant Magi apud semetipsos, & ideo quando natus est Iesus, agnouerunt stellam, & intellexerunt adimpleri prophetiam magis ipsi, quam populus Israel, qui Sanctorum prophetarum audire verba contempsit. Illi ergo ex ijs tantùm quæ Balaam scripta reliquerat, agnoscentes adesse tempus, venerunt, & requirentes eum statim adorauerunt, & vt fidem suam magnam esse declararent, paruum puerum quasi Regem venerati sunt.* Hæc ille. Vel si quidem interpretentur de Christo illud vaticinium, tamen hoc ad traditionem hanc successorum Balaam accommodandam negant. Ergo finis horum Magorum aduentus fuit, vt excitati per stellā ortam, velut indicem veri Regis venturi, eum adoratione, & muneribus prosequerentur.

Deinde fieri poterat, vt isti ex Sibyllino carmine edocti, Regē Messiam quærerēt. Sic enim cecinerat Sibylla Samia loquens de Christo.

Humano quem Virgo sinu inuiolata fouebit:
Annuit hoc cœlum, rutilantia sydera monstrant.

Item congruebat, vt cessante lingua Prophetarum, per stellam, vt Angelos Deus ipse loqueretur, &, quę Christi sunt, doceret: secundum Augustinum enim stella, Regū insigne erat: quod illorum sit, prælucere alijs. Et quoniam hæc stella erat creata diuinitus, aptè Regem diuinum, atque cœleste designabat. Nam claritas sapientię, atque iustitię

[Left margin notes:]
B. Hilar.
Stellæ ortus Magis visæ quid indicauerit.
Hos Magos, minime artibus magicis vacasse.
Leo Papa.
Chrys. tom. 2. in princ.
Magi cur ducti doctique fuerint per stellam, teste Chrysost.
Cyprian.
Magi cuius artis, & scientiæ Cyprian.
Num. 22.
Hieron. to. 5.
Isai. 47.
Magos, vt quidam opinantur, non dixisse ex artis scientia se stellam Domini vidisse.

[Right margin notes:]
In eos qui vaticinium de stella ex Iacob quam ad Christum alio detorquent.
Iustin. Mart. tom. 5.
B. Irenæus.
Orig. to. 1.
Idem.
Magorum aduentus caussa.
II caussa. Samiæ Sibyllæ de Christo vaticinium.
III. caussa.
August.
Quid significaret hæc stella.

iustitiæ cum primis Reges decet. Hinc Daniel dixit: *Qui ad iustitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Significat quoq; firmitatem fidei, & splendorem vitæ, qui in semine Messiæ, videlicet in Christianis omnibus, qui tanquam per cęlos, id est Apostolos (sic.n.eos vocat Propheta Dauid) conuertendi erant. Ex quo Dominus Abræ semen promittens, dixit: *Suspice cœlum, & numera stellas si potes. Sic erit semen tuum.* B. Dominicus cum signo stellæ in fronte conspectus fuit; ob insignem eius vitæ sanctimoniam, & illustrẽ prædicationem. Habebat, teste quodam veteri patre, signum pueri cum cruce hæc stella: quoniã Fidei lumen ostendit Christi incarnationẽ atque crucem. Item significat, Christum sine igne terroris legis, & nube, videlicet inuolucris monstrandum. Significat & Mariam Virginem ductam super terram peccati à Christo, vt eum ipsa nobis ostendat.

Dan.12.
Cœli qui mysticè.
Psal.18.
Gen.15.
Stellæ signum pueri cum cruce habentis mysteria.
Autor operis imperf. in Matt. hom.2.

Dicitur ergò stella eius, quoniam ab eo peculiariter formata: de eo à Moyse & Sibylla prædicta: In columna nubis & ignis præfigurata: ad ministerium Messię singulariter destinata: Christum Regem diuinũ atq; cœlestem sapientiæ, iustitiæque splendore conspicuum repręsentans, & Matrem eius stellam maris indicans; firmam fidem, splendidamq; viuẽdi rationem eorum, qui semen eius dicti sunt, vt stellæ cœli futuri, significans. Iam expende verba: *Vbi est qui natus est Rex Iudæorum? vidimus enim stellam eius in Oriente.* Id est, cœpimus ab eo loco habere ducatũ, ex quo semel apparuit stella. Dicitur Rex Iudæorum absolutè Messias. Hier.23. Oseę 11. Zach.9. Mich.5. In Oriente aũt apparuit stella: quia ille qui natus est, Orientis nomẽ habet, iuxta illud Zacharię: *Ecce vir, Oriens nomen eius:* quia in æternitate oritur Christus à Patre, qua ratione Deus est: in carne verò semel, sed fructum habet perpetuum. Sæpè autẽ in cordibus oritur humanis, iuxta illud: *Lux orta est iusto, & rectis corde lætitia.* Tendit porrò stella ab Oriente in Occidentem, propterea quod omnia nostra mala occisurus venerat, & cõtra culpam occidẽtem, tenebrasq; cordiũ nostrorum depellendas apparuit, illustratura humanæ mentis meridiem, atq; Septentrionẽ calefactura fidem præstitit, vt in nouo signo magnum quid signatum crederetur. Erexit in superis spem, ex supernis apparẽs: inflãmauit affectũ nouitas claritatis illius, quia Deus charitas erat Dominus eius: ipsa segregata à cunctis stellis existens, segregatum à cunctis ostendebat Deum, & Dominum nostrum Iesum Christum, qui segregatus est à peccatorib. & excelsior cęlis factus.

Christi Regis Iudæorũ stella cur dicitur.
Exod.13.
Num.9.
Dan.12.
1.Cor.15.
Hæc stella in Oriente cur visa.
Zachar.6.
Psal.96.
Eiusdem ab Oriente in Occidentem motus quid denotet.
1.Ioan.4.
Heb.7.

eius. Ipse infans signum extitit, & signatum pastoribus: *Et hoc vobis signũ,* inquit, *inuenietis infantem pannis inuolutũ.* Regibus stella fuit signum, Christus ipse signatum: stellaq; illa corporea prælignabat stellã splendidam & matutinã Christũ Dominum, de qua illud: *Qui vicerit, dabo illi stellam matutinam.* Significat etiã, stellã fidei in corde illorũ ortã. Et Magi inueneruit stellam corpoream extra, & spiritalem in corde, & Hierosolym.prophetiam stellæ indicãtem locũ, & in Bethleem stellã Christum cũ Maria matre eius, quæ dicitur maris Stella: & redeuntes ipsi in patriã per Angelũ, qui stella dicitur, admoniti, ac docentes quæ viderũt, facti sunt stella spiritalis, alios dirigentes secundùm illud: *Qui ad iustitiam erudiunt multos, erunt quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Stella fidei in corde influit ad scientiam, vt Mercurius; ad lætitiam, vt Iupiter; ad bellum contra peccatum & Satanam, vt Mars; ad amorem & gratiam, vt Venus; ad tristitiã salutarẽ, vt Saturnus. Eadem ratione isti facti sapiẽtes ad quęrendum tam solicitè eum, qui est sapientia Patris, lætitiam eis contulit, quia videntes stellam gauisi sunt gaudio magno valde: animum dedit fortẽ confitẽdi Christum in Hierusalẽ, & tristitiã Herodi iuxta ac Hierosolymitis, & amorem simul in oblatione donorum. *Et venimus.* Pręteriti temporis est, Græcè enim ἤλθομεν. Et venimus præteriti temporis, E, longũ, I, breue; contra verò, cùm est præsentis temporis. *Adorare eum.* Non venimus ad perdendum, vel ad insidias illi tendendum, vt Herodes. Tacent munera, quæ adorationem cõsequuntur, vt annexum & adiunctum ad id quod est pręcipuũ; vel supprimunt, ne videantur iactare suam ipsorum munificentiam & liberalitatem. Et agnoscenti Christum, haud satis est fides, sed opus est illum latria colere, & factis cultum internum protestantib. prosequi. Neque enim satis est credere in Christum fideli, sed opus est in templũ venire, atq; eum in præsepi altaris repositum adorare, muneribusque cohonestare. Horum autem Magorum consilium & voluntas fuit Christum adorare: tum quia nouerunt, eum esse verum Deum, cui astra quoque seruirent, quæ nunquam alicuius ortum hominis indicauerant: tum quia id habebant ex doctrina Balaam, qui prædixerat omnes Reges subdendos Iudæorũ Regi, & ex Sibylla Erythræa, quæ vaticinata erat Regem Iudæorum oriturum, & stellam eius natiuitatem denunciaturam: vt docet Steuchus libro Perennis philosophiæ. Dauid quoque idem cecinerat, inquiens: *Et adorabunt eum omnes tribus terræ,*

Luc.2.
Eadem stella quarum præterea stellarũ symbolum extiterit.
Apoc.2.
Dan.12.
Stellæ fidei influxus quinam
1.Cor.1.
Magi quare non dixerint: Et venimus cum munerib. adorare eum.
Iidem cur venerint adorare Christum.
Num.24.
Steuchus li.1. Peren.philosop.c.22.

omnes

Psal. 71.

Magos Deus dupliciter direxit ad Christum.

omnes Gentes seruient ei. Tum quod illi Reges proponebant animarum suarum salutem, hoc est Christum, qui pro salute hominum venerat, adorando consequi. Grauius verò cùm sit, errare in via morum, quàm in via pedũ: si Deus deduxit eos per stellã in via pedum, ne erraret; ergò multò magis direxit in via morum, ne erraret in adorãdo, vel munerib. exornando Messia.

Cui nixum rationi videtur, Magi perpetuò stellam vt viderint in itinere.

Videtur autem stella Magis in ingressu Hierusalem euanuisse, vel delituisse multis de causis. Sed ante omnia discutiendum illud est, non esse vsquequaq; certum, nec exploratum, an stella illa, ex quo se Magis in conspectum dedit, semper illos fuerit comitata prælucens, atque viam monstrãs: quemadmodum columna nubis, & ignis perpetuò præibat Israelitas egressos de Ægypto, donec peruenirent in terram promissionis. Seruiret hæc quoque perpetua apparitio stellæ, vt alacriores redderet Magos, & constantiores ad quęrendum Christum, ne sibi, vel à se ipsis, vel ab alijs metuerent, neve quouis dubitarent modo de inueniendo Rege, quem quærebant. Sed huic sensui obstare videntur verba Euangelij, dixerunt enim Magi: *Vidimus enim stellam eius in Oriente:* dicit & Euangelista in persona sua: *Et ecce stella quam viderant in Oriente; antecedebat vsque dum veniens staret supra, &c.* Ex quibus verbis non obscurè indicatur, eos in Oriente tantummodo vidisse stellã, & ratione duce venisse in Hierusalem ad quærendum Regem: Egressos autem inde iterum vidisse stellam, quę eos perduxit in Bethleem. Atque ita quidam opinantur. Neque desunt tamen qui existimant, illam primò apparuisse, deinde illorum iter perpetuò direxisse, donec peruenerunt in Hierusalem, & tunc euanuisse, tũ quia stella visa in Oriente minimè indicabat Iudæam: nam si esset nimis alta, nequaquam cerneretur; si demissa, propter montes non posset à Magis videri Iudæa. Deinde quia columna nubis & ignis, sectata perpetuò Hebræos est, donec promissionis in terram ingrederentur. Item ob alias, quas supra attulimus, rationes. Nec obstat dicere, *Vidimus stellam in Oriente.* quãdoquidem ibi apparuit, excitauitque existentes ibi ad veniendum Magos. Et quãquam Euangelista dicat: *Ecce stella quam viderant in Oriẽte:* tamen hoc dicitur, ne quisquam putet, aliã fuisse stellam ab ea, quam viderant prius. Subduxit se igitur hęc stella. Primùm quidem, vt Christi natiuitas Iudæis innotesceret, ne excusarentur, si alij, qui è lõginquis locis venerant, quærerent eum; ipsi autem, qui propè erant non accederent. Deinde vt

Exod. 13.

Stellam in Oriente tãtummodò visam, vnde constare possit.

Duplex ratio illorum, qui afferunt primo stellam apparuisse, deinde Magos vsque Hierusalem perduxisse.

Soluitur illud: Si stellam in Oriente Magi viderunt, quomodo semper, & vbique.

Cur Magi stellam non viderint in Hierusalem.

II. Ratio. Quorum propria interpretatio Scripturarum, quid esse extra Hierusalem.

homo ab homine discat, neq; in omnibus reuelationem diuinam expectet, atque interpretationem sacræ Scripturæ, verum aliorum, qui in Ecclesia Dei versentur, Doctorum, siue Sacerdotum stet sententiæ, interpretationique: nam extra Hierusalẽ, hoc est, extra Ecclesiam Dei, nimirum extra sensum & intellectum Patrũ & Doctorum, quorum est, Scripturas interpretari, germana verbi Dei intelligentia nequaquã inuenitur, etiamsi stellæ visionum, reuelationum, vel delectationum humanum sensum excedentium, nobis apparere videantur: namque suspecta debet esse omnis scripturę interpretatio, quæ cùm recepta à Doctoribus & Sacerdotibus (tametsi corruptis moribus viuant) non consonat, non cohæret. Item vt probetur fides & constantia Magorum, sicut aurum in fornace, ablato gustu, & cõsolatione stellæ. Vnde quidam retrocedunt, putantes somnia fuisse, quæcunque viderunt. Hi sunt, qui cum gaudio recipiunt verbum, & in tempore tentationis recedunt. Sed si sapis, Prudens lector, illud apud te debes cogitare: *Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, sic factũ est: Sit nomen Domini benedictũ:* & quod Paulus dixit. *Scio abundare, & penuriam pati.* Adhæc, vt significaretur Iudæorũ excæcatio in Christi natiuitate, propterea ibi delituit stella: quemadmodum in passione tenebræ factæ sunt super vniuersam terram Iudęorum: vt quidam exponunt, vt hac ratione constet, illos & Christi nati, & mortui mysteria ignorasse. Tum etiam vt doceremur in magnatum & Principum aulis perire lumen Dei cæleste, id est, fidem. Hinc Petrus in aula summi Pontificis Christum pernegauit: & Christus in curia Herodis, Pilati, & Caiphæ non fuit cognitus.

III. Ratio.

Sap. 3. & alibi passim.

Luc. 8.

Iob. 1.

Phil. vlt.

IV. Ratio.

Luc. 23.

V. Ratio, & postrema.

Matth. 26.

Stultum porrò est, & à ratione alienum, quod fatui Astrologi & Priscillianistæ putant, stellam hanc in ortu Christi dominiũ habuisse. Namque ipsi seruiunt omnes stellæ cœli: qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat. Quæ vt meliùs intelligantur, aduertendum est, Petrum Aliacensem Cardinalẽ quæst. in Genes. 30. docuisse, Magos illos sydeũ scientiæ peritissimos, potuisse ex Astrologicis rationibus prænoscere futuram Christi natiuitatem & vitam, etsi non ea euidentia, qua postea Christi ortũ noua stella monstrante, cognouerunt. *Nam etsi Christi conceptio, & natiuitas cœlorum omnes, atq; naturæ facultates in pleriq; superant, in aliquibus tamen natura orbium & astrorum tanquam ancillæ domino suo famulantes, amica lumina, & benignos influxus, quos à Christo Deo acceperant, eiden*

Astrologorum & Priscillianistarum refellitur dogma, dicentium stelli hanc in Christi natiuitate dominium habuisse.

Psal. 146.

Petri aliacen. hac de re sententia.

Chri-

Magi secundũ hunc autorem præter stellæ apparitionem, vnde etiam nosse potuerunt ortũ Saluatoris.

Christo nascenti large suppeditauit. Proinde possibile fuit, Magos præter hanc stellæ apparitionem duobus alijs indicijs præsciuisse nasciturum insignis religione, imperio, & gloria virum. Primum ex magna quadam coniunctione Iouis, & Saturni, qui anno ante Christi ortum sexto in signo Cancri coierunt, prædicentibus cunctis illorum temporum astronomis magnam portendi religionis mutationem. Deinde verò ex obseruatione constitutionis cœli, quam ipsa Christi natiuitas habuit: Ea autem incidit in annum Octauij Augusti. 42. 8. Kalend. Ianuarij ante noctis dimidium: fuitq; in ea Horoscopus pars Virginis octaua, quæ quidem religionis mutationem significat: & in culmine cœli Saturnus, imum cæli tenente Sole, cæterisq; planetis quodam ordine dispositis.

Alb. Magni ex Albumazar iudicio quæ de censu Virginis traditio.

Idem ante Aliacensem Petrum docuit Albert. Magnus in libro, cui titulus erat, Speculi, sic dicens; *Albumazar, in suo maiori Introductorio tract. 6. Ascendit, inquit, in prima facie illius signi Virgo pulchra & honesta, habens in manu duas spicas, & nutrit puerum: & vocat ipsum puerum quædam gens Iesum: & ascendit cũ ea stella virginis. Hæc ille. Nos autem scimus, quod sub ascendente eiusdem Virginis natus fuit Dominus noster Iesus Christus; cũ hoc quod æquatio motus octauæ sphæræ in tempore eiusdem fuit octo graduum, & 30. minutorum, secundùm calculationem certissimam: eò quòd ipsa erat tunc minuenda de locis planetarum inuentis per canones. Non quia subiaceat stellarum motui, aut earum iudicio natorum desideratissimus, qui creauerat ipsas stellas: sed quia cùm extenderet cœlos sicut pellem, formans librum vniuersitatis, noluit literis eiusdem deesse ex his, quæ secundùm prouidentiam suam in libro æternitatis sunt scripta: etiam illud elegantissimum à natura, quod de Virgine nasceretur, &c.* Etsi ab eruditis huiusmodi liber Alberti esse negetur.

Gen. 49. Psal. 103.

Chalcid. autor

Chalcidius Platonicus in Commẽtarijs super Timæum Platonis, meminit horum Magorum, & historiæ huius stellæ, his verbis: *Est quoq; alia sanctior & venerabilior historia, quæ perhibet ortu stellæ cuiusdam, non morbos mortesq; denuntiatos, sed descensum Dei humanæ venerationis, rerumq; mortalium gratia. Quam stellam cùm in cœlum suspexissent Chaldæorũ sapientes viri, & cõsideratione rerũ cœlestium satis exercitati, quæsisse dicuntur recentem ortum Dei: repertaq; illa maiestate puerili, veneratos esse, & vota Deo tanto conuenientia nuncupasse.* Sic ille.

De illa traditione Albumazaris quid sentiendũ sit.

Quicquid sit autẽ de Horoscopo Virginis ascendentis, & de benigno, mellifluoq; aspectu sydetũ, quoniam hæc Christo nascenti adfuisse, fidei minimè repugnãt; quæ tamẽ de dominatu stellarum in natalia hominũ proferuntur, & falsa sunt, & vana, & ab Scripturis aliena, ab Ecclesiaq; in Priscilianistis ac simulib. hæreticis condẽnata, & nuper à sãcta Tridentina Synodo, vt superstitiosa reiecta, atq; à sanctis Patribus multis modis impugnata atq; reprobata. Chrysost. namque homil. 6. in Matth. pulchrè in illos inuehitur: *Si Christus scilicet inquit, secundùm legem est natus astrorum, quo modo astronomiam soluit, fatumq; destruxit, ac totum omninò exclusit errorem, omnemq; vanissimam artis huius obstruxit officinam? Quonã etiam pacto Magi ex stella illa Iudæorum Regem illum esse didicerunt, cùm certè non istius regni ille Rex esset. sicut etiam Pilato ipse respondit: Regnum, inquit, meum non est de hoc mundo, &c. Sed etsi Regem illum esse Magi nouerant, cuius rei tamen gratia ad eum venirent? Neq; enim istud ad astrologiæ spectat artem, vt eos, qui nascuntur, cognoscat stellis: sed vt è regione cognoscat de hora, punctoue nascentium, & ea, quæ illis sunt euentura, prædicat, &c.*

Conc. Trid. reg. 9 indic. Chrys. tom. 2. Chrysostomi in eos qui ortum Saluatoris subijciunt fato stellarũ, inuectiua.

Idem tradit Auctor operis imperf. in Matth. homil. 2. *Videtur occasionem dare infidelibus de astrologia, vt vnumquemq; putent suæ stellæ motu & nasci, & viuere: ideò bonum est de his inferre sermonem. Si enim stellæ est, quod boni simus, aut mali: ergò nec bonum nostrum laudandum est, nec malũ vituperandũ: quia nec est in nobis voluntarius actus.* & quæ sequũtur.

Auctor operis imperf. in Matth.

Altera ratio illorũ dogmata confutans.

B. August. libr. 5. de ciuit. Dei c. 1. confutatis Astrologis, qui dicunt stellas in genituris infantiũ effectrices caussas esse: deinde eos quoque refellit, qui docent, positus astrorũ in ortibus infantium signa esse, quæ futurã nascentis vitam significent: ait siquidem: *Dicuntur stellæ significare potiùs ista, quàm facere: vt quasi locutio quædam sit illarũ positio, prædicens futura, non agens (non enim mediocriter Doctorum hominum fuit ista sententia) vt, v.g. Mars ita positus, homicidam significet, sed homicidam non faciat.* Et infrà: *Qui fit, vt nihil vnquã dicere potuerint mathematici, cur, in vita geminorum in actionibus, in euentibus, in professionibus, artibus, honoribus, cæterisq; rebus ad humanã vitam pertinentibus, atque in ipsa morte sit plerunq; tanta diuersitas, vt similiores eis sint, quantum ad hoc attinet, multi extranei, quàm ipsi inter se gemini per exiguum temporis interuallum in nascendo separati: in conceptu autem per vnũ concubitum, vno etiam momento seminati.*

B. Aug. tom. 5.

Stellæ, ait Augustinus, futuram nascentis vitam significant, non faciunt.

Et infra cap. 3. redarguit eos, qui ex responso Nigidij Figuli referebant, disparitatem illam geminorum ad vertiginem cœlestis rotationis, quæ pernicitate sua vtriusque infantis Horoscopum exigui temporis momento mutaret. Sic enim scribit: *Frustra affertur nouum illud commentum de figuli rota, quod respondisse ferunt Nigidium a quæstione turbatum, vnde & Figulus appellatus est.* Tradit Suetonius, Nigidium comperta hora geniture Octauij, pronuntiasse dominum terrarum orbis genitum. Et idem August.

Sueton. c. 64. ante med.

eod.

Nigidij figuli de rota quadã bis de loco suo mota Imperij Augusti prænuncia, vanissimum figmentum.

eod.cap. *Dum enim rotam figuli vi quanta potuit, intorsisset, currente illa bis numero de atramento, tanquam vno eius loco, summa celeritate percussit: deinde inuenta sunt signa quæ fixerat desistente motu, non paruo interuallo in rota illius extremitate distantia. Sic, inquit, in tanta cœli rapacitate etiam, si alter post alterum tanta celeritate nascatur, quanta rotam bis ipse percussi, in cœli spatio plurimum interest. Hinc sunt, inquit, quæcunque dissimillima perhibentur in moribus, casibusq́; geminorum. Hoc figmentum fragilius est, quàm vasa quæ illa rotatione finguntur. Nam si tam multum in cœlo interest, quòd constellationibus comprehendi non potest, vt alteri geminorum hæreditas obueniat, alteri non obueniat: cur audent cæteris, qui gemini non sunt, cùm inspexerint eorum constellationes, talia pronuntiare, quæ ad illud secretum pertinent, quod nemo potest comprehendere, & momentis annotare nascentium, &c.*

Idem tom.10.

Idem sermon.6. de Epiphania: *Hic iam erubescat*, inquit, *stultitiæ sacrilega, & quadam (vt sic dicam) indocta doctrina, quæ ideò putat, Christum sub stellarum decreto esse natum, quia scriptum est in Euangelio, quando natus est, stellam eius Magos in Oriente vidisse:* & paulò infrà. *Sed de genituris vani homines loquantur, quod insipienter opinantur, negent voluntatem, qua peccant: confingant necessitatem, qua peccata defendant: perditos mores, per quos in terra ab hominibus detestantur, in cœlo etiam figere conentur; & à syderibus manare mentiantur. Videat tamen vnusquisque eorum, quemadmodum non vitam, sed familiam suam qualicunque potestate regendam putet; quandoquidem ista sentiendo, seruos suos in domo peccantes verberare non sinitur, nisi prius Deus suos in cœlo radiantes blasphemauerit. Christum tamen isti, nec secundùm suas vanissimas coniecturas, & non sanè fatidicos, sed planè falsidicos libros ideò putent sub stellarum decreto esse natum, quia, eo nato stellam Magi in Oriente viderunt. Hinc enim potiùs Christus non sub dominatu eius, sed Dominus eius apparuit, quia illa non in cœlo sydereas vias tenuit, sed hominibus quærentibus Christum, viam vsq; ad locum, in quo natus fuerat, demonstrauit. Vnde non ipsa Christum fecit mirabiliter viuere, sed ipsam fecit Christus mirabiliter apparere. Nec ipsa Christi mirabilia decreuit, sed ipsam Christus inter sua mirabilia demonstrauit.* Hęc Augustin.

Nos non necessitate peccare: vt stulti Mathematici nugantur.

Stella Magis visa in Oriente, dominij Christi symbolũ fuit, teste Augustino.

Idem tom.1.

Idem quoque lib.4. Confess. cap.3. confitetur peccatum suum, quòd planetarios consuluerit: & idem August. in Psalm.61. producit è suggestu Mathematicum publicam pœnitentiam agentem, quem sine tali solenni pœnitentia in Ecclesiam non admittit.

Idem tom.8.

Greger.10.2.

Gregor. homil. in hoc sanctum Euangelium agens in Priscillianistas, ait: *Sed si Euãgelij verba pensamus, quibus de eadem stella dicitur; Vsque dum veniens staret supra vbi erat puer. Dum non puer ad stellam, sed stella ad puerum cucurrit (si dici liceat) non stella fatum pueri, sed fatum stellæ, qui apparuit puer fuit. Sed à fidelium cordibus absit, vt aliquid esse fatum dicant. Vitam quippe hominum solus hanc Conditor, qui creauit, administrat. Neque enim propter stellas homo, sed stella propter hominem facta sunt. Et si stella fatum hominis dicitur, ipsis suis ministerijs subesse homo perhibetur. Certè cùm Iacob de vtero egrediens, prioris fratris plantam teneret manu, prior perfectè nequaquam egredi potuit, nisi subsequens inchoasset: & tamen cum vno tempore, eodemq; momento vtrunque mater fuderit, non vna vtriusque vita qualitas fuit. Sed ad hoc solent mathematici respondere, quia virtus constellationis in ictu puncti est. Quibus è diuerso nos dicimus, quia magna est mora natiuitatis. Si igitur in ictu puncti constellatio permutatur, necesse iam erit, vt tot dicant fata, quot sunt membra nascentium. Fateri etiam Mathematici solent, quòd quisquis signo Aquarij nascitur, in hac vita piscatoris ministerium sortiatur. Piscatores verò, vt fertur, Getulia non habet. Quis ergò dicat, quia nemo illic in stella Aquarij nascitur, vbi piscatura omninò non habetur?* Hæc ille.

Nullum esse fatum stellare.

Gen.25.

Falsum esse illud Mathematicorum: virtus constellationis in ictu puncti est, Gregorius ostendit.

Epiphan.

Aquila primus diuinæ Scripturæ interpres cur pulsus ab Ecclesia.

Epiphanius libro de Ponder. & mensuris scribit, Aquilam Ponticum primum diuinæ Scripturæ interpretem, non alia de caussa fuisse à Patribus de Ecclesia pulsum, nisi ob eam, quod genituram inscriptionibus, & natiuitatum diuinationibus vacaret.

Falsum ergò est, & vanum studium astrologiæ diuinatoriæ: siue astra efficias caussas euentum humanorum, siue illis inclinationem tantùm tribuas, siue significationem: nam etsi interdum inclinandi vim habeant, aut aliquid significandi, pendet tamen res ex tot tantisq; circunstantijs, vt nihil ex arte, certoque prædicere valeant Astrologi, nisi tantùm ex coniecturis voluntarijs, ac plerunque etiam temerarijs & absurdis. Nimirum exquisitissima motus cœlorum, & stellarum ratio, vt Origenes tradit in Genesim, hominum mentem excedit, solisque Angelis nota esse potest atque perspecta. Quamobrem præstat eleuare oculos ad ipsum stellarum Dominum Christum Iesum, veram stellam matutinã, vt ipse pro sua bonitate & sapientia nobis seipsum aperire dignetur, quò eius altitudinem, splendorem, atque firmitatem non solùm spectare, verùm etiam imitari valeamus. Vt eius gratia & spiritu stellæ redditi, alijs Christum commonstremus, atq; in Empyreo cœlo illo splendidissimo reponi promereamur inter astra matutina,

Orig. hom.13.

Quid stella matutina.

Apoc.1.

hoc

hoc est, Angelos, de quibus liber Iob testatur: *Cùm me laudarent astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei.* Nos enim vt astra vespertina futuri sumus, qui Spiritū Christi, cœlestiaque eius dona participamus. Eodem Domino nostro Iesu Christo præstāte: cui cum Patre, & Spiritu sancto detur benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo in secula seculorum. Amen.

Iob. 38.
Astra quænam matutina, quæ vero vespertina.

TRACTATVS XL.

Matth. 2.

In illa verba: *Audiens autem Herodes Rex, turbatus est, & omnis Hierosolyma cum illo. Et congregans omnes Principes Sacerdotum, & Scribas populi, sciscitabatur ab eis, vbi Christus nasceretur. At illi dixerunt ei, In Bethleem Iudæ: Sic enim scriptum est per Prophetam: & tu Bethleem terra Iuda, &c.*

Herodes Rex cur turbatus est.

QVÆ præcedenti tractatione de Magis, de loco vnde profecti sunt, de tépore, quo iter illud emetiri potuerunt, de stella, itemque de rationibus, propter quas euanuit in eorum in Hierusalem introitu, quæ videbantur alicuius esse momenti, ac ponderis, Deo fauente explicuimus: nunc leuiora quædā ac faciliora nobis expedienda sunt. Addit igitur Euangelista: *Audiens Herodes Rex, turbatus est.* Herodes, quoniam alienigena; & inuasor regni, atq; iniustæ fidei possessor, meritò quidem turbatus est; nec tam ipse, quàm in eo diabolus, qui timebat Regem successorem cœlestem, sicut Herodes terrestrem. Et vide (quæso) quàm aptè, quàm verè poeta quidam dixerit:

Diabolus cur etiam ipse turbatus sit.

Sæpius ventis agitatur ingens
Pinus, & celsæ grauiore casu
Decidunt turres feriuntq; summos
Fulgura montes.

Horat. lib. 2. carm. ode 10.

Et profectò sine ratione insaniebat Herodes: Nam aut Iesum credebat Christū Regem futurum, aut nō credebat. Si credebat minimè ille debebat Deo repugnare, nec in stimulum calcitrare: vnde Ecclesia admirata tantam Herodis insaniam, cantat:

1. Ratio, Herodes quare turbari minime debebat.

Hostis Herodes impie
Christum venire, quid times?
Non eripit mortalia,
Qui regna dat cœlestia.

Si verò non credebat Iesum Regem futurum, debebat certe contemnere, & nō turbari. Sed nimirum non est nouum, nec insolitum, ex affectibus & suspicionibus propriis perturbari hominem ac commoueri. Erat enim sui amore excæcatus, atq; ex superbia omnium regina vitiorum, & matre, in inuidiam, odiū, iracundiam atq; rabiem præcipitat': ex quo ali' Poeta rectè cecinit:

Nulla fides regni socijs, omnisq; potestas
Impatiens consortis erit: nec Gentibus vllis
Credite: nec longe fatorum exempla petantur:
Fraterno primi maduerunt sanguine muri.

Lucan. lib. 1. prope initium

Refert Eusebius Cæsariensis, Vespasianum Imperatorem omnes de domo Dauid iussisse interfici, quia timebat priuari regno Iudææ. Vt ergò nō contristabit iustū quicquid ei acciderit; ita è cōtrario semper præsumit, sæua perturbata conscientia. *Et omnis Hierosolyma cum illo.* Mirum non est, si Herodes turbetur: sed cùm Hierusalem ciuitas Dei, quæ visio pacis interpretatur, cum Herode turbatur, quis non miretur? Illud ergò, Omnis Hierosolyma, vel hyperbole est, vel modus loquendi. Et quātum possit Principis malum exemplum ad quodcunque vitium, ille, vel flagitiū flectere voluerit populum, hinc manifestum est. Caput impium membra suæ impietati cōformat: Et si lux tenebræ sint, ipsæ tenebræ quantæ erunt? Sed vt ille dixit, Componitur orbis Regis ad exemplum; &, secūdùm iudicem populi, sic & ministri eius; & qualis rector est ciuitatis, tales & inhabitātes in ea. Principes Iudæorum, quia cōsentiebant Herodi, perturbantur, alij verò ministri adulandi gratia, alij verò etiam, quoniam timebāt bellum à Romanis. Quicquid enim delirant Reges, plectuntur Achiui. Quemadmodum certantibus inter se ventis mare concutitur, ita Principibus dimicātibus populus expilatur, atque vexatur. Boni verò noua de re, & insolita admirati, sancta quadam timoris specie perturbabantur. *Et congregans omnes Principes Sacerdotum, & Scribas.* Per Principes Sacerdotum intellige viginti quatuor primarios familiarū Sacerdotes, qui per vices partiti sunt ministeria, de quibus meminit lib. 1. Paralip. Vel quia Romanorum tempore venale erat, vel annale Sacerdotium; vel quod plures erāt: vnde in Euangelio sæpè legimus Principes Sacerdotum, & summum Pontificem: sed vnicus erat summus, etiā cùm Annas Iesum remisit ad Caiphā, Scribæ, Doctores erant seculares; quorum erat munus, vt consulti ex Prophetarum libris responderent, non secus, atque aruspices in rebus dubijs ex Sibyllæ libris apud Romanos respondebant: & quos Matthæus & Marcus Scribas vocāt, Lucas Legisperitos vocare solet, Hebraicè Sophrim, non tam à Saphar, qđ est scribere quāSepher, quod est liber siue litera: vt sint Sophrim quasi librarij, ab euoluēdis libris

Euseb. lib. 3. hist. Eccles. c. 12. tom. 1.
Prouer. 12.
Sap. 17.
Hierosolyma quid sonet quomodo omnis Hierosolyma dicitur turbata.
Matth. 6.
Claudian.
Eccl. 10.
Cur Herodes nato Christo turbatus sit, & omnis Hierosolyma cum illo.
Horat.
Principes Sacerdotum hoc loco qui.
1. Paral. 24. & seq.
Ioan. 18.
Scribæ apud Iudæos qui, eorumque munus quod.

sacris, aut literati. Vnde de Esdra dicitur: *Et ipse Scriba velox in lege Moysi*, id est, librarius dexter, & expeditus. Saphar etiā apud Hebræos significat recensere, & nunciare: quòd illorum esset Scripturas populo annunciare, & exponere. Apud Græcos Scriba dicitur γραμματεὺς scriba publicus, & cancellarius, cuius munus est publica scripta & decreta seruare, eadem si poscerentur, legere. Sic Saraias dicitur Scriba Dauidis, & Sobna Scriba Ezechiæ. Sciscitabatur ab eis vbi Christus nasceretur, vel, vbi Christus nasci deberet, vt Græcè legitur: Possunt Hæretici, & curiosi Scripturas tractare, verum in suam, & aliorum perniciem, vt ait B.Petrus: adeò multum refert quo animo quisq; accedat ad Scripturas legendas. Non dixit, vbi natus esset, dixissent enim se nescire, sed vbi nasci deberet secundùm scripturas. *At illi dixerunt, in Bethleem Iuda.* In primis considera congregationem illam, vbi erat positus spiritus veritatis, interpretatioque sacrorum librorum, non potuisse non proferre veritatem, etiamsi illam non sequeretur. Quod si Iudæorum Deus Synagogæ adstitit in eruēdo vero sensu Scripturæ; quanto magis Ecclesiæ suæ Christi sponsæ, cui promisit se cum ea permansurum in æternum? Ergò isti dicunt, & non faciunt. quia sine amore & humilitate tractant Scripturas. Vnde surgunt indocti, & rapiunt cœlum: docti verò, atque literati cum sua scientia demergūtur in infernum. Ac vt fabricatores arcę Noe in eam ingressi non sunt, vt fierent salui: sic isti veritatem, quam non sequuntur, docent. Quærenda igitur veritas est in Ecclesia Dei, atque ab eius Doctoribus, tametsi sanctis alioqui moribus præditi non sint: quia sibi ipsis obsunt tantùm, nobis verò prosunt. Quod quoniam seculi nostri homines minimè considerarunt, in perniciosos, ac turbulentos errores abiêre præcipites. Magi nouerunt tempus natiuitatis, Sacerdotes locum & familiā, quiuis enim in Dei Ecclesia talentum suum ad aliorum vtilitatem conferre debet, vt vnus ab altero addiscere non dedignetur. Sic enim scriptum est per Prophetam: *Et tu Bethleem terra Iuda.* Rupertus Tuitiensis super prologum in Michæam prophetam: *Solis Dauidi, & Michææ*, inquit, *reuelatus est locus Christi nascituri, nempe Dauidi.* Psal. 131. *Ecce audiuimus eam in Ephrata*, id est, Bethleem, vt habes Genes. 35. Existimat enim iuxta literalem sensum, cū accepisset promissiones Christi de semine suo nascituri, locum quoque scire voluisse vbi nasceretur, & pro hoc desiderio vouisse, vt nullam suo corpori requiem indulgeret, nisi prius desiderata rei notitiā consequeretur: & tunc dixisse: *Ecce audiuimus eam in Ephrata.*

Scribæ Hebræis vnde dicantur.
1. Esdr. 7.
Saphar Hebraice quid.
2. Reg. 8.
Isai. 36.
Hæretici tractatores Scripturarū quales.
2. Pet. vlt.
Ecclesiæ Spiritum sanctum assistere.
Ioan. 14.
Matth. vlt.
Suprà 23.
Gen. 6.
1. Pet. 3.
Veritas vbi quærenda tantummodo.
Matth. 25.
Mich. 5.
Ruper. Tuitien.
Psal. 131.
Gen. 35.

Quantum ad Michææ testimonium paucula quædam mutata sunt, quod ad verba attinet, & in speciem videntur contraria, vt annotauit B.Hieron. nihil tamen sensui officiunt. Nam in primis quod hic dicitur: *Et tu Bethleem terra Iuda*, in Hebræo habetur: *Et tu Bethleem Ephrata.* Sed certè declaratio est dicti prophetici: vnde in Genesi dicitur: *Mortua est Rachel, & sepulta est in via quæ ducit Ephrata*, hęc est Bethleem. & libro Iudicum dicitur: *Bethleem Iuda.* Et ipsemet Propheta dixit: *Paruulus es in millibus Iuda*; vt intelligamus loqui illum de Bethleem Iuda: vt non solùm locus significetur, sed & tribus, vnde Messias ortus est. Deinde illud: *Nequaquam minima es in principibus Iuda*, in lectione Veteris Testamenti sic habet, *Paruulus es in millibus Iuda*: vbi in duobus videtur dissentire Euangelista à Propheta. Primum, quia Euangelista dicit, *nequaquam minima es*, Propheta verò, *paruulus es.* Deinde vbi in Hebræo habetur, *in millibus Iuda*, Euangelista scripsit: *In principibus Iuda.* Sed hæc facilè redigi possunt in concordiam. Existimat B.Hieron. in cap. Michęæ 5. hoc testimonium prolatum ab Scribis, nec cū Hebræis, nec cum Septuaginta versione interpretum conuenire, putatque Euangelistam studiosè, ita vt ab Scribis & Sacerdotibus erat corruptè prolatū, posuisse, quo illorum argueret erga diuinæ Scripturæ studium negligentiam. Quæ si vera sunt, vt à tanto Doctore Ecclesiæ cum ratione dicuntur, cessat profectò omnis dubitatio, cur videlicet cū negatione sit dictū, quod Hebræa veritas, & Septuaginta duo interpretes circa negationem affirmarunt, cum Chaldæo paraphraste. Neque placet commentum Erasmi, qui existimat fidem nequaquam periclitari, si dicamus, Apostolos in citandis Prophetarum testimonijs memoria lapsos fuisse: quod accepisse videtur ex commentarijs Hieronymi in idem cap. 5. Michęæ, vbi sic habet: *Sunt autem qui asserant, in omnibus penè testimonijs, quæ de Veteri Testamento sumuntur, istiusmodi esse errorem, vt aut ordo mutetur, aut verba, & interdum sensus quoque ipse diuersus sit, vel Apostolis, vel Euangelistis non ex libro carpentibus testimonia, sed memoriæ credentib. quæ nonnunquam fallitur.* Hæc ille. Sed certè B.Hieronymus nihil de suo in hoc dicit, tantùm aliorum sententiam prodit, etsi de more eam suo non impugnauerit. Absurdissimū verò, ac nimimè ferendum est verbū Erasmi illud tam constanter asserētis: Nam si Apostoli aliquādo lapsi

Hæc lectio Matthæi: Et tu Bethleem terra Iuda, cum illa: Et tu Bethleem Ephrata, quomodo conueniant.
B. Hieron. in Matt. tom. 9. initio.
Gen. 35.
Iudic. 19.
Mich. 5.
Conciliatur illud in eodem testimonio. Nequaquam minima es in Principibus Iuda, cum eo: paruulus es in millibus Iuda.
B. Hieron. to. 6.
Apostolis in proferendis Prophetarum testimonijs memoria lapsis [illegible] non [illegible] Erasmus.
Si vel minimum in Apostolis memoriæ lapsus

[...]ixisset, aut vllū [...] Scripturis [...]endacium, [...]uid confe[...]uetetur.

apsi memoria sunt, profectò Spiritus sanctus, qui per eos loquebatur, & scribebat, memoria esset lapsus. Deinde si vel vnum aliquod in Scripturis mēdacium sacris admittas, totam eius autoritatem mutare, atque vacillare necessum sit, vt acutè non semel B. dixit Augustinus. Hoc igitur omnibus constitutissimum debet esse, nullam fuisse in Apostolis, ne minimam quidem oscitantiam, aut vllum omninò memoriæ lapsum, tametsi aliter intellectui nostro videatur interdum.

[...] solutio.

Quod ergò ab Euangelista dictum est: *Nequaquam minima es*, haud repugnat ei, quod dicitur: *Paruulus es*, si hoc dictū Prophetæ in Hebræo per interrogationem, vel admirationem, vel per ironiam accipiatur, vt quidam accipiunt: nam si cōsentiret cum eo: *Nequaquam minima es*, scilicet in edendis principibus, & inter primas nobilitate vrbes. Deinde illud quoque dici potest, Verbum *paruulus*, quod Hebræa lingua profertur צעיר Zahir, bifariam accipi posse, scilicet in neutro genere, & in masculino. Primo modo significat; parū: vox enim masculina, vel fœminina solet supplere neutrum genus in Hebræo, vt sit sensus: Tu Bethleem Ephrata, parum est, vt sis inter Principes Iudæ. Et hoc idem est cum eo, quod ait Euangelista: *Nequaquam minima es*. Quod si legas in masculino, vt Hieronymus fecit, & Septuaginta; vertendum est in hunc modum: minor es, quàm vt sis inter Principes Iudæ. Et sic Chaldæus habet: *Quodam modo minor fuisti, quàm vt numerari potueris inter Principes domus Iuda*. Quod quidem verbis alijs dixit Euāgelista: *Nequaquam es vel minima*. Quod Septuaginta interpretes versione sua confirmare videntur, qui habent, καὶ σὺ Βηθλεὲμ οἶκος Ἐφραθα ὀλιγοστὸς εἶ τοῦ εἶναι ἐν χιλιάσι Ἰούδα. Id est, & tu Bethleem terra Ephrata, parua esses in millibus Iuda: scilicet cùm ex te proferri debeat Messias, parua esses, si tantùm conferenda esses cum millibus Iuda. Licet prēstare videatur prior lectio. Quod [...]icas; Septuaginta verterunt, vt Hieronymus, masculinè: *Sed isti*, ait Osiander, *solùm verterunt quinque libros Moysis, vt quidam tradunt. Chaldæo autem paraphrasti, ac Iudæis recentioribus oppono ipsos Scribas ac Pharisæos, qui sic hanc sententiam Herodi retulerunt, quam etiam bona fide Matthæus retulit. Atque ita est sensus mirificus: Quia ex te exiet Dux Messias, nequaquam minima es: vel, Parum est, & non decet dignitatem tuam, vt sis, & numereris inter Principes Iuda, verùm maiori honore digna es.* Hæc est Osiandri interpretatio, quæ vt quidam volunt nōnulla falsa inculcat. Pri-

Osiandri [...] [...]etici inter[...]retatio.

[...]llius incom[...]oda.

num, quod masculinum nomen pro neutro accipitur nunquam apud Hebræos. Deinde Hebræa illum sensum habere non possunt: nam similiter Isai. quadragesimo nono habetur: *Parum est, vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob*, vbi similis est locutio, qualis hic in Michæa, & lōgè alia phrasis, & sensus. Vel quod ait Propheta: *Paruulus es*, intellige ante natum Christum Messiam. Id verò dictum Euangelistæ: *Nequaquam minima es*: referendum est ad tempus post Christum natum, vt ita Scribæ, & Euangelista potiùs explicare voluerint, quod sensit Propheta, quàm ad literam testimonium eius obscurum reddere. Sicut qui in Bethleem nascitur, minimus est, & non minimus. Minimus est Christus, quia ait: *Vermis sum, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis, nouissimus virorum, & sciens infirmitatem.* Nequaquam autem minimus, quia dedit ei Pater nomen, quod est super omne nomen, & cui data est omnis potestas in cœlo, & in terra. Hanc Rupertus Tuitiensis sic dissoluit dissonantiam: *Perspicuè, inquit, litera consonat. sed in sensu clara dissonantia est, vt cum Propheta dixit, paruula es, subaudias, in oculis omnium hominum. Et cùm Euangelium dicit, nequaquā minima es: subintellige, apud Deū.* Hæc ille, innuens de illa ciuitate duo: alterum quod prima facie hominum apparebat, alterum, quod sub litera delitescebat. Erat quippe Bethleem ciuitas parua quidem illa diuitijs, populi frequentia inter milia Iudæ, & hoc ad aspectum hominum: eadem appellabatur tamen *Ephrata*, id est, frugifera, quoniam ex ea egressurus erat dominator Israel; quare secundùm aspectum internum & spiritualem beata est & magna.

Isa. 49. & Act. 13.

Christus idem minimus, & non minimus quomodo.

Psal. 21. Isai. 53. Philip. 2. Matth. vlt.

Ruperti Tuitien. lib. 1. in Matth.

III. solutio.

Isai. 16.

Quod etsi ad literam de illo oppidulo intelligatur; præcipuè tamen, ac iuxta spiritum de vera Bethleem, veraque Ephrata, id Maria Virgine, vera panis domo, vereque frugifera, quæ paruula fuit, & magna in millibus, & in Principibus Iuda: nimirum inter Principes Angelos, atque homines, id est intelligendum. Paruula quidem natura, & sexu, quia mulier, & quia parua in oculis suis per humilitatem, ob quam fecit sibi magna qui potens est: Fuit tamen magna ac frugifera, quia dedit salutem mundo, Panemque Angelorum homini porrexit. Itaque quod Euangelista pronūtiauit: *In Principibus Iuda*, Hieronymus ac Septuaginta verterunt: *In millibus Iuda*. Siquidem verbum Hebrēū, *Bealphe*, æquiuocum est ad significandum millia, vt explicarunt illi duo, & ad significan-

Bethleem siue Ephrata, quo modo Maria Virgo dici possit.

Hæc parua & magna quo modo fuerit in millibus Iuda.

Luc 1.

Hæc etiam quomodo cohæreant: In principibus Iuda; &, In millibus Iuda.

Hieron. to. 9. initio.

dum Principes, quomodo transtulerunt Scribæ & Pharisæi, & Chaldæus quoque interpres transtulit. Et si legas, millia; significat multitudines, nempe; Paruum est, vt sis in multitudinibus tribuum, id est, vt sis in numero vrbium, quæ sunt plurimæ in Iuda. Quemadmodum Deuteronom. 33. dicitur: *Hæ sunt multitudines Ephraim, & hæc millia Manasse.* Vt enim Christus ab Sponsa in Canticis dicitur: *Candidus & rubicundus, electus ex millibus*: Bethleem in millibus est eiecta, vt in ea Christus in lucem ederetur. Si verò legas, *Principes*, siue inter tribuum Principes, sicut Chrysostomus legit (homilia in Gentiles: *Quod Christus est Deus*) *Hoc verè dicens*, inquit, *Hierusalem quoq; comprehendit: Nam omnis orbis Bethleem confluit, vbi natus positus est: & nobilis factus est locus ille non alia de caussa quam hac sola.* Sic ille: sensus esset; parum est te esse inter omnes ciuitates illas Iudæ principales, quæ omnes illas excedis.

Posterior lectio, scilicet: In millibus Iuda, quem sensum habeat. Deut. 33. Cant. 4. Prior lectio illa, In principibus Iuda, quid significet. Chrysost. tom. 3. à medio. Luc. 2.

Sequitur: *Ex te enim exiet dux.* Dux Hebraice Moschel, Græce ἡγούμενος, id est, Princeps, siue Imperator, vel Dominator. Chaldæus Paraphrastes vertit: *Ex te exiet mihi Messias.* Et fœminæ, quos pariunt, viris suis pariunt, à quibus vim generandi acceperunt. Porrò, quia sacra Virgo à solo Deo filium accepit (quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.) Idcircò, qui ex Virgine Princeps exijt, soli Deo exijt. Et rectè vocat Christum, Ducem, qui ab initio pastores duxit per Angelos & Magos per stellam ad se existentem in præsepio. Vt enim olim exijt ex te Dauid in specie paruulus, qui postea euasit Rex Israel, in typum futurorum, ita modò ex te prodibit verus Messias, & figuratus Dauid, qui regat vniuersos electos, qui nomine Israelis intelliguntur: *Qui regat populum meum Israel.* Græcè ποιμανεῖ, id est, vt pastor reget, non vt lupus, vel vt alij vertût: *Qui pascat populum meum Israel.* Pascit autem Christus, quia panis est Angelorum: ob id natus in domo panis, vt pastor bonus, qui gregem ducit ad pascua. Regere verò, est rem populi agere, suis faciendo expensis, vti populus Deo seruiendo, secum conregnet.

Moschel Hebrais, Græcis ἡγούμενος ducem significat. Messias dux Israeli non Viri genitus, sed Deo exijsse dicitur. Matth. 1. Dauid Bethleemita Christi typus. 1. Reg. 16. 2. Reg. 2. & Infrà 5. Israelis nomine electi designantur. Qualiter quomodo Christus. Psalm. 77. Ioan. 10. & seq.

Nam, vt dicitur, seruire Deo, regnare est. Regnare verò, si iuxta formam fiat, à Deo præscriptam, seruire est potiùs ciuibus suis, quàm dominari, iuxta verbum Domini: *Reges gentium dominantur eorum; & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic: sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor; & qui præcessor est, sicut ministrator.* Est autem exemplar boni Principis Moyses, qui audacter loquitur in faciem Pharaonis pro populo suo, etiam si non ignoraret inde fore offendendum: pro populo ergò orat atq; obsecrat: erat enim vir mitissimus: nocentes punit, innocentes defendit: e vitæ concessurus orat Deum, vt prospiciat de successore. Ille vt pastor bonus regebat, ac gubernabat. ¶ Ac malitiosè quidem videntur Scribæ, atque Sacerdotes, verba quæ sequuntur, silentio suppressisse, & quæ poterant à cæde meditanda compescere Herodem, nempe: *Egressus eius ab initio à diebus æternitatis.* Nam, *In principio erat Verbum, & hoc erat in principio apud Deum.* Ne ergò putaremus, Messiam tantùm hominẽ esse, qui ea ratione natus est in Bethleem; addit generationem eius æternam, per quam verus Deus ostenditur, de quo Salomon: *Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret.* Profertur autem in numero multitudinis egressus, siue egressiones eius, cùm de Sole in singulari dicatur: *A summo cælo egressio eius*: quoniam Filius non è cognitione diuinæ essentiæ egressus est tantùm, sed etiam ex cognitione bonitatis, sapientiæ, potentiæ, misericordię, & aliorum attributorum Dei. Vel in plurali tantummodò, quia semper procedit à Patre iugi emanatione, ac processione: quia enim apprehendit illam homo, vt præteritam, & vt præsentem, atque vt futuram, plures vocat; cùm tamen vna sit tantùm æterna egressio. Vel etiam in plurali, ob æternum ortum à Patre, & æternam in Dei prædestinatione generationẽ à matre.

Regere quid sit. Luc. 22. & Matth. 20. Veri Reges seruiunt potiùs, quàm regnant. Exemplar boni Principis est Moyses. Exod. 5. & septim infra. Infrà 32. Num. 12. Infrà 27. Deut. 3. Scribarum ac Sacerdotum nequitia. Mich. 5. Ioan. 1. Cur post illa verba Mich. Ex te exiet mihi dux, &c. subiunxerit, Egressus eius ab initio à diebus æternitatis. Prou. 8. Psalm. 18. Cur dictum in plurali sit à Propheta Egressus, siue egressiones eius ab initio ad diebus æternitatis. II. Ratio. III. Ratio.

Peccarunt autem Scribæ & Sacerdotes tam infideli & impio tyranno secreta Regis prodendo, vt docet autor Operis imperfecti in Matthæum: nec in similibus erat obediẽdum, quem probabiliter nouerant cædem eius designaturum; cùm Tobias capite duodecimo dicat: *Sacramentum Regis abscondere bonum est.* Deinde quia partem illam prophetiæ, (quæ poterat Regis iram & furorem mitigare ex parte, atque à cæde puerorum cohibere, studiosè videntur amputasse.

Principes Sacerdotum, & Scribæ, cur peccauerint, Herodi impio ortus Messiæ locum indicantes. Autor oper. imperf. in Matt. tom. 3. 10. 2. operum B. Chrysost. initio. Tob. 12. II. Ratio. & III. & quod significauerint.

Item quoniam tyrannum benè instruere nouerunt, se ipsos verò minimè docuerunt. Significarunt etiam, teste Augustino, apud solos Iudæos diuinas Scripturas remansuras, quibus Gentes instruerentur, Iudæi excæcarentur.

Aug. quodam loco.

Porrò hoc loco perpende varias scripturas tractandi rationes. Scribæ enim, & Sacerdotes illas versant tantùm, vt sciant, alijsque illas ostentent, & commonstrent, ipsi verò eas non sectantur: Herodes Scri-

Quot modis contingat tractare Scripturas.

pturas

pturas quærit, vt veritatem quidem non ignoret, sed ad nocendum: Magi verò, vt agnitam veritatem amplectantur, & factis exprimãt. Ita etiam nostro seculo alij scripturis vacant, vt docti sint, & alios docere valeant; alij verò, vt inde testimonia sacra venentur, quibus suas hæreses (quibus sibi ipsis atque alijs exitio sunt) fulciant; alij, vt agnitam Dei voluntatem ac veritatem Catholicam consectentur. *Tunc Herodes clam vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus stellæ, &c.* Clam agit Herodes cum Magis, quia non fidebat Iudæis. Locum didicerat à Sacerdotibus, tempus ortus eius discere voluit à Magis; vt ita nouus Rex nõ posset eius manus effugere, etiamsi Magi ad se non redirent: & ne postea existimarent, ipsum causam necis fuisse: tum ne Iudæi tuerentur, ac custodirent paruulum Messiam: quo modo Iosaba soror. Ioram à nece Athaliæ seruauerat Ioas: & nota verbum, *diligenter*. Siquidem partim timebat, ne esset illusio: partim cogitabat quærere & occidere, etiamsi Magi non inuenirent, & quia multi seduxerant populum nomine conficto Messiæ, tempus nesciebat & locum: *Ite, & interrogate diligenter de puero.* Non dixit de Rege hoc: quia Regi nomen ferre non poterat. Non iuit cum eis primùm, vt tolleret suspicionem Iudæorum, & parentum Christi in Bethleem. Deinde ne præ se ferret leuitatem: vel quia non omninò credebat, vel quia nesciebat si certò inueniret: ignorabat simul an stella esset apparitura amplius. Tum etiam, quia Deus mouit ad non eundum, in pœnam eius. Nam si vnà venisset cum Magis: vel impediti fuissent Magi ne Christum viderent: vel vidente Herode necaretur Christus, vel ab Herode persecutionem pateretur ante tempus, vel miraculo sese subtraheret inde atque defenderet. Simili ratione respondendum videtur cur Herodes aliquem non miserit cum Magis, saltem prætextu deducẽdi Magos per viam. Nam hoc euenit, ne videretur leuis corde citò credens: & ne redderet se suspectum illis, tum vt obseruaret, an Magis se quispiam adiungeret ex Iudæis, in quem vt factiosum ac rebellẽ posset animaduertere: vel Deus fortè illi consilium præripuit, mentemque cœcauit. Sed quid est, quod multi probi Hierosolymitæ nõ sunt profecti cum Magis in Bethleem? Timuerunt fortasse Herodem, & noluerunt cum periculo videre Messiam: aut Spiritus Domini eos ire non permittebat. Stella gentes nõ Iudæos vocabat: nam Iudæi per Angelos erant vocãdi prius in pastoribus: nolebantq; sine causa irritare Herodem: qui excœcatus est. Ait verò: *Interrogate*, quia tunc stellam non habebant: ideò opus erat interrogatione: *Et cùm inueneritis, renuntiate mihi*, id est, per nuncium significare: alias non tacitè, nec secretè res fieret, vt Herodes volebat. Nũquam ergò Christus tutus est ab ijs, qui dominari appetunt, dominumque, aut ambitum quærunt, aut quæsitum retinent, aut ampliare contẽdunt. Gerità; typum Herodes eius rei, quæ frequẽter accidit. Monẽdus est concionatori princeps rei alicuius malè partæ: princeps verò cùm latranti prædicatori offam inijcit, vt taceat, tunc extinguere cupit Christum, vt Herodes. *Vt & ego veniens adorem eum.* Hoc dixit fraudulenter, vt placeret Magis. Enimuerò Christus ipse deludit illusores, & cum simplicibus sermocinatio eius. Simulata religione igitur seruit tyrannus tyrãnidi, & tempori, & fictus vel inuidus nequit inuenire Christum, nedum crudelis ac sæuus. Neq; statim promittentibus credendum est Hæreticis, vel Scripturas citantibus: quia dolis & mendacijs agunt. *Qui cùm audissent Regem, abierunt.* Audierunt in bonis, in malis autem non cõsenserunt. Figurabant enim bonos auditores, qui bona quæ audiunt à malis prædicatoribus faciunt: eorum verò opera nequaquam imitantur. Abierunt ergò nihil mali suspicantes: vera enim charitas non est suspiciosa, nec cogitat malum. Sic Abel exiuit cum fratre in agrum, nihil mali suspicatus, vbi est occisus: sic Ioseph à fratribus suis, citra vllam suspicionem suam est venditus. Sic etiam Vrias Hetthæus fortiter pugnauit, ignorans dolum sibi paratum, & structas insidias. *Et ecce stella quam viderant in Oriente.* Diximus stellam euanuisse in ingressu Hierosolymæ; quo edocerentur Magi de Prophetæ testimonio, etiam per malos; & Iudæis purgandi se præcidatur omnis occasio, asserentibus fortasse non esse natum in Bethleem; ne stella ab omnibus perspecta & cognita, quod Messiæ ortum ponderet, redemptio impediretur; & Magos insecutus esset Herodes. Adhæc vt homo non in omnibus reuelationem quærat, vt quisque discat se abscondere & custodire ab Herode, scilicet dæmone insidiante; & vt Iudæorum designaretur excœcatio. Poterat verò stella non apparere, ac proinde non videri: vel quia resoluta esset in præiacentem materiam; vel quia destituta luce & calore, oculos non excitabat intuentiũ; vel quia reducta ad punctum, vt corpus Christi in Eucharistia; vel quia nimis eleuata, vt cerni non posset, vel quia translata alio;

Marginal notes (left): Cur Magos clam Herodes vocarit. — 4. Reg. 11. — Herodes cur diligenter tempus stellæ didicerit — Quare cum Magis ad populum adorandum Herodes non venerit. — Cur è suis aliquem cum Magis Herodes non miserit. Eccl. 19. — Boni Hierosolymitæ aliqui, quare non ierint cum Magis ad Christũ adorandum.

Marginal notes (right): Luc. 2. — A quibus tutò Christũ viuere non liceat. — Cur Magis Herodes dixerit, vt & ego veniens adorem eum. Prou. 3. — Magi audientes Regẽ, haud tamen consentientes quorũ typus. — 1. Cor. 13. Gen. 4. Infrà 35. — 2. Reg. 11. — Cur Magis stella euanuerit Hierosolymã ingredientibus. — Quomodo euanuerit stella

alio; vel denique quòd intuentium omnium oculis, pręter Magos esset obiectum aliquod impedimentum: quod quidem impedimentum Græcè dicitur, ἀορασία, vel ἀορασία. Stella ergò apparet, victo Herode: quoniam, expugnato dæmone, fides nostra splendescit: nec quiescit, donec perueniat ad Christum suum. *Vsque dum veniens staret supra vbi erat puer.* Ergò demisit se stella, & teste Maximo, maiores, clarioresque emittebat radios, qui locum, ac pueri præsentiam designabant: quod ad consolationem Magorum factum esse, perspicuum est. Atque initia, & exitus huius peregrinationis Magorum tranquilla, atque pacifica extiterunt: aliàs potuissent quærere nuper natos infantes in Bethleem. Quem quidem puerum vel agnouerunt ex ætate, vel spiritu interno, vt Simeon in templo cognouit Christum; vel ex fulgore vultus, vt quando etiam eiecit ementes & vendentes de templo, ac vocauit Apostolos. Et quæ pueri erant, agebat Christus seriò, ac cum ratione, sed nihil prorsus fatuum. *Videntes autem stellam, gauisi sunt gaudio magno valde.* Si tantopere delectat stella visa, quid Sol ipse iustitiæ Christus visus? Et ob id consolationes interdum subtrahuntur, vt postea restitutæ dulciùs nobis sapiant. *Et intrantes domum.* Theophylactus virginem annotauit puerum in præsepi reclinasse, propterea quòd non inuenerunt domum. Verisimile est autem eos postea inuenisse habitationem aliquã, in qua & visus est & adoratus à Magis Dominus. Idem ante eum docuit Epiphanius in Alogianos, his verbis: *Quare & Magorum aduentus contingit circa talem casum, ita vt non æqualis fuerit tunc habitatio Mariæ & Ioseph, ei, quæ apud Lucam propter descriptionem relata est. Non enim inuenerunt Mariam in spelunca, vbi peperit, sed, velut Euangelium habet: Deducebat,* inquit, *ipsos stella vsq; ad locum vbi erat puer, & ingressi in domum inuenerunt puerum cum Maria: non amplius in præsepi, non amplius in spelũca, sed in domo, vt cognosceretur veritatis certitudo, & temporis duorũ annorum spatium, ex quo natus est, donec accesserunt Magi.* Hæc ille. Sed sicut fundamentum biennij lapsi in aduentu Magorum ab Epiphanio assertum, falsum est: ita etiam quod infert, non inuentum Christum in spelunca & præsepio. Cæterùm his contraria sentire videtur Euthymius, qui ait: *Domum hic tugurium vocat, quod Lucas diuersorium dixit. Domus nempe erat, quòd vtrumque inhabitaretur; diuersorium autem, tanquam sedes ac mansio ingredientium.* Atque hæc sententia magis mihi placet: quia magis consonat cum patribus, præsertim verò cum autore Operis imperfecti in Matthæum, vbi ait: *Denique quos vocauerat, & ad præsepe illum stella praeunte deduxerat, eis non iam per stellam, sed per Angelum loquitur. Ita eos gradatim ad meliora perduxit.* Et homil. 24. in principio ad Cor. ipse Chrysostomus ait: *Hoc corpus (scilicet Christi) reueriti sunt Magi in præsepi, & viri impij & barbari longo itinere confecto cum timore, & tremore plurimo adorauerunt.* Multa etiam Beatus Bernardus in sermon. 1. de Epiphan. tradit quæ aptè insinuant Christum inuentum à Magis in stabulo, & præsepi.

Similia docent Augustinus, & Leo Pontifex in sermonibus de Epiphania: & Ecclesia cantat: *Hodie Magos stella duxit ad præsepium.* Et ante hos omnes Iustinus in dialogo contra Tryphonem ait: *Nato autem tum puero in Bethleem, quia Ioseph in vico eo nõ habuit, quò diuerteret, in specum quendam vico proximum concessit. Atque ibi cùm essent, enixa est Maria Christum, & in præsepi posuit. Vbi eum ex Arabia venientes inuenêre Magi.* Sic Iustinus. Et Hieronymus in epitaphio Paulæ, docens sepultam esse in fronte speluncæ, in qua natus Christus repositus est in præsepio, ait: *Hic præsepium Christi, atque hic mystica Magi munera portantes, hominiq; Deoque dedêre.* Adde quod diuino factum est consilio, vt inueniretur in stabulo, vel in diuersorio à Magis: vt nullus remaneret testis in Bethleẽ, qui assereret in tali priuata domo Magos fuisse, quos ea ratione insectari posset Herodes. Confirmatur etiam hoc picturis Ecclesiasticis. Adhæc maior elucet, & excellentior Magorum fides, & charitas, qui tanta paupertate & squalore stabuli, atque sordibus perspectis, à Christo tamen adorando non sunt absterriti. Magis quoque in stabulo apparet virtus stellæ, indicantis minimis in rebus Christum latere. Quare etsi fieri potuerit, vt cessante multitudine hospitium, in quo non fuerat ei locus, cùm peperit Iesum, postea B. Virgo ex præsepio hospitari posset in domo diuersoria: tamen, quòd seruiebat mysterio summæ Christi paupertatis indicandæ, & declarandæ fidei Magorum, vero videtur similius, Beatam Virginem summè amantem, colentemque paupertatis virtutem, voluntatemque non ignorantem filij, locum mutasse præsepij. Domum ergò vocat diuersorium & speluncam: *Inuenerunt puerum cum Maria matre eius.* Nulla hic mẽtio Iosephi vel aliorum; quò Herodi puer magis celaretur. Nam, vt ait Raban. diuino nutu factũ est, quòd abierit Ioseph: ne aliqua prauæ suspicionis occa-

Marginalia (left): Quid stella, quod abeuntibus Magis, ab Herode iterum apparuit. *B. Maxim.* — Quo modo steterit supra vbi erat puer. Magi Christũ vt agnouerint infantem. *Luc. 2. Ioan. 2. Matth. 21.* — Consolationes interdum cur subtrahantur à Deo. *Theophyl.* — *Epipha. in hæresin 51. inter med. & init.* — *Luc. 2.* — In quam domum intrauerint Magi adoraturi Messiã. — Altera opinio probabilior. — *Euthym. in Matth.*

Marginalia (right): *Autor oper. imperf. in Matt. hom. 6.* — *Chrysost. to. 4.* — *Aug. to. 10. Leo Papa. Iusti. mart. tom. 2.* — *Hieron. to. 9. initio. Luc. 2.* — I. Ratio, ad probandũ Magos in stabulo puerum inuenisse. — II. Ratio, ac III. — *Ibidem.* — Quid est quod Magi inuenerunt puerum cum Maria matre eius sine Ioseph. — *Rabanus in Matthæum.*

occasio daretur gentibus, communi generationis ratione hunc paruulum natum. Nam gentes ex Sibyllinis libris, aut aliunde nouisse poterant Regem, quem quærebant, ex Virgine nasciturum. Vel vt daretur locus Magis cogitandi Messiam Regem, quem vt Deum adorabant, patre in terris carere, & conceptum esse de Spiritu S. natumq; tantummodò ex Virgine matre. Inuenerunt autem puerum cum Maria: quæ in omnibus mysterijs socia, & comes est illi indiuidua.

Matth.1. Luc.1.

Magi cur Christum inuenerint cũ Maria.

Est enim ab æterno prædestinatus Iesus; at non sine Maria. Dictum est de eo: *Adorate eum omnes Angeli eius.* at non sine illa Sion, quæ audiuit, & lætata est: eoque & ipsa super eos est exaltata. Concipitur ex tempore in Nazareth: sed non nisi in Maria assensum præstante: nascitur in Bethleem, sed ex Maria: adoratus est à militia cœlestis exercitus, sed priùs à Maria, quæ prima lactat ac fouet, educatque. Inuenitur & à pastoribus & Magis: semper tamen adest Maria, quæ conseruat omnia verba, conferens in corde suo. Exhibetur in templo, at non sine Maria: secedit in Ægyptum fugiens Herodem, verùm Mariæ in vlnis gestatur. Edit primum miraculum ad nuptias in Cana Galilææ, sed postulante Maria: prædicat turbis, sed contendit audire B. Virgo. Pendet in cruce, sed prima iuxta crucem fortissima Maria exprimitur: deponitur de cruce in sindone munda, sed hic elegans contẽplator agnoscit eam fœminam, quæ verè munda circumdedit virum. Sepelitur in sepulchro nouo, quod excisum fuerat de petra: sed quodnam est sepulchrum aliud, quàm ipsa B. Virgo, quę excisa est de petra, hoc est, de Christo, sicut prima fœmina de costa viri?

Psal.96. & Hebr.1. Luc.1. Infrà 2. Ibidem. Ibidem. Ibidem. Matth.2. Ioan.2. Infra 19. Hierem.31. Luc.23. Dan.2. Gen.2. Mar. vlt. Psalm.67.

Nullus autem anteà in eo positus erat, quia nullus ibi vnquam locus diabolo fuit. Resurgens apparuit mulieribus, deinde discipulis, sed primò Virgini matri. Ascendit Iesus Christus in cœlum: sed vt prima & electissima dona accipiat in Maria. Orãt Apostoli pro aduentu Spiritus S. sed & ibi adest Maria, preces ipsorum fulciens atque perficiens. Sed & Filius ad dexterã Patris: sed & consedere fecit & matrem, vt dignissimam Reginã in vestitu deaurato circumdatam varietate. Denique speratur Iesus venturus ad iudicãdum viuos & mortuos: quis non contempletur eius lateri adesse Mariam? Nam decem virgines (in quibus repræsentatur tota Ecclesia) exierunt obuiam Sponso & Sponsæ, nimirum Christo & Mariæ.

Act.1. & 2. Ibidem. Mar. vlt. Psal.44. Ioan.5. & 2. Tim.4. & sæpè alias. Matth.25. Luc.2.

Porrò Magi & pastores inuenerunt puerum in stabulo, quoniam præfigurant incipientes: Simeon & Anna Christum inuenerunt in templo se Patri offerentem; in quibus adumbrantur proficientes; Maria verò inuenit eum disputantem, atque docentem in templo, & in cruce, eò quòd typum gerit perfectorum. Refert autem Chrysostomus aduenientibus Magis, Mariam Christum tulisse, & ipsum super genua habuisse: quod & Theophylactus Euthymiusque confirmant: & ratione nõ caret. Sic enim melius intuerentur, quem adorare venerant. Pingitur porrò de more B. Virgo cum infante Iesu in vlnis, & pectori admoto, tanquam reliquiæ quædam pretiosissimæ, & agnus Dei, vel monile pendens ex collo; & vt proponat nobis illum ad adorandum, vt Magis fecit; & vt se promptam indicet, atq; alacrem ad illum nobis ostendendum, atque ad oscula etiam amoris imprimenda donandum. Adhæc, quò demonstretur excellentia, pręstantiaque Marię: nam vt B. Catharina cum rota, & B. Laurentius cum craticula, quæ cædis illorum sunt insignia, depinguntur: ita magnitudo & præstantia B. Virginis, qua genuit filium Dei, illumque toti mundo enutriuit atq; educauit (quòd omnes omnium sanctorum prærogatiuas & excellentes animi dotes, quibus illi claruerunt, longè superat) meritò est à nobis meditanda & contemplanda. Denique vt doceat eos, qui matres Christi per Spiritum fiunt, nempe vt glorificent & portent Iesum Christum in corpore suo, vt Paulus monet.

Ibidem. Incipientes, Proficientes, atque perfecti in quibus delineati.

Chrysost. ho. 7. in Matt. to. 2 initio. Theophyl. in Matt. c. 2. Euthy. ibid. Maria Virgo, cur Christum tenens infantem in vlnis depingitur.

II. Ratio.

III. Ratio. 1. Cor. 6.

Et procidentes adorauerunt eum. Verbum procidentes, Græcè est πεσόντες, hoc est, prostrati corpore, tum animo. In more positum erat, vt Reges à Persis nonnisi prostrati corpore adorarentur. Vnde cùm Alexander Magnus eum honorem à Macedonibus cœpisset exigere, molestus Græcis fuit, vt Q. Curtius est autor. Et ita hi Magi ex Perside profecti fuisse videntur; qui quò magis humilem Christum, atque eius matrem viderunt, eo etiam magis omni cultu & reuerentia, latriaque dignum cognouerunt; ac proinde amplius humiliari debuerunt. Qua ratione Christum in Eucharistia humiliatum, cùm Christiani omnes, tum præcipuè Sacerdotes omni honorificentia, & religionis cæremonia, cultuque prosequi debent. Humilitas autem minimè consistit in fuga, verùm in accessu cum reuerentia ad Sacramentum. Et vbi sunt, qui vix medium genu flectunt in terram ad sacrosanctam Eucharistiæ præsentiam, cùm scriptum sit: *Mihi curuabitur omne genu?* Porrò hoc pastores fecisse,

Magi non minus animo, quàm corpore prostrati Christum adorarũt.

Q. Curtius.

Christus in Eucharistia humiliatus, quanto honore & reuerentia dignus sit.

Isa.45. & Rom.14.

Quid est quod pastores nulla Christo munera dedisse leguntur.

vel obtulisse munera, nequaquam leguntur; nimirum quo quis sapientior est, & in seculo maior vel ditior, eo plus Christum venerari debet, & colere iuxta verbũ Domini: *Cui multum datum est, multum quæretur ab eo.* Ex eo autem quòd illum adorarunt, intellige prestantissimam fuisse Magorum fidem, qua de illud affirmari possit: *Non inueni tantam fidem in Israël.* Vincitque hæc fides, latronis illam, & Centurionis, in cruce exclamantis: quoniam illi aliquid audierant, & cognorant de Christo, atque de eius diuinis operibus: Magi verò nõ item. Habet enim fides lynceos oculos, quæ vna reuelatione, quasi stella cernit Deum in membris infantilibus, summum Regem in palatio stabuli, in throno præsepij, in aulæis aranearum, in purpura pannorum, & bysso, in curia Mariæ & Ioseph, bouis & asini. Cernis quantum penetret fides? Vides naturam fidei, quæ est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium? Sic Abraham credidit contra spem in spem Deo, cùm promitteret filium seni. Sic Moyses educens Israelem populum de Ægypto, etsi ante se haberet mare, credidit tamen: sic Maria Virgo Angelo, quæ supra naturam erant pollicenti, fidem accommodauit suam. Hinc Autor operis imperfecti in Matthæum: *Si Magi,* inquit, *Regem terrenum quærentes inuenissent, confusi fuissent, quia tanti itineris laborem suscepissent: vnde nec adorassent, nec munera obtulissent: nunc verò cælestem Regem quærebant, etsi nihil regalis excellentiæ in eo viderent; tamen solius stellæ testimonio contenti adorauerunt. Vident enim hominem, & cognoscunt Deum.* Hæc ille ferè. Non ergò paupertate offenduntur Magi, sicut nec pastores stabulo, nec latro, & Centurio cruce & morte Domini, sed Regem & filium Dei verum agnoscunt. Adorarunt autem cultu latriæ, quæ soli Deo debetur: nam si vt hominem adorassent, nec dulia, vel hyperdulia pauperem coluissent. Adducitur præterea hoc factum Magorum, qui sunt primitiæ gentium, ad damnandam perfidiam Iudæorum, quoniam non credebant, isti verò etiam Deum eum crediderunt: parum quippe erat, magnum aliquem esse credere. Deinde, propterea hæc dies dicitur *Θεοφανίας*, eò quòd in ea Christus Deus declaratus est, & agnitus. Atque hæc dicimus propter Erasmum, qui aliter docet: nam quomodo Deum adorauerint, explicat Irenæus his verbis: *Matthæus Magos ab Oriente venientes ait dixisse: Vidimus enim stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum; deductosq; à stella in domũ Iacob ad Emmanuel,*

Luc. 2. Infrà 12. Matth. 8. Luc. 23. Matt. 27.

Quàm præstans Magorũ fides: eiusdem efficacia.

Luc. 2. Heb. 11. Rom. 4. Gen. 15. Exod. 14. & seq. Luc. 1.

Autor oper. imperf. ho. 11. in Matt. to. 2.

Luc. 2. Infra 23. & Ibidem.

Quo cultu Christum adorauerint Magi.

Magos Christum verè Deũ cognouisse, & adorasse, cõtra Erasmum Roterodamum.

Irenæus lib. 3. contra Valẽt. c. 10. in princ.

per ea quæ obtulerunt munera ostendisse, quid erat qui adorabatur. Myrrha quidem, quod ipse erat, qui pro mortali humano genere moreretur, & sepeliretur. Aurum verò, quoniam Rex, cuius regni finis non est. Thus verò, quoniam Deus, qui & notus in Iudæa factus est, & manifestus eis, qui non quærebant eum. Ambros. quoque lib. 2. in Luc. *Cognouerunt Magi hanc esse stellam, quæ hominem Deumq; significabat; & adorauerunt paruulum. Vtiq; non adorassent, si paruulum tantummodò credidissent.* Leo Papa serm. 1. de Epiphania: *Adorant in carne Verbum, in infantia sapientiam, in infirmitate virtutem, & in homine veritatis Dominum maiestatis: vtq; Sacramentum fidei suæ, intelligentiæq; manifestent, quod cordibus credunt, muneribus protestantur. Thus Deo, myrrham homini, aurum offerunt Regi, scienter diuinam, humanamq; naturam in vnitate venerantes: quia quod erat in substantijs proprium, non erat in persona diuersum.* Idem Cyprian. serm. de Stella & Magis: *Magi primitiæ gentium sacramentalia munera proferunt de thesauris, & Domino aurum, & odoramenta præsentant, profitentes ex ratione munerum de eo, quem adorabant quid crederent, quid sentirent. In auro Regem, in thure Sacerdotem, in myrrha incorruptibilem, quamuis passibilem profitentur.* Hilarius Canone 1. in Matthæum: *Denique oblatio munerum, intelligentiam in eo totius qualitatis expressit: in auro Regem, in thure Deum, in myrrha hominem confitendo. Atque ita per venerationem eorum Sacramenti omnis est consummata cognitio: in homine mortis, in Deo resurrectionis, in Rege iudicij.* Sic illi Patres. Nisi enim intellexissent, id quod stultum est Dei, sapientiùs esse hominibus, vt illusi recessissent, tanta paupertate & humilitate perspecta.

Verùm incredibile dictu est, quo affectu, iubilo, atque interno gaudio, ex quo illi domum intrarunt, & puerum viderunt, perfusi, atq; repleti sint. Non enim est dubium, quin venientes de finibus terræ, audierint sapientiam Salomonis. Et verisimile videtur, Christum simul cum matre signa edidisse letitiæ de illorum salute, & aduentu. Qui ergò vult esse sapiens, stultus fiat, vt sit sapiens. Sed vt stella, viso Christo, Magis euanuit: sic cognito per fidem Christo, debet mori ratio humana: sicuti & fides per visionem quasi stella euacuatur, atque euanescit.

Procidentes itaque in terram, offerunt Christo corpus: adorantes latria, offerunt animam: aperientes thesauros suos, offerũt quæ habebant, bona tẽporaria. In quo quidem honore Christo deferendo, matrem quoque suo modo venerati sunt. Nam latria, quæ soli Deo debetur, ab hyperdulia,

Magi cur myrrham, aurum & thus obtulerint Christo secundum Irenæum.

Luc. 1. Psal. 75. Isai. 65.

Ambr. li. 2. in Lucam ca. 15. circa me. to. 5. prope initium.

Leo Papa circa sermonis d. med.

B. Cyprian. pau. ò ante med. sermo.

Hilar.

Magos cur minime offenderit Christi nascentis humanitas & paupertas.

1. Cor. 1.

Magorum in signis in Christum pietas & charitas, vnde conspicitur.

Christus & Maria (vt pium est credere) venientes Magos quo vultu exceperint.

1. Cor. 3.

Quibus Christus per fidem innotuit, humanæ lumen rationis, seu stella Magis debet euanescere.

Infrà 13.

quæ

Magos honorem puero, Christo,& matri licet impartem detulisse, vnde sit manifestum.

quæ B. Virgini, non tam signis externis, quàm ipso animo distinguitur.

Gen. 2. & ibi.

Christus & Maria fuerunt vna caro.

Qui ergo adorat filium, adorat & matrem, quoniam filius à matre proficiscitur secundum carnem: quemadmodum mater ex filio secundum spiritum. Verè enim Christus,& Maria fuerunt duo in carnem vnam. Et sicut qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem; ita qui nō honorat matrem, Filio detrahit.

Iom 5.

Magi Christū cum muneribus adorauerint quorum more.

Et apertis thesauris suis. Orientalibus mos erat reges suos cum muneribus adorare; ita etiam nunc Christum postea quàm thesauros Christus suæ diuinitatis Magis aperuerat, similiter aperuerunt & thesauros suos, id est loculos, in quibus ponitur aurum. Et ita significatur mediocris pompa. Ergo non est à ratione alienum asserere hos Magos fuisse regulos opulentos.

Magi Christo quos etiam obtulerunt spirituales thesauros,& vbi.

Qualis puer Christus, qui sapiens.

Aperuerunt etiam thesauros cordis & fidei suæ in domo scilicet, in occulto: *Et obtulerunt ei munera,&c.* Intelligenti, & planè cognoscēti, & pauperi, & regi puero, quod ad ætatem attinet, at viro, quantum ad mentem; & suscipienti per manus matris suę. Itaque non quadrat ei Salomonis dictum: *Væ tibi terra, cuius rex puer est*: Nam Christus ex ventre matris, & à conceptu vir erat, secundum illud: *Fœmina circundabit virum.* Imò potius conuenit illi dictum Prophetæ: *Da imperium puero tuo*, erat enim sapientissimus puer, imperioque dignissimus.

Eccles. 10.
Hier. 31.
Psalm. 85.

Magi cur tria obtulerint munera Christo.

Obtulerunt autem ei munera, numero quidem tria, nam ternarius, primus est numerus pluralis (bimarius enim, siue dualis numerus est infamis) constans ex medio, & extremis, ac conueniens personarum in Trinitatis mysterio, & substantiæ triplici in vna hypostasi, siue persona Christi: itemque fidei, spei, & charitatis, quibus obtulerunt sua munera: in primis aurum, ad subleuandam paupertatem: nam myrrha infantilia consolidantur membra: thure fœtor stabuli excluditur. Neque magnum est, Magos nouisse, in stabulo oriturum eum, vt propterea thus attulerint: sicut cognita eius infantia attulerunt myrrham, & nota paupertate, aurum, quo fulciretur inopia. Vel dici potest, obtulisse eos quæ in patria sua haberentur in pretio, aurum nempe,& odores ac myrrham. Deinde in signum abiectionis suæ, recognitionisque dominij Christi. Item, ad protestandam internam fidem de illo conceptam, intelligebant enim quæ offerebant, diuinitus edocti, vt Iren. Leo Pontifex, alijq; patres docent. Aurū, vt Regi sapientissimo; thus, vt Deo; sacerdotique preces Deo offerenti; myrrham, vt mortali homini sepeliendo, & ad vitam suscitando immortalem, omnia siquidem illa significat myrrha, quę à putrefactione præseruat. Aurum, melius, & præstantius metallum, sapientiam denotat, præstantiorem cæteris omnibus scientijs,& artibus, & quę velut aurum eruitur de occultis, & splendet denique velut aurum.

Ternarij ratio numeri: & qualis binarius sit.

II. Ratio trinæ oblationis Magorum. III. Ratio.

Leo Pont. ser. 1. de Epiphan. Iren. lib. 3. in dicto. c. 10.

Sap. 7.

Aurum, thus & myrrham quare Magi obtulerint.

Hier. 32.

Heb. 5. & 8.

Quia verò sapientis est præcipere, & regere cæteros; ideo in auro cognôrunt Christum sapientissimum, atque Regem; iuxta id: *Regnabit Rex,& sapiens erit*: in thure, quod Deo vni incensum offertur, cognouerunt eum verum Deum, atque verum Pontificem orantem pro nobis, & preces nostras ad Deum offerentem, ita vt per illum exaudiamur, ac boni odoris reddamur: in myrrha verò, in qua est amaritudo,& incorruptio, & odor aromaticus, confessi sunt Christi passionem, & mortem,& sepulturam cum incorruptione, ob latentem deitatis virtutem,& à morte reuocantem. Hęc Poetæ Christiani non ignorarunt. Vnde Sedulius duobus versibus eleganter hæc dona complexus est:

Sedulius.

Aurea nascenti fuderunt munera Regi,
Thura dedere Deo, myrrham tribuêre sepulchro.

Iuuencus.
Hieronym.

Iuuencus autem Hispanus, quem citat Hieronymus, vnico ferè carmine cecinit:

Aurum, thus, myrrham, regique, hominique, Deoque
Dona ferunt.

Et recens quidam, sed tamen catholicus scriptor:

Regia maiestas auro, Deus atque sacerdos
Thure, sed in myrrha significatur homo.

Prudentius quoque sic scribit:

Prudent.

Regem, Deumq́; annuntiant
Thesaurus,& flagrans odor
Thuris Sabei, ac myrrheus
Puluis sepulchrum prædocet.

Magos dicentium vnum duntaxat per se munus Christō obtulisse, refellitur opinio.

Remigius in Math.

Qua ratione quis Magos debeat imitari.

Verisimile autem non videtur, illorum quemlibet vnicum tantùm munus attulisse: nec enim regium munus erat, thus, vel myrrham offerre, cùm regio illa eiusmodi abundet aromatibus: sed quiuis regum ex Remigij sententia obtulit tria munera; quoniam pares erant,& tria illa in muneribus significata mysteria fide acceperant,& oblatione protestabantur ipsa. Ad quorum imitationē debet quisque nostrum triplicem illam dignitatem corde credere, ore confiteri, atq; factis demōstrare Christo infuisse: atque ad hunc modum munera Magorum Christo optulisse censebimur, & festū Epiphanię rectè celebrasse. Habet autem Prouerbium: *Beneficium in puerum*

Beneficium in quem collatum, perit: iuxta Prouerbiũ.
Matt. 10.
Pueri Iesu in Magos suos munificos grati animi significatio.
Infrà 26.

collatum perditum esse. Sed minime locum habet in puero Iesu, qui accepti beneficij obliuisci haudquaquam potest: & qui etiã calicem aquæ frigidæ discipulo suo donatum se remuneraturum est pollicitus. Hinc accepta ab eis munera commemorari in Euangelio voluit, & per vniuersum orbem eorum apud omnes gentes credentes honorificam fieri mentionem: sicut & beneficium vnctionis acceptum à Maria, voluit vniuerso orbi prędicari in eius gloriam, & commendationem: *Et responso accepto in somnis, &c.* Incipit iam regere & dominari Rex Iudæorum in Magis. Et vide prouidentiam Dei erga suos: postquam Christum inuenimus, iam nobis etiam dormientibus. Deus nostri curam habet, sic Moysi ait: *Vidi afflictionem populi mei:* sic Danieli cibum mittit in lacum per Habacuc Prophetam: ceto quoque præcepit, vt vomeret Ionam in aridam. Ergo iacta cogitatum tuum in Dominum, & ipse te enutriet, & Isaias: *Et tu Israel serue meus, &c: semẽ Abraham amici mei, &c. Ne timeas, quia ego tecum sum,* & Dauid: *Si ambulauero in medio vmbra mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es.*

Dei erga nos prouidentia singularis.
Exod. 3.
Dan. vlt.
Ionæ. 2.
Psalm. 54. & 1. Pet. 5.
Isa. 41.
Psalm. 22.

Sed cur Dominus, qui poterat eos seruare illæsos etiam inuito Herode, qui olim Israelem in medio mari saluauit, Danielem in lacu Leonum, pueros tres in fornace ignis, Dauid in persecutione Saulis, Susannam à falso crimine: Cur (inquam) Dominus iubet eos clam abire? Poterat planè seruare Magos, sed noluit margaritam dari porco Herodi: Tum, vt doceat nos, dum nos adest reuelatio aliud detegens, vti pericula prudenter declinemus, ne Deum tentare velle videamur. Vnde aliquando ipse fugit, seque proripuit; cùm tamen potuisset se inuitis hostibus seruare: & verbo, & exemplo docuit fugere, seque subtrahere, cùm non adsit nobis facultas miraculo nos tuendi, & seruandi. Quòd si casus emergat talis, in quo nullum amplius à creatura vlla sperare subsidium, & auxilium possis, ne à te te ipso quidem: tunc Deo te totum committe, & preces funde: quia vel liberabit te, si ipsi videbitur expedire, vel certe dabit virtutem fortiter sustinendi pro gloria eius. *Inuoca me,* inquit, *in die tribulationis, & eruam te, & honorificabis me.* Tentaret profectò Deum, qui panem habens nollet eo vesci, sed expectaret panem de cœlo: vel qui nollet laborare, dicens; confidam Deo: bene crescent frumenta sine labore meo, & sudore, Deũ tentaret, qui ei vires, tempus, locum, ac modum tribuit, quo se laborando aleret, & laborare nollet: sicut Iudæi tempore Holofernis. Deinde qui verbum Dei habet, plus tamen credit rationi quàm scripturæ. Tentat, qui gratiam Dei habet, & dona naturalia, sentitque diuinos afflatus inter nos, non tamen sequitur, expectatque, vt violenter trahatur ad bonum per Deum.

Magos cur per aliam viam voluerit Deus redire in regionem suam.
Exod. 14. & Dan. vlt. & seq.
Supr. 3.
1. Reg. 19. & seq. & alibi.
II. Ratio.
Matth. 7.
Ioan. 8. & alias.
Matt. 10.
In manifestis vitæ periculis quid agendũ.
Psalm. 49.
Deum qui tentent.
Iudith. 8.
Deum etiam qui tentent.

Est autem Græcè vnicum tantum verbum nempè χρηματισθέντες. hoc est, responso, vel oraculo in somnis accepto: significat enim illud verbum χρηματισθῆναι, Deum aliquem suo alloquio & sermone dignari: χρησμὸς enim propriè est oraculum, quod redditur petenti, & consulenti. Et ita significatur, Magos inter se consultasse de reditu ad Herodem, & precibus Deum rogasse, vt suam ipsis proderet voluntatem: quod & fecit. Ideò melius vertitur hoc verbum: *Responso accepto,* quàm, *oraculo accepto*, vt vertit Erasmus. nam dicitur apud Lucam: *Responsum acceperat Simeon à Spiritu Sancto,* quo loco habetur χρησμὸς, & Erasmus quoque ibi conuertit, responsum. Annotat Hieronymus: *Responsum quod Græcè dicitur χρηματισθέντες. non per Angelum fit, sed per ipsum Dominum, vt meritorum Ioseph priuilegium demonstraretur.* Ita ille. Quis non videat in his verbis paucis memoria lapsum esse Hieronymum? dicendum enim erat, vt constat ex præcedentibus, vt meritorum Magorum priuilegium demonstretur. Deinde annotandum venit, primò quidem per stellam Magos edoctos fuisse, deinde verò per Prophetam de loco Bethleẽ, postremò per Angelum, qui vt nuncius Dei per somnium admonuit ne redirent ad Herodem, vt statuerant, mali nihil de Herode suspicantes, siue per Deum ipsum, vt sentit Hieronymus.

Magi quale responsum acceperint in somnis a Deo.
χρησμὸς Græce propriè quid.
Luc. 2.
Idem.
Hieron. in c. Matth. 2. circa initio.
Memoriæ lapsus in Hieronymo.
Idem ibid.

Quod si hosti etiam seruanda est fides, vt dici solet, quomodo Magi citra peccatum ad Herodem non redierunt? Sed dicendum est, nullibi legi quod Herodi fidem fecerint ac promiserint: Etsi promisissent, multa sunt tamen quæ promittuntur cum stipulatione, quæ benignè obligant, nonnullasque conditiones, seu leges complectuntur: videlicet, si fuerit commodum; si nihil impediat; Nisi res noua acciderit; Nisi res, aut tempus aliud postulauerit, & quę sunt generis eiusdem. Adhæc si ex animo promisissent, non cogerentur stare promisso, quoniam dolo, ac fraude inducti fuerant ad promittendum, & ad scelus faciendum. Item omnis promissio subintellectam habet conditionem, videlicet; nisi DEO aliter placuerit: ideo licebat eis etiam post iuramentum

Cur Magi, si ad Herodem polliciti sunt, ad ipsum non redierint.
Altera responsio.
Tertia.

tum non redire, tametsi nulla fuisset reuelatio. Ac pulchrè quidem hoc loco philosophatur Chrysostom. in Matthæum: *Considera*, inquit, *hoc loco admirabilem Magorum fidem, qui in nullum hinc scandalum commouentur, sed ad cuncta obedientes permanent, atque flexibiles, nihilque omnino turbantur, neque ipsi secum disputant, dicentes. Si magnum quiddam esset hic puer, & potentia aliquid obtineret, nobis adorat oribus eius quid opus esset fuga, occultoq; discessu? Cur enim nos, qui palam ac liberè venimus, nec tanti populi fragorem, nec tyranni furorem pauentes, quasi reos quosdam, atque fugitiuos Angelus ciuitate propellit? Vel nihil omnino tale, vel ore proferunt, vel mente concipiunt. Hoc est enim fidei insigne, vt absque controuersia vlla obediant imperanti, nec tamen mercedem reposcant obsequij.* Hæc ille. Omnis autem, qui semel Christum nouit, cauere debet reuerti ad Herodem, hoc est, diabolum in baptismo renunciatum, insigdiantem vitę nostræ, Christumque in nobis extinguere volentem: *Per aliam viam reuersi sunt in regionem suam.* Si ad Herodem redirent Magi, puero in Bethleem manente, Herodes quæsijsset illum ad mortem. Si Christo recedente à Bethleem; non ita potuisset euadere, fugiens in Galilęam, nec esset tutus in Galilęa, cuius erat dominus Herodes, qui non cessasset persequi si scijsset inuentum à Magis: neque occidisset infantes, sed Iesum, qui nonnisi miraculo potuisset ipse, vel cognati eius manere in Chanaan. Non redeuntibus ergo Magis in primis putauit illusos. Ac licet per stellam, vel aliam viam potuisset scire purificationem puerperæ Mariæ, scilicet ad quadragesimum diem, & occidere omnes qui illo die deferrentur in templum præsentandi infantes ex Bethleem: Herodes tamen miser cœcatus est. Sicut cùm etiam non misit aliquem è suis cum Magis, vel saltem post illos emissos non destinauit aliquem nuncium. Dicendum ergo quod obcœcatus, vel non est recordatus Magorum, expectans quòd inquirerent diligenter de puero; vel putauit quod nihil inuenissent. Dicta quoque à Simeone, & Anna in templo non erant omnibus diuulgata, sed expectantibus tantum consolationem Israel. Neque est verisimile, stellam reduxisse Magos redeuntes, sicut duxerat venientes. Tum quia id ab Euangelista expressum fuisset. Deinde quia Magi nouerant non esse reducendos per stellam, ac proinde volebant redire per viam, qua venerant: quoniam Angelus secundum quietem eos admonuit ne ad Herodem redirent. Quod si stellla redeuntes præcederet: cum essent ituri per viam, qua ea ducerentur, non oportebat admoneri, vti ad Herodem ne redirent. Deinde Deus non edit miracula, nisi ob vrgentem aliquam necessitatem: quæ si esset in redeundo, sicut in veniendo, idem fuisset miraculum stellæ: quo pacto Angelus Tobiæ seniori dixit: *Ego ducam, & reducam eum ad te.* Cùm autem ea necessitas minimè vrgeret, non redierunt stella duce: nam in aduentu illorum fuit necessaria propter locum, viam & personam. Ignorabant enim Magi quo in loco puer foret adorandus; ideò nec viam scire poterant: etsi maximè scirent locum nominata ciuitate, ignorabant tamen qua illuc esset perueniendum, viam. Atque hęc duo monstrauit stella, cùm per viam illos ad Bethleem vsque perduxit. Personam verò haud cognoscerent, in quo maior erat difficultas, nisi stella stetisset supra domum, vbi erat puer. Porrò in reditu nullus erat inquirendus: terra etiam, ad quam ibant, nota erat, quod propria erat patria, ad quam peruenire poterant interrogando.

Nicolaus de Lyra existimat, Magos accepto responso, atque descendentes ad mare, per nauim transferasse in Oppidum Tharsis. Vnde Herodes cum iret Romam per Tharsum Ciliciæ, audissetque naues Tharsensium Magos traduxisse, iratus, ac furore percitus naues Tharsensium incendit, & concremauit, iuxta illud Dauidis vaticinium: *In spiritu vehementi conteres naues Tharsis,* Sed hoc ex eo, quòd non satis perspectam habuit vir ille geographiæ rationem, inconsideratè dictum videtur. Nihil enim ad illos spectabat Tarsis, quę vel Ciliciam significat, cuius prouinciæ caput est Tarsus, vel Carthaginem, vt plerunque reddunt Septuaginta Interpretes, vel simpliciter ipsum mare significat, vt sæpe Hieronymus accepit. Item non constat, vnde Lyranus hanc historiam de nauibus combustis acceperit, nisi fortè citet Historiam Scholasticam lib. de histor. Euang. cap. 2. Certè Iosephus, qui vniuersa Herodis gesta diligentissimè persequitur, huius rei ne meminit quidem. Præterea duo tantùm maria erant vicina Bethleem: alterum, est mare Occidentale, siue Mediterraneum, quod appellant, distans à Bethleem nouem parasangis, per quod nauigando in Persiam vicinam, potiùs esset ab ea recedere, quam ad eam accedere. Alterum mare erat rubrum, quod Orientale est, & mediū, ad quod vt peruenirent, opus erant totam latitudinē terræ promissę trāsire cum periculo: Et vbi ad mare rubrum

perue-

Margin notes:

Chrys. hom. 8. in Matt. to. 2. initio.
In his Magis fidem qualem liceat contemplari, teste Chrysost.
Fidei insigne quod sit.
Christum qui norunt, quid cauere debeant.
Herodes diabolum mysticè signat:
Magi cur redierint per aliā viam in regionem suam.
Mira Herodis Regis cœcitas ac stupor.
Luc. 2.
Quod Magos, vt venientes, ita quoque redeuntes stella non reduxerit.
II. Ratio.
Quando faciat miracula Deus.
Tob. 5.
III. Ratio.
Nicolai de Lyra, de via per quam redierunt Magi minus probabilis opinio.
Psalm. 47.
Tarsis tria significare solet.
Hieron.
I. ratio contra opinionem illam.
Hysto. scho.
III. Ratio.

Aurum, thus & myrrham religiosi quale offerent, tum singuli fideles.

renuntiatores: thus, per votum obedientiæ, se ipsos in perpetuum vitę offerentes holocaustum Deo; myrrham vero, per votum castitatis carnis motus coercentes atque ab omni petulantia, incontinentiaq; seruantes, Fidelis verò quilibet quotidie offerat aurum eleemosynæ alicuius, precationis deuotæ thus & myrrham, prauos atque peruersos redimendo appetitus corporis, & noxias cupiditates. Atque hac ratione festum diem Epiphaniç quotidie celebrabit, ac seuerum regem stella ductū ad Christum ostendet: Hisque perfectis, & adorato Christo reuertendum est omnibus per aliam viam in regionem suam. Regio nostra Paradisus est, à qua per superbiam, & obedientiæ contemptum atque peccatum expulsi sumus. Cæterùm, Christo agnito atque adorato, rursus nostra effecta regio est, non solum iure redemptionis Christi, qui eam nobis suo comparauit sanguine; aut iure legationis, quia eam nobis legauit, ac dixit: *Nolite timere pusillus grex: quia complacuit patri vestro dare vobis regnum:* verum etiam iure adoptionis in filios, & gratiæ Dei: scriptum est enim: *Gratia Dei, vita æterna:* rursus: *Si filij & hæredes,* iterumque: *Iam non estis hospites, & aduenæ, sed estis ciues sanctorum ac domestici Dei.* Et de hac ciuitate dicitur: *Placebo Domino in regione viuorum.* Nato ergo Christo, docemur nos non habere hic permanentem patriam, sed futuram, quæ in regno cælorum sita est, inquirere. In quæ quidem verba Hilar. sic ait: *Quod vero repetere iter, atque ad Herodem in Iudæam redire prohibentur, nihil à Iudæis petere scientiæ cognitionisque permittuntur: sed in Christo salutem omnem & spem locantes, admonemur prioris vitij itinere abstinere.* Cyprian. serm. de stella, & Magis: *Arcta est via castitas,* inquit, *trames strictus humilitas: ieiunio affligi, & carnem in seruitutem redigere, scopulosa sunt semita. Sed ad patriam superiorem nonnisi per meatus difficiles armati milites reuertuntur.* Chrysost. in homil. quadam de hoc Euangelio: *Exemplum nobis,* inquit, *pudicitiæ, ac fidei præferentes, vt cognito semel, adoratoq; Christo rege, viam prioris itineris, id est, erroris veteris relinquentes, & per aliam viam, in qua nobis dux Christus incedente, ad regionem nostram, id est, paradisum, de quo Adam pulsus est redeamus.* Hæc ille.

Ij omnes per aliam viam, vt redeant in regionem suam.

Luc. 10.

Rom. 6.
Infra. 8.
Ephes. 2.
Psalm. 114.
Hebr. vlt.

B. Hilar.

Cyprian.

Chrys. hom. 1. inter illas quæ inscribuntur: ex varijs in Matt. locis, prope finem. Ad calcem operis imperf. in Matth.

Herodes rex impius quorum typus.

In Herode rursus instruimur de exemplo mali ac peruersi regis, qui potius tyrānus est, quàm rex. Vt enim ille, cùm esset alienigena, & Idumæus, circumcisionē & legem Moysis ob regnandi libidinem & temporalium bonorum cupiditaté sus cepit: ita multi eius exemplo apud nos Sacerdotes, Abbates, & Episcopi fiunt, dummodo omnia, principatus, atque bona terræ, in quibus deliciari valeant, acquirant. Et vt ille, nuntio accepto natiuitatis Christi Regis, turbatus est, ita qui sua ipsorum gratia regnant Principes, atq; eorum aulæ ad veritatis prædicationem perturbantur, Prophetarumque, ac Apostolorum, atque Religiosorum vitæ insidiatur. Debet etiā Rex, suo vt muneri satisfaciat, non soli seculari brachio fidere, sed cùm ipse de fructibus vineæ edat, laborare eum oportet in alijs inferioribus corrigendis, debetque in primis Ecclesiasticum brachium conuocare, cuius ope, & prçsidio facile lesum, vbi delitescat inueniat. Verùm quia Herodes, nato Christo, tepescere cœpit, imò fraude, ac dolo vti voluit; ideo illusor illusus est ipse, neque venire promeruit in Bethleem. Quia verò ipse non venit, propterea neque Principes sacerdotum, neque principes Iudæorum venerunt. Quia verò non venerunt isti; nec populus venit, tantum potest superioris exemplum. Vt enim ille dixit:

Regis munus alterum.

Quam vim habeant exempla superiorum.

Componitur orbis
Regis ad exemplum: nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, quam vita regentis.

Claudia. de 4 Honorij Aug Consulatu.

Eadem quoque cantilena de Ecclesiasticis canitur: nam propterea quod summi pastores, atque Ecclesiarum Antistites Christum non agnoscunt, nec adorant, vel negligenter ac tepidè eum colunt, ob id sacerdotes, ac vniuersus clerus post auaritiam, carnis lasciuiam, atque ambitionem abierunt. Et quoniam reges & principes seculi Christum, vel ignorant, vel cognitum minimè debito cultu & veneratione prosequuntur: proinde nobiles, atq; totus populus varia post idola cordis ipsorū abit in preceps. Perniciosum verò est, sub impio rege viuere, quem Deus dedit in furore suo. En Euangelium de Christo occultatur vniuerso populo, ne impio regi patefiat, vt à flagitijs atque sceleribus regis intelligamus totius regni exitium, excidiumq; pendere: vel contra, cum Deus parcere voluit populo suo, ne obijceret regi impio electos suos trucidandos, antequā docti essent patientiam à Christo, satis habuit innocentes interfici, vt quibus mors nihil noceat, imò quā maximè proficiat: & quorum à nece orta sit crudelitas regis. Igitur demus operam, vt impij regis documenta declinantes, sanctorum Regum Magorum exemplum consectemur, vt ad regnū Christi vna cū ipsis Magis vsq; ad contéplandā speciem tantæ celsitudinis perducamur præstan

Vnde nam cleri totius, populique Christiani morum corruptela manarit.

Sub quo regi viuere perniciosum sit.
Isa. 13.

Matth. 2.

Regis crudelitas Herodis vnde initium sumpsit.

præstante eodem Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre, & Spiritu Sa. viuit, & regnat in secula seculorum, Amen.

TRACTATVS XLI.

Luc. 2.

In illa verba: *Et postquam impleti sunt dies purgationis eius, secundum legem Moysi, tulerunt illum in Hierusalem, vt sisterent eũ Domino, &c.*

Ordo historicus.

SEcundum seriem historię, post adoratum CHRISTVM à Regibus Magis die tertia decima natiuitatis suæ, sequitu, historia pręsentationis Christi in templo, & Purificationis B. Virginis, quæ cũ Christi pręsentatione coniuncta fuit, die secundum ritum legis celebrata quadragesimo: voluitque per illos omnes dies Christus in natali solo permanere, nihil sibi ab Herodis crudelitate metuens: nolens etiam grauare matrem, & Ioseph repentino à Bethleem discessu, ne, si recessissent, in reditu ad templum laborare cogerentur. Verum pro sua sapientia excœcauit Herodé, ne designatæ cædis scelus perpetraret, aut ne curiosius Magorum recessum scrutaretur, vt interim parentes eius liberum, ac vicinum haberent accessum ad templum, in quo tum mater, tum filius legis præscripto facerent satis. Expendamus igitur, cùm literam dulcissimæ huius historiæ, tum in ea comprehensa mysteria: *Et postquam impleti sunt dies purgationis eius.* Solus Christus & Maria exactè & perfectè legem implevére, alij verò, etsi magni, & sancti sint, sine querela quidem fuerunt, at non sine peccato: pro quo misericordiam Dei meritò implorare debebant. Dies autem præscripti in partu masculi, quadraginta erant, vt pręcipitur in lege: siquidé embryo totidé diebus est in ventre, in fœda materia sine anima rationali. Per sex enim dies in materia est lactea, persequẽtes nouem in sanguinea, per duodecim alios subsequentes fit caro, per quindecim verò, qui consequuntur, crescit caro, formanturque eius organa, atque disponũtur ad recipiendam animam rationis compotem. Si verò fœminæ esset partus, duplicabatur tempus: mater enim septem diebus domi manebat ob naturalem immunditiam, triginta verò tribus propter legalem in partu masculi. Verùm hoc tempus geminabatur, vt diximus, si fęmina ederetur: quoniam defectus maior, & humorum copia maior maiori egebat purgatione. Hinc Aristot. lib. de animalibus: *Si mas, inquit, nascitur, profluunt sanies diluta pallidiuscula; sed si fœmina, cruenta.*

Leuit. 12.

Quare Christus ante purificationem exire Bethleem voluerit.

Solus Christus & Maria exactè & perfectè legem impleuerunt.

Cur præscripti quadraginta dies purgationis in partu masculi, fœminæ verò octoginta.

Arist. lib. 7. de animali. to. 2

Ad hęc numerus hic dierum præscriptus videtur ad naturæ imitationem, quod videlicet in maribus circa quadragesimum diem à conceptu corpus formetur, & anima illi infundatur, in fæmellis ob seminis frigiditatem circa octuagesimum diem. Audi eundem Philosophum prædicto libro: *Mares fœtus magna ex parte circa quadragesimum diem, dextero potius latere mouentur, fœminæ sinistro, circiter nonagesimum.* Et infrà: *Finditur etiam fœtus hoc eodem tempore, cùm ante caruncula informis constaret.* Cùm itaque fœtus in vtero formatur, fœmina tardiùs quàm mas perfectionem quarunque partium recipit, & sæpius in decimum mésem, quam mas protrahitur. Sic Philos. Per hanc quoq; mulieris immunditiam voluit Deus significare, nos omnes in peccato, & cócipi & nasci. Et quoniam à muliere primum fuit inuectum, ideo in fœminæ partu tempus duplicabatur purgationis. Eoq; tempore aberant à templo, & mulier, & proles, quod corpoream tantum quandam sanctitatem, ac externam habebat, ac præ se ferebat: quemadmodum etiam illa gens secundum carnem sancta erat, sicut etiam exterius sanctum seculare, siue mundanũ, vt declarat Aposto. Lustrabantur autem postea certis ritibus, & ceremonijs ad ingressum templi. Nam etsi Deus solam immunditiam spiritualem, quæ est peccatum, abominetur; tunc tamen, cum populus non nisi carnalia saperet, per corpoream immúditiam adumbrare voluit spiritualem, & per illam nos ab ingressu templi excludi, & rursus certis ceremonijs admitti, vt intelligamus per peccata, quę sordes sunt animæ, à conspectu Dei nos excludi, & à sanctorũ consortio atq; sacramentorum participatione nos rursus emundatos recipi in gratiam Dei posse. *Purgationis eius.* Ambigua est illa vox, *Eius*, quia potest referri, vel ad matrem, vel ad filium. Græci codices quidam habent, αὐτῆς quidam αὐτοῦ, alij rursus in plurali αὐτῶν, id est, ipsorum. Quæ lectio fortassis est commodior. Tum quia sic legit Orig. atque Euthy. in Luc. & Theoph. ac Leontius: tametsi postremus hic interpretetur de purgatione ipsorum, videlicet matris, & Ioseph: Sed reuera ad virginem & ad filium referenda sunt, si legimus in numero multitudinis, atque huic lectioni accedit lex Leuit. 12. quæ pro filio &, matre fieri sacrificium mandat. Certè hic dicitur: *Cùm inducerent puerum parentes eius, vt facerent secundum consuetudinem legis pro eo,* nota verbum, pro eo. *Secundum legem Moysi,*

II. Ratio.

Idem Aristot.

III. Ratio.

Quid hęc mulieris immunditia significauerit.

Gen. 3.

Hebr. 9.

Animæ nostrę sordes quæ sunt illæ, quoque modo purgentur, ac sanctificentur.

Orig. hom. 4. in Luc. to. 2.

Euthy. ibid.

Theoph. ibid.

Leont. Episcopus.

Tres

Triplex lex Iudæis lata. *Exod.13.*

Tres leges Iudæis legimus latas. Prima habetur Exod. 13. quæ exprimitur his verbis: *Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vuluam in filijs Israel.* & infra: *Primogenitum asini mutabis oue: quòd si non redemeris, interficies. Omne autem primogenitum hominis de filijs tuis pretio redimes.* Erant ergo sistendi Domino, & redimendi primogeniti. Quoniam enim Leuitæ erant ministerio templi consecrati, & suffecti, pro omnibus primogenitis Hebræorum, singulum cap. Leuita. pro singulo primogenito est numeratum: quia etiam numerus cæterorũ primogenitorum Israël, excessit num. Leuit. in 273. oportuit eos redimi, singulos quinque siclis, vt Num. ca. 3. dicitur, dataque est pecunia Aaroni, & filijs eius: quæ ascendit ad summam 1365. siclorum. Leuitæ autem erant exempti, quia eo ipso iure Domini erant. Nec intelligas quod dicitur Exod. 22. quòd deberent sisti Domino octauo die, & non die purgationis, sed præcise, ne ante diem octauum fieret præsentatio: vt declaratur Leuit. 22. non tamen debebat præterire diem purgationis. Est & alia secũda lex, vniuersalis tamen, Exod. 13. *Omne, quod aperit vuluam generis masculini, meum erit, & erit Domino sanctificandũ*, & hic à Luc. dicitur: *Omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur.* Sanctum nõ dicitur mundum, vel id, quod est ab omni vitio immune, sed pro eo quod est separatum ab omni vsu profano, & Deo consecratum, à cuius tamen seruitute in templo præstanda pretio redimebatur primogenitus hominis. Est & tertia lex, qua habetur Leuit. 12. *Mulier si suscepto semine peperit masculum, immunda erit septem diebus iuxta dies separationis menstruæ. Et die octauo circumcidetur infantulus: Ipsa verò trigintatribus diebus manebit in sanguine purificationis suæ. Sin autem fœminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus iuxta ritum fluxus menstrui, & sexaginta sex diebus manebit in sanguine purificationis suæ. Cumque expleti fuerint dies purificationis suæ, pro filio, siue pro filia deferet agnum anniculum in holocaustum, & pullum columbæ, siue turturem pro peccato ad ostium tabernaculi testimonij, & tradet sacerdoti. Qui offeret illã coram Domino, & orabit pro ea, & sic mundabitur à profluuio sanguinis sui. Ista est lex parientis masculum, aut fœminam. Quod si non inuenerit manus eius, nec potuerit offerre agnum, sumet duos turtures, vel duos pullos columbarum: vnum in holocaustum, & alterum pro peccato. Orabitq́; pro ea sacerdos: & sic mundabitur.* Vbi nota, primùm quod, quia dicitur, Orabit pro ea Sacerdos, & rursus, hæc est lex parientis masculum, aut fœminam, sacrificium tam pro pariente,

Num. 3.

Quo die præsentatio fieri debebat secundùm legẽ.

II. Lex. *Exod. 13.*

Quid sit: Sanctum Domino vocabitur

III. Lex.

Mulier pariens masculũ.

quàm pro partu offerri debebat. Deinde aduerte, quòd mulier censebatur immunda non solùm à menstruo, sed etiam à conceptu & partu: etsi non sint ex se danda vitio, cùm sint naturalia fœminis, tamen ob antiquum delictum, & in pœnam eius sunt inflicta, & volebat Deus hoc facto reddere nos vitiosæ nostræ generationis memores, & proinde remedio indigere, vel potiùs, vt Theodorit. docet in Leuit. erant hæc ad disciplinam, & castitatem viri indicandam pro eo tempore: nec enim par erat cum immunda conuenire: ideo illo tempore secubandum illi erat. Et ad requiem matrum erat hoc institutum, ne statim, rundum curato labore, qui parientes consequitur, viri, suis, quæ peperissent, vxoribus commiscerentur: vt docet Euthymius in Lucam. Mulier ergo concipiens, & pariens, quasi criminis rea, & conscia, iubetur hostiam immolare pro peccato: & puer iubetur putificari, quia mundus à sorde est, nemo etiam si vnius diei sit super terram. Ideo nullus sanctus in natiuitate sua legitur lætatus, imò Iob, & Hieremias spiritu prophetico criminis labem, in qua concepti, & nati sunt, peruidentes, diei natiuitatis suæ maledixerunt. Soli verò peccatores leguntur suos natalitios dies celebrasse: vt Pharao, Gen. 40. qui eodem die pistorem suspendi iussit, & Antiochus, qui, vt 2. Machab. liber tradit, cogebat in die natalis sui Iudæos ad sacrificia, & in Nouo Testamento Herodes, Matth. 14. & tamen ipsum illum diem Præcursoris sanctissimi cæde cruentauit. Præterea aduerte, legem de primogenitis latam ad literam fuisse: quoniam cùm filij Israël essent in Aegypto sub iugo Pharaonis, qui non permittebat eos exire, iratus est Dominus, Phase instituens in agno: transiensque cum omni potestate in Aegyptum, percussit omne primogenitum eius à primogenito hominum vsque ad primogenitum iumentorum. Atque ob hoc tam grande beneficium, lata est lex, vt omne primogenitum sistatur, & sanctificetur Domino, redimaturque pretio: quãdoquidem Deus illa redemptione omnia sua fecit: sicut lex redemptionis ab hostibus exigit, ita tamẽ, vt valeat qui redemptus est, liberari solués pretiũ. Erat verò immolatio agni vel turturis, pretium quinq; siclorum.

Porro hæc lex minimè Christum obligabat, neque ex vi sua, neque ex verbis legis, non quidem ratione, aut vi legis, quia cùm esset ex omni parte sanctus, imò sanctitas ipsa, nihil diabolus in eum iuris, & dominij habebat, vt posset redimi: quin

aut fœminã quatenus immunda.

Theodor. in Leui. q. 12. 10, 4. circa princ.

Euthym.

Die natalis sui cur sancti maledicant, benedicant peccatores.

Iob 20. iuxta 70.

Iob 3.

Hierem. 20.

Gen. 40.

2. Machab. 6. & seq.

Matth. 14.

Primogenitũ cur Deo debebat offerri. *Exod. 12. & seq.*

Pretium oblationis primogeniti.

Christũ huic legi purificationis obnoxium minimè fuisse.

potius ipſe erat omnium redẽptor, & pretium redemptionis. Neq; deinde ex vi verborum: Debet enim omne primogenitũ adaperiens vuluam redimi, qua lege maximè comprehenſum Chriſtum docent Orig. & Theophyl. videlicet quia cæteris mulieribꝰ vir ſolet aperire vuluã, nõ infans qui naſcitur, enimuerò ipſe Dominus vterũ virginis, in quem nemo ante intrauerat, aperuit. Sed falſum hoc eſt, contraq; dignitatē & integritatem virginis matris. Nam ſi hoc pacto eſſet intelligenda illa lex, propter ſolum Ieſum eſſet obſtringendum illa lex lata, & nõ propter alios: at indignũ hoc profectò, vt de eo ſolo lex ferretur, qui ſanctus erat, nullaq; prorſus egebat ſanctificatione. Itē ex vi legis nullus alius Deo ſiſti obligaretur infans. Adde quod falſiſsimum eſt Ieſum exijſſe de illo virginis clauſtro, fracto tantę virginitatis ſignaculo, cùm tamen ſcriptum ſit de illa: *Hortus cõcluſus, fons ſignatus.* & Propheta: *Porta hæc*, inquit, *clauſa erit: non aperietur, & vir non tranſiet per eam.* Quanquam Eraſmus prauè citans, ac prauè intelligens Orig. & Ambroſ. aliter dixerit. Ambroſ. in Luc. verba hęc ſunt: *Nõ enim virilis coitus vuluæ virginalis ſecreta reſerauit, ſed immaculatum ſemen inuiolabili vtero Spiritus S. infudit.* & infra: *Hic ergo ſolus aperuit ſibi vuluam. Nec mirum: qui enim dixerat ad Prophetã: Prius quàm te formarem in vtero, noui te; & in vulua matris ſanctificaui te: qui ergo vuluam ſanctificauit alienã, vt naſceretur Propheta, hic eſt qui aperuit matris ſuæ vuluam, vt immaculatus exiret.* Orig. verò in Luc. verba hæc ſunt: *Omnium mulierum*, inquit, *non partus infantũ, ſed viri coitus vuluam reſerat. Matris verò Domini eo tempore vulua reſerata eſt, quo & partus editus, quia ſanctum vterum, & omni dignatione venerationis venerandũ ante natiuitatem Chriſti maſculus omninò nõ tetigit.* Et Tertul. in fine lib. de carne Chriſti ſic intulit: *Hæc deniq; vulua eſt, propter quam, & de alijs ſcriptum eſt: Omne maſculinum adaperiens vuluam, ſanctum vocabitur Domino. Quis verè ſanctus, quã Dei filius? Quis propriè vuluã adaperuit, quã qui clauſã patefecit? Cæterùm omnibus nuptiæ patefaciunt. Itaq; magis patefacta eſt, quia magis erat clauſa. Vtiq; magis nõ virgo dicenda eſt, quã virgo, ſaltu quodã mater antequã nupta. Et quid vltra de hoc retractandum eſt? cùm hac ratione Apoſtolus non ex virgine, ſed ex muliere editum filium Dei pronuntiauit, agnouit adaperta vulua nuptialẽ paſſionem.* Hactenus Tertul. Sed quoniam omnes iſti Patres alibi millies Mariæ Virginitatē profitentur, ac probant efficaciſsimè, & hanc legem de partu aperiente vuluam, quaſi ad Chriſtum pertinentē Lucas attulit: dicendum eſt apertionis vocabulo, non ſignificaſſe illã vteri pateſactionem, quæ cæteris parientibus cum dolore, ob continui diuiſionem ſolet accidere, ſed eum exitum prolis, qui Virginis matris clauſtra nó violauit. Atq; ita intellexit Hier. lib. aduerſus Pelagian. *Magis*, inquit, *ad ſpecialem natiuitatem Saluatoris, quã ad omnium hominum referri poteſt hoc, quod dicitur: Qui aperit vuluã, ſanctus Domino vocabitur, ſolus enim Chriſtus clauſas portas vuluæ virginalis aperuit, quæ tamē clauſæ iugiter permanſerunt. Hæc eſt porta Orientalis clauſa, per quã ſolus Pontifex ingreditur, & egreditur, & nihilominus ſemper clauſa eſt.* Et Gręcus quidã autor: *Solus*, inquit, *Chriſtus nõdum apertam, ſupernaturaliter aperuit: & clauſam naturaliter ſeruauit*, & B. Ignatius epiſt. ad Neronem: *Decebat opificem non vſitata vti natiuitate, ſed admirabili & noua, & inaudita, vt creatorem.* Hæc ille. Beda quoq; in hæc verba: *Quod ait, adaperiens vuluam, conſueta natiuitatis more loquitur. Non quòd Dominus noſter ſacri ventris hoſpitium, quod ingreſſus ſanctificârat, egreſſus deuirginaſſe credendus ſit*, & reliq. Lex ergo hæc ad Chriſtũ pertinuit, etſi vt Deus eſt, nulli fuerit ſubiectus. Neq; rurſus dicendum, propriè ad ipſum ſpectaſſe, cùm reliqui primogeniti magis adaperiant vteros matrum ſuarũ, quàm fecit Chriſtus: quanquam ea ratione, qua Ambroſ. Orig. & Theoph. & Tertul. non ineleganter docent aperire oſtium fuiſſe Chriſti propriũ, etſi id non ſit ad mentem Lucæ, & Moyſis. Sed certè Hebraici ſermonis proprietas eſt, vt adaperire vuluam nil ſit aliud, quàm primùm in lucē prodire, & naſci, ſiue rumpat clauſtra, ſiue non, qui editur partus. Voluit ergo Ieſus ſiſti coram Domino quadrageſimo die, ſicut, & circundi octauo die (ad quorum neutrum, nec ex virtute legis, nec ex verbis eius obſtringebatur vllo pacto) nimirum, vt eos, qui ſub lege erant, redimeret. Nam vt corpuſculum illud pueri repręſentabat eos, qui erant ex circunſione, ita, completa quadrageſima die, ſiſti voluit in templo, vt ſic implens omnem iuſtitiam, & ſumens in ſe omne genus eorum, qui ſub ditione dæmonis tenebãtur. (Omnes enim eramus naturâ filij iræ, & ſub illo) non pro ſe ipſo, qui non egebat, ſed pro nobis omnibus illud ageret: vt in illo, qui peccatorē ſe, cùm non eſſet, fecit, noſtra omnis deuotio, & conſecratio, qui verè peccatores eramus, ſanctificaretur. Hinc enim Apoſtolus ad Galat. ſcribit: *Vbi venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factũ ſub lege*; Expende, non ait, natum ſub lege, vt reliqui omnes, ſed factum ſuamet volũtate: quemadmodum ſuapte etiam voluntate factus eſt, & natus ex muliere.

Orig. hom. 14 in Luc. *Theophyl.*

In eos qui Chriſtũ aſſerunt vuluam aperuiſſe.

Cant. 4. *Ezech. 44.*

Orig. ibid. *Ambroſ. lib. 2. in Luc. cap. 10. tom. 5.*

Hierem. 1.

Virginei partus prærogatiua.

Tertul. tom. 1.

Quis propriè vuluam adaperiat.

Gal 4.

Cùm Patres nonnulli dicunt, Chriſtũ virginis matris vuluam aperuiſſe, qd per eam apertionem intellexerint.

B. Hier. lib. 2. aduerſus Pelagianos circa initium.

Exod. 30. & Hebr. 9.

Virginis vulua Mariæ ſanctiſſimæ, vbi præfigurata.

Græcus autor.

B. Ignat. ep. circa med.

Beda lib. 1 in Luc. c. 8. to. 3.

Hebræis, vuluam adaperire, quid ſit.

Luc. 2. *Gal 4.*

Puer Ieſus die à partu quadrageſimo cur ſiſti voluerit corã Domino.

Matth 3. *Ephеſ. 2.*

2. Cor. 5.

Gal. 4.

Quare Christum factum sub lege, non natum Apostolus inquit.

Christi innocentiæ, & sanctitatis, impeccantiæq; apertæ testimonia, diuina, & humana.

Luc. 2. & Matth. 1.

Quo in loco illud diligenter est memoriæ mandandum, quod in omni eiusdem mysterio, in quo potuit Dominus Iesus, quasi vnus ex nobis peccator videri, valida habuit testimonia, quæ illum à peccato alienum, imò peccati expulsorem, & hostem acerrimum demonstrarent, atque adeò redemptorem à Domino constitutum. Nam in primis in circumcisione, quæ peccatorum cauterium quoddam erat in sanctificationem eorum instituta, nomen habuit Iesu, id est, Saluatoris, & à peccato liberantis: quod ab iniuria circumcisionis vendicauit. Deinde in baptismo, in quo recipiendo omnes se peccatores esse profitentur, & aqua egere sanctificante, præstantissimum habuit testimonium Patris de cœlo dicentis: *Hic est filius meus dilectus:* item Spiritus sancti in specie columbæ, quæ insedit capiti eius: imò, & Ioannis Baptistæ, aientis: *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me.* Imò sua ipsius verba testimonium reddunt suæ sanctitatis, & iustitiæ, dixit enim: *Sine modò, sic enim decet nos implere omnem iustitiam.* Profitetur ergo se debitorem, & impletorem omnis iustitiæ, ac proinde etiam nostræ, soluens in suo corpore debita nostra. Sic enim impletur omnis iustitia, cùm quis non pro se tantùm iustus est, sed & pro alijs, seruans illam legem: *Alter alterius onera portate.* In passione verò, in qua non tantùm vt peccator, sed vt maledictum, atque omnium hominum flagitiosissimus, in medio duorum latronum cruci suffixus est: testimonium habuit suę sanctitatis & innocentiæ à sole obscurato, à terræmotu, & scissis petris, à velo templi dirupto, à monumentis apertis, à voce Centurionis exclamantis: *Verè filius Dei erat iste.* Hic verò, vbi vt peccator coram Domino sistitur, testimonium accepit Simeonis senis, Annæque Prophetissæ. Nam Simeon vocat illum salutare Dei, lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis Israël. Anna verò prophetissa vocat eum redemptionem Israël. Quæ quidem testimonia huic mysterio quadrant maximè, quòd non videantur humanum religionis modum excedere, sicut baptismus, & circumcisio. Omnis siquidem natio hoc à natura insitum habet, vt filios suos Deo (quicunque ille sit) sistat in templo, quasi agens de beneficio accepto gratias, atque protestans ab eo prolem se accepisse. Ideoque per id mysterium suppleuit Dominus noster pro ijs qui nec circuncisionis, nec baptismi lege tenebantur.

Infra 3. Ioan. 1. Matth. 3. Ibidem. Coloss. 3.

Quomodo impleatur omnis iustitia.

Gal. 6. Supra 3. Matth. 27. Ibidem. Luc. 2. Ibidem.

Omnis ferè natio quos suscepit liberos, cur sistat coram Deo suo.

Legis de redemptione primogeniti cur hic mentio nulla.

Nihil hoc loco mentionis fit de redemptione primogeniti, quod fortè nihil contineret mysterij ad doctrinam, vel quia Christus quinque siclos dedit patri in cruce in præcipuis quinque vulneribus, vel certè non omnium potest à nobis reddi ratio. Mulieres nequaquam circumcidebantur, nec sistebantur coram Domino: quia pactū legis vsq; ad Christum durauit. Et mulier in viro intelligitur, sicut in principio & capite: ob proprias tamen sordes & immunditias debebat purgari, cùm peperisset, atq; octogesimo post natiuitatem die sisti corā Domino. Euangelium autem: quia singulorum est, & in illo non est masculus, neque fœmina, verùm vnusquisque rationem pro se est redditurus Deo, ideò communē omnibus voluit esse baptismum: tametsi nō omnibus circuncisio olim esset communis.

Mulieres quàre non circumciderentur, nec sisterentur coram Domino.

Leuit. 12.

Quàm generalis baptismus, & quare

Gal. 3 et alibi Rom. 14.

Lex autem secunda, quę habetur Leuit. 12. minimè B. Virginem comprehendebat, vt communiter plerią; tradunt: Tum quia non conceperat suscepto semine, sicut nec item eius vuluam aperuit masculus egrediens: ex quo, nisi cæci Iudæi essent, colligerent Mariæ virginitatem: tum quia Maria, vtpotè sancta, nec existens in sanguinis profluuio trigintatrium dierum nullam immunditiam contraxerat, ob quam egeret purificatione. Patres etiam ob id legem enunciasse ferunt: *Mulier si suscepto semine pepererit masculum,* vt intelligeretur excepta B. Virgo, quæ per præsentiam Spiritus sancti obumbrantis, virtutemq; Altissimi concepit. Quos inter Origen. hom. 8. in Leuit. in hæc verba sic habet: *Consideremus,* inquit, *secundùm historiam, si non videtur quasi ex superfluo additum: mulier quæ conceperit semen, & pepererit masculum, quasi possit aliter masculū parere, nisi semine concepto. Sed non ex superfluo additur. Ad discretionem namq; illius, quæ sine semine concepit, & peperit istum sermonem præ cæteris mulieribus legislator adiecit, vt non omnem mulierem quæ peperisset, designaret immundam, sed eam, quæ concepto semine peperisset. Addi quoque ad hoc etiam illud potest, quod lex illa, quæ de immunditia scribitur, ad mulierem pertinet: De Maria autem dicitur, quia Virgo concepit, & peperit. Ferant ergo legis onera mulieres, virgines verò ab his habeantur immunes.* B. Ber. serm. de purificat. B. Virginis idem confirmat his verbis: *In lege scriptum erat, vt mulier quæ suscepto semine peperisset filium, immunda esset: septem diebus, & octauo die circunciderentur puer: dehinc ablutioni & purificationi intēta abstineretur ab ingressu templi trigintatribus dieb. quibus expletis offerret filium Domino cum muneribus. Sed quis non aduertat in ipso sententiæ huius initio, liberam matrem Domini ab hoc præcepto? Putas enim quia dicturus Moses mulierem quæ peperisset filium, immundam esse, non timue-*

Quod lex purificationis: Mulier quæ suscepto semine, &c. ad B. virginem minimè spectaret.

I. Ratio.

II. Ratio.

Leuit. 12. Luc. 1.

Orig. sub init. homil. tom. 1.

Expenditur illud: Mulier si suscepto semine, cur scilicet additū sit hoc verbum.

III. Ratio.

Isai. 7. Matth. 1. B. Bern. ser. 3. de purificatio initio.

Moysis prudentia legislatoris.

rit super matre Domini blasphemia crimen incurrere, & idcirco præmiserit, suscepto semine? Alioqui nisi parituram præuidisset sine semine Virginem, quæ necessitas erat de suscepto semine fieri mentionem? Patet itaque, quòd lex ista matrem Domini non includit, quæ non suscepto semine filium peperit. Aug. lib. de quinq; hæresibus disputans cum Manichæis: *Stulte,* inquit, *vnde sordes in Virgine matre, vbi non est concubitus cum homine patre. Vnde sordes in ea, quæ nec concipiendo libidinem, nec pariendo est perpessa dolorem? Vnde sordes in domo, ad quam nullus hospes accesserit? solus ad eam Dominus, & fabricator eius venit, vestem quã non habebat, induit eamq; sicut inuenit, clausam reliquit. Sicut ille natus est solus inter mortuos liber, sic istius ex qua natus est matris pudor solus est integer.* Procop. in Leuit. *Suffecerat,* inquit, *dixisse: Mulier si peperit filium, sed excipit sanctam virginem, quæ nullius seminis interuentu filiũ enixa est.* Theophyl. *impleti autem sunt dies purgationis illorũ secundùm legem Moysi. Benedixit ei secundùm legem Moysi: nam secundùm veritatem nulla necessitate astringebatur expectare dies purificationis, qui sunt 40. nato mare Dictum enim est in lege mulier quæ semine concepit, & peperit masculum Virgo autem non concepit de semine, sed ex Spiritu sancto peperit: vnde nulla alia necessitas vrgebat illam, sed volens implere legem, venit in templum.* Guerricus quoque homilia de purificatione B. Mariæ, & alij permulti idem docent. Episcopus tamen Abulens. exponens dicta verba Leuitici, putat in illis verbis: *Mulier si suscepto semine peperit, &c* esse figuram, quæ dicitur πλεονασμὸς, consequentem idioma Hebræum: nec poni, vt beata Virgo excusetur ab obedientia legis latæ de purificatione, licèt illi paruerit. Quia Deus signo ostendisset eam minimè ea lege teneri: Nam ita purificari non erat culpa, vt priuilegio indigeret, sed latria ac Dei cultus. Addit præterea, Christo nato, potuisse in ea esse menstruum, quod virginitati non repugnat: & propter id etiam, non autem propter susceptum semen fiebat hæc purificatio. Nam coitus non arcebat à templo, nisi per vnum diem tantùm, vt dicitur in Leuit. cùm dicitur: *Vir, de quo egredietur semen coitus, lauabit aqua omne corpus suum: & immundus erit vsque ad vesperum,* & reliqua. Et addunt aliqui, Hebræam literam non habere, si suscepto semine peperit, sed verbum coniugationis Hiphil, quod significat seminificare, aut semen facere; vt semen non accipiatur pro principio generationis, sed pro prole, vt illic: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, semen tuum, & semen illius.* Vt sit sensus, mulier cùm semin ficauerit, vt vertit Pagninus, & LXX. Interpretes verterunt σπερματισθῇ, id est, si semen susceperit. Et idem est sensus, si semen accipiatur pro prole. Proinde quod attinet ad verba legis, non fuit beata virgo ab hac lege immunis: quod etiam indicant Lucæ Euangelistæ verba, dum ait: *Impletos dies purgationis Mariæ secundùm legem Moysi:* Nam si Moyses eam suis verbis ob eam legem excepisset, quomodo secundùm eius legem dies purgationis eius impleti sunt. Vtrumque hæc tamen se habeant, quæ probabiliter sanè quidam edisserunt: mihi tamen probabilior longè, ac verisimilior videtur prior sententia, quam video patres esse amplexatos: & Dei verbis, quæ superfluum nihil continent, magis esse consonam, atque conformem. Adhæc dignitatem, puritatemque virginis illustrant magis: Nam, vt quidam ex Patribus dixit: Decens erat, vt ea puritate qua maior sub Deo nequit intelligi, virgo illa niteret. Ideò mihi ab ea videtur separandæ omnes istę menstruorum sordes, ac immunditiæ: siue naturales sint, siue legales. Virgo quoque eum peperit, qui solus à suo conceptu sanctus fuit: & omnis etiam templi sanctitas: ideò non potuit ab eius partu sic immunda reddi, vt aut quod tangeret, pollueret, aut ab ingressu templi prohiberetur. Cùm esset etiam lex illa ob sordes corporeas, in quibus mulieres pariũt, à quibus dicuntur purgari; pium verò sit, & probabile Mariam, vt sine dolore, & virginei claustri violatione, ita etiam sine sordibus peperisse: Sequitur ergo, illam eius legis vinculo subiectam non fuisse. Nam vel Aristot. lib. de historia animalium testatur fieri posse, vt parientes fluxum secundarũ non patiantur. Idem etiam probatur ex eo quod ait: *Secundùm legem Moysi:* quod inferiùs declarans, inquit: *Et cùm inducerent puerum Iesum parentes eius, vt facerent secundùm consuetudinem legis pro eo:* vbi apertè indicat, magis secutos legis consuetudinem, quàm vigorem. Nec enim vel circuncisioni Christus erat adstrictus, neque filius, ac mater purgationi, quoniam sancti erant, nec eis erat vlla opus purgatio.

Præterea hoc loco admonendi sunt lectores, partum Virginis ἀλόχευτον extitisse, hoc est, sine dolore, & debilitate, quæ duo maximè puerperas ad recumbendum in lecto solent cogere, donec restaurentur, ac corroborentur: quæ quidem longè abfuisse à Virgine sanctissima, docet ministerium ipsum infanti sedulò impensum inuoluendi eum pannis, & reclinandi in præsepio: quibus quidem sub duobus reliqua omnia officia ab obstetricibus, seu matri-

Aug. c. 5. in fi. tom. 6. init.
Sanctissimã virginem nihil penitus sordium habuisse, vt probat August.
Psalm. 87.
Procop. in Leuit. cap. 12.
Theophyl. in c. Luc. 2.
Quorsum id secundũ legẽ Moysi, dictũ ab Euãgelista
Leuit. 12.
Luc. 2.
Matth. 1.
Guerri. autor.
Episc. Abul. q. 2. in Leuit. cap. 2.
Leuit. 15.
Semen duo signat more Scripturæ.
Gen. 3.

Qua ratione Maria Virgo purgationis lege fuerit obnoxia.
Vtra opinio probabilior, textuique videatur accõmodatior.
Ansel. de conceptu virgina li. c. 12. & 13. tom. 3.
Christi sanctitas, atque munditia, & Virginis maius.
Arist. lib. 7. hist. ani. cap. 2. sub initium.
Virginei partus priuilegia duo, & quænam illa.
Luc. 2.

Quæ pictura B. Virginis à partu edito, post 40. dies in lecto recubitum ementiuntur, quā indignæ sint, ac detestādæ.

matribus exhiberi solita, præsertim verò lactatio, comprehēduntur. Proinde exterminandæ essent de templis picturæ illæ, in quibus per illos quadraginta dies Virginis in lecto recubitus pingitur à filio edito; cùm manifestè falsum sit, & veritas mendacij testimonio non egeat. Ideò verba B. Cypriani serm. de natiuitate Christi prudenter, & cautè sunt intelligenda: ait enim de loco, in quo B. Virgo filium est enixa: *Nec locus ibi erat lauacris, quæ solent puerperiis præparari: quippe nec aliqua naturæ iniuria matrem Domini læserat, quoniam sine tormento peperit, quæ in conceptione caruit voluptate: & tamen consuetudinem sequens, vt legi satisfaceret, quasi cum alijs mulieribus esset ei in hoc opere ratio similis, diebus designatis recubuit, & depositi oneris lassitudinem professa, oblatæ quieti paruit, & in diebus separationis non se à toro Ioseph, qui eam nunquam tetigit, sed ab ingressu templi, & cæteris quæ lex prohibebat, continuit.* Hæc ille. Quæ verba quantum attinet ad recubitum per designatos dies, ad aliquem bonum interpretanda sunt sensum: Nam reuera nullus extitit verus recubitus ex debilitate profectus puerperij: placet tamen quòd illo tempore legem seruârit, à templique abstinuerit ingressu, itaque se gesserit, quasi aliarum more fœminarum peperisset. Deinde non videntur vacare culpa, qui λοχείαν B. Virginis celebrant, hoc est, curationem puerperij, ideoque per illos quadraginta dies, diebus Sabbati carnibus vescuntur, vt in Gallia, Flandriaque obseruatur, quamquam in huiusmodi consuetudo multùm excusare valeat, quod tamen est contra Canonem sextum Synodi Constantinopolitanæ, cuius hæc sunt verba: *Absque vllo dolore Virginis partum esse confitentes (vt qui sine semine constitutus sit) eos qui propter ignorantiam aliquid indecens faciunt, correctioni subijcimus. Vnde quando aliqui post diem Natalis Christi Dei nostri reperiuntur coquentes similam, & se hac mutuò donantes, prætextu scilicet honoris secundinarum impollutæ virginis matris, statuimus vt deinceps nihil tale fiat à fidelibus. Nec enim hoc honor est Virginis (quæ supra mentem, & sermonem quod comprehendi non potest, Verbum peperit carne) ex communibus, & ijs, quæ in nobis sunt, inenarrabilem eius partum metiri, ac describere. Si quis hoc fecerit Clericus, deponatur: Laicus segregetur.* Hactenus Canon.

B. Cyprian.

Quæ sit mēs Cypriani dicentis, Virginem sacram designatis in lege diebus post partum in lecto recubuisse.

Aduersus eos qui Virgini matri curationem puerperij, seu λοχείαν impudenter adscribunt.

6. Syn. Ca. 79.

An verò hæc lex de purificatione post partum, in Nouo Testamento vim habeat, quæri potest? Dicendum est, illam cum cæteris omnibus legalibus abolitam, atque antiquatam fuisse: imò nec à Iudæis ipsis seruari posse. Cùm enim illa lex contineret sacrificium mulierum parientium, & per illos dies quadraginta abstinerent ab illo introitu Sanctuarij. Horum neutrū potest modo seruari, cùm careant templo & Sanctuario: & solùm in eo sacrificandum ex præcepto erat legis.

Quòd hæc lex de purificatione post partū in Nouo testamento nullam vim habeat.

Minùs verò Christianas puerperas obligat. Vnde duo Pontifices sic loquuntur. Primus est Gregorius Papa ad interrogationes Augustini respondens, & habetur dist. 5. cap. si mulier: *Si mulier, inquit, eadem hora qua genuerit, acturа gratias intrat; nullo pondere peccati grauatur. Voluptas enim carnis, non dolor in culpa est. In carnis autem commixtione voluptas est; in prolis verò partu dolor, & gemitus. Vnde & ipsi primæ mulieri dicitur: In doloribus paries filios. Si itaq; enixam mulierem prohibemus intrare Ecclesiam, ipsam eius pœnam vertimus in culpam.*

Greg. Papa c. 10. ad interrogat. August. respond. tom. 2. à med.

Gen. 3.

Alter est Innocentius III. qui ad Armacanum Episcopum de hoc ritu interrogantem, vt habetur in Titul. de Purificatione post partum, cap. vnico, sic respondet: *Licet, inquit, secundùm legem Mosaicam certi dies determinati fuissent, quibus mulieres post partum à templi cessarent ingressu: quia tamen lex per Mosen data est, gratia, & veritas per Iesum Christum facta est, inquisitioni tuæ taliter respondemus: quòd postquam vmbra legis euanuit, & illuxit veritas Euangelij: si mulieres post prolem emissam acturæ gratias Ecclesiā intrare voluerint, nulla proinde peccati mole grauantur, nec Ecclesiarum est eis aditus denegandus, ne pœna illis cōuerti videatur in culpam. Si tamen ex veneratione voluerint aliquādo abstinere, deuotionem earum non credimus improbandam.* Hæc illi.

Innoc. III.

Leuit. 12. & sequent.

Ioan. 1.

Etsi igitur Ecclesia Mosaicæ legi non sit obnoxia; naturalis tamen legis nomine, & honestatis ratione possunt ad tempus decumbere. Nec Iudaizant propterea cùm integrum illis sit, vel ipsa hora partus Deo gratias agendi causa Ecclesiam intrare: quarum etiam fœtus ante octauum diem baptizantur, necessitatis studio atque honestatis, domi se continere illis conuenit. Necessitatis quidem, quia per naturæ imbecillitatem non licet sacris interesse mysterijs; honestatis verò, quoniam etiam iuxta legem abhorrescimus a menstruis: & congressum viri cum menstruatis vxoribus interdicit Deus Leuit. 18. & Ezechiel. 18. Nec enim enixæ masculum ante tempus quadraginta dierum, à naturali immunditia expiantur. Lex illa itaque purgationis puerperarum, fuisse secundùm rationem naturalem asseri potest: nam per eam discimus liberos munere Dei concessos possidere: qui etiam non alendi modo, sed etiam ritè instituendi, & maturè, atque à teneris (vt Græci dicunt) vnguiculis, sacra

Licere Christianis puerperis, si voluerint post partum à templi ingressu abstinere, neq; idcircò Iudaizate, dupliciter.

Leuit. 18.

Ezech. 18.

Lex illa purgationis puerperarum vnde naturalis possit cēseri.

Liberis quæ debeant parentes præstare. Hæretici hoc loco quot Catholicis imponant falsò & malignè, vt soleut.

religione imbuendi sunt, Deoq; consecrãdi simul, & offerendi.

Ex quibus apertè ruunt, quæ Luthera ni Catholicis affingunt. Ait enim Brentius homil. 6. in Lucam: *Quia lex dicit: Nihil sanctum tanget, nec ingredietur in Sanctuarium: sciunt puellas esse in potestate Satanæ, & excogitauerunt remedia varia ad fugandũ Satanam, videlicet aspersiones aquæ benedictæ, incensiones luminum sanctificatorum, suffumenta herbarum consecratarum, & mirabiles multarum crucium characteres. Et rursus, habent quidem herba, & lumina verbum Dei, quod sint bonæ Dei creaturæ & in vsum nostrum ciuilem sanctificata; sed non habent verbum Dei quod expellat Satanam. Imò potius sic de ipsis sentiendum est, quòd abutentes eis, impia superstitione aduocent magis, quàm expellant Satanam.*

Brentij blasphemia, & impietas.

Hæc ille crucis sanctæ & veteris Ecclesiæ irrisor, mentiens in caput suum: quoniam apertè tradit Pontifex, licere ipso die partus puerperæ templum ingredi, si velit, vt gratias Deo agat pro se ipsa, & pro partu prolis acceptæ: seque benedicendas Deo offerunt per Sacerdotes beatæ Mariæ exemplo excitatæ. Sed hæc omnia fingunt, vt nobis odium conflent. Habent etiam aqua aspersa, & lumina benedicta vim, & vsum in Ecclesia, etiam ad fugandos dæmones, sed non ad absoluendum ab excommunicatione, vt imponunt, maximè verò signum crucis ad omnia valet: estque sacrosanctum, omni veneratione dignum, vt fatetur August. lib. 2. de Visit. infirm. cap. 3. Et hactenus de hoc dubio.

Aquæ aspersio, & luminum benedictio tãtum in ecclesia quid conferant. Crucis virtus & efficacia. B. Aug. tom. 9

Sequitur: *Vt sisterent eum Domino.* Mater & Ioseph tulerunt illum Domino, vt præsentarent, tanquam seruum factum, quia liberatum ab Aegypto, & ex terminio Angeli in ea. Redemptus enim seruus efficitur redimentis, donec ipse redimatur. *Sicut scriptum est in lege Domini.* Nempe Exod. 13. 33. Num. 8. Leuit. 12. *Quia omne masculinum.* Non ait, fœmina, quæ in masculo continebatur, & sanctificabatur, vt Eua in Adam, quo durante pacto, mulier non circumcidebatur, vt suprà dictum est. *Adaperiens vuluam.* Secundùm aliquos, prima magna apertione, id est, primo partu; quare non obligat primum masculum natum post fœminam: secundùm alios verò omnem masculum, siquidem omnis vuluam aperit. Verisimilior tamen, ac probabilior videtur sententia, quòd omnis primus masculus, siue ante fœminam, siue post fœminam natus hac lege teneretur. *Sanctum Domino vocabitur.* Id est, sanctificatum, & oblatum Deo, ab eoque siclis quinque redimendum: quia ab Aegypto, & percu-

Maria, & Ioseph cur Christum Domino præsentauerint. Exod. 12. Redemptus quandiu seruus remaneat. Quare masculinum, nõ etiam fœminum esset Domino sanctificandum. Gen 2. An primus masculus post fœminã esset Domino sanctificãdus necne. Sanctum Domino vocari, quid. Exod. 12.

tiente Angelo liberatum à Deo, ac ob id suum factum. *Et vt darent hostiam, secundùm quod dictum est in lege Domini:* Diuitibus præscribitur, vt offerant agnum in holocaustum, & pullum columbæ, siue turturem pro peccato; pauperibus verò, qui agnum offerre nequeunt, præscribitur, vt offerant par turturum, aut duos pullos columbarum: ad literam intellige, vnum, aut alterum: in spiritu tamen vtrumque obtulit beata Virgo. Cùm verò eorum alterũ pro peccato offerendum esset; dubium est, pro quo peccato offerri debebat. Nám, quod quidam ex Hebræis tradunt, offerendum esse pro peccato periurij, quòd mulier in dolore partus constituta iurauit, non amplius obedire marito congrediendi causa, nimis est leue, ac ridiculum. Neque rursus pro peccato, quod ferè semper in coitu admittitur, vt Lyranus docet: nam, & sine peccato contingere potest coitus, & æquè peccat in coitu vir, atque mulier. Neque tertiò, vt quidam ex nostris docent, pro peccato originali paruuli offerri debebat, quod falsum est: quia ad illud peccatum diluendum erat Circumcisio, & sacrificia illa pro purgatione mulieris fiebant, non pro purgatione paruuli. Ad hæc, idem ritus in purgationibus alijs adhibebatur, vt in purgatione leprosi duæ turtures, aut duo pulli columbarum offerebantur: & in purgatione viri, & mulieris post diuturnum fluxum seminis, aut sanguinis menstrui: vt Leuiticus tradit. Quare peccatum in similibus legibus rectiùs acciperetur pro immunditia illa corporali, quam ex quibusdam rebus iuxta legem contrahebant, vt per eam ab ingressu templi, & consortio hominum arcerentur: & per sacrificia, & Sacerdotis orationem dicuntur homines purgari, id est, tolli impedimentum ingressus templi. Nam illa sacrificia non habebant virtutem purgandi mentem, & auferendi propriè peccata dicta, vt Paulus ad Hebr. docet. Tamen solidior solutio est, quòd in his locis peccatum non accipitur pro aliqua actione vitiosa, sed pro certo sacrificij genere, quod sacrificium pro peccato vocatur, de quo: *Holocaustum pro peccato non postulasti.* Et Paulus: *Eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Et cùm dicitur de Leproso mundato: sumet duos turtures, aut duos pullos columbarum, quorũ vnus sit pro peccato, & alter in holocaustum, Hebræa habent ad literam: & erit vnus peccatum, alter holocaustum. Hoc sacrificij genus, etsi peccatum diceretur, non tamen offerebatur pro expiatione alicuius propriè peccati, sed pro emundatione ab aliqua

Qualis diuitum, qualis pauperum oblatio.

Pro quo peccato hæc oblatio à Deo esset instituta. I. Sensus Rabbinorũ falsus

Alter Lyrani incongruus. III. qui etiã reijcitur.

Leuit. 12. Infra 15.

Legalia sacrificia, & Sacerdotum preces, quatenus mundarent. Hebr. 9. IV. Sensus qui recipitur.

Psalm. 39. & Hebr. 10. 2. Cor. 5. Leuit. 15.

Matth. 2.

aliqua pollutione corporea, quæ peccatum dicebatur, eò quòd peccatum significaret, & vt ex peccato contracta erat.

Quid de auro actum sit à Magis oblato, cur etiam more pauperum obtulerit B. Virgo.

Quid autem actum sit de auro oblato à Regibus Magis, & cur obtulerit more pauperum beata Virgo, superiùs indicatum est. Nam vel ad munificentiam, & liberalitatem Virginis id referendum est, quæ in pauperum, egentiumq; vsus illud forsitan erogauerat; vel ad eius singularem prudentiam, qua id in viaticum profectionis in Aegyptum seruauit; vel ad eius summam modestiam: nec enim decebat, vt mulier quæ pauper erat, diuitum subitò in templum oblationem inferret. Proinde paupertatis statum mutare noluit, quem sciebat illa filio Dei summè placuisse. Nec propterea minùs placuit beatæ Virginis oblatio, quàm aliorum diuitum. Nec enim quantum, sed ex quanto effectu offeratur quid, considerat Deus Optimus Maximus. Namque Christus duo æra minutissima viduæ egentis admota Gazophylacio magis laudauit, quàm opulentissima diuitum munera. Igitur beata Virgo, etsi vt pauper, exterius parua obtulit, interius tamen magna dedit, & ingentia, cor Christi, nempe, & suum: quo sacrificio omnia, etiam parua, sunt accepta, at sine illo, ne magna quidem. Quia ergo propter nos Christus, & Maria pauperes, & egeni facti sunt, non est oblatus agnus, & turtur, quia hæc passioni sunt reseruata; vbi Christus agnus in Cruce fuit immolatus in holocaustum, vbi etiam Maria turtur fuit gemens, pro peccatoq; Euæ matris nostræ satisfaciens ob gratiam filij sui. Turtur autem, qui amissa coniuge pudicitiam seruat, significat, quòd Christus de casto coniugio sit procreatus: Columba verò simplex & fœcundum animal, fœcunditatem prolis ex Christo nasciturae significat. Nescitur ergo quid obtulerit, turtures ne, an columbas: vel quod nostra nihil interest illud scire, vel quod ad significationem, vtrumque oblatum est. Est enim Iesus, & Maria turtur, & columba, quiuis sine felle peccati, quorum gemitu & dolore expiatio facta est peccatorum. Naturâ turtur habet, vt sit solitarium animal vitæ contemplatiuæ symbolum: quam Christus & Maria summè coluerunt. Pudicissimus est turtur, vnico contentus coniugio: nam vbi comparem amisit, secundo non se copulat, sed sub vlmo aërea perpetuò gemit, quam sibi in coniugium deiunxerat: ita Christus vna sponsa Ecclesia, & Maria vnico sponso Ioseph contenti fuerunt, Colore cinereo respersus est; sic illi luctum & mortificationem pro nobis susceperunt;

Virginis oblatio pauper, quàm Deo placuerit.

Luc. 21.

Eiusdē pretiosa munera.

2. *Cor.* 8.

Turtur quid & columba significent. Quales turtures fuerint Christus, & Maria.

Cant. vlt.

pennas rubras in dorso habet; symbolum mar tyrij, quod ex charitate, quæ fortis est, vt mors, sustinuerunt: solidis pedibus certum figit gressum: & hi solidis affectibus, ac suspirijs nostram salutem quæsierunt, atq; affectarunt: pernix est eius volatus, sic isti à terrenis ad cœlestia expeditis contemplationibus volitabant: prudentissimus est turtur, qui tempore hyemis in concauis rimarum latitat, sic & illi prudenter omnia egerunt, prudenter latentes tempore Herodis, & persecutorum.

Christus itē, & Maria quā similes columbæ.

Columbæ verò illud à natura insitum est, vt gregatim volitet, & nidificet in cauernis petrarum: actiuæ symbolum vitæ: quam Christus, & Maria summoperè adamârunt, atque coluerunt: Innocens est animal, nihil habens armorum, quibus noceat, vel vngues solidos & rapaces, vel rostrum. miro candore prædita est, & simplicitate. versatur iuxta fluenta, vt videns accipitrem, se emergendo tueatur: puris vescitur granis: & vt Augustinus notauit, auiculæ cæteræ omnes animalculis insidiantur, passer enim musculas & formicas vorat; sola columba, atque turtur animam vitalem habentibus, parcunt. Solo semine, granisque contenti. Hæc autem Christo, Virginique per singula aptari facilè possunt.

B. Aug. tract. 6. *super Ioan. tom.* 9. *initio.*

Purificatio Mariæ Virginis, & oblatio quā Deo placuerit ad auxilium nostrum, & consilium.

Instruimur porrò de multis in hoc Euangelio, & in primis, quòd, vt diximus, Maria munda fuit, nec suscepto semine suscepit, nec partus adaperuit vuluam eius, nec egebat oblatione, fuit tamen Deo gratissima eius oblatio, ad nostrum auxilium tantummodò, & cōsilium. Auxilium quidem fuit, vti mulieres, quæ immundè concipiunt, & nō sine dolore pariunt cum Eua, per hanc Virginem sanctissimam à criminis labe mundentur, atque vt ærumnæ, laboresque iuuent eas ad exercitium virtutis, ac meritum, donec in resurrectione pellantur penitus, & abstergantur ab eis. Ad consilium verò atque doctrinam mirificè hæc mysteria valent. Nam in primis docemur, facultates animi à vitijs purgare per virtutes, quas sapienter occultamus quemadmodum Maria puritatem illam singularem, ac munditiam texit. Erudimur præterea, Mariam non fuisse vt Euam primam fœminam, nimirùm excommunicatam, exclusamque ab ingressu templi, in quod introiuit B. Virgo, quę nos quoq; verè excōmunicatos vnigeniti filij sui, ac pro prijs meritis in templum Dei introduxit. A Christo item accipimus auxilium pariter, & consilium. Et primum quidem auxilium est, quod cùm ipse per se sanctus sit,

Gen. 3.

Apoc. 21.

Vt itē ad consilium, & doctrinam.

A Christo etiā quod auxilium hinc accipimus, & consilium.

sanctificari tamen pro nobis voluerit, sicut pro nobis se seruum facere, & redimi, & pro se offerri sustinuit, vt etiam pro nobis circumcidi, & baptizari. Nec enim ipse, verùm nos liberatione ab Aegypto, ac Pharaone egebamus. Significat autem Misrain (quæ vox Aegypto respondet) angustias in duali numero: quoniam angustijs animi, & corporis homo hic premitur. Pharao verò interpretatur nudus, vel dissipans: & talis quidem est dæmon, qui in se nudus est omni bono, & dissipationem, perditionemque nostram molitur semper, qui etiam Angelus percutiens dici potest, à quo sanguine agni CHRISTI liberati sumus. Ideò ipse fit seruus, vt nos liberet à seruitute peccati, & pœnæ, quam impendebamus corpori lasciuo, quasi domino, mundo vano, ac Dæmoni sæuo, atque odio nos habenti nullam Deo vt patenti, sed vt iudici seuero, creaturæ omni, pauperi, ac vili, cupiditati denique nostræ insatiabili: ideò in summa rerum inopia, ignominia, dedecore, atque labore versabamur. Vt ergo Iudæi omnes ab Aegypto, & Pharaone liberati sunt, & primogenita hominum, & iumentorum, ouium scilicet, boum, caprarum, asinorum (nam maiora non habebant animalia, quia serui: minora verò, vt canes, feles, & eiusmodi, ab Aegypto non eduxere secum propter eorum vtilitatem) ab interitu seruarentur, iubebantur Deo sisti, & quinque siclorum pretio redimi: ità omnes per Christum redempti, & perfecti, perfectiorem Deo debent amorem, vulnerum quinque siclis, qui valent centum obolos, significatum. Ac licèt Christus potissimùm id egerit in cruce, idque maximè promeruerit, tamen & hoc ad copiosam eius redemptionem spectat, quæ sæpè idem promereri voluit; vt non solum empti, sed etiam dici valeamus redempti. In lege iuge erat sacrificium; nam manè, & vesperè duo agni offerebantur: quod in Christo & Maria innocentibus, qui se nunc Deo obtulerunt quasi manè, ac rursus in cruce, quasi in vespere, intelligimus fuisse completum. Hinc Bernardus serm. 3. de Purificatione: *Sed oblatio ista fratres*, inquit, *satis delicata videtur, vbi tantùm sistitur Domino, redimitur auribus, & illicò reportatur. Veniet quando non in templo offeretur, nec inter brachia Simeonis; sed extra ciuitatem inter brachia crucis. Veniet quando nō redimetur alieno, sed alios redimet sanguine proprio: quia redemptionem eum misit Deus Pater populo suo. Illud erit sacrificium vespertinum, istud est matutinum. Istud quidem iocundius, sed illud plenius. Istud enim in tempore natiuitatis, illud iam in plenitudine ætatis. De vtroq; tamen potes accipere quod Propheta prædixit: Oblatus est, quia ipse voluit.* Hæc ille. Secundum auxilium, siue exemplum fuit, iuuare, atque suo exemplo docere, vt masculum primogenitum nostrum offeramus Deo, id est, quod carius est nobis, & pretiosius. Nam ob id poscebat primogenita in hominibus, & iumentis: primitias, & meliora in plantis & frugibus, atque metallis. In nobis porrò censetur optimum nostrum iudicium, ac voluntas nostra: quæ dum Fidei seruire facimus in illum credendo, atque illum summè amando, ex quo vnum efficimur cum eo, primogenitum hominis offerimus. Primogenitum quoq; cordis nostri pura, ac syncera, atque incorrupta est animi nostri intentio: ætatis nostrę primogenitum iuuentus est: diei verò primogenitum matutinum tempus est: quæ vniuersa Deo veluti primogenita debentur. Melius autem in iumento nostro, siue corpore sensus est, & affectus noster, qui ei per mortificationem in sacrificium sunt offerendi. Occisa sunt autem primogenita Aegyptiorum, id est, carnalium hominum, Pharaonis quoque, hoc est, Antichristi, & ancillæ in carcere, siue ad molam, videlicet filij Synagogæ: dictumque bonum nostrum primogenitum metu non præponēdi quicquam Fidei, & amori Dei seruandum est, quo pacto medulla osse seruatur: vt queamus dicere cum Propheta: *Holocausta medullata offeram tibi*: id est, sensus, iudicium, & affectus gladio verbi Dei prædicati, & absolutionis sacramentalis sunt Deo offerenda. Mortificandum est etiam veniale delictum, haud secus quàm paruus puer seditiosus futurus, si grandescat. Quemadmodum autem Deus sua tribuendo, nisi se ipsum quoque dederit, minimè nos satiat: eadem ratione neque nos quæcunque illi demus, nisi nos ipsos ei obtulerimus, eum minimè placabimus, nec ei fecerimus satis, secundùm illud: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Non ergo placatur, nisi primogenitis nostris, Deus, quandoquidem ipse pro nobis primogenitum, & vnigenitum suum obtulit. Qui autem huiusmodi primogenitum offert, non est Aegyptius, id est, mundi amator, sed Hebręus: & in tēplo Ecclesiæ offert agnum patientiæ, innocentiæ, & mansuetudinis. Qui verò agnum non habet, det columbam: id est, qui innocens non est, gemat pro culpa in contemplatione, & actione.

Docemur insuper, antequam ingrediamur templum cœlestis Hierusalem, purgationi nostræ spirituali operam dare. Nihil enim

Marginal notes (left): Misrain, & Pharao quid significent, ac sonent. — Exod. 12. Apocal. 1. — Animalia, quantùm Iudæi reliquerint in Aegypto. — Quib. quinque siclis Christus nos redemerit ab hostis seruitute. — Psalm. 129. — Bernardus. Duplex Christi oblatio, delicata, & dura & acerba. — Psalm 110. Psalm. 14.

Marginal notes (right): Isai 53. — II. Christi auxilium nobis collatum, in hoc mysterio Purificationis suæ. — Quæ sint primogenita nostra Deo offerenda. — Exod. 12. Aegyptiorū primogenita Pharaonis quoque occisa, quæ mysticè. — Psalm. 65. — Deo quid maximè offerendum. — Cant. 2. — Ioan. 3. — Hebræi qui mysticè, non Aegyptij. — Purgatio nostra qualis esse debeat.

enim immundum, aut coinquinatum intrare poteſt in illam ciuitatem. Si enim tantùm operæ, ſtudijq́ue ponimus in purgandis ſordibus domus, veſtiumve maculis: quanto magis laborandum eſt in interiori homine ſanctificando, permundandoq́ue? *Appropinquate Deo*, ait Iacobus Apoſtolus capite quarto epiſtolæ ſuæ, *& appropinquabit vobis, emundate manus peccatores, & purificate corda, duplices animo.* Nam vt aër vento, domus ſcopis, igne metalla, ferrum lima, tunicæ aqua, triticum ventilabro, deterſione ſpeculum purgari, ac permundari ſolent: ſic animus noſter purificari poteſt, & ſanctificari ab omni criminis labe, & ſorde per ventum Spiritus ſancti ab Auſtro flantis, per ſcopas Humilitatis, per ignem Charitatis, per limam correptionis verbi Dei, per aquam tribulationis, per ventilabrum ſanctæ meditationis abigentis muſcas tentationum, & ſcrupulorum, per deterſionem contritionis, per quam anima noſtra vti ſpeculum perfectè Deum præſentat, ad eiusq́ue renouatur imaginem & ſimilitudinem.

Apocal. 21. *Iacob. 4.*

Ad hæc, omnes virtutes ædificantur in hoc myſterio, confunduntur que vitia omnia. Fides quidem conſtruitur: quoniam ſe publicè manifeſtauit, non ſine gloria domus iſtius nouiſsimæ, & multorum audientium prophetantes Simeonem, & Annam. Erigitur ſpes noſtra: quia qui ſe obtulit paruulum Deo patri, offeret & magnum. Accenditur Charitas, qui enim vendi ſe permittit à Sacerdote Hebræo pro ſiclis quinque, cùm vir euaſerit, patietur ſe vendi à Iuda pro triginta argenteis. Humilitas maximè elucet, cùm ſe legi, ad quam minimè tenebatur, ſponte ſubijciat propter nos, atque, vt frangamus ſuperbiam noſtram, etiam ſeruandis ijs, quibus nequaquam adſtringimur, ne cuiuſquam animum offendamus. Confunditur ſuperbia, cùm tantus, qui ita deliteſcebat theſaurus, tam vili ſe pretio venundari ſinit: auaritia, in matre offerente quinque ſiclos, pro eo redimendo: Luxuria, dum totius puritatis exemplar Chriſtus & Maria, Simeon & Anna, qui ſequuntur agnum, nobis ante oculos proponuntur: Inuidia verò, in matre & filio tam ſe liberaliter offerentibus. Ira maximè confutatur in Chriſto agno vendito, & tacente, & in matre tam patienter audiente gladium doloris ex ore Simeonis: Pigritia, diligentia diuinæ ſeruandæ legis, quam Chriſtus, ac mater eius præ ſe tulerunt, apertè expugnatur, atque perimitur: Gulæ vitium verò, in laudatis ieiunijs Annæ Prophetiſſæ. Celebratur eo die, quo hoc legitur Euãgelium, de more Eccleſiæ publica ſupplicatio, (proceſsionem vulgo appellant) ad repræſentandam commemorandamq́ue illam, quę habita eſt in templo à Maria & Ioſeph, à Simeone, & Annę. Sed illa quidem, quia Chriſtus paruus erat, fuit parua: nunc verò quando Chriſtus magnus eſt, magna celebratur: quamquam ſuſpicor illam licet, paruam, virtute tamen, atque ſpiritu Dei longè noſtras ſupplicationes ſuperare, quæ numero quidem, & in ſpeciem magnę eſſe videntur, & multæ, religione autem, ac pietate longè ſunt inferiores illa. In ea bini & bini incedere debent ob geminam charitatem: & quia Maria fuit cum Ioſeph, Simeon cum Anna: turbat proceſsionem, ſi quis ſolitarius incedit: hi ſunt, qui ſe ipſos ſegregant: animales ſpiritum non habentes: qui non ſunt ſolliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis: Et ſicut non fuit bonum hominem eſſe ſolum, ita apparere vacuum & ſolitarium ſine dilecto ſocio, haud conuenit. Debent deinde geſtare candelas igne Sacerdotali benedictione ſacrato accenſas: quoniam opera noſtra in feruore agenda ſunt, & in deſiderio ſpiritus, vt ſint lucernæ ardentes in manibus noſtris, ne euomat nos de ore ſuo vt tepidos. Ignis verò, quem Pater ſanctificauit & miſit in hunc mundum: & cui benedicitur in Eccleſijs, Chriſtus eſt, qui dixit: *Ignem veni mittere in terram: Et quid volo niſi vt accendatur?* Hodie verò de Chriſto Simeon ille venerabilis cecinit: *Lumen ad reuelationem Gentium.* Porrò mater Meſsiæ, virgo eſt prudens lampadem geſtans accenſam: & Simeon, & Anna geſtabant luminaria accenſa fidei de Chriſto, qui ignis, & lumen eſt. Hoc ergo igne accendendæ ſunt candelæ noſtræ, non igne alieno, id eſt, concupiſcentia mundi: quo igne thurificantes filij Aaron, perierunt. Ad hæc, in rogatione debent eſſe primi nouiſsimi, & nouiſsimi primi: quod per humilitatem vnuſquiſque ſibi alios præferre debeat, vt exemplo Chriſti impleat omnem iuſtitiam: quamquam non deſint modo, qui pro vltimo loco, nón quòd vltimus, verũ quòd honorabilior ſit, contendant, ita vt humilitatem ipſam noſtro vitio ſuperbam faciamus. Ad extremum, quoniam hilarem datorem diligit Deus; & gaudium in Spiritu ſancto, fructus eſt charitatis: Cantemus in vijs Domini, quoniam magna eſt gloria Domini; &, Cantemus Domino canticum nouum, quia mirabilia fecit. In quibus omnibus ſi quis proficere contemnit: aut diſſimulat, & pergere de virtute in virtutem:

Ex eodẽ myſterio præſentatiõis Chriſti omniũ documenta virtutum colligi poſſe. *Aggæ. 2.* *Matth. 26. & 27.* Quod eodẽ, vitia omnia deſtruantur.

Chriſti in tẽplo præſentatio quali ſupplicatione ſeu proceſſione à nobis cohoneſtabitur. Eius prima conditio. *Gen. 2.* II. conditio. *Luc. 12.* *Apoc. 3.* *Ioan. 10.* *Pſalm. 67.* *Luc. 12.* *Matth. 25.* Candelasqui geſtent accẽſas. *Leuit. 10.* III. cõditio. *Matth. 19. &* *Infra 20.* *Supra 3.* IV. & vltima conclusio. *2. Cor. 9.* *Rom. 14.* *Pſalm. 137.* *Pſalm. 97.* *Pſalm. 83.* *Philip. 3.*

& ad

& ad anteriora se ipsum extendere non conatur, nouerit iste se in statione, nó in processione esse, imò verò in regressione, siue retrocessione, quia in via Dei non progredi, regredi est.

Cereos accēsos in die Purificationis gestandi, consuetudinis antiquitas. *Cyril. Hierosol. sub Cōstantino Magno. Ephes. 5. Rom 12. Matth. 25. Ephes. 5. Luc. 2.*

Hunc autem morem candelas cereas in hac solennitate gestandi, peruetustum esse, docet Cyrillus in sermone de die Purificationis, qui integer habetur apud Simeonem Metaphrasten, his verbis: *Quamobrem venite vos omnes Christi & Dei amantes: Domino læti, & mundi occurramus, non legaliter sed spiritaliter: non ventrem delicijs explentes, sed Spiritu exultantes: non nos in vino inebriantes, sed Spiritu feruentes. Læti hodie lampades ornemus: tanquam filij lucis, ceras vera luci Christo offeramus. Quoniam lumen ad reuelationem Gentium mundo apparuit: ideò lumina ex lumine suprà niuem resplendeamus.* Hæc Cyrillus. Gregorius quoque Nazianzenus Oratione Panegyrica in sancta lumina, mentionem facit gestationis luminariorum in templo. Quod si nos cordis nostri oculos ad hæc mysteria ritè contemplanda, virtutesque Christi & Virginis imitandas, vti par est, conuerterimus, pulchrè & fructuosè festum diem hunc anniuersarium præsentationis Christi, atque purificationis sanctissimæ matris eius celebrabimus: spemque certissimam concipiemus, futurum aliquando, vt nos ab omni sorde peccati sanctificati, & purificati, sistamur Domino in templo cœlestis Hierusalem, præstāte ipso Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre & Spiritu viuit, & regnat in secula seculorum, Amen.

TRACTATVS XLII.

Luc. 2.

In illa verba: *Et ecce Homo erat in Hierusalem, cui nomen Simeon, & homo iste iustus, & timoratus, expectans consolationem Israel: & Spiritus sanctus erat in eo, &c.*

Simeon Christi filij Dei testis qualis sit, & quātus.

NE à solis pastoribus, & regibus Magis testimonium Christus haberet, atque à Bethleem, tenui vico, in infantia sua inter Iudæos voluit addi testimonium, sanè grauissimum senis venerabilis Sacerdotis, Hierosolymitani item ciues, vitæ sanctitate, & prophetandi dono illustris, & conspicui, nempe Simeonis, qui multorum esse potest instar testium. Vbi Regi nascitur filius, solent omnes libenter Astrologicum iudicium consulere, vt, quid sit de eo futurum, intelligant: ita per Simeonem vatem voluit Spiritus sanctus prædicare, quę per cœlos, & astra agnosci de Filio Dei non poterant. Dicendum ergo quis hic fuerit Simeon; deinde qualis existat ex illis ornamentis, quibus illum ornat, & decorat Euangelium.

Idem Christi Regis Regi nati fuit veluti quidam diuinus astrologus.

Quos noua, quos vetus Iustos appellatos Scriptura commemorat. *Act. 1. Coloss. 4. Act. 18.*

Quemadmodum in Nouo Testamento quidam vocati sunt Iusti: vt Barsabas Act. 1. qui cognominatus est, Iustus, & Iesus Coloss. 4. qui dicitur Iustus, & Act. 18. commemoratur domus Titi Iusti colentis Deum, & Iacobus frater Domini passim à Patribus dictus est Iacobus Iustus: omnesque eodem cognomento gaudent, & tamen sunt quatuor personæ: Ita in veteri plures sunt Simeonis iusti cognomen habentes, primus quidem filius Oniæ, tempore paullò post Alexandrum Magnum, alter verò filius Hillelis tempore Christi, de quo in Euangelio.

Iaddi quis ille. *Iosephus bifloriam.*

Ad primum melius discernendum, nota, Iaddum sub Alexandro Magno Pontificatū administrasse, & magnis honoribus ab eo decoratum fuisse: vt habes in Iosepho lib. 11. cap. vlt. Antiquitatum: cuius frater Manasses, cùm duxisset filiam Sanaballat in monte Garizim propè Sicimam in templo extructo à socero, Sacerdotij munere fungebatur. Iaddi verò (de quo Nehem. vlt. & dicitur Ieddoa) filius successor fuit Onias: Oniæ verò successit Simon dictus Iustus, quòd & Deum piè coleret, & ciues summa prosequeretur beneuolentia. Hoc verò vita functo, & superstite vno filio paruulo, frater Oniæ Eleazarus pontificatum assumpsit: qui hortatu, & donis, & literis Ptolemæi Regis Aegypti misit ex qualibet tribu senos viros linguarum Hebraicæ, & Græcæ scientissimos in Aegyptum, qui sacra Biblia in Græcum transferrent sermonem. Post obitum verò Eleazari eius patruus Manasses pōtificatum assumpsit: quo etiam defuncto, Onias successit in Sacerdotium, filius Simonis Iusti, quem Simonē Eleazari fratrem diximus, vt testis est Iosephus lib. 12. cap. 3.

Simō Iustus huius nominis inter Iudæos primus cur sic appellatus teste Iosepho. *Ioseph lib. 11. cap. vlt.*

Quo sub Iudæorum summo Pontifice Hebræa Biblia Græcè fuerint translata. *Idem.*

Alter verò Simeon Iustus post aliquot secula fuit filius Hillelis, condiscipulus verò tum Gamalielis, ad cuius pedes eruditus fuit Paulus, tum Ionatham filius Vziel, qui compilasse fertur Thargum, id est, Chaldæam paraphrasim: in qua etsi pleraque veritati Christianæ faueant, & Iudæi tantùm autoritatis ferè illi tribuant, quantùm ipsi Hebraicæ veritati, in plurimis tamen apertè Euangelicæ veritati reclamat, & multa Prophetarum testimonia Iudaizando, & Rabbinos sectando interpretatur. Ob quam causam Cardinalis Ximenius in editione Trilingui Bibliorum, præter

Simō Iustus huius nominis secundus quisnā fuerit. *Act. 22.*

Thargum quid, quis eius autor fuerit: eidem quantum Iudæi tribuant: qua cautione legendum.

Penta-

Pentateuchum, cæteros libros Chaldaicos suppresſit, vt ipſe in initio totius operis teſtatur. Conſule obſecro 53. caput Iſaiæ, qui apertè paſsionem Chriſti concionatur; & tamen paraphraſis Chaldæa de populo Hebræo falſò interpretatur, vt & multi Rabbini faciunt. Ideò cautè ac prudenter legenda, ne venenum pro verbo Dei traijciamus. Hic autem Simeon Iuſtus potuit Hillelis eſſe filius, quia teſte Hieronymo in caput 8. Iſaiæ: *Sammai, & Hillel (ex quibus orti ſunt Scribæ, & Phariſæi) non multo prius quàm Dominus naſceretur, orti ſunt in Iudæa: quorum prior diſsipator interpretatur, ſequens profanus, eò quòd per traditiones & δευτερώσεις ſuas legis præcepta diſsipauerint, atque maculauerint.* Sic ille.

Quis fuerit hic Simeō Iuſtus. Scribæ & Phariſæi vnde prodierunt, quid ſignificent, teſte Hierony. *Hieron. 10. 5. in princ.* *2. Paral. 24.* *Theophyl.* *Euthym.*

Erat autem Simeon Sacerdos vnus ex vigintiquatuor, qui ſecundùm vices miniſtrabant templo: quamquam Theophylactus, & Euthymius (ob id quod Lucas id apertè non expreſſerit) negent illum Sacerdotem: quod ſine ratione dictum videtur. Nam quæ hoc loci narrantur illum præſtitiſſe, ad officium Sacerdotis pertinere videntur. Nam accipere infantem Ieſum in vlnas, nempè vt ſiſteret eum Domino, eumque benedicere, ac poſtremò Virgini, & Ioſepho benedicere; nonniſi Sacerdotis erant partes. Vt interim ſilentio prætercam traditionem Hebræorum, qui eum ex genere Sacerdotali fuiſſe affirmant; & Eccleſiæ conſuetudinem quæ Sacerdotem eū, ſeu Epiſcopum, & prædicat, & depingit. Beatus item Epiphanius in lib. de Prophetarum vita & interitu ſic ait: *Simeon Sacerdos è tribu Aaron emicuit. Hic quippe eſt is qui oraculum accepit à Spiritu S. neutiquam viſurum eſſe mortem, quouſq; Chriſtum Dominum incarnatum cerneret.* Hæc ille. Idem tradit Cyril. Hieroſolymit. in oratione de occurſu Domini, & Simeone, his verbis: *Audite omnes gentes, audi Iſraël, Dominus hic eſt, quem ego Sacerdos tuus Simeon geſtans in vlnis, magna voce prædico in templo, populo teſtificans.* Adde Talmudicam traditionem quæ in libro Ioma habetur ca. 3. *Omnibus annis quadraginta quibus miniſtrauit Simeon Iuſtus in ſanctis, apparuit ei ſenex amictus veſte candida, cum illo ingrediens, & egrediens die Propitiationum, anno autē quo è vita migrauit, apparuit ei ſenex veſtitu nigro indutus, ingreſſus quidem cum eo in ſancta; verùm cum ipſo, vti prius, non exiuit. Id cùm vidiſſet, dixit, Hoc anno vita decedam: moxq; ægritudine correptus, dies octo decubuit & mortuus eſt, & deſierūt fratres eius benedicere in nomine Domini.* Hæc ibi habentur. Si tamen vlla ſunt fide digna, docent Simeonem fuiſſe Sacerdotem, & fratres habuiſſe Sacerdotes, & ſolitos fuiſſe benedicere in nomine Domini, & à tempore mortis eius deſiiſſe eiuſmodi benedictionem Sacerdotalem.

Simeonem verè Sacerdotem fuiſſe, multis oſtenditur. *Num. 6.* *B. Epiphan.* *Cyril. Hieroſolym. apud Lippom. part. 1. ante dimid.* *Talmudica traditio de B. Simeone.*

Hactenus nos de Simeone Iuſto: nunc verba Textus expendenda ſunt: *Ecce*, inquit, *homo erat in Hieruſalē, cui nomen Simeon.* Animaduerte ſcriptoris artem, qui rem narraturus, quæ in illa infantis Ieſu deductione in templo improuiſo accidit, dicendi modo vſus eſt, qui eſſet ipſi narrationi accōmodus. *Ecce homo erat, &c.* Sic & Matthæus ſcripturus hiſtoriam de inexpectato Magorum aduentu, tali dicendi vſus eſt tropo, cùm ait: *Cùm natus eſſet Ieſus in Bethleem Iudæ, in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerunt, &c.* Interpretatur porrò Simeon, audiens, vel obediens. Fides enim ex auditu; ex fide autem conſurgit iuſtitia, ſecundùm illud: *Credidit Abrham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam.* Propterea rectè ſubijcit: *Et hic homo erat iuſtus.* Non quod iuſtitiam ciuilem haberet inculpatè, & honeſtè inter homines viuendi, aut eſſet iuſtus per iuſtitiam imputatam, aut quod fidei iuſtitiam tantùm haberet, vt Hæretici interpretantur: Quia ſancti, inquiunt, à fide præcipuè, non ab operibus prædicantur; ſed quòd reuera haberet omnem chorum, ac comitatum virtutum, & legem Dei obſeruaret, ſicut de parentibus Ioannis Baptiſtæ dicitur: *Erant autem ambo iuſti ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & iuſtificationibus Domini ſine querela.* Non ergo fidem ſolam, nec præcipuè in Simeone commendat Lucas: quia illa communis erat cum alijs multis, qui expectabant redemptionem Iſraël, id eſt credebant in Meſsiam venturū. Et ſimpliciter Meſsias qui fidem nō habebat, dicitur Iuſtus, & abſolutè.

Lucæ artificium Euangeliſtæ in S. Simeonis hiſtoria deſcribenda. *Matth. 2.* *Simeonis interpretatio.* *Rom. 10.* *Geneſ. 15. & Rom. 4. & Iacob. 2.* *Simeonē verè iuſtū fuiſſe contra Lutheranos.* *Luc. 1.* *Iudæi quomodo expectarent redēptionem Iſraël.*

Addit: *Et timoratus*, ſiue religioſus ad Deum, ſicut Iuſtus ad proximum. Sed quid timebat, cùm iuſtus nihil timeat? Imò ob id ipſum iuſtus. *Et Spiritus ſanctus erat in eo.* Ideò timoratus: nam inter dona Spiritus, eſt donum timoris Dei: &; *Beatus vir qui timet Dominum; in mandatis eius volet nimis.* rurſus: *Beatus homo qui ſemper eſt pauidus.* Timoratus, Græcè εὐλαβὴς, hoc eſt pius, ſiue religioſus: quanquam vox noſtra, & ſi minus vſitata *Timoratus*, ferè idem ſignificet. Eſt autem timore ſancto cuſtodienda iuſtitia ad ſenectam vſque, quemadmodum roſa ſeruatur ſpina, atque oſſa medulla. Ideò nihil timens, paulatim ſibi fidit, & citò ſubuertitur domus eius, & de iuſtitia ſuperbit, ac exultat audaciùs: *Niſi enim in timore Domini tenueris te inſtanter* (ait Sap.) *citò ſubuertetur domus tua.* Solus autem obediens eſt in Hieruſalem, videlicet in perfecta pace, ſiue

Simeon cur dicitur timoratus, & quid ſignificet. *Prouer. 28.* *Rom. 9.* *Iſai. 11.* *Pſalm. 111.* *Prouer. 28.* *Eccleſ. 27.* *Qui Deum non timet, qualis ille ſit.* *Obedientis quæ patria Hieruſalem.*

siue in visione pacis, terraque lac puritatis manante, & mel suauitatis ex bona conscientia.

Simeon quã expectaret redemptionem Israël.

Expectans consolationem Israël. Laudatur ab spe, quæ non confundit, & à spe boni tanti, nempe consolationis Israël: hæc autem est Christus, qui dicitur risus & gaudium, & consolatio, maximè apud Isaiam 40. & 61. ca. vbi narratur missus ad consolandum omnes lugentes. Beati ergo, qui lugent peccata, siue propria, siue etiam aliena, quoniam tales consolationem accipiunt in Christo Iesu. Et quod de Simeone prædicatur, ipsum expectasse consolationem Israël: significatur à pijs omnibus illo tempore Christum fuisse expectatum: quia pleraque vaticinia de sceptro ab Iuda auferendo, & de hebdomadis Danielis cernebant fuisse completa: videbant omne semen regium extinctum: concilium Sanedrim deletum, id est, vnius, & septuaginta iudicum, qui criminales causas tractabant: præterea etiam decem illa miracula, in templo edi solita, desierant per quadraginta annos ante templi euersionem: vt tradit Talmud Babylonium distinct. 7. item benedictio: In nomine Iehouah, cessauerat à tempore Simeonis Iusti: idcircò non mirum, si iusti his signis admoniti, in expectatione imminentis aduentus Messiæ perstiterint, qui illum populo prædicabant instare. Verùm à carnalia quærentibus Christus nihil æstimatur: & surdis auribus exceperunt, quæ dicebantur ab istis. Similiter etiam de Ioseph ab Arimathia scribitur, quod esset vir iustus; expectans & ipse regnum Dei. Est porrò idem, expectare regnum Dei, Et, consolationem Israël. Non ergo tunc re dubitabat de consolatione futura: nã sciebat fidelem Deum in promissis suis. Sed nunquid quia expectabat, idcirco iustus? an verò quia iustus, ideò præstolabatur? Vtrunq; certè verum est: nam & expectans dabat gloriam Deo, sciens quod, quæ Deus promisit, potens est & facere: ideò & reputatum est illi ad iustitiam. Roman. 4. & quia collata ei iustitia iustus erat, diligentiùs expectabat; vt qui diligeret aduentum Domini, similis seruis expectantibus dominum suum, quando reuertatur à nuptijs, Luc. 12. Pauci etiam tunc temporis Messiam spiritalem sperabant, sed somniabant & pollicebantur sibi carnalem, diuitem, potentem, orbis totius domitorem, qui eueheret & exaltaret Iudæos, Gentes deprimeret. Expectabat autem consolationem hanc Simeon ex libris propheticis Christum annuntiantibus redemptionem Israëlitici populi, qua ab omni perniciosi erroris, & peccati caligine, & legis seruitute liberaretur. *Et Spiritus sãctus erat in eo.* Non tantùm per essentiam, quo modo existit in cunctis creaturis; nec tantummodò per communem gratiam, quo pacto est in omnibus iustis, sed etiam per gratiam eminentiorem, qua ratione in viris perfectis & heroicis habitare consueuit. Si enim Spiritus sanctus pios & iustos inhabitat, eosdemque humiles, meritò in isto qui tantum testimonium habet iustitiæ, & pietatis, ad sanctificationem eius inhabitauit: neq; tantùm inhabitauit, sed etiam accepit illum in donum prophetiæ: quemadmodum etiam in alijs Prophetis accidit. *Et responsum acceperat à Spiritu sancto.* Sacer hic senex, & sanctus multis argumentis edoctus instare tempus & horam promissi, & iam diu expectati Messiæ ardentibus votis ac vocibus aggressus est cœlestes pulsare fores, sibi vt cõtingeret eum viuere diem, quo videre posset corporalibus oculis tot iam seculis summis votis expetitum, atque expectatum Messiam; hoc siquidem commune fuit omnium Prophetarum, & iustorum desiderium. Nam Abraham, ipso Domino teste, desiderauit videre diẽ Domini, vidit, & gauisus est, Et Apostolis dixit: *Multi Prophetæ & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis: & audire, quæ vos auditis.* Hic ergo S. Simeon ita ferè precabatur: Veni Domine, noli tardare: relaxa facinora populi tui: Et, ostende nobis Domine misericordiam tuam; & salutare tuum da nobis: &, Vtinam dirumperes cœlos, & descenderes: Emitte agnum Domine dominatorem terræ: Rorate cœli desuper, & nubes pluãt iustum: aperiatur terra, & germinet Saluatorem: & similibus vocibus multis, quę inueniuntur apud Prophetas.

Acceperat autem responsum ab Spiritu S. in abdito pectoris sui, se mortẽ non visurum, priusquã videret Christum Domini; atq; hac expectatione vir sanctus ille canitiem suam solabatur & sustẽtabat. Vbi duo verè admiratiõe digna cõsiderari possunt. Alterum est, quòd cùm vitam prolixiorẽ homines multis de causis exoptent, nempè, vt vel ditiores fiant, vel, vt liberos procreent, vel quo suis cupiditatibus potiri valeant, hic tamen in hunc finẽ sanctissimum vitam sibi prorogari poscebat, & efflagitabat, vt semel illi liceret illum corporis oculis cernere, quẽ oculis fidei cum vatibus iam perspexerat. Similique propemodum tenentur desiderio multi pij senes, qui nihil aliud æquè desiderant, atq; appetunt, ac videre pacatam Ecclesiam hæresibus, si nõ omnibus certè multis extinctis, antequam

à Deo

Margin notes, left: Simeon quã expectaret redemptionem Israël. — *Rom. 5.* *Isai. 40.* *Infra 61.* *Matth. 5.* — Simeon & Iudæi omnes, cur expectabant redemptionem Israël. — *Gen. 49.* *Dan. 9.* — Concilium Sanedrim quidnam illud. — *Talmud.* — A quibus Christus cõtemnitur. — *Luc. 23.* — *Psalm. 44.* — Simeonis fides, ac spes in Deum. — *Rom. 4.* *Ibidem.* *2. Tim. 4.* *Luc. 12.* — Qualem sib. Messiam somniabãt carnales Iudæi. — Simeon vnde expectaret redemptionẽ Israël.

Margin notes, right: Spiritus sanctus quomodo in Simeone fuerit, & quare. — Quare Simeon respõsum ab Spiritu S. habuerit ante mortem videndi Christum Domini. — *Gen. 48.* *Agge. 2.* *Ioan. 8.* *Luc. 10. & Matth. 13.* — *Psalm. 84.* *Isai. 64.* *Supra 16.* *Infra 45.* — Simeon vbi acceperit hoc testimonium sancti Spiritus. — Longiorẽ vitam sanctus Simeon quare tantùm postulauerit à Domino.

Eius ardens desiderium Messiæ.

à Deo optimo maximo hinc reuocentur. Alterum est, quòd cùm minimè dubitaret Simeon futurum, quod Spiritus sanctus ei significârat, nihil tamen antiquius sibi videbatur, quàm vt promissam felicitatē conspiceret. Quòd si in hac vita viuere diutius, vt mos est plerisq; facere, optauisset, haud ita auidè expetendus illi erat hic aduentus, cùm certo sciret se tamdiu victurū, quamdiu prorogaretur. Verùm suæ gentis salutem, cui se totum addixerat & consecrârat, propriæ vitæ anteferebat: qua quidem à charitate lōgo nos interuallo distamus: nec veris tantum ac perfectis Christianis, sed multis (proh dolor) ethnicis & paganis hominibus sumus inferiores, qui commod. patriæ vel reipub. priuatis commodis, & vtilitatibus antepos uerunt. Ex quo vir quidam ethnicus eo tempore quo tenebræ operiebāt terram, & caligo populos, sola natura duce, hæc verba prudentissima protulit: *Vt*, inquit, *leges omnium salutem, singulorum saluti anteponunt: sic vir bonus, & sapiens, & legibus parens, & ciuilis officij nō ignorans, vtilitatem omniū plusquam vnius ac solius, aut sua consulit. Nec magis vituperandus est proditor patria, quàm communis vtilitatis, aut salutis desertor, propter suam vtilitatem, aut salutem.* Hactenus ille: quæ ad nostram omnium, qui Christum profitemur, confusionem ac dedecus produxi. Hic autem iuxta spiritum considera, neminem perfectè mori, nisi gustato prius, & viso Christo per fidem: quia charitas & dilectio fortior est quā mors separans animam à corpore.

Charitas eiusdem eximia, atque singularis.

Isai. 60.

Patriæ charitas priuatis commodis anteponenda est, ethnicorum etiam iudicio.

Perfectè quādo moriatur quis.
Cant. 8.

Benè ergo ait Euangelista Lucas: *Responsum acceperat*: quoniam signum obtinendi est, immissum à Deo suæ, vel alienæ salutis desiderium: quod quidem desiderium aut appetitus spiritus, minus est frustra, quàm optatio & appetitus naturæ. Qui enim dedit velle, vt Apostolus docet, dabit & perficere pro bona voluntate, modò illius ductum sequamur: alioqui bonum semen in mala terra fructum nō edet. Porrò videre mortem, phrasis est Hebræa, pro eo quod est mori, vel mortem degustare, ideò Psal. 15. *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.* & Ioan. 8. *Amen dico vobis, si quis sermonem meum seruauerit, non gustabit mortem in æternum.* ¶ *Et venit in Spiritu in templum.* Hoc desiderium videndi Christum, infusum est à Spiritu sancto. Etsi enim maius sit oculis fidei, quàm corporis Christum cernere, vtrisque tamen, & internis, & externis luminibus Christum aspicere præstantius est, & magis salutare: & tale ac tantum donum ad eos, qui primitias spiritus acceperūt, spectat. Vnde vt Christi verba planiùs ac plenius intelligas, aduerte, quòd dixit: *Beati oculi qui vident quæ vos videtis.* Haud loquitur de visione tantùm, quæ oculis corporis fit, quæ communis fuit Simeoni cum omnib' Iudæis, qui eum viderunt, & audierunt, neque tamen in eum crediderunt; imò illum reprobarunt, & iniurijs plurimis affecerūt. Neque loquitur etiam de visione, quæ internis oculis fidei efficitur; nam si de ea esset sermo, non minus beati fuissent Reges, & Prophetæ, qui eū illis oculis spiritus viderunt, & tamen ait: *Dico enim vobis, quòd multi Prophetæ & Reges desiderârūt videre quæ vos videtis, & non viderunt.* Ergo loquitur de visione, qua vtrisq; oculis Apostoli ac primitiui Christi cultores Christum videre digni habiti sunt. Felix verò ille qui spiritu bono commotus, templum Domini ingreditur. Nam & hic suo ingressu placabit Deum, & suorum votorū ac precum compos efficietur, & denique circunstantes suo exemplo iuuabit. Nam vt omittam, bonos sæpè consuetudine magis, quàm pietate moueri & duci, permulti tamen inueniuntur, qui non in Spiritu sancto, at in spiritu immundo, vel in spiritu superbię & elationis, vt Pharisæus ille (de quo Lucæ 18.) vel in spiritu auaritiæ, Simoniæque veniunt in templum. Vtinam qui ad preces horarias persoluendas conuenire solent in Ecclesiā, non hoc auaritiæ spiritu permoueantur; ita vt conqueratur de illis Dominus: *Quis est*, inquit, *in vobis, qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuitò?* Vtinam multi non vt Simeon, sed vt Simon Magus non veniant id templum ad Christum suscipiendum, vt vendant quem emerunt. Clamat siquidem ipse Dominus: *Domus mea domus orationis vocabitur: vos autem fecistis illam speluncam latronum.* Orandus est ergo Dominus, vt ad locum precationi destinatum, in Spiritu sancto accedamus, vt cum fructu orare, eaque quæ voluntati eius sunt consona, impetrare valeamus.

Quid est, quod Simeon responsum ab Spiritu sancto dicitur accepisse.
Philip. 3.
Psalm. 15.

Vnde Simeoni fuerit Christum videndi desiderium.

Rom. 8.

Beati qui tantùm oculi, vt ille dixit, qui Christum videbant.
Matth. 13.

Luc. 10.
Matth. 13.

Venientes spiritu in tēplum, exemplo Simeonis quàm felices.

Luc 18.
Ab istis qui degenerent.

Malach. 1.

Act. 8.
Isai. 56.
Matth. 21.

Secundùm consuetudinem legis pro eo. Rectè dixit Lucas, *Secundùm consuetudinem*, non, secundùm legem, quoniam nulla tali tenebantur lege. Docemur deinde seruare Ecclesiæ consuetudines, per quas non minus Dei voluntas innotescit, quàm per Scripturas. Paulus etiam, vt telum fortissimū contra refractarios & seditiosos Corinthios opponit Ecclesiæ consuetudinem. *Et ipse accepit eum in vlnas suas.* Nihil non audet charitas: & plus accipit, quàm promissum erat: promissum enim erat tantum, vt videret & dignus factus est, qui contrectaret Messiam; vt dicere posset cum Apostolis; *Et manus nostra contrectauerunt de Verbo vita.*

Christi, & Matris libertas à lege Moysi.
Ecclesiæ cōsuetudines quanti faciendæ.
1. Cor. 11.

Charitas vt magnanima.

1. Ioan. 1.

Accipere Ieſum in vlnas, myſticè quid

Et accepit, id eſt, non tantùm vidit, ſed etiam accepit tanquam Sacerdos, vt ſiſteret eum Domino. Et accipere in vlnas, eſt, operibus bonis quęrere Ieſum, id eſt, ſalutem.

Vt benedixit Deum Simeon.

Et benedixit Deum, id eſt, laudando prædicauit, tanto beneficio gratus, & proteſtans fidem ſuam, quam de infante conceperat: prędicatque ore aperto reliquis audire volentibus Meſſiam. Mali verò Sacerdotes Chriſtum manibus accipiunt, at Deum minimè benedicunt, ingrati gratiæ Dei. Tanta eſt, tamq; impudens ac temeraria ingratorum Sacerdotum audacia. Verùm iſti nec vident, quid in manibus accipiant, dum ſacrificium conficiunt: nam ſi viderent, gratias agerent procul dubio.

Quinam mali Sacerdotes.

Simeonis Cãticum quò tendat.

Et dixit, Nũc dimittis ſeruum tuum Domine. Duos hactenus hymnos, vel Cantica præmiſit Euangeliſta Lucas, alterum Mariæ, Zachariæ alterum: his iam tertium addit, breue quidem, ſed prioribus reliquis conſentaneum. Maria gaudio exultauit ſe fore Matrem Chriſti: lætatur Zacharias ſe factũ patrem Pręcurſoris Chriſti. Mirificè etiam exultat Simeon, Cygni more, de quo quidam dixit:

Luc. 1. ibidem.

Qualis Simeon: quanti meriti fuerit apud Deũ

Martial.

Cantator Cygnus funeris ipſe ſui.

quòd illum ipſum quem Maria peperit, quemq; pręcurrit Ioannes, oculis tam corporis, quàm mentis videre meruerit; nec videre modò, ſed & in vlnis geſtare, non ſine magno corporis & animæ ſuæ emolumento. Si enim ad tactum fimbriæ veſtimenti eius mulier illicò ſanata eſt à ſanguinis profluuio, quid de Simeone; qui in vlnas ſuas accepit infantem, cogitandũ: Et quoniam Simeon vltimus hoc Canticum cecinit, typus eſt reliquiarũ populi Iudęi in fine mundi cõuertendarum ad Chriſtum: ob id meritò illud canitur in Completorio. Canticum verò Mariæ ad Veſperas, quia figurat eos, qui æquales Chriſto fuerunt, qui venit in fine ſeculi, ſexta videlicet ætate mundi. At Zachariæ Canticum ad Laudes ſub noctem decãtari ſolet, quia typus eſt Chriſtũ Solem iuſtitiæ præcedentium, qui diem effecit: Porrò in hoc Cantico primùm petit à Deo corporeis abſolui clauſtris Simeon, placidaque pace obdormire cum patribus ſuis: quoniam mundi iam Saluatorem oculis viderit ſuis.

Matth. 9.

Simeon quorum typum gerat.

Canticum Simeonis ad Completorium, Mariæ Virginis ad Veſperas, Zachariæ verò ad laudes cur ſoleant decãtari.

Gal. 4.

Quid contineat Simeonis Cãticum.

Deinde ipſius Saluatoris excellentiam atq; virtutes prædicat, quod ad mundi totius redemptionem, ac Gentium illuminationem, atq; ad gloriam Iſraëlitici populi à Deo ſit miſſus. Nam cognitionem & laudẽ pro tanto poterat rependere beneficio. *Nunc*, inquit, id eſt, dato Chriſto pacem faciente, *dimittis*. Quod vel deprecandi notionem habet, vel futurę rei denuntiationem. Quaſi dicat precando: Nunc dimitte me, obſecro, vt legit Ambroſius. Vel, Poſthac dimittes me, & ab huius mundi carcere per mortem diſſolues. Neq; tamen dixit, Nunc morior, ſed, *dimittis*, ſed, vt Græca vox habet, *diſſoluis*, de præſenti: eſt enim ἀπολύεις. Id eſt, ſi quando me ex hac vita dimittis, dimittis certè non cũ dolore, ſed cum pace, id eſt, animo lęto, & ſuis votis ſatiato. Et mortem, appellat abſolutionem quandã à vinculis, quibus detinetur anima, dum quibuſdam quaſi compedibus corporis obligatã ſe ſentit: quam diſſolutionem & Paulus optabat, cùm diceret; *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto.* Optabant priſci & antiqui patres ac Prophetæ, diu viuere, vt Saluatorem viderent: optemus & nos hinc citò migrare, vt eundem videamus, quando hic videre non licet eum, qui ſe in cœlum recepit. Ad hæc, longitudo dierum promittebatur ijs, qui legem ſeruarẽt. Optabant ſancti diu viuere, quo haberent in ſe teſtimonium quod placerent Deo; & ne Deus blaſphemia afficeretur, diceretur(q); non ſeruare promiſſa. In veteri quoque Inſtrumento moriendi vocabulum in vſu erat: verùm ſub Euãgelio, vbi futura corporum noſtrorum anaſtaſis certa promittitur, cuius arrhabonem dedit Chriſtus primitiæ dormiẽtiũ, mors, ſomnus ac dormitio conſueuit appellari: & locus vbi fideles ſepeliuntur, voce Græca dicitur κοιμητήριον, quaſi dicas, dormitoriũ. Et aptè profectò: quid enim à ſomno mors diſtat, quem imaginẽ mortis quidam Poëta, & alius conſanguineum lethi ſoporem appellauit: cùm paullò pòſt ſimus ad immortalẽ vitam tãquam à ſomno ad perpetuam vigiliam excitandi? Qui verò dormitionẽ hãc pertimeſcendam mortem vocãt; mulcis Ethnicis, & qui ſine Deo erant, inueniũtur inferiores. Nam qui inter eos generoſius ſunt philoſophati, nihil aliud eſſe arbitrantur mori, quàm exire è tenebris, & carcere, & vinculis. Conſidera quæſo hæc verba Ciceronis libro 1. Tuſculanarum Quæſtionum: *Vetat*, inquit, *dominans ille in nobis Deus, iniuſſu hinc nos ſuo demigrare. Cùm verò cauſſam iuſtam Deus ipſe dederit, &c. ne ille medius fidius vir ſapiens, lætus ex his tenebris in lucem illam exceſſerit: nec tamen illa vincula carceris ruperit: leges enim vetant, ſed tanquam à magiſtratu aut ab aliqua poteſtate legitima ſic à Deo euocatus atque emiſſus exierit. Tota enim Philoſophorum vita, vt ait Socrates, commentatio mortis eſt. Nam quid aliud agimus, cùm à voluptate, id eſt, à corpore; cùm à re familiare, quæ eſt miniſtra, & famula corporis; cùm à Republica, cùm à negotio omni ſeuocamus animum?*

Quid ſignificet: Nunc dimittis, &c.

Ambr. lib. 2. in Lucam, ca 21. tom. 5.

Alter ſenſus, haud diſſimilis, Ambroſij

Quid mors Simeoni, & Paulo.

Philip. 1.

Matth. 13.

Deut. 22. & ſæpe alias.

In Veteri olim Teſtamẽto moriendi, in Nouo verò dormiendi vocabulum magis in vſu eſt.

1. Cor. 15.

Κοιμητήριον, Græcè quid.

Somno quã ſimilis mors hæc quid Ethnicis.

Ouid. 2. Amorum, eleg. 9.

Virg. 6. Aen. à medio.

De morte iſdem quàm excelsè, & generosè ſuerint philoſophati.

Cicero paullò poſt medium.

Tota philoſophorum vita Socrati quid, teſte Cicerone.

mum? quid, inquam, tum agimus, nisi animum ad seipsum aduocamus, secum esse cogimus, maximéque à corpore abducimus? Secernere autem à corpore animum, ne quicquam aliud est, quàm emori discere. Hæc ille.

Secernere à corpore animum, quid secundùm Ciceronem.

Nunc ergo (Simeon iustus aiebat) postquam satisfactū est à Domino votis meis, nunc lubens, ac lætus moriar: nunc nihil est quod me amplius viuere delectet, nihil est quod me remoretur diutius: animo iam læto ad Patres meos concedam, quos tanto nuntio incredibili gaudio perfundam. Sed an non credebat multos Angelos præcurrisse, qui sanctis Patribus spem salutis attulerunt? Sed certè in pueritia notus esse non vult, & Zachariæ ætas expectare illius iuuētutem (in qua est declarandus) haud potest: & ipse inter homines tanti boni esse nūtium desiderauit. *Seruum tuum.* Scientem voluntatem Domini, atque illam timore præstantem, voluntatique diuinæ obsecundantem. *Domine.* Putant quidā loqui ad ipsum Christum, vt Origenes & Euthymius. Alij verò referunt ad Patrem, vel potius ad Spiritum sanctum, qui in eo habitabat. *Secundùm verbum tuum*, id est, secundùm promissionem mihi abs te factam. *In pace.* Ante Christum induciæ vsq; ad eum erant; at postea quam incarnari ipse dignatus est, cecinerunt Angeli: *Gloria in altißimis Deo: & in terra pax hominibus.* Et Apostolus: *Ipse enim est pax nostra qui fecit vtraq; vnum, & qui liberauit nos à timore mortis.* Est ergo pax, id est, quies perfecta, etiam in morte, vt Christus dixit: *Habete in vobis sal, & pacem habete inter vos.* In pace ergo: quia quandiu viuimus, turbationibus sumus expositi: per mortem obdormimus in Domino. Nemo itaque seducatur à dæmone promittente pacem in diuitijs, honoribus, atque scientijs terrenis: siquidem non est vera pax, sed fucata, ac perniciosa, vt supremo vitæ tēpore miseri intelligent. Abrahæ dicitur: *Tu ibis ad patres tuos in pace:* & Tobias optat in pace recipi spiritū suum: & Dauid: *In pace in id ipsum dormiam, & requiescam.* Et nomen pacis apud Hebræos, sanitatem, integritatem, successus, votorumque omnium adeptionem, tranquillitatem & animi lætitiam significat. Ita Helisæus Nahaman Syro, & Christus peccatrici dixerunt: *Vade in pace*, id est, sis animo libero ac læto: sicut Iacob viso suo filio Ioseph, dixit: *Iam lætus moriar, quia vidi faciem tuam, & superstitem te relinquo.* Vnde Origenes in Lucam: *Non ait, dimitti volo, sed cum additamento, in pace dimitti. Nam & beato Abrahæ hoc idem promissum est: Tu aūt vades ad patres tuos in pace, nutritus in senecta bona. Quis est qui moriatur in pace, nisi qui habet pacem Dei, quæ omnem sensum superat, custoditq; cor possessoris sui? Qui est qui de seculo isto recedit in pace; nisi is qui intelligit quòd Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi?* Hæc ille. In pace etiam, patribus in limbo existentibus annuntianda. Et quanquam omnes Patres antiqui obierint in pace conscientiæ; non tamen viso autore vitæ & pacis Christo, cuius ardens videndi desiderium omnes illos tenebat suspensos. Simeon verò etiam in pace hac mortuus est expleto illo desiderio. Lumine autem Prophetico prænuntiat Simeon, breui omnes Patriarchas, & Prophetas soluendos fore à vinculis, & carcere limbi, & ad cœlestem, gloriosamq; pacem euehendos.

Simeon qualis Domini seruus. *Luc.12.* Idem quem alloquitur dicens: Nunc dimittis seruum tuum Domine. *Orig. hom. in Luc.15.&c.2.* *Euthym.* *3.Reg.2.* In pace dimitti à Domino, quid. *Luc.2.* *Ephes.2.* *Hebr.2.* *Marc.9.* Quæ non sit vera pax, sed fucata, ac perniciosa. *Gen.15.* *Tob.3.* *Psalm.4.* *4.Reg.5.* *Luc.7.* *Gen.46.* *Origenes superiori loco.* In pace quis moriatur tantummodò. *Philip.4.* *2.Cor.5.* *Matth.13.* Simeonis priuilegium: eiusdem vaticinium.

Ex his igitur, quæ tradit Lucas, habes, quales cantilenæ mulieres deceant, in Cantico Virginis: quales item Sacerdotes, qui Zachariam habent præceptorem: hic verò, qualis senum debeat esse cantus, ipse vides. Sufficit semel in iuuenta insanisse: turpissimum est audire senem impudicum, qui vel in ipsa senecta Dæmoni, vel Baccho, vel Mammonæ seruiat. Hic quomodo in pace hinc abeat, non video. Maledictus est enim puer centum annorum. Subdit: *Quia viderunt oculi mei salutare tuum.* His verbis caussam suæ exultationis explicat: assecutus enim erat quod tantoperè Patres antiqui anhelantes expectabant: nam oculis carneis Christum hominem, & non tantùm mentis Christum Deum viderat. Videtur de Simeone isto sancto Dauid pronuntiasse: *Lōgitudine dierum replebo eum, & ostendam illi salutare meum.* Et dicti Patres per salutare intelligunt, vel incarnationem, salutis instrumentum, vel ipsam, quæ per eum est effecta, salutem, atq; redemptionem. Ac vocat Scriptura Christum tum Saluatorem, tum salutem, tum salutare, vt hoc loco, videlicet antidotum salutis præsentaneum. Iesus enim per fidem cōceptus, vel ore inuocatus, vel per Sacramenta applicatus, salutē spiritus operatur per remissionem peccatorum, qua eripimur à seruitute dæmonis: vt mirum videatur, & viuis prosequendum lachrymis, tot homines suapte perire sponte tanti in præsentia salutaris, atq; conspectu: quod, vti diximus, valet, nouit, ac vult saluare, modò tanto medico salutifero homines præbeant se obsequentes. Saluum etiam reddit corpus nostrum à corruptione & interitu per resurrectionem: quare qui salutis corporis desiderio tenentur, hoc salutari ad sanctificationem spiritus vtantur tantisper, donec gloria immortalitatis ad corpora nostra deriuetur. Huiusce salutaris meminerunt Prophetæ, illudque à Deo Opt. Maximo summis votis expetiuerunt,

Isai.65. Simeon cur exultauerit. *Psalm.90.* Quid salutare Dei. *Orig. & alij iam producti.* Iesus quàm verè & sit & dicatur Saluator, salus, atque salutare Dei. *1.Tim.1.*

uerunt, atque efflagitârunt, dicentes: *Ostende nobis Domine misericordiam tuam: & salutare tuum da nobis*. & alibi: *Et veniat super me, Domine, misericordia tua; salutare tuum secundùm eloquium tuum.* Subijcit: *Quod parasti ante faciem omnium populorum.* Generalem significat salutem, & vniuersum genus hominum quod attinet ad Deum, protensam: non minus quàm Adæ perditio manauit in omnes homines. De hac locuti etiam Propheta sunt, ait siquidem Dauid: *Viderunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.* Et loquitur more prophetiæ, *viderunt*, pro videbunt: quod expreßius dixit Isaias: *Et videbit omnis caro salutare Dei nostri*, per prædicationem nanq; Apostolicam fides, & notitia huius Saluatoris cunctis hominibus communicata est. siquidé ex carne fieri Spiritus velint: quandiu enim homo in carne est, id est, in peccato, Salutare hoc videre neutiquam potest. Pulchrè autem ait; *quod parasti*: siquidem non solùm ab æterno disponens, vt mitteret, sed etiam ipsa misione, incarnatione, prædicatione, morte, atque resurrectione pręparata est, atque confecta potentisima medicina, ad salutem corpori, & animo conciliandam, si tamen eam assumere, atq; sibi incorporare non reluctetur homo. Neque enim medicina in ædibus pharmacopolæ etiam parata, sanat quenquam. nisi sit epota, in visceraque transfusa. Parauit ergo hunc Saluatoré Deus, tum, vt mediatorem ad nos cum Patre reconciliádos, tum, vt bellatorem contra dæmonem nullo iure nos in captiuitate detinentem; tum, vt subleuantem à morbo peccatorum medicinam, ac præseruantem; tum, vt aduocatum, orantem, interpellantemque pro nobis apud Patrem, vt panem viuum nos satiantem; tum, vt resurrectionem & vitam, ad exterminandam ab electis suis, atque penitus depellendam omnem corruptionis iniuriam. Denique si oculos aperias, videbis profectò in Ecclesia Dei Christum tibi in salutare proponi, ad accersenda tibi omnia bona, atque vtilia comparanda, itemq; ad eliminanda mala omnia, & aduersa. Rectéq; ait: *Ante faciem omnium populorum.* Neque enim Christus, atq; eius doctrina quærit angulos, occultosve professores domus, vt hæresis facit, quæ per rimas irrepit, ac serpit, vt cancer. Verùm publica est, & manifesta. Vt enim Deus non est tantùm Iudæorum Deus, sed & Gentium: sic Christus omnium mediator est, & Saluator: & Ecclesia ciuitas est in monte posita, quę abscondi non potest inquirentibus & sitientibus salutem suam. Subiungit: *Lumen ad reuelationem Gentium, & gloriam plebis tuæ Israël.*

...sal. 84
...sal. 118.
...uid significet: Quod ...arasti ante ...aciem omnium populorum.
Rom 5
...sal. 97
...sai. 40
...uc. 3
...uis tantū ...ideat Salutare Dei. ...eus vt pa...uerit hoc ...alutare suū.
...uare parauerit.
Ioan. 2. & ibi.
...dem cur pa...uerit ante ...aciem omnium populorum.
...Tim. 2.
...om 3.
...Tim. 2.
...at 5.
...llud, Lumen ...d reuelatio...em Gen-

Voces: *Lumen*, & *Gloriam*, referuntur per appositionem, ad salutare: Id est, quia viderunt oculi mei Christum tuum, lumen Gentiùm ad reuelationem, nempe, vt illis reueletur, atque innotescat salutis suæ mysterium. Et ita vox Gentium, referenda est ad lumen, non ad reuelationem: sicut gloriam, ad plebem Israël. Videtur his verbis explicasse Simeon dictum illud Isaiæ: *Dedi te in lucem Gentium, vt sis salus mea, vsque ad extremum terræ.* Quippe Gentibus erat abscondita lux veritatis, qui degebant in tenebris peccatorum, & ignoratione salutis suæ. At inquies. Nonne ait Isaias: *Surge, illuminare Hierusalem, quia venit lumen tuum?* æquè igitur ad Israëlitas pertinet, atque ad Gentes, hoc lumé. Dicendum est, primùm eo loco Isaiam per Hierusalem intelligere Ecclesiam, quæ ex Iudæis constat, & Gentibus. Deinde Christi aduentus lucem attulit tam Gentibus, quàm Iudæis, dixit enim de se ipse: *Ego sum lux mundi.* & Ioan. 1. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Vtrisque simul gloriam comparauit Christus, plus tamen lumen tribuitur Gentibus, quàm Iudæis: magis etiam adscribitur Iudæis gloria, quàm Gentibus: ac meritò. Magis est enim arduum, illuminare Gentium densisimas tenebras, quæ Dei cognitione cœcæ, ad muta simulachra euntes ducebãtur, quàm Iudæos per legem instructos. Amplius est item, Iudæos gloria afficere, alioqui superbos, & gloriosos propter Abrahæ semen, vnde originé ducunt, ac propter Moysi legem, quàm Gentes, quæ instar canum comedebant de micis, quæ cadunt de mensa dominorũ suorum. Fuit ergo insigne hoc lumen Gentibus ex mera Dei misericordia factum, tantùm vt bonum cernerent. Fuit & bonitas naturæ Gentilium originis crimine cooperta, núc à Deo detecta, vt eam videat vestitam donis suis, in eaque complaceat sibi. Fuit deinde gloria populi Israël, quoniam ex illorum sanguine voluit esse oriundus: nam salus ex Iudæis est. Vt enim homo hac dignitate incarnationis Angelum vincit; sic Iudæus eadem de causa excellit Gentili, quòd ex Iudæis Christus existat, non ex Gentilibus. Est item gloria plebis Israël: quia per Apostolos Gentes illuminauit, per se ipsum verò minister fieri voluit circuncisionis. Adhæc, Iudæi sunt Apostoli, qui primitias Spiritus acceperũt, & vocârunt Emmanuel, & ob id digniores, & excellentiores, quàm Gentiles. Nam vt in templo Salomonis construendo omnes, qui cædebãt lapides, & ligna, Gentiles erant, operum verò pręfecti, Iudęi: sic in propagatione Chri

...ium, & reliq. quomodo accipiendū, ad literam.
Isai. 49.
Acto. 13.
Christus cur potius dicitur lumen Gentium, quam Iudæorum.
Isai. 60.
I ratio.
Ioan. 8.
Supra 1.
Idem gloria Israel, non Gentium nominatur duplicitèr.
1. Cor. 12.
Matt. 15.
Christus itē cur lumen Gentium, Iudæorum gloria.
Ioan. 4.
II. ratio posterioris quęstionis.
Rom. 15.
Isai. 7.
Matt. 1.
Rom. 8.
III. ratio.
3 Reg. 5.
Supra 4.

stiani cultus, Ecclesiæque sanctæ constructione, principes, præfecti, & ministri inueniuntur Apostoli, atque alij ex Iudæis Apostolici viri, quorum comparatione Gentiles ædificatio sunt, siue artifices ædificantes.

Sancti Apostoli in quib^9 præfigurati.

Atque ita habes, Christum salutare esse generale omnium hominum contra perditionem peccati, lumen contra cœcitatem, & gloriam contra miseriam nostrā. Et hic quidem sit finis Cantici. Adiungam tamen pauca verba Bernardi serm. in die Purificationis: *Qui vult*, inquit, *in pace dimitti, conetur esse Simeon, qui audiens tristitiam interpretatur; vt quàm horrendum, quàm triste sit incidere in manus Domini, intenta mente perscrutetur. Sit ciuis Hierusalem, habens conuersationem in cœlis. Sit iustus, ne malè viuendo pereat. Sit timoratus, ne de iustitia sua temerè præsumat. Expectet Christum, qui est consolatio fidelium: non quærat ante vesperum denarium: veniat in templum, imitetur exempla sanctorum puerorum. Accipiat in manibus verbum Dei, id est, compleat operibus. Gestet puerum in vlnis, amplectatur eum cum brachijs fidei, spei, & charitatis: gaudebitq; de adepto Christi consortio. Cupiat indesinenter mori seculo, & viuere Deo. Tunc tandem dimittetur in pace, vt non videat mortem, qui mortem perdidit, & vitam inuenit.* Hæc ille, aptissimè docēs benè moriendi artem. Quā vt nos adipisci promereamur, vtinam contingat nobis vitam tanti viri factis nostris consectari, atque moribus exprimere, præstante Domino nostro Iesu Christo, cui cū Patre & Spiritu sancto deferatur omnis honos, gloria, laus, potestas, & imperium in secula seculorum, Amen.

B. Bernard. Quomodo quis possit esse Simeon: quid interpretetur.

Hebr. 10. Philip. 3. Ars benè moriendi qualis.

TRACTATVS XLIII.

In illa verba: *Et erat pater eius, & mater eius mirantes super his, quæ dicebantur de illo: Et benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam matrem eius; Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israël, & in signum, cui contradicetur, &c.* Lucæ cap. 2.

VARIA est huius loci lectio: nam Euthymius, & Complutensis editio, & quædam alia exemplaria Græca legunt: *Et erat Ioseph, & mater eius, &c.* Si verò legas, vt legi debet *pater eius*, noli prudēs lector eiusmodi verbo offendi: nam & B. Virgo in fine huius capitis dixit: *Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te:* & satis declarat Euangelista quem dicat esse patrem suum. Ait enim: *Nesciebatis quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* cuius patris? num Ioseph, an verò cœlestis Patris nimirùm. Et infra: *Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta; vt putabatur filius Ioseph.* Doctè autem Hieronymus in Heluidium scripsit: *Omnes Iesum filium existimabant Ioseph; in tantum, vt etiam Euangelistæ opinionem vulgi exprimentes, quæ vera historia lex est, patrem eum dixerint Saluatoris. Vt ibi: Et venit in Spiritu in templum, haud dubium quin Simeon: Et cùm inducerent puerum Iesum parentes eius, vt facerent de illo secundùm consuetudinem legis. Et alibi: Et erant pater illius, & mater admirantes super his, quæ dicebantur de eo. Et rursum: Et ibant parentes eius per annum in Hierusalem in solenni die Paschæ. Et infra: Remansit puer Iesus in Hierusalem, & non cognouerunt parentes eius. Ipsa quoque Maria, &c. quid de Ioseph loquitur, ausculta: Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce, pater tuus, & ego dolentes quærebamus te. Non enim hæc Iudæorum, vt plerique argumentantur, non illudentium vox est. Euangelista patrem Ioseph dicūt, patrem Mariæ confitetur.* Sic ille. Erat enim Ioseph verus cōiux Mariæ, quæ vera, & syncera erat sponsa Ioseph, & mater Christi. Et vt Hieronymus admonuit in Iouinianum: cōsuetudo Scripturę est, gesta ita referre, quomodo tunc, quando fiebant, fieri putabantur. Putabatur autem filius Ioseph, priusquam puritas Virginei partus aperiretur. Vnde Paulus hunc dicendi morem secutus, ad Regem Agrippam, dicentem: In modico suades me Christianum fieri, respondit: *Opto apud Deum, & in modico, & in magno non tantùm te, sed etiam omnes, qui audiunt hodie, fieri tales, qualis & ego sum, exceptis vinculis his.* At Paulus in vinculis non semel gloriabatur; sed quoniam ij, ad quos verba faciebat, non erant huius mysterij capaces, excepit vincula, quę nisi excepisset, arbitrati essent Paulum illis malè precari. Lucas ergo Euangelista hic Ioseph patrem vocat Iesu; propterea quod ita passim per aliquot annos fuit creditum.

Euthym. c. 3. in Lucam. Editio Complutensis.

Non esse mirandum, Ioseph Christi patrentem appellari.

Luc. 3.

Hier. tom. 2. initio. Vera lex historiæ.

Supra 2. Ibidem.

Matth. 1.

B. Hieron. lib. 1. aduersus Iouin. eod. tom. Consuetudo Scripturæ est (inquit Hieron.) gesta ita referre, quomodo tunc, quando fiebant, fieri putabantur.

Act. 26. Hūc morem loquendi vbi Paulus vsurpauit.

Quòd verò ait admiratos fuisse, sine admiratione nostra nō dicitur: Quia enim admiratio procedit ex ignorantia alicuius rei magnæ, nouæ, & insolitæ, vel causæ rei ipsius, cùm Maria sciret illum esse Dei filium & mundi redemptorem, quid est quod admirata fuit in his, quę Simeon dixit de illo? Respondendum est: nihil mirum esse, Mariam admiratam fuisse, si Christus, qui est sapientia Patris, Centurionis fidē est admiratus. Admiratur enim, nō vt ignorās, sed vt quæ attentiùs contemplaretur, doceret ea esse maximè admiratione digna. Ad hęc nihil obstat, hominē in vniuersali sciētiam haben-

Admiratio vnde proficiscatur.

Quomodo Maria quæ Christum nouerat Dei filium, mirata dicitur in his quæ de illo dicebantur?

1. Cor. 1. Matth. 8.

Christus fidē Centurionis vt sit admiratus.

habentem, ignorare in particulari, & ab experientia ductam quandam singulariū circunstantiarum non habere notitiam, propter quas postmodū notas homo miratur.

Quibus opera Dei admirabiliora soleant videri, magisq; prædicanda.

Prętere a inter homines magis illi mirantur res à Deo creatas, per eam quæ in eis delitescit sapientiam, qui maiori sunt præditi intelligentia, quàm vulgus hominum imperitorum, quos ferè ista latent. Quare præstantissimus quidā Philosophus aiebat: Nulla rudibus magis ridicula videri, quàm diuina: nulla rursus sapientibus admirabiliora, quàm eadē diuina existimari. Vnde Dauid sapientissimus in cœlum oculos attollens, dicebat: *Videbo cælos tuos, opera digitorū tuorum: lunam & stellas, quæ tu fundasti.* Quòd quò intelligas, illum ob admirationem dixisse, orditur Psalmum illum ab admiratione, & in eandē admirationem claudit, cùm ait: *Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra.* Hæc autem imperiti & ingrati homines nunquam obseruant: at grati & prudentes assiduè in eorum admiratione versantur.

Qualia rudibus, & ignaris, qualia sapientibus diuina videantur.

Psalm.8.

Quæ res cū ipsi Ioseph, tum verò Virgini Deiparæ in dictis de filio admirationem adferrent.

Admiratio igitur, cuius meminit Lucas, nō magis ad Ioseph, vt quidā putant, quàm ad Virginem spectat, quæ maiore horum mysteriorum cognitione prædita erat. Ad hęc non admiratur tantū gesta nuda, quantum eorum significationes, ac mysteria in illis delitescentia: quæ si fortè sciret, haud ita plenè, & illo modo miraretur. Admirabatur prouidentiam & sapientiam Dei, qui sic in hominum gestis loqueretur, non in solis verbis, seu chartis, benignitatemq; eius in homines, illamq; φιλανθρωπίαν admirabilem Dei: quam quidem admirationem consequebatur maxima rerum cognitio, atque incredibile gaudium. Mirabantur ergo super his quę dicebātur de illo, vel hoc quod dixit Simeon, magnificum sanè, & admirādum, nimirùm quod hoc salutare propositum esset in conspectu omnium populorū, &c. Vel potest etiam esse adiuncta anticipatio ad ea, quæ consequuntur de eodem Simeone, & de Anna prophetissa.

Devs verè φιλάνθρωπος.

Mariæ & Ioseph Christi parentibus cur benedixerit Simeon.

Et benedixit illis Simeon; & dixit ad Mariā matrem eius, Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israël. Illud ergo, *Benedixit illis*, idem valet, ac, Benè precatus est illis: vt hæc tam prospera initia felicem exitum sortirentur. Et insinuatur, Simeonem fuisse sacerdotem: qui aliàs ausus non fuisset in templo benedicere. Sed quia sacerdotis munere fungebatur, Deique personam gerebat, scriptum quoq; erat in lege: Orabit pro ea sacerdos, & sic mundabitur; ideò maior fuit Christo, qui secundùm humanam naturam (quandoquidem sine vlla contradictione, quod minus est, à meliore benedicitur) personam peccatorum propter nos sustinebat. Quemadmodum etiam Melchisedech, quoniam benedixit Abrahæ, meritò maior illo probatur ab Apostolo, non quidem meritis, verùm dignitate & ratione personæ, Dei videlicet, quam tunc repræsentabat, quando decimas accepit ab Abraham.

Eo ipso illū ostenditur fuisse Sacerdotem.

Leuit.12. & sæpè aliàs.

Eadem ratione Simeon quatenus Christo maior fuerit.

Hebr.7.

Gen 14.

Hebr.7.

Abraham in quo minor fuerit Melchisedeco.

Nemo verò putet aliquid latere mysterij in eo, quod superiùs inquit, *Benedixit Deum*, in Accusandi casu, nunc autē in casu Dandi ait, *Benedixit illis*: nam Græca litera semper habet accusatiuum: & latinus interpres nullam facit differentiam inter benedicere te, & tibi. Et aliter benedixit Deum, laudando scilicet, & celebrando eius misericordiam & fidelitatem de dato filio; aliter benedixit parentibus, id est, benè precatus est, siue prospera & fausta est inauguratus. Et vt tradit Rabbinus Moyses Maymonis ex Doctorum suorum testimonio, consuetudo benedicendi in templo à Sacerdotibus seruanda Numer. 6. ad Simeonem Iustum vsque peruenit, & in eo cessauit, cū iam cessaret Sacerdotium Aaronicum, & inciperet Euangelicum.

Benedicere in Dandi casu, & Accusandi, idem significat.

Deum quomodo benedixerit Simeon, quo verò modo Christi parentibus.

Isai.9.

Rab. Moyses Meymonis.

Sacerdotalis ille ritus in templo benedicendi Nu. 6. quando esse desierit.

Et dixit ad Mariam. Quod ad matrē, non ad patrem Ioseph hunc sermonem direxerit Simeon, videtur ab Spiritu sancto edoctus fuisse: videlicet quòd illa virgo genuerit, & part⁹ ille nihil pertinuerit ad Ioseph: quanquam & id ipsum scire potuit ex Prophetis, maximè ex Isaia, qui dixit; *Ecce virgo concipiet, & pariet filium.*

Quare Simeon hoc loco matrē Christi potius quā Ioseph sit allocutus.

Isai.7.

Matth.1.

Ecce hic positus est in ruinam. Expendamus verba tanti Prophetæ ad Virginem dicta. *Ecce*, inquit. Res noua, & admirabilis, quòd Verbum caro factum esset, Dominus indutus formam serui: hic qui in Deitate incōprehensibilis, & inuisibilis erat, nunc digito potest ostendi & proponi toti mundo in speculum, & exemplum. *Positus est.* Nequaquam explicat à quo sit positus: sed certè quod ad Deum attinet, positus est ante faciem omnium populorum, in salutare, & in lumen, & reuelationem Gentium, & in gloriam plebis Israël: vitio hominum porrò in ruinam est positus, quoniam oblatam salutem neglexerunt, & lapidem istum pretiosum reprobauerunt. Non enim venit ipse, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Qui credit in eum, non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus est: quia non credit in nomine vnigeniti filij Dei. Hoc est autem iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem. Et in alio loco ait: *Ego veni vt vitam habeant, & abun-*

Quid dignū admiratione.

Ioan.1.

Philip.2.

A quo positus sit Christus in ruinā, & qua ratione.

Psalm.117.

Matth.21. & alibi.

Ioan 3.

Ibidem.

Infra 10.

Luc.19. Christus vt sit positus in ruinam multorum in Israël.

abundantiùs habeant. Itemque; Venit Filius hominis quærere, & saluum facere, quod perierat. Vt enim pons super rapidum flumen, vt quis liberè transeat, construitur; quòd si quis se ex eo præcipitem dedat, culpa est se præcipitantis, non pontis: ita Christus per se caussa est salutis omnibus, caussa verò ruinæ non est, sed benè se ab eo per infidelitatem, aut peccatum subtrahentis existit occasio homini imputabilis. Vides igitur, quòd directè non sit positus à DEO in ruinam: sic enim vult omnes homines saluos fieri: veruntamen præuisa repugnantia per delicta, & ingratum animum illorum, qui abutuntur medico, & medicina, panemque vitæ satiantem ob incorruptum gustatum reijciunt, in ruinam est. De hac autem repugnantia præcognita à Deo, inquit Isaias: *Dominum exercituum ipsum sanctificate: ipse pauor vester, & ipse terror vester. Et erit vobis in sanctificationem, in lapidem autem offensionis, & in petram scandali duabus domibus Israel, in laqueum, & in ruinam habitantibus Hierusalem: & offendent ex ijs plurimi, & cadent, & conterentur, & irretientur, & capientur.* Quomodo autem intelligenda sint hæc verba, explicat Apostolorum Princeps Petrus, qui priori sua epistola producit aliud testimonium Isaiæ, dicens: *Propter quod continet Scriptura: Ecce pono in Sion lapidem summum, angularem, probatum, electum, pretiosum, & qui crediderit in eum, non confundetur. Vobis igitur honor credentibus; non credentibus autem (lapis quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli) & lapis offensionis, & petra scandali his qui offendunt verbo, nec credunt in quo & positi sunt.* Ex quibus verbis accipis, Christum positum à Patre in petram fundamenti, & angularem, quia pretiosus est, speciosus, & honoratus hic puer omnibus, qui illum fide recipiunt; Scribis verò, & Pharisæis incredulis, atque ingratis factus est in offensionem, & scandalum, reprobando eum quem amplecti debebant. Vt enim vita non potest esse caussa mortis, nec lux tenebrarum, neque stabilitas lapsus; ita nec Christus per se caussa est ruinæ cuiusquam. Similia de se dixit Christus ipse: *In iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant.* Et quia ruina est stantium, & resurrectio iacentium: sicut resurrectio est spiritualis à peccato, & Satanæ seruitute: ita ruina, non temporalis, qua Iudæi perierunt per Romanos, sed spiritualis.

Caussa ruinæ hominum q singularis. 1. Tim.2. Isai.8. 1. Petr.2. Isaiæ testimonium de Christo lapide offensionis, & petra scãdali à Petro Apostolo explicatum. Ibidem. Isai.29. Psalm.117. Quomodo Christus Iudæis incedulis sit lapis offensionis, & petra scandali. Simile. Ioan.19.

Ideò Origenis sensus de salutari ruina peccatorum, qua cadunt peccato suo morientes, & deinde resurgũt ad iustitiæ opera, verus non est: sicut nec Theophylacti, dicentis Dominum positum in ruinam sui ipsius, hoc est, vt cadat in mortem, & deinde per eã resurgant multi in Israël. Sed hæc dura sunt, & statuendum, Deum per se caussam esse omnis boni nostri, at mali nonnisi per accidens. Nã quemadmodũ petra, quæ in via est, non est caussa, qua quis offendat in eam, sed incautè & inconsideratè ambulare, causa est impactionis: sic Dominus caussa ruinæ non est, quia ipse intentator malorum est, & neminem tentat: & Propheta apud Deum ait: *Non enim Deus volens iniquitatem tu es:* verùm noster imprudens, & inconsideratus accessus. Vnde Apostolus admonuit: *Videte fratres quomodo cautè ambuletis.* Ex quo idem Iudæis dixit: *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æterna vitæ: ecce conuertimur ad gentes.*

De ruina, & resurrectione Iudæorum, sensus Origenis minimè probatur. Orig. hom. 16. & 17. in Luc. tom.2. Theophylact. Deus vt autor sit omnis nostri boni, mali verò quomodo. Simile. Iacob.1. Psalm.5. Malum nostrum vnde. Ephes.5. Act.13.

Subdit: *Et in resurrectionem multorum.* Nempe illorũ, qui ceciderant antiquo peccato, nouisque, ac personalibus delictis casum confirmârant, ac munierant. Verùm istis Christus per se est causa resurgẽdi, dum eos verbo Dei illuminat, & per Sacramenta remittit peccata, & per gratiam eos præseruat à crimine. De hac resurrectione ait Paulus: *Surge qui dormis, & exurge à mortuis; & illuminabit te Christus.* Hæc est resurrectio prima, de qua Apostolus alibi: *Et quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus:* vt videlicet vitæ nouitas quædam sit resurrectionis Christi à mortuis imitatio; quam demum nostrorum corporum plena gloriæ resurrectio est consecutura.

Quorũ in resurrectionem positus sit Christus, & quomodo. Ephes.5. Quænam sit resurrectio prima. Rom.6.

Ait autem, *In Israël*, quia ad Israëlitas hæc pertinet prophetia: ex quibus nonnulli crediderunt, maxima verò pars in lapidem impegére, quia de Christo vox illa est: *Qui ceciderit super lapidem istum, confringetur: super quem verò ceciderit, conteret eum.*

Cur in Israël à Simeone dictum. Matth.21.

Fortassis dices: Cur Simeon non apertè ostendit differentiam hanc, & eodem est vsus vocabulo, vt diceret in ruinam, & in resurrectionem multorum? Certè non erat locus hic omnia, quæ euentura erant, declarandi. Vel eadem vsus fuit loquẽdi ratione, qua & Paulus: qui tametsi cerneret præter paucos ex Iudæis, reliquos fuisse excæcatos, dixit tamen: *Quid enim, si quidam illorum non crediderunt? Nunquid incredulitas illorũ fidem Dei euacuauit? Absit.* Cùm dicendum videretur, quòd si maxima eorum pars non credidit: sed ita locutus est, vt mitiorem faceret orationem. Sic & hic Simeon fecit.

Cur Simeon vllo sine discrimine dixerit: In ruinã, & in resurrectionẽ multorum positum Christum. Rom.3.

Superiora verò verba ad Iudæos spectant: at quæ sequuntur, nempe: *In signũ cui contradicetur*, non ad Iudæos tantùm, sed

Illud: In signũ cui contradicetur, quid significet.

etiam ad Gentes referēda sunt: *Et in signum cui contradicetur*, Id est, vt sit signum cui cōtradicetur: quemadmodum dicitur: *Esto mihi in Deum protectorem*, hoc est, sis mihi Deus protector; & illud: *Erit vobis Ezechiel in portentum*; & apud Zachariam dicuntur amici Iesu Sacerdotis, viri portēdentes, siue vt habent Hebræa, viri portenti, hoc est viri portentosi. Signum ergo dicitur filius Mariæ, quòd res esset noua & insolita, qualis nunquam ab initio mundi fuit, vt Deus simul & homo de Virgine genitus per crucis ignominiam mundum saluaret. Amphilochius Iconij Episcopus oratione de concursu Domini, & Deiparæ apud Simeonem Metaphrasten: *Signum*, inquit, *cui contradicetur, crucem appellat*. Porrò accepta videtur similitudo à iaculatoribus & sagittarijs, qui proposito aliquo signo, ad scopum illum præfixum iaculantur. Erit ergo tanquam signum, cōtra quod quasi iaculaturi aduersarij sunt. Græca litera habet de præsenti ἀντιλεγόμενον, id est, cui contradicitur, & sic legit Origenes, Augustinus, & Tertullian. lib. de carne Christi, signum, legit, contradicibile: & sic exigit consequentia textus, qui de præsenti dicitur: *Ecce hic positus est*, nō ait, erit, vel fuit, sed, est; quò significetur signum contradictioni obnoxium, & cōtradictionis illi factæ perpetuitas.

Psalm 30. *Ezech. 24.* *Zach. 3.* Hebraismus. Christus à Simeone cur signum appellatus. *Amphiloch. Episcop.* Radix huius metaphoræ, vnde videat desumpta. *Origen. loco prædicto.* *Aug. in Psal. 88. conc. 2. ar. te med. 10. 8.* *Tertul.*

Fuit autem Christo contradictum, & antequam carnem assumeret, & posteaquam hominem induit, passim per totā vitam, & post mortem eius semper fuit & spiritu, & corpore contradictum: & cōtradictio hæc in finem vsq; seculi protendetur. In primis ergo ante mundi constitutionem Lucifer suis satellitibus, vt B. Bernardus, ac pij quidam viri meditantur, incarnationi à Deo reuelatæ, & aliquando futuræ contradixit, quòd non angelum aliquem, sed semen Abrahæ apprehenderet filius Dei. Huic igitur tanto mysterio Diabolus in liuore suo contradixit, vt ait Bernardus; ac proinde meritò cum suis satellitib⁹ præcipitatus est in infernum. Deinde creato homine, positoque in meditullio paradisi, inuidus serpens contradixit seducendo hominem, & ad peccatum alliciendo, trahendoque ne Deus mitteret filium suum in carnem criminis labe infectam, atque maculatam. Sed quoniam promissio seminis firma erat atq; gratuita, nequiuit Adæ peccatū irritam facere Dei fidem, & pactum, quin potiùs promissione confirmauit, roborauitque: dixit enim ad serpentem Deus: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius: & ipsum conteret caput tuum*. Eodem præterea liuore, inuidiaque permotus, incitauit homines, vt omnis caro corrumperet viam suam, & omni verecundiæ remoto obice, carnis sequeretur affectus, & cupiditates, ita vt mundus submergi, atq; diluuio perire mereretur. At Deus, qui diues est in misericordia, seruauit iustū Noe per Arcam, vt ex eo noua soboles, posteritasq; oriretur, cui fidem incarnationis promissam præstaret. Cùm idem etiam nosset, ex semine Abrahæ, & de tribu Iuda, in ciuitatula Bethleem Messiam oriturum, concitauit aduersus Iudæos omnes mundi potētes, vt Aegyptios, & Assyrios, Medos, & Persas, Græcos & Romanos, qui Hebræum nomen extinguere, ne Messias veniret, conati sunt. Vnde legē tulit Pharao in Aegypto: *Si masculus*, inquit, *fuerit, interficite eum; si fœmina, reseruate*: quòd nimirùm intelligeret, Messiam virum & masculum futurū. Quo etiam tempore Israëlitæ captiui detinebātur apud Mediam, aggressus est dæmō per Aman improbissimum hominum, Iudæos omnes morti addicere: iamque erant literæ regiæ Assueri edictum hoc continētes ipsius annulo signatæ: neq; tamen præualuit, nam in patibulo parato Mardocheo Aman ipse suspensus est, & Iudæi liberati. Nec tantùm secundùm corpus contradictū est Christo à dæmone, verùm etiam secundùm spiritum. Namque introduxit idolorum cultum atq; simulacrorum penè in vniuersum orbē, quo veri Dei, & singularis cognitionem, cultumq; de medio tolleret. Misit tot falsos Prophetas, qui de suo spiritu nequā prophetarent. Sed sapientia vicit malitiam: nā Christus tandem venit. At vbi primùm venit, statim cœptū est illi cōtradicitum quia ei non fuit locus in diuersorio: tum ex eo quòd Herodes Rex turbatus est, & omnis Hierosolyma cum illo: qui necem Domini meditatus, occidit pueros innocuos, adeò vt coactus fuerit fugam in Aegyptum Christus accipere. Per vitam autē totam contradictiones & ærumnas perpetuas passus est. Siquidem contradixerunt patriæ suæ, parentibus eius, item eius potentiæ, sapientiæ, atq; bonitati, vitæ ipsius, prædicationi, religioni, miraculis, atque discipulis detraxerunt. Tandem vt latronem, & regiæ dignitatis, ac diuinæ filiationis vsurpatorem in crucem egerunt, in qua etiam illi minimè pepercerunt, sed pungentibus verbis illi insultarunt adhuc. Hinc Paulus ad Hebræos 12. scripsit: *Recogitate eum qui talem sustinuit à peccatoribus aduersum semetipsum contradictionem, vt ne fatigemini, animis vestris deficientes*. Postremò vbi à mortuis resurrexit, eius resurrectioni est contradictum, mendacio à custodibus pecunia redempto perse-

Quales, ac quantas, & quàm diuturnas Christus contradictiones sustinuerit. I. contradict. *B. Bern. ser. 3 de verb. Isaiæ & alib. sæpius* *Isai. 14.* *Apoc. 12.* *Hebr. 2.* II. contrad. *Gen. 2.* *Infra 3.* *Gen. 3.* III. Christi contradict. *Infra 6.* *Rom. 10.* *Infra 15.* *Gen. 7.* IV. contrad. *Luc. 2.* *Exod. 1.* *Esther 3.* V. contrad. *Infra 7.* VI. contrad. *Hiere. 23. & alibi passim.* *Sap. 7. vt citari passim solet à Principibus.* VII. cōtrad. *Luc. 2.* *Matth. 2.* *Ibidem.* *Matth. 27.* *Ioan. 19.* *Matth. 27.* *Hebr. 12.* VIII. cōtrad. *Matth. vlt.* *Ioan. 9.*

18 7. *Infra 12.*

perſecut ſur eius in n.itros: ex quib° quoſdam extra Synagogam eiecerunt, alios lapidarunt, alios gladio peremerunt: & deniq; contra eum inſurrexerunt Iudæi, tyranni, Saraceni, hæretici, improbique Chriſtiani, atque hypocritæ, vt verè dici poſsit, quod Iudæi Paulo Romæ dixerunt: *De ſecta hac notum eſt nobis, quia vbique ei contradicitur.* Semper ergo habuit Chriſtus contradictores, hoſtes, & aduerſarios à Cain, vſque ad Iudam proditorē: à Iuda vſq; ad Antichriſtum. Sic ab initio Iudæi omnes perſecuti ſunt, qui prænunciabant de aduentu iuſti. Sed certè in ſtimulum calcitrârunt, & in petram duriſsimam. Neque propterea tamen homines reſipiſcunt, quin etiam adhuc ei contradicunt, atque aduerſantur: ita vt maxima ex parte illi mundus nō credat. Nam multi ex his, qui Chriſtum ore profitētur, dum factis illum negant, quid aliud, niſi illi contradicunt? abutimurq; Chriſto, dum ſub eius ſpecie atq; habitu ad noſtras prauas atq; peruerſas incōtinentiſsimasq; cupiditates peruenire contendimus. Hodie etiam dæmon Hæreticorum opera conatur tollere à Chriſto animas, pro quibus ſanguinē ſuum fudit, eaſdemq; peſte hæreſeos inficere tentat: vtiturq; e verſipellis atque veterator in deprædandis animabus artificio ſingulari. Si enim exertè diceret: Pernega Chriſtum: Abiura eius religionem, nequaquam audiretur: ideò ſubtili & fallaci arte per ſuos miniſtros hęreſi contaminatos, ſic ferè Catholicos aggreditur: Illa doctrina eſt cum veneratione ſuſcipienda, quæ magis illuſtrat Chriſti gloriam. Sub hac autem maiori propoſitione quę fallere nō poteſt, eſtque omni acceptione digna, ſubſumit mendacium. Hæc eſt, inquit, maior gloria Chriſti, aſſerere, fidem iuſtificare ſine operibus: Ipſum omnia in nobis facere nulla noſtra opera atq; conſenſu: Cœleſtem gloriam nobis propter Chriſti ſanguinē dari, nō propter merita noſtra: Liberaliter Deū nobis peccata remittere, nō ob dignitatem vllam contritionis, vel confeſsionis, ſatisfactionisve noſtræ: Chriſtū eſſe nobis mediatorem, & aduocatum potentiſsimū, qui nō egeat opera, vel auxilio aliorum ad interpellandum pro nobis: Crimina noſtra non vllo purgante igne, & virtute ſanguinis Chriſti expiari. Aſpicis (prudēs lector) quot tendiculas, atque retia dæmon ponat ad illaqueandum animas, eaſq; ab Eccleſia Chriſti ſeducendum?

Infra vlt. *Gen. 4.* *Matth 26.* *Infra 9.* *Tit. 1.*

Bonus Chriſtus vſq; nūc quas patiatur contradictiones.

Act. 7.

Cacodæmon quā callidus præ dator animarum.

Rom. 3 & 4. & alibi paſſim.

1. Ioan. 2. & alibi.

Sed ad rem vt redeamus, Chriſtus eſt in ſignum, cui contradicitur, maximè verò in cruce, vt ſerpens æneus erectus. Nā Iudæis Chriſtus crucifixus viſus eſt ſcandalū; quòd illud genus mortis teterrimum, magnopereq; abominandū, minime Meſsiam Regē ſuum potētiſsimum decere arbitrati ſunt. Gentes verò, quæ ſapientiam illā duntaxat agnoſcebant, quę humanis opibus, & pręſidijs fuerat excogitata, rem ſtultitię plenam arbitrabantur, credere filium Dei tam ignominioſo, tam turpi mortis genere affectu. Verùm Chriſtus in cruce poſitus tanquam æneus ſerpens, eiſdem ipſis vocatis virtus Dei eſt, atq; ſapientia. Et vt ille ſerpens ſpectatus ſanabat à morſibus ſerpentum ignitorum, reliquos autem perire ſinebat: ita Chriſtus crucifixus fide apprehēſus, ab omni morſu peccati & miſeria liberat; reliqui verò qui eum contemnūt, ab ipſo contemnuntur & pereunt. *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.* Solent Prophetæ res prædictas aduerſas obſcuritate ſermonis inuoluere: quod ſanè ad prophetiæ dignitatem facit, ne cuiuis profano eius intelligentia ſit obuia, quod eſſet ſanctū dare canibus, & margaritas proijcere ante porcos. Ac, ne ſacri, & diuini vates comminationibus audientium animos plus æquo perterrefaciant, in deſperationemque inducant, ſatis eſſe cenſent, ſi ſuo tempore intelligatur illos vera dixiſſe. Videtur ergo hic Simeon intelligere crucem, ac mortem filij Dei, quæ non potuit matris animum in modum gladij non penetrare. Neque enim maternus reprehenditur affectus, cùm naturalis ſit, & à Domino Deo inſitus, ſi tamen intra ratio nis præſcriptum contineatur. Difficilis autem redditur hic locus propter illa verba: *Vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.* B. Ambroſius in hunc locum ſcribens, interpretatur de gladio verbi Dei, quo ipſius Virginis cor penetratum eſt, prudentiam myſteriorum nactę & aſſecutæ, iuxta id ad Hebr. 4. *Viuus eſt ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.* Sed hic modus loquendi in Scripturis non inuenitur. Et cùm multorum corda hic gladius verbi Dei penetrauerit, nihil ſingulare de Virgine diceretur. Deinde quorſum ſpectaret: vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes, ſi de gladio verbi Dei eſſet ſermo? Alij hunc gladium ad linguarum contradictionem, & virulentiam referre conantur, quia in ſacris literis inuenitur: vt Pſalm. 58. *Gladius in labijs eorum;* & Pſalm. 56 *Lingua eorum gladius acutus.* Sed noua eſt, & coacta explanatio, quia portionem duntaxat, & partem dolorum, & afflictionum Chriſti, & Mariæ contineret; & quia Spiritus per Simeonem loquentis verba, & ſenſum nimis adſtringunt. Autor lib. quæſt. Ver. & Noui

Num. 21. *Ioan. 3.* *1. Cor. 1.*

Iudæi Chriſtum crucifi-

xum cur ſcandalum deputauerunt. gentes verò ſtultitiam.

Ibidem.

Ibidem. *Num 21.*

Peccatores q̄ñ tantum à Chriſto ſalutem conſequantur.

Prophetæ res prędictas cur tectiores prędicendo, cur ſe re vtantur obſcuritate ...

Act. b. 7.

Matrum in filios amor tā cum modera tus laudabilis, & neceſſarius.

Huius dicti Simeonis: Vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes: varij ſenſus proferuntur.

1. Senſus.

B. Ambr. li 3. in Lucam, to. 5 initio.

Hebr. 4.

Cur minus probetur.

II ſenſus, qui etiam reijcitur.

Pſalm. 58. *Pſalm. 56.*

III. Senſus. *Quæſt 73. to. 4. Operum*

D. August. IV Sensus. Orig. hom 17. in Luc. paulò à med. tom. 2.

Testamẽti, qui creditur Augustinus, de gladio dubitationis interpretatur, quo affecta est Maria cogitãs de morte filij sui: sed non diu insedit animo talis cogitatio, verũ pertransijt, vt vmbra. Origenes enim in Lucã de gladio scandali interpretatur his verbis: *Quid? putamus quòd scandalizatis Apostolis, mater Domini à scandalo fuerit immunis? Si scandalum in Domini passione non passa est, nõ est mortuus Iesus pro peccatis eius. Si autem omnes peccauerunt, & egent gloria Dei, iustificati gratia eius, & redempti, vtique & Maria illo tempore scandalizata est.* Et subdit: *Pertransibit infidelitatis gladius, & ambiguitatis mucrone ferieris, & cogitationes tuæ te in diuersa lacerabunt.* Similia propemodùm scribit Chrysostomus in expositione Psalmi 13. ait enim: *Quando Christus fuit crucifixus, nõ fuit, qui faceret bonũ; discipuli omnes fugerunt; Ioannes nudus recedit; Petrus negat; ipsius Mariæ matris animũ gladius dubitationis pertransijt.* Hæc ille. Theophylactus verò hoc loco: *Fortaßis autem,* inquit, *& dolorem, quem in paßione tulit, fortaßis autẽ, & scandalum dicit romphaam, quo offensa fuit.* Et Amphilochius homil. de occursu Domini eandem amplectitur interpretationem, quem tamen Simeon Metaphr. lib. de ortu & educatione Deiparæ, non esse consentaneam veritati, & Maria indignam esse fatetur. Nam illa in cruce filio propius astitit, & alijs mulieribus secum circa, vt essent in medio hostium, persuasit. Verùm profectò dura est interpretatio eorũ, qui dicta horum Patrum, intelligenda volunt de eo dubitationis genere, quod nõ ex infidelitate procedit, sed de hæsitatione stuporis, quę ingẽtem admirationem comitari solet: quòd certè violentum est: nam apertam faciunt mentionem de dubio infidelitatis, & de scãdalo, quod in cruce perpessa est. Cõmodius est dicere, vel hos Patres liberiùs suo tẽpore locutos fuisse, quo non satis explorata erat, atque comperta B. Virginis sanctitas, atq; constantia fidei; vel Origenem verba Euangelica in iniuriam Marię detorsisse, & cęteros omnes Patres Orig. secutos fuisse, & rõnes eius friuolas esse, & infirmas. *Si Apostoli,* inquit, *in morte Christi, & cruce turbati sunt, quid ni Maria? Deinde si scandalum in passione Domini non est passa, non est mortuus Iesus pro peccatis eius:* nam Maria excellentem habebat sanctitatem, atq; perfectam, vt ipsemet asserit Origenes. Et potiùs putandum Mariam cæteris omnibus Apostolis cadentibus extitisse fortiorem, quęque, teste Augustino, nulli subiacuit peccato. Præterea etsi asseramus eius perpetuã innocentiam, nil obstat quominus Christus Domin⁹ pro ea sit mortuus, suaq; morte omnem illi gratiam promeruerit. Nec mirandum id dixisse Originem, cùm sciamus in multis alijs Sacerdotibus turpiter hallucinatum fuisse: vt quòd passus est pro Angelis, & pro sydeRibus, animamq; eius in cœlo priùs beatam fuisse, & adhuc peccata nostra lugere, & spiritus sancti ab ipso facti factorẽ esse. Quamobrẽ hęretici, qui nostra ætate scripserunt, & Origenis sensum sunt secuti, vt Brentius, non sunt audiendi: quoniam sensus, qui dignitati, & glorię B. Mariæ derogant, libenter amplectuntur & tuentur. Quanquã possemus etiam dicere, non esse vsquequaque certum, & compertum, an eiusmodi libri eorum sint autorum, quibus inscribuntur: vt homil. illa in Lucam Origeni inscripta; deinde liber expositionis Psalmorum, qui nuper prodijt Chrysostomi nomine, non omnibus viris doctis, vt à Chrysost. editus probatur: tametsi in sermone quodam de hac solennitate, qui citatur à Simeone Metaphraste, eadem de Virginis scandalo, & dubitatione asserat, quemadmodum & in verba illa Ioan. 2. *Vinum non habent,* affectus quosdam carnis tribuit B. Virgini: in quo tamẽ prudenter excessisse dicitur à B. Thoma. Liber item ille quæst. Veteris & Noui Testamenti, aliquid, imò plura continet, propter quæ meritò dubitari queat an Augustini sit. Hæc sententia præterea videtur imponere B. Virgini vel ignorantiam Prophetarum, qui de Christi morte, & cruce locuti sunt frequenter, vel ignorasse quid ipse eius filius toties de sua morte, & cruce prædixisset. Nam vt Ioannes, & Matthæus testantur, de B. quoque Virgine traditur, quòd conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo; vt intelligamus, iaculis præuisis minùs in morte eius fuisse percussam. Deinde in Ecclesia Dei hoc iam tanquam certum, & exploratum traditur, B. Virginem nulli actuali delicto, vel veniali, nedum mortifero, quale hoc esset, obnoxiam vnquam fuisse. Adhæc indigna ista videntur incõcussa tantę virginis fide, quæ eius virtutis nomine ab Elisabeth præsertim cõmendatur. Adde etiã, in morte filij sui indecorũ nihil, infidelitatemve sapiens, egisse narratur; sed tantũ laudatur eius constantia, & imperturbatus animus, qui tam atroci mortis supplicio filium affici, potuit spectare. Hinc dicitur: *Stabat autem iuxta crucem Iesu mater eius:* quam quidem fidei constantiam remunerauit, dando ei Ioannem in filium. Post mortẽ quoque, vt certa de filij resurrectione, haud cucurrit vnà cũ alijs sanctis fœminis (quę hæsitabant adhuc de Domini resurrectione, dubitabantque) ad vnguendum Christum, at sola domi se conti-

Marginalia (left): Matth. 26. — Rom. 3. — Chrys. tom 1. Marc. 14. Ibidem. — Theophylact. — Amphiloch. — Sim. Metaphr. — Ioan. 19. — Origenis, & Græcorũ de gladio infidelitatis Virginis sensum, quàm ineptè quidã emollire conẽtur. — Origenis rãtiones diluũtur dicentis B. Virginem infidelitatis gladio perijsse. — August. li. de nat. & grat. c. 36. tom. 7.

Marginalia (right): Orig. errores quidam intolerabiles. — Brent. hom. 17. in Lucam. — I I. Solut. — Sim. Metaph. apud Lippom. part 1. — Chrys. ho. 20. in Ioan. tom. 3. initio. — Quarta illa sentẽtia Virginẽ asserẽs scandalo, ac dubitationis gladio ferientam, incommodis quot, quantisque subiaceat. Ioan. 2. Infra 12. Matth. 12. Infra 16. Infra 26. Luc. 2. Ibidem. — Virginis impeccantiam qualem profiteatur Ecclesia. Supra. — Ioan. 19. Eiusdẽ quanta fidei cõstãtia: quã illam præmio Christus affecit. Luc. 24.

continuit;ac resurgentis filij primam apparitionem creditur cósecuta. Præterea haud solidè videtur dictum, eiusmodi gladium

Gladij transitus ille quid ad literam, contra aduersarios.

dubitationis, infidelitatisve,& scandali nó diu hæsisse,sed breui mora pertrãsisse:nam Græca litera non habet propriè prætertire, vel pertrãsire, nempe παρελεύσεται, sed διελεύσεται, id est,penetrabit, seu traijciet, vel medium cor scindet.

V. interpretatio, etiam minus idonea.

Est & alius sensus Vgonis Cardinalis,qui citat Chrysostomum autorem huius sentẽtiæ,quòd Simeon dixerit : *Tuam ipsius animam*,hoc est,animã filij tui,quam vti tuam ipsius animam diligis. Sic etiam commẽtatur Petrus Comestor in historia sua. At

Histor. Schol. cap. 9.

hoc consistere nequit:nam Grecè verbum, ipsius,fœminini generis est, αὐτῆς, nec potest nisi ad Mariam referri. Quod verò prę

Huius dicti: In signũ cui contradicetur,quorundam intelligentia.

cesserat,*In signum cui contradicetur*: quidam intelligunt gladium cótradictionis linguarum,de quo Scriptura frequenter facit mẽtionem. Ait enim : *Et gladius in labijs eorum.* Et iterum:*Lingua eorum gladius acutus*, vt sit sensus, adeò illum contradictionibus obnoxium futurum,vt gladius detractatorũ, & maledicorum animam ipsius matris sit penetraturus, ob coniunctionem, quæ est inter filium & matrem.

Psalm. 58.
Psalm. 56.

Sed & hic sensus nouus est, & nihil continet prophetia dignum : sicut nec quòd in eius morte esset vehementer contristanda, & affligenda:& longè aliter hęc verba à Patribus sunt intellecta. Hieronymus enim, & Gregorius Nyssenus, atq; Bernardus, & Euthymius de doloris gladio in cruce filij perlato interpretãtur. Nam singula filij assumpsit,simul periclitata (inquiunt)& glorificata.

Et illa confutatur.

Hier. ad Paulam, & Eustoch. de Assumpt. B. Mariæ, tom. 4.
Greg. Nyssen. in cate. aurea B. Tho. to. 15.
Ber. ser. 29 in Cant. in fin.
Euthym. c. 3. in Lucam.
Orig. hom. 17. in Luc. tom. 2.

Sunt qui etiam asserant huius acie gladij peremptam virginẽ.Sed istis occurrit Origenes hoc loco citatus à B. Thoma in catena,qui homil. in Luc. ait: *Nulla docet historia, B. Virginem gladij occisione migrasse: præsertim cùm non anima, sed corpus ferro soleat interfici.* Hæc ille. Sed certè Origeni dici potest, ꝙ nec isti dicebant, Mariam gladio corporali peremptam,sed amoris & charitatis,qua filio condoluit,& vt sic dicam,compassa est.

Hęc verba dicentium: Sũt qui etiã asserãt huius acie gladij perẽptam virginẽ, ineptè refellit Origen.

Quod etsi non liceat, vt certũ Ecclesię dogma asserere & statuere;quidam tamen probabiliter opinari sibi licere existimarunt, postquã Ecclesia nihil certi hacten⁹ de hac re definierit. Quorũ rationes & argumenta ad id comprobandum, quod ego aliquãdo vt pium & religiosum amplectebar, simpliciter & bona fide hoc loco proponã, easq; dissoluere pro virili conabor, quò pij, & prudẽtes lectores, quantũ veritatis, & probabilitatis contineant, iudicare valeant.

Asserentium B. Virginem, iuxta Simeonis vaticiniũ in morte filij corporeo gladio perijsse, quæ fiunt argumenta, soluuntur.

I. Argum.

Quod igitur B. Virgo illi gladio pertrãseunti animam, ad mortem vsque inclusiue succubuerit, ex hac inprimis Simeonis prophetia probare nituntur: *Tuam*, inquit, *ipsius animam pertransibit gladius*, id est, dolor de morte filij tui vitam tuam per medium scindet, atq; abrumpet, quod sine morte haud potest contingere. Neque est dictum per hyperbolen, quoniam hæc non facilè admittitur in vaticinio futurorum. Sed neq; prophetia esse debuit de re tam clara, & manifesta, quæ posset ab omnibus coniectari: quis enim ratione non apprehendat, matrẽ magno dolore premendam in morte vnigeniti,& primogeniti, præsertim si sit violenta, & iniusta? Hinc Zachar. 12. *Plangent eum planctu, quasi super vnigenitum, & dolebunt super eum, vt doleri solet in morte primogeniti.*

Dictum Simeonis illud non esse propheticũ, vnde demonstrent.

Zachar. 12.

Sed hoc facili negotio solui potest: quia de Iosepho Patriarcha in carcere posito dixit Dauid: *Humiliauerunt in compedibus pedes eius, ferrum pertransijt animã eius.* Quem locum producunt Paulinus interrogans, & Augustin. respondens epist. 59. explicantes per ferrum transiens in animam, tribulationem; nec tamen quisquam ex eiusmodi verbis elicuit mortem Iosephi fore accipiendã. Verùm Septuaginta Interpretes hoc testimonium aliter vertunt: vt ferrum, sit Accusandi casus, anima verò Nominandi, nimirùm : *Ferrum pertransijt animam eius*, Σίδηρον διῆλθεν ἡ ψυχὴ αὐτοῦ. Et Hieron. iuxta Hebræam veritatem legit: *In ferrum venit anima eius*; hoc est, vinculis ferreis, vel catenis alligatus est Ioseph. & apertiùs Chaldæ⁹ paraphrastes dixit: *In catenam ferream intrauit anima eius.* Iuxta quem sensum pręcedentia, quæ habent : *Humiliauerunt in compedibus pedes eius*, & similiter, quæ sequuntur : *Misit Rex, & soluit eum*, mirificè congruunt illi sensui dicto, nempe quòd Ioseph fuerit catena ferrea astrictus, & postea imperio regis ab ea solutus. Sed licet hæc diuersa sint, sicut metaphoricè dicitur anima intrare in ferrum, id est, compedes ferreos, vel catenam ferream; ita metaphoricum est gladium penetrare, aut pertransire animã: sicut illud : *Torrentem pertransiuit anima nostra, forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.* Et vtraque metaphora exprimitur vehemens doloris magnitudo, quæ ex se valeat mortem accersere, etiamsi actu non occidat. Multa præterea licet inuenire in oraculis Propheticis, quæ per hyperbolen dicuntur. Adhæc sæpè prædicuntur, quæ rationis naturalis captum non excedunt. Vt cùm dixit Dominus Petro: *Cùm esses iunior, cingebas te, & ambulabas vbi volebas:*

Illud Psalmistæ de Iosepho Patriarcha: Ferrum pertransijt animam eius, expenditur.
Psalm. 104.
Gen. 30.
B. Aug. in Ioan. 9. & vlt. quæst. tom 2.
Versio 70. loci illius qualis.
Hiero. tom. 8.

Gen. 41.

Psalm. 123.

Hyperbolic⁹ sermo etiam Prophetis nõ infrequens.
Rerum quarundam vaticinia futurarum, non tamen supernaturalium.
Ioan. 21.

volebas: cùm autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non vis, id est, quo minime velles ire, nempe naturæ affectu, qui mortē recusat, ac respuit: sicut & Christus eodem affectu mortem recusauit, ad quam tamen secundùm partem animę superiorem tam Petrus, quàm Christus sponte, & libenter venerunt, & crucem, ac mortem amplexati sunt. Et ita vides prędictum à Christo quod rationis captum non superabat. Idem quoque Apostolis prædixit, quæ facilè coniecturis apprehendi poterant: *Amen amen dico vobis, quia plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos verò contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium*. Vbi videtur Dominus vaticinari quod essent contristandi de morte sua instante. Idem dixit Simeon ad Virginem, quanquā non communē, & vulgarem dolorem matris ad filium agentem animam, sed singularem, & vehementē denotat illa gladij penetratio in animam, quò insinuaret Christi mortem violentam, & iniustam, omniq; immanitate, & atrocitate plenam: vnde vehementer aucti sunt matris dolores, qui à Damasceno dicuntur quasi parturientis. Nec tantùm filium deflebat, sed etiam Iudæos mortem inferentes, vt testis est Augustinus serm. 11. ad fratres in eremo, quanquam ij sermones à quibusdam minimè Augustino tribuantur.

Matth. 26.

Ioan. 16.

Marię Virginis de filij Passione, & morte dolores, cur gladium nuncupauerit Simeon.

B. Damasc. li. 4. de orthod. fide, c. 15. prope fin.

D. Aug. 10. 30

II Argum.

Secundò argumentantur à ratione summi, & mutui amoris inter illos: erat enim Caro Christi, caro Mariæ: erat illa optima mater inter omnes mulieres, ille optimus inter omnes filios, ac proinde dignus erat omni amoris affectu, præsertim verò matris, tum ratione materni officij, & consuetudinis, tum ratione cognitionis, certæque fidei de summa filij dignitate, & cognitiōe tum denique ratione beneficiorum ab ipso acceptorū, propter quę maximo & ardenti amore eum prosequi debebat. Si ergo hæc parere possunt summum amorem, ergo & summum dolorem infligere in tam tetro & atroci crucis spectaculo. Quòd si ex amoris quātitate capienda est mensura doloris, vbi immensus amor, ibi etiam immensus dolor: & vbi dolor immensus, ibi & mors, de qua ait Sponsus: *Fortis est vt mors, dilectio: dura sicut infernus, æmulatio*. Cuius dicti sensus esse videtur: dilectio quam te exigo, debet esse efficax, & fortis instar mortis, quæ vt hominem ab omnibus separat, & ab omnibus quæ videntur delectabilia, auellit, ab omniq; prorsus commercio diuidit; sic vera Christi dilectio cuius cor occupauerit, illum salutari suo incendio, mundo penitus mori cogit, ab omnibusq; delectabilibus affectum separat, & omnia arbitrari facit vt stercora, vt Christum lucrifaciat, ita vt dicat cum Paulo: *Mihi mundus crucifixus est, & ego mūdo*. Talis fuit dilectio mea, pro qua ad mortē ipsam amplectēdam accessi. Quòd si solus amor carnis, aut gaudij, aut tristitiæ affectus nonnullos adegit ad mortem, de quibus etiam scripsit Plinius lib. 7. cur non hic tantus affectus carnis & spiritus simul.

Virginis matris in filium & filij in matrem amoris rationes explicantur.

Cant. vlt.

Quid illud Canticorū: Fortis est, vt mors, dilectio, dura sicut infernus, æmulatio.

Philip. 3.

Galat. 6.

Ad hoc argumentum respondemus, nihil illud euincere. Nam ad summum dolorem positum mors semper sequi non solet: vt nec in Christo ipso tormenta crucis, & acerbitatē mortis meditante secuta est, sed tantùm sudor sanguineus, & agonia. In Ioanne etiam Euangelista, maximē dilecto, & Christi dilectore, & spectatore mortis eius mors consecuta nō fuit. Etsi enim spiritus tristis exiccet ossa, & interdum in quibusdā aut fœminis, aut masculis summo dolore affectis consecuta sit mors: id fuit potius ex debilitate animi parum in aduersis exercitati, & parum constantis in Dei prouidentia: quam qui apprehenderit, & cognouerit omnia in Christo ad maiorem gloriam accidisse, & ad vberiorem mundi salutem, dolori non succumbet. Et hęc erant quę tenebant Virginis mentem inconcussam. Non tantùm igitur spectanda sunt in Maria doloris natura, quàm Dei gratia, constantia, atq; fortitudo, quibus prędita erat ad ictus huiusmodi accipiendos.

Vnde manifestū sit, maximos interdum dolores non mortem efficere.

Luc. 2.

Ioan. 19.

Prouer. 17.

Si qui ob nimiam tristitiam, & angorē animi, morti succubuerint, id vnde prouenerit.

Tertiò hac agunt ratione: Nullum donum, aut gratia fuit in vllo sanctorum virorum, quæ non ampliùs debeat in B. Virgine splendescere, ne ab vllo hominum illustrium, & iustorum superetur, vt docuit Ioannes Damascenus lib. 4. cap. 15. Atqui constat martyrium summū esse Dei beneficiūm, quia maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt animā suam ponat quis pro amicis suis: & secundùm veriorem B. Thomæ doctrinam, ad martyrij rationem opus est non solùm animo ad mortem, si inferatur, suscipiendam parato, sed etiam reali ipsa morte & sanguinis profusione, vt posit esse ex illis, qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni: Ergo Maria particeps martyrij fuit.

III. Argum.

Ioan. Damasc.

Ioan. 15.

Thom. 2. 2. q. 124 art. 4. tom. 11. p. 2.

Apoc. 7.

Et confirmatur hæc ratio: quia, vt autor est Hieronymus serm. de Assumptione, B. Virgo, quia mente passa est, plusquā martyr fuit; at quomodo plusquam martyr esse potuit sine morte? Deinde si hę martyrij gratia defuit, cogemur fateri, Agnetem, Luciam, Catharinam, & similes per multas B. Virgine superiores extitisse, quæ tanto

Virginē matrem, secundùm illos esse martyrem debere, duplicter.

Hiero. to. 4.

Ad martyriū quid requiratur: & qua ratione Christi mater martyr,atq; etiā plusquā martyr extiterit.

martyrij priuilegio vsque ad mortem prędita fuerūt. Respondeo, non esse negandū, ad rationem martyrij opus esse ipsa morte: & omnes gratias infuisse Virgini, quas alij illustres,& sancti viri habuerunt, modò fęmineo sexui non repugnent. Idcircò dicendum est, hanc quoq; gratiam Virgini non defuisse, sed eminentiori quodam modo in ea fuisse. Fuit enim Deipara non solū martyr, sed plusquā martyr, quia eius dilectio fortior fuit quàm mors, qua ipsam Christi mortem suam esse fecit. Dolor enim interior maior est exteriori, quia illius obiectū est omne malum appetitui repugnās: quod magis aduersatur appetitui, quàm malum corporis ipsi corpori repugnet. Vnde martyres, vt internum conscientiæ dolorem effugerent, libenter externa subibant corporis tormenta. Nam, vt dicitur Eccles. 25. *Omnis plaga tristitia cordis est.* Hinc Hieronymus epistola ad Paulam, & Eustochium de Assumptione B. Mariæ, circa finem, siue potiùs Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus, qui æqualis fuit B. Hieronymi, & librum Hieronymi de Scriptoribus Ecclesiasticis Latinum in Græcum conuertit, ad hunc modum habet: *Rectè igitur quoniam beata Dei genitrix, & Martyr, & Virgo fuit, quamuis in pace vitam finierit. Hinc quoq; quod verè passa sit, testatur Simeon Propheta, loquens ad eam: Et tuam,* inquit, *ipsius animam pertransibit gladius. Ex quo constat, quòd suprà martyrem fuerit. Alij namque sancti etsi passi sunt pro Christo in anima, tamen in anima (quia immortalitatis est) pati non potuerunt. Beata verò Dei genitrix, quia in ea parte passa est, quæ impassibilis habetur, ideò (vt ita fatear) quia spiritualiter & caro eius passa est gladio passionis Christi, plusquam martyr fuit. Vnde constat, quia plus omnibus dilexit, propterea & plus doluit, in tantùm, vt animam eius totam pertransiret, & possideret vis doloris, ad testimonium summæ dilectionis. Quæ quia mente passa est, plusquam martyr fuit: Nimirùm quòd eius dilectio ampliùs fortis, quàm mors fuit: quia mortem Christi suam fecit.* Hactenus Hieronymus. Quia ergo B. Virgo plus diligebat filium suum, quàm se ipsam diligeret, nulli alteri creaturæ cōtigisse putamus, idcircò in illo percuti, flagellari, crucifigi, & mori, magis fuit, quàm in se ipsa percuti, & mori. Et ideò plusquam martyr fuit viuens, & in anima patiens, vt ita maius sibi meritum compararet ad pręmium, & essentiale, & accidentarium, & vt Christus haberet qui sibi compateretur, & vt funus filij sui curaret, & pręsentia sua Apostolos, & sanctas fœminas confirmaret, & verbis consolaretur, ne simul adempto filio, & matre prærepta, turbarentur magis amici, & affligerentur, & vt esset certißima resurrectionis expectatrix, & alios ad expectandum excitaret, non debuit B. Virgo tunc mori, neq; ad testandam dilectionem suam opus fuit illam spiritū exhalare: quoniam etsi Christus ad detegendum summum amoris gradum, debuit pro amicis mori, quem secuti sunt Apostoli, & martyres, quia maiori externo argumento dilectionem suam erga Christum probare non poterant: tamen B. Virgo non egebat externo mortis testimonio dilectioné suam erga Christum declarare, quā satis ipse nouerat Dominus, & nullus nostrū de illa summa dilectione dubitare potest.

Quæ caussa fuerit sanctis martyribus corpoream mortem, vel acerbißimā sustinendi.

Eccl. 25.

Hieron. to 4 non longè à princ.

Idem tom. 1. post medium.

Sanctis martyrib. quod defuerit martyrij genus, B. Virgini cō cessum soli.

Proprius Virginis in Christum amor, non itē aliorum sanctorum, quis.

Cur illa superstes filio patienti, ac morienti esse debuerit.

Ioan. 19. Quare Christus pro amicis mortuus sit, & pro illo martyres, nō item sanctißima Virgo.

Pręterea ad rationem martyrij opus est manibus violentis, quibus mors illata sustineatur: at hæ defuerunt in præsenti caussa: Nec possunt violentæ manus dici illæ ipsæ, quæ in Christum sæuierunt: quia si id esset, eadem ratione efficeres, matrem septem filiorum Machabæorum martyrum, antequam ipsa martyrium perferret, martyré extitisse. Et idem dices de sanctis fœminis Symphorosa, & Felicitate, quę septem pignora (& non vnum tantùm) filiorum amiserunt, antequam ipsæ in suis corporibus periclitarentur. Imò dare, & confiteri necessum est, ipsas Innocentium martyrum parētes martyres extitisse, ante quorum oculos filij prærepti sunt, & vitam per satellites Herodis in sinu earum abrumpere coacti.

Confutatur illud: Quæ Christi fuerunt, matris etiā dici possunt fuisse peremptrices manus.

2. Mach. 7. & seq.

Matth. 2.

Quarta ratio à mysterio redemptionis nostræ desumpta est. Nam per modum antidoti adfuit Dominus morbis nostris curandis: vt ergo mundi ruina à gustu ligni vetiti per virum, & fœminam prouenit, ita oportuit per aliud lignum, cuius esus esset salutaris, & præceptus, reparari: hoc autem lignum, quod aliud esse potuit, quàm ipsa crux Christi? De primo ligno mulier prior comedit, deglutiuit ad mortem, postea verò porrectum cibum vir ipse comedit. Ita in antidoto, vt pari lance disposita esset medicina, vt verbis Irenęi vtar, prior vir in cruce spiritum reddidit, vt in opere heroico præiret, & ipse propinans matri, & ipsa quoque mortuo viro commortua est: vt simul Christus videatur commendasse Patri, & suum, & matris spiritum. Cùm autem vnus militum lancea latus eius aperuit, tūc virtute Dei reuixisse, & ad vitam redijsse refertur.

IV. Argum.

Gen. 3.

Irenæ. lib. 5. cap. 9.

Ioan. 19.

Respondemus hoc minimè fuisse in antidoto præuisum, aut præordinatum, sed potiùs diuinæ sapientię dispositione dispésatum fuisse, ne illa nocte vllus alius funderetur sanguis, aut alia mors Christi morti

Solum Christū non Mariam, pro humani generis redemptione mortuum fuisse.

adiungeretur, ne quouis modo Christi sanguini, ac morti derogari videretur, quasi minus ad salutem mundi comparandã sufficeret, nisi illi Virginis Deiparæ mors adiungeretur, quòd minimè recipiẽdum est,

1. Ioan. 2.

cũ ipse sit propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi, imò etiam pro ipsa Virgine matre mortuus, quæ excellentissimo redemptionis genere, hoc est, præseruante ab omni peccati etiam originalis labe, liberata fuit.

Maria Virgo quomodo à Christo redempta.

Nec enim sanguis Martyrum, aut etiam ipsius Virginis quenquam à peccato, aut æterna morte redimere poterat. Quod in genere docet Leo Papa, epistola 97. ad Leonem semper Augustum, his verbis: *Quamuis multorum Sanctorum in conspectu Domini pretiosa mors fuerit, nullius tamen insontis occisio redemptio fuit mundi. Acceperunt iusti, non dederunt coronas, & de fortitudine fidelium exempla nata sunt patientiæ, non dona iustitiæ. Singulares quippe in singulis mortes fuerunt, nec alterius debitum quisquam suo fine persoluit, cùm inter filios hominum vnus solus Dominus noster Iesus Christus, qui verè erat agnus immaculatus, extiterit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes sepulti, omnes sunt etiam suscitati.* Hæc ille.

Leo Mag. e. 2. ferè in prin.
Psalm. 115.
1. Petr. 1.

In specie verò de B. Virgine idem testatur Ambrosius, lib. de Institutione Virginis, misso ad Eusebium, capite septimo, prope initium, loquens de Virgine adstante cruci: *Stabat*, inquit, *non degeneri mater spectaculo, quæ non metueret peremptorem. Pendebat in cruce filius, mater se persecutoribus offerebat. Si hoc solùm esset, vt ante filium prosterneretur, laudandus pietatis affectus, quòd superstes filio esse nolebat: sin verò, vt cum filio moreretur, cùm eodem gestiebat resurgere, non ignara fuit mysterij quod genuisset resurrecturum: simul, qui publico vsui impendi mortem filij nouerat, præstolabatur, si fortè etiam sua morte publico muneri aliquid adderetur. Sed Christi passio adiutore non eguit, sicut ipse Dominus longè ante prædixit: & respexi, & non erat adiutor: & attendi, & nemo suscipiebat, & liberabo eos brachio meo* Sic Ambrosius.

D. Amb. to. 1.
Ioan. 19.
Quomodo, & cur staret ante crucem Iesu Maria, teste Ambr.
Isai. 63.

Non tamen propterea negamus antidotum Christi mundi ruinę respondere. Nam vt ibi duo inueniuntur, sed præcipuè vir. qui assensu suo, quo vxori paruit, & esu ligni se, & omnes perdidit, secũdariò fuit mulier: ita hic adfuit mulier, quæ Christi quidem sua præsentia dolores auxit, & ipsa ad præsentiã filij clauis suffixi, & mortui trãsfixa fuit, & acerbissimis dolorum stimulis puncta: idq; satis circa mortem fuit ad condignam mundi reparationem. Nec opus fuit, in omnibus mulierem viro æquiparari, vt, sicut Apostolus asseruit: *Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis?* vt inquam in solo Christi sanguine asseramus nos redemptos & baptizatos.

Adæ, & Euæ præuaricantium damnũ generi illatũ humano, Christus, & Maria, vt restaurauerint.
1. Cor. 1.

Vnde & Bernardus in sermone quodam, qui incipit: *Signum magnum apparuit in cælo*, initio, agnouit illud pulchrum antidotum Christi, & Mariæ pro Adam & Eua, citra tamen mortem Deiparæ, ait enim: *Vehementer quidem nobis, dilectissimi, vir vnus, & mulier vna nocuêre, sed gratias Deo, per vnũ nihilominus virum, & mulierem vnam omnia restaurantur, nec sine magno fœnore gratiarum. Neque enim sicut delictum, ita & donum, sed excedit damni æstimationem beneficij magnitudo. Sic nimirum prudentissimus, & clementissimus artifex, quod quassatum fuerat, non confregit, sed vtilius omninò refecit, vt videlicet nobis nouum formaret Adam ex veteri, & Euam trãsfunderet in Mariam.* Hæc ille: & verisimilia multo antea Irenæus Martyr scripserat, libro 3. cap. 15. & libro 5. capite 19. ad quem locum breuitatis gratia remittimus lectorem.

B. Bernard.
Apoc. 12.
Rom. 5.
Christi sapiẽtia, atq; clementia redẽptoris.
Isai. 42.
Matth. 12.
B. Irenæus.

Quintò argumẽtatur ex quibusdam historijs fide dignis, Aliquos nimirùm ex sola contemplatione crucifixi animam exhalasse, atque id magni loco beneficij reposuisse. Nam, vt alios prętermittam, Raymundus Magister ordinis beati Dominici (qui perpetuò fuit à confessionibus beatæ Catharinę Senensis) recenset inter alia Dei beneficia hoc quoque illi virgini Catharinæ concessum, vt omne genus tormenti experiretur, quod Dominus in cruce pertulerat: ex quo semel vehementibus oppressa doloribus, & cruciatibus, ad tempus mortua fuit, & post aliquot horas reuixit. Si ergo imago crucifixi, & sola rei absentis meditatio extorquere potuit mortẽ à deuotis eius amatoribus, quid credendum est de matre sanctissima, quando res ipsa seriò agebatur, & pręsentem filium proprijs oculis spectabat, pendulum, sitibundum, & tãquam agnum mansuetum ab immanissima fera exagitatum?

V. Argum.
B. Virginis Catharinæ Senensi sibi à Christo collatum priuilegium singulare.
Isai. 53.
Hierem. 11.

Quòd si in Christi morte scissæ sunt petræ; cur non corda hominum carnea in illa petrarum scissione significata? Et cur non maximè petra deserti scinderetur, vnde emissus est agnus terræ dominator? Respondeo, non negando hæc tanquam somnia vana, & conficta, vt quidam in oculis suis prudentes faciunt; sed admittendo tanquam vera, vtpotè à pijs, & doctis viris memoriæ consignata: sed negamus illa tunc accidisse Deiparæ: tum quia illa stabat iuxta Crucem Iesu, constans, & in fide, & spe erecta, ac firma: tum quia probabile non est, illam tanto spiritu præditam, à tanta

Matth. 27.
Isai. 16.
Nequaquam Virginẽ matrem filio patiente, ac moriente mortuam fuisse duplicitèr.
Ioan. 19.

constan-

constantia tam subitò excidisse: nam ob id munita erat Dei gratia, ne caderet. Quod si per mortem cecidisset, opus erat, vt aut resurgendo vi diuina reuiuisceret, non sine miraculo: quia anima extra corpus est spiritus vadens, & ex se non rediens, neque resurgens: quòd si mortua esset, & resurrexisset, multiplicantur miracula (est autem eleganter, ac scienter ab Augustino annotatum, illam expositionem Scripturæ, quæ tollit miracula, alteri præferendam, quę illa ponit, & ad quæ minimè ipsa Scriptura cogit) aut si non resurrexisset, Ecclesia per tot annos destituta fuisset tanta matris Dei præsentia, magisterio, & consolatione: ac Scriptura de ea loquitur, postea perinde ac si viueret, Actor.1. Et cùm hoc mysterium ignotum Dei Ecclesiæ extiterit, absurdum est rem tãtam, in qua laudari Deus, & Deipara magnis encomijs celebrari poterat, celatam extitisse.

Psalm.77. Egregia Augusti Scripturas interpretandi formula. Aug.lib.2. de Genes.ad lit. cap.1.tom.3. Act.1.

V. Argum.

Quare quod alijs sanctis virginibus degustare datum est per spiritus exhalationẽ, altius Deiparæ, vigilanti tamen, & intimis sensibus singula quæq; prægustanti, ad spectandum, ruminandum, & meditandum, citra mortem tamen, concessum fuit.

Sextò, idem ex quibusdã figuris vtriusque Testamenti probari posse contendunt: vt in vxore Phinees sacerdotis, quæ, vbi primùm audiuit captam esse arcam Domini à Philistæis, virumque suum extinctum, vehemẽtibus grauata doloribus filium peperit, & in illa parturitione egit animam: vt etiam Rachel, dum in lucem ederet Beniamin. Producitur & typus Esther, quæ coram Assuero Rege corruit, & colore in pallorem mutato, ac lassa, super ancillam caput suum penè exanimata reclinauit: sed sustentata est ab Assuero Rege: qua in re pulchrè hic immensus Deiparæ dolor est repræsentatus, Deique virtus eam sustentans, & ad vitam eam reddens. In Nouo etiam Testamento stella illa, quæ in Oriente Magis apparuit, & in accessu Hierusalẽ ad tempus euanuit, sed postea fulgentior & clarior visa, duxit eos ad stabulum, eleganter Dei Genitricem designat. Nam hæc, stella maris est, & Orientalis, quæ in Hierusalem ad tempus Christi morte obscurata fuit, dum filio suo condoleret, & commoreretur: verùm paullò post rutilantior, & splendidior apparuit, vbi reuixit. Legitur quoque in Euangelio mulier quædam, quæ fracto alabastro fudit vnguentum nardi pistici pretiosi super caput Iesu recumbentis. Sub qua historia pius Scripturarum meditator agnoscere poterit beatam virginem, quæ Christo in mensa crucis recumbenti, præ amoris magnitudine, atque maternæ cõmiserationis affectu, Christo concrucifixa & commortua fuit: quod ille gratissimum habuit, & vt acceptissimum laudauit. Respondemus, solidum argumentũ, quo stabiliamus aliquod dogma, à figuris, & mysticis sensibus non accipi: sed si quis sensus spiritualis statuẽdus est, debet priùs aliquo textu ad literam accepto comprobari, vt consistere valeat. Deinde dici posset, illas figuras aliud solidius, & certius præsignasse: vt, stellam illam, quæ in Hierusalem euanuit, designasse certissimam Iudęorum obcęcationem à Prophetis pręḍictam. Ex historia verò Esther nihil tale colligitur, quod mortem designet ac resurrectionem, sed tantùm illam fauore Assueri sustentatam, ne caderet præ terrore, & Regis reuerentia. De figura verò vxoris Phinees audi verba B. Brigittæ illam recitantis, & B. Mariæ applicantis, & tamẽ mortem eius non agnoscentis. Nam in sermone Angelico, cap.18. circa finem ita habet: *Commemorat etiam sacra pagina, quod vxor Phinees, arcam Dei ab eius inimicis captam esse percipiens, præ dolorum vehementia protinus expirauit. Cuius mulieris dolores Mariæ virginis doloribus cõparari non possent, quæ sui benedicti filij corpus, quod arca prædicta figurabat, inter clauos, & lignum captum videbat. Maiori namque charitate Virgo suum filium Deum verum, & hominem peramabat, quàm aliquis à viro, & muliere genitus, seipsum, aut alium posset diligere. Vnde quia mirabile cernitur, quòd illa vxor Phinees, à doloribus mortua fuit, quæ minoribus doloribus vrgebatur, & Maria reuixit, quæ grauioribus mœstitijs extitit lacessita; quis in hoc aliud cogitare poterit, nisi quòd de speciali omnipotentis Dei dono, contra omnes corporales vires suas, ipsa vitam retinuit.* Hæc illa sancta. Ex cuius verbis elicere nemo potest, eam sensisse, Mariam fuisse mortuam. Et licèt dicat, quòd reuixerit habito spiritu fortitudinis, & constanciæ, non tamẽ dixit à morte, sed à mœstitijs reuixisse. Sicut Iacob cùm audiuit filium suum Ioseph viuere, quem extinctum putabat, reuixit spiritus eius.

1.Reg.4. Gen.35. Esther 15. Matth.2. Ioan.12.

Scripturę mysticus sensus, & spiritualis qui firmus, & solidior tantùm sit. Stella Magis ad tẽpus euanescens quid nam portenderit. B.Brigitta. Vxoris Phinees ob arcã Domini captam à Philistæis dolores cum Mariæ Virginis doloribus comparantur. Maria Virgo Christũ quãtum amauerit. Eiusdem mira cõstantia, ac diuinum animi robur. Gen.45.

Septimo arguunt: Caietanus in Opusculo de Psalmo virginis hanc historiam ex aliorum sensu recensens, ait: Vbi primùm Christus egressus esset Hierusalem, & crucem sibi baiularet, & cum ea in terram cecidisset, ita, vt opus fuisset imponere eam humeris Simeonis Cyrenensis, occurrit B. Virgini alijs sanctis fœminis comitatæ, quę tali, ac tanto filij sui spectaculo, præ doloris, & commiserationis vehementia incidit in spasmum: & in eo loco, traditur ad perpetuam rei memoriam, ædificatam Eccle-

VII. Argum. ex Caietan. Matth.27.

ſiam, quæ Hieroſolymis in hunc vſq; diem appellatur S. Maria de Spaſmo. Cuius officium per octo dies à Dominica in paſsione in Dominicam Palmarũ celebratur. Quis ergo nouit, ſi beata Virgo prima guſtauit tum de ligno crucis, & animam egit, etſi ab alijs iudicata ſit ſpaſmo laboraſſe, qui ignorabant myſteria? Reſpondemus tamen, ſpaſmum eſſe propriè morbum contractionis neruorum ex doloris magnitudine, vt docet Auicenna. Sed certè alienum à ratione eſſe videtur, ponere huiuſmodi morbũ in Deipara Virgine; quæ quia ſimilis per omnia eſſe debuit, & quantum fas eſt, filio ſuo, filio tamen minimè congruebat aliquo morbo languere, vt teſtis eſt beatus Thomas, & Chryſoſtom. Vnde de Ioanne Euangeliſta, in prologo ſuper eum teſtatur Hieronymus, poſitum eſſe Ioannem ad Patres ſuos, tam extraneum à dolore mortis, quàm à corruptione carnis inueniebatur alienus. Deinde à litera Euangelica videtur diſſentire hic ſpaſmus: nam ſtabat iuxta Crucem Ieſu, Mater eius; quòd ſi ſpaſmum ſuſtinuit, quomodo ſtabat, & quomodo ſanata eſt? Et quomodo non ſedebat, aut iacebat? Tertiò, quomodo liberari potuit à ſpaſmo, præſertim non ſubtracta, ſed potius creſcente cauſa ſpaſmi, id eſt, dolore in Chriſto crucifixo animam agente, & iam morti vicino? Quartò, non ſemper poſito maximo aliquo dolore, neceſſariò infertur & ſpaſmus: conſtat enim in Chriſto maximum fuiſſe dolorẽ in horto, cùm dixit; *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem*; & per Hierem. *O vos omnes qui tranſitis per viam, attendite, & videte ſi eſt dolor ſicut dolor meus*: vnde & vir dolorum, & ſciens infirmitatem appellatur; & tamẽ nullus legitur in eo ſpaſmus, ſicut nec in diſcipulo quem diligebat, & à quo maximè diligebatur, & qui maximos dolores de Chriſti magiſtri ſui cruce, & matris eius pientiſsimę acerbiſſimis pœnis perſenſit: & tamen in eo vlla fuit neruorum contractio. Et ſi quæ fuit in Chriſto neruorum contractio, fuit cùm in cruce extentus, & in ea ſuffixus fuit. Quòd ſi per Spaſmum Virginis interpreteris ſyncopem, id eſt, defectionem animæ, ſeu deliquium mentis, ex triſtitia (quod non tam à verò abhorret, quàm priùs) & à Græcis dicitur λειποθυμία; eſtque, teſte Galeno, præceps virium lapſus, in quo affectu cõcidunt & proſternuntur vires, langueſcunt ſenſus, deficiunt arteriarum pulſus, & ſudores concitantur: hæc, inquam perfectioni gratiæ, & plenitudini quæ erat in Maria, non conueniebat. Nam dolor talis ponit hominem extra ſe, & exercitiũ rationis adimit, quia intercipiuntur ſenſus. Sed quis definiat, aut vocet talem ſyncopem, mortem? Deinde, vt ad hominem argumentum cõficiamus, qui hæc de morte Mariæ tradit (hoc eſt, Amadeus Raptu VIII. & ſermone Chriſti VII.) non potuit hæc mors contingere, quando vidit Chriſtum crucem baiulantẽ: quia apertè ait eam reuixiſſe, quando vnus militum lancea latus eius aperuit. Nam ſi ab eo tempore quo baiulabat crucem, vſq; ad lateris apertionem duraſſet mors Virginis, quomodo verum erit, quod ſcribit Ioannes, illam ſtare iuxta Crucem, & Chriſtum illam allocutum, dediſſeque illi diſcipulum in filium? Si autẽ mors Mariæ contigit poſtquam filius de Cruce illam eſt allocutus, vt neceſſarium eſt confiteri; ſi verum eſt quod reuixit, cùm latus eius fuit apertum, conſequitur, in hoc occurſu, quo Chriſtus crucem baiulans, matri occurrit minimè ſpaſmo mortuã fuiſſe. Quare hæc parum cohærere videntur. Sed vt quod ſentio dicam, ſi tale aliquid accidit in eo occurſu, dicendum, tunc Virginem fortaſsis raptam fuiſſe à Deo, & in extaſim eleuatam, in qua de mortis ipſius Chriſti tormentis, & fructu eius, ac de cauſſa, nempe de peccatis hominum erudita fuit, & inde maximis doloribus cor eius affectum fuit in commiſeratione filij, & omnium noſtrum. Sunt autem extaſis & raptus familiares ſanctis viris. Nam Paulus fuit in tertium cœlum, & in paradiſum raptus, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui: & de Petro habetur Actor. 10. *Parantibus autem illis, cecidit ſuper eum mentis exceſſus, & vidit cœlum apertum, & deſcendens vas quoddam, &c.* Et Apoc. 1. ait de ſe Ioan. *Fui in ſpiritu in Dominica die, & audiui poſt me vocem magnam,* & reliqua. Et rurſus Act. 22. ait Paulus: *Factum eſt autem reuertenti mihi in Hieruſalem, & orãti in templo, fieri me in ſtupore mentis:* Græca habent: Vt raperer extra me) *& videre illum dicentem mihi, Feſtina, & exi velociter in Hieruſalem.* Hinc habes, frequentes eſſe eiuſmodi raptus & extaſes in ſeruis Dei, in quibus de neceſſarijs ad ſalutem ſuam, & aliorũ inſtituuntur. Differt autẽ extaſis à ſyncopi, quia hæc naturalis eſt, ac debilitati hominis tribuitur, illi à Deo etiam in viris fortibus eſſe ſolet. In priori illa intercipiuntur ſenſus, & vires langueſcunt, & per conſequens perit vſus rationis, & exercitium: aut in ſecunda adimitur ad tempus vſus ſenſuũ, vt fortiùs rationis & gratiæ opera intendãtur, & proinde meritũ non admittatur. Et ita nõ erũt illa inconuenientia, quæ diximus eſſe in mẽtis deliquio. Syncopis ſequitur nimiam exinanitionem, vel repletionem, aut alie-

num

Quid ſit ſpaſmus: hunc in B. Virgine minimè fuiſſe.

Auicenna.

I. Ratio.

B. Thom. 3. p. q. 14. art. 4.

tom. 12.

B. Chryſoſt.

Hier. in gloſſa ordinaria.

II. Ratio.

Ioan. 19.

III. Ratio.

IV. Ratio.

Matth. 26.

Thren. 1.

Iſai. 53.

Ioan. 19.

Quid ſyncopis: eam illa fuiſſe in Virgine non potuit.

Galen. lib. 12. Method.

V. Ratio.

VI. Ratio.

Amad. ſcriptor.

Ioan. 19.

Ibidem.

Virginis raptus (ſi vllus fuit) in occurſu filij crucẽ baiulantis, qualis fuerit.

Extaſes, ſeu raptus quatuor Euangelici memorantur.

2. Cor. 12.

Act. 10.

Apoc. 1.

Act. 22.

Illorum raptuũ vtilitas.

Extaſis à ſyncopi in tribus diſtinguitur.

A quibus vel corporis, vel animi vitijs B. Virgo fuerit aliena.

num sensum doloris naturæ contrariũ, aut ieris, aut humoris vitium, aut aliquam mẽtis perturbationem; quæ minimè fuerũt in Virgine: at extasis sequitur raptum Dei ad se trahentis animum. Quia ergo raptus diuinus mors quædam, interceptis sensibus, videbatur, vt docet Thom. in 2. 2. inde raptus vocatus est spasmus, siue mors, vt ego sentio.

Thom. 2. 2. q. 175. art. 4. 10. 11. par. 3. 2.

VIII. argum.

Octauum argumentum. Nõ omnia (inquiunt) de Scripturis petenda sunt, neq; omnia quę in Scripturis sunt, nos capere possumus, vt quæ de Assumptione Virginis, & conceptione eius dicuntur; quæ etsi vera sint, non tamen ex sacris paginis euidenter demonstrantur.

Quę fidei dogmata minimè scripturis expressa sunt, vnde fuerint desumpta. Virginis in cœlũ assumptio, eiusdẽ immaculata cõceptio, vnde solidè demonstretur.

Respondemus, assumptũ libenter concedentes: quæ si non in sacris literis, sunt tamen in traditione Ecclesiæ, aut in solidis rationibus posita, quę aut in Scripturis, aut ex traditione deducuntur. Hoc tamẽ mortis Mariæ mysterium, neque ex traditione accipitur, neq; ex vllis necessarijs rationum momentis, quæ intellectum cõuincant, demonstratur. Deinde assumptio Virginis in corpore in cœlum, nonnullas ex verbo Dei admittit probationes, & ex Patribus tam Græcis, quàm Latinis, vt pium, & rationi consonum confirmatur: & quod maius est, tam Virginis conceptio, quàm assumptio corporis Virginis in cęlum, Ecclesiæ festiua solennitate celebrantur: quod non est de morte, aut de spasmo eius.

IX. Argum. atq; postremum, à Patribus.

Ioan. Damasc.

Nonò, ac postremò argumentantur à quorundam Patrum testimonijs, quorum primũ est ex Damasc. li. 4. de Fide orthod. cap. 15. in fine: *Sed ipsa*, inquit, *beata, & super naturam, donorum digna affecta, dolores partus quos effugit pariens, illos tempore passionis sustinuit, ex materna compassione viscerum, laterum reparturiens, & quem Deum per natiuitatem agnouit, illum vt maleficũ interfectum videns, tãquam gladio cogitationibus decerpitur* (fortè discerpitur, legendum) *& hoc est: Tuam ipsius animam pertransibit gladius: quemadmodum illi prædixerat Dei expectator Simeon, Dominum gestans in vlnis.* Sed in hoc testimonio nihil de morte, de qua etiam quidam loquentes, aut eam negant, aut de ea dubitant. Nam Epiphanius in Antidicomarianitas scribens hęresi 75. sub dubio relinquit, nec definire audet, an immortalis permanserit citra vllum obitum, an obierit diem suum. Timotheus verò presbyter Hierosolymitanus in oratione de propheta Simeone Dei susceptore, vt citatur à Simeone Metaphra. ita habet: *Hinc nonnulli existimarũt Domini matrem gladio morte affectam, finem accepisse martyrij, propterea quòd dixerit Simeon: Tuam quoque*

Luc. 2.

Solutio.

Epiphan.

Timot. presb. Hierosol.

ipsius animam pertrãsibit gladius. Non ita autem habet. Ferreus enim gladius corpus diuidit, nõ dissecat animam. Quo fit, vt intemerata, & sanctissima virgo huc usq; sit immortalis, propterea quòd qui in ea habitauit, eam traduxerit in loca, in quibus est assumpta. Quid ergo vult dicere Simeon ad Mariam: Tuam quoq; ipsius animam pertransibit gladius, vt reuelentur ex multorum cordibus cogitationes? Gladium qui pertransit animam, hic dixit Simeon dolorẽ Virginis, quo erat afficienda Virgo, vt quæ videretur perdidisse eum, qui veniebat ad quærendum eos qui perierant. Hæc ille, non agnoscens mortem vllam in Maria, neque in cruce, neque ante assumptionem.

Maria Virgo vt innuere videtur hic autor, semper immortalis permansit.

Quis gladius animam Virginis pertransierit, eodem autore.

Luc. 19.

Deinde producitur Gregorius Nyssen. vt eum citat Thomas in catena Aurea: *Hæc de filio*, inquit, *dicuntur; spectant tamen ad eius genitricem, dum singula sibi assumit simul periclitata, & glorificata.* Ita ille. Quæ profectò nõ cogunt ad mortem in Maria ponendã; sed asseritur simul periclitata cũ Christo: quia quæ Christus corpore suo, simul & ipsa in animo suo perpessa est, & poterant ad mortem perducere, nisi fuisset à Deo sustentata. Vnde & glorię eiusdem particeps fuit, iuxta illud: *Si commortui sumus, & conuiuemus. Si sustinebimus, conregnabimus.* Sed hunc locum meliùs resolueremus, si dicta Homilia Gregorij Nysseni extaret.

Greg. Nyssen. apud S. Tho. tom. 5.

Vti Nyssenus asserat, Virginem matrem simul periclitatã esse cum Christo.

2. Tim. 2.

Quoniam igitur hęc mortis Marię assertio id astruit, quod nullus Patrum cogitasse legitur; quandoquidem hæc omnia interpretantur de magno dolore valenti vitam abrumpere, citra mortem tamẽ, nec in traditione Ecclesiæ inueniuntur, & Scripturis dissentire videtur, quę asserunt Mariam stare ante crucem Iesu, & quia nõ potest Scripturas explicare, nisi positis aliquot miraculis, quod vitiosum est explicandi genus; & quia nõ decebat in illa nocte alium præter Christi sanguinẽ in reconciliatione humani generis fundi, nec cum Christo alius cogitetur redemptor, aut Iesus non satis efficax, & idoneus Saluator, cõcludo, hoc nõ videri mihi satis solidis niti argumẽtis, neque mihi probabile reddi, nisi aliter Ecclesia definierit.

Epilogus dictorũ in prædictam sententiam.

Inepta interpretatio Scripturarum.

Sed iam reliqua persequamur. Subdit Euangelista: *Vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.* Non est finis hic propositus, verùm id quod consequitur ad gladij trãsfixionem. Potest tamen aptari hic sermo, cum ad Christi necem, seu ad illa verba, scilicet quòd Christus positus in ruinã, & in resurrectionem multorum in Israël, & in signum cui contradicetur, tum ad matris illi commortuæ martyrium. Si ergo ad Christi mortem hęc verba accommodentur (vt reliqua legantur per parenthesim, vt legit

Id: Vt reuelẽtur ex multis cordibus cogitationes, quomodo accipiendum.

Hæc ad Christi mortem, vt verba referantur.

Robert. Stephanus.

Robertus Stephanus) sensus est, Christum positum signum, in quod intuentes homines, à peccato signarentur. Sed secuta est contradictio, & reuelatæ sunt de cordibus multorum cogitationes: propositus est omnibus tanquam salutiferum vexillum, cui tamen contradicetur: vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes, id est, ita fieret, vt, dum alijs erit in ruinam, alijs in resurrectionem, alij sectabuntur vt credant, alij contradicent, vt persequātur: *Reuelentur ex multis cordibus cogitationes.* Id est, quid de Christo multi sentirent, aperiatur. Nā permulti erant, qui sancti probique habebantur: sed crucis mysterium detexit eos esse velut sepulchra dealbata. Quemadmodum enim fornax aurum probat, paleas comburit: ita crux Christi, qualis quisque sit, prodit. Est enim Crux tam admirandum mysterium, quale nunquam fuit, aut esse poterit: vt attoniti, atque suspensi Iudæi ceu scandalum eiecerint, & Gentes, vt stultitiam reprobauerint: Christianis verò, qui non tantùm cognomine isto gaudent, sed factis atq; re ipsa se tales esse profitentur, virtus Dei est, atque sapientia. Atque in hunc modum exponit Augustinus ad Paulinum epistola 59. *Quod adiunxit*, inquit, *vt denudentur multorum cordium cogitationes: hoc intelligendum puto, quia per Domini passionem, & insidias Iudæorum, & discipulorum infirmitas patuit.* Hæc ille. Gregor. Nyssen. in Catena aurea S. Thomę interpretatur, tempore quo patiebatur, plures cordium cogitationes de Christi morte scandalum sumentes, emendatas fuisse, & curatas per resurrectionem, quæ mox est consecuta. Quod si ad mortē referantur, vt referri possunt, quia sunt illis verbis dictis ad Mariā proxima; significāt multos multa de hoc gladio penetrante cor virginis cogitaturos: dum quidā referebant ad gladium verum, quidā ad verbum Dei quo penetrata fuit; ad dubitationem alij, quā de Christo in cruce pendente habuit; alij verò ad dolorem immensum, quē ex filij cruciatuū per pessiōe cepit, quo percussa fuit etiā ad mortem; alij etiam dolorem, citra tamen interitum coniungebant; alij postremò ad spasmum, qui est vehementissimus dolor ex contractione neruorum. Beda piè meditatur, vsq; ad consummationem seculi præsentis Ecclesię animam gladium durissimæ tribulationis pertransiturum, cum signo fidei ab impijs semper contradicatur. Sequitur textus: *Et erat Anna Prophetissa, filia Phanuel de tribu Aser.* Accuratam Euangelista narrationem viduæ huius non sine caussa describit: quoniā enim illo tempore, eiusdem nominis, cuius erat hęc beata, sanctaq; fœmina, plures aliæ deditæ erant eisdem, quibus illa, studijs, ieiunijs nempe, & obseruationibus, vt eius persona facilè ab alijs discerneretur, patris eius mentionem facit, atque tribus. Magis quoq; ipsam decorauit laudibus, vt maiori fide accipiatur ei⁹ quod perhibuit de Christo testimonium.

Qualе crucis Christi mysterium.

1. Cor. 1.

Aug. in fol. 7. q. init. tom. 2.

Greg. Nyssen.

Eadē verba: Vt reuelent, &c. quomodo Virgini matri conueniant.

Beda in hunc locum, tom 5.

De Anna Prophetissa, cur hic meminit Euangelista Lucas, & parentum ipsius.

Hanc historiam pro more suo Brentius homil. 18. in Lucam cōtaminat, in dubium vocās eius nobilitatem, & tribus tenuitatē: ieiunium, sobriam vitam vocat: & locum perspicuum, & illustrem ad bona opera comprobanda, ad fidem inuitam trahit. Cùm tamen scriptum sit: *Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite: estote factores verbi, & nō auditores tantum: Fides sine operibus mortua est.* Cęterùm hęc ab Spiritu sancto laudatur de generis nobilitate, & Spiritus excellentia, quia Prophetissa erat; & à vitæ sanctitate, vt quæ pudicam Virginem, honestam coniugem, & religiosissimam viduam se præstiterit, & assiduis pietatis exercitijs tanto tēpore incubuerit. Hæc igitur mulier confirmat dicta senis, vt vterque sexus inueniatur honoratus, & ab omnibus Christus testimonium habeat. Non enim mulieres relictę sunt in Christo, sicut in Moyse, sed ad confusionem superbiæ deprehenduntur sæpè priores, & fideliores quàm viri. Sic Elisabetha prior audiuit, propherans de Domino, muto viro ad incredulitatem: sic prima fœmina Samaritana ad Christum conuertitur, & propter eā deinde tota ciuitas. Ita fugientibus viris mulieres Christi cruci astiterunt, primæque resurgentem Christum viderunt. Simeoni, & vetulæ huic Christus creditur, ne possint videri aliquid suum quęsisse, quòd ambo fuerint vita citò discessuri: Ita vt potiùs ad eos verecundia, quàm laus ex tanto vaticinio prouentura esset, cùm Iesu claritas, atque gloria non eorum temporibus esset reuelanda. Noluit ergo Dominus testes suæ maiestatis deesse id temporis, quo esse voluit ignotus, & obscurus.

Eandē Euangelista, cur tot laudū encomijs exornauerit.

Brentius tenebrarum filius sanctæ huius viduæ vitæ & nobilitatis splendorem obfuscare conatur. [illegible]

Ioan. 8.

Iacob 1.

Infra 1.

Annæ encomium Prophetissæ.

Mulierbie sexum quanto Christus honore dignum iudicauerit.

Luc 1.

Ioan. 4.

Ibidem.

Matth. 26.

Infra 27.

Infra 28.

Hanc viduam Cyrillus Hierosolymitanus cateche. 10. monialem vocat his verbis: *Et Anna Prophetissa continens, & religiosissima monialis testatur de ipso, &c.* Amphilochius verò Episcopus Iconij, de occursu Domini & Dei genitrice, his verbis laudat Annam: *Corona viduarum, inquit, mulierum Anna, sexu mulier, ordine Prophetissa: versans in regno: corpore laxa, ac remissa, animo firma, ac neruosa: facie rugosa, explicata autem prudentia, senio incuruata, recta incedens cognitione: multitudine annorum inueterata, iuueniliter verò exultans Diuina scientia: ieiunans, & non se explens ad satietatem: orans, & non vacillans, & do-*

Cyril. Hierosol. Eiusdem Annæ viduæ præconia.

Amphiloch. Episcop.

1. Tim. 5.

mos alienas non obiens: psallens, non nugans: prophetans, & non dicens fabulas: diuina meditās, & quæ sunt turpia, non addiscens. Superauit Anna viduam quæ ab Apostolo beata dicitur. Quænam ea est? Audi Apostolum dicentem: Vidua eligatur non minus quàm sexaginta annos nata: si filios aluit: si sanctorum pedes lauit: si egentibus opem tulit, si omne opus bonum est consecuta. Superauit ipsa eam quam Apostolus dixit beatam, & annis, & viuendi ratione. Et si ergo in rerum grauiorum testimonio non facilè fides mulieribus habeatur: at hoc loco Lucas sciens Euangelicam à Deo pendere veritatem, maximum arbitratus est atque grauissimum huius mulieris testimonium, quòd Spiritu Dei, cuius est hæc mysteria reuelare, plena esset. Ait ergo quod erat Prophetissa, atque hoc Prophetiæ donum ob exactę vitæ meritum erat assecuta. Magnam in hac muliere arguit integritatem, ac vitæ perfectionem. Et quo tempore liberorum procreatio in laude erat, neque lasciuiæ, vt nunc, adscribebatur, si mulier sæpiùs nuberet: eo tempore tamen vno viro contenta fuit per 7. annos: reliquum tempus partim in virginitate, antequam viro traderetur: quod vt magnum & laudandum est in muliere, ita etiam requirendum esset in viro: partim in viduitate post obitum viri viuere elegit. Et cùm antea Beata Virgo, & Elisabeth vnà cum Zacharia coniuge prophetassent, debuerunt adiungi etiam vidui; vt omnes status, & virginum & coniugatorũ, & viduorum Deum laudibus afficerent ac prædicarent.

Ibidem.

1. Cor. 7.

Annæ Prophetissę testimoniũ, cùm alioqui mulieris infirmũ sit, cur proferat Euangelista.

Vndenã Annę Phanuelis filiæ prophetiæ donum acciderit.

Annæ eiusdẽ Prophetissæ vitæ sanctitas mira.

Additur & alia Annæ commendatio: *Quòd non discedebat de templo, ieiunijs, & obsecrationibus seruiens noctе & die.* Verbum seruiens, Græcè est λατρεύουσα; ergo ad latriam ieiunium pertinet, & oratio, & vtrumque est sacrificium. Euangelicum ieiunium respondet altari holocaustorum externo, & oratio interno thymiamatis altari. Bona si quidem est oratio cum ieiunio. Erat igitur fortasse de mulieribus, quæ excubabant ad valuas templi, & obseruabant ad ostium Tabernaculi, vt Exodi 38. & 1. Regum 2. habetur.

AnnaProphetissa Deo ieiunijs, & obsecrationibus in templo quo modo seruiret.

Tob. 12.

Exod. 38.
1. Reg. 2.

Et nota contra hæreticos, continuũ studium ieiunij, & deprecationum Deo esse acceptum, etiam in vetula, quæ ad carnem edomandam ieiunio parum, vel nihil indigebat. *Et hac ipsa hora superueniens.* Quò discesserat quæ de templo dicta est non discedere? Aiendum, quòd fortasis erat in alia parte templi. Vel sic loqui consueuimus, vt eum qui in loco aliquo frequenter esse soleat, nunquam inde discedere dicamus; cui loquendi mori se accommodauit Euangelista. *Confitebatur Domino*, Græcè ἀνθωμολογεῖτο, quod non tantùm est confiteri, sed confessione respondere; vt referatur ad cõfessionem Simeonis, vt vnus hinc, alter inde confitebatur, id est, laudibus celebrabat puerum, quẽ vocat Dominum, & de quo, vt subdit, loquebatur, & gratias agebat ob accepta beneficia à Domino: nam frequens est in Scripturis hic Hebraismus: vt, *Confitemini Domino quoniam bonus.* &; *Confitebor, tibi Domine, in toto corde meo.* Neque expresit quas laudes Dei, vel gratiarum actiones populum erga suum celebraret: tum vt breuitati studeret, tum vt prudentiæ nostræ cogitandæ relinquantur. Et vide quibus loquebatur: non enim omnibus, sed ijs qui expectabant redemptionem Israël, hoc est iustis, qui ex fide Deum expectant, & quibus spiritualia æternaque bona in promissione sunt: nam isti vt terra bona recepto semine fructum adferũt in patientia. Sunt verò alij, qui temporalem & carnalem expectabant Redemptorem, & ab spirituali redemptore metuebant sibi. Istis non concionabatur Anna, vtpotè prudens, quæ nouerat verbum Sapientis: *Vbi auditus non est, non effundas sermonem*, isti enim redemptionem minimè expectabant, at timebant: & hæc quia vates erat, nouerat Sanctum non dare canibus. Loquamur ergo & nos omnibus de illo; & omnes audiamus loquentes de illo. Ne quæramus excusationes, vt vapulemus paucis, sed quæramus, vt nullis vapulemus: nempe vt accipiamus Spiritum eius etiam in suis audiendis, legendis, & enarrandis. Namque hęc hæc scientia efficit, vt cùm venerit Spiritus Domini, minùs de afflatibus dubitemus: nam plerunque harum rerum ignoratione fit, vt etiam bonas inspirationes suspectas habeamus, aut reijciamus. ¶ Christus accepit testimonium à pastoribus, à Magis, & ab his senioribus Simeone & Anna; sed pastores instructi fuerunt ab Angelo, Magi ab stella, senes isti ab Spiritu Sancto.

Annæ prophetissæ piũ & assiduum ieiunandi & precandi studium quorũ impium dogma confodit.

Quo discesserat Anna, quę à templo dicta est non recedere.

Eadem vt cõfitebatur Domino.

Psalm 105.
Psalm. 9.

Quid confiteretur Domino, quare Lucas suppressit.

Quibus loqueretur illa, quibus minimè.

Hab. 2.
Hebr. 10.
Luc. 8.

Eccl. 32.

Matth. 7.
Luc. 2.

Vtilis, quæ scientia, salutaris.

Supra 2.
Matth. 2. & seq.

Sequitur: *Et vt perfecerũt omnia secundùm legem Domini, reuersi sunt in Galilæam, in ciuitatem suam Nazareth.* Natus sub lege, legem seruabat. Neque de templo discedendum est, nisi perfectis omnibus ijs, ob quæ ventum est: vt nobis Dominus, qui dedit velle, det & perficere, pro bona voluntate. Quare reprehendendi videntur acriter, & obiurgandi, qui in Ecclesiam non conueniunt antè, quàm Sacerdos, aut concionator, bonam Missæ, vel concionis partem absoluerint. Vocat autem Nazareth ciuitatem suam, propter conceptionem & habita-

Galat. 4.

De templo quando discedendum nobis.

Philip. 2.

Nazareth, cur Christi ciuitas appellatur. *Luc. 1. Infra 4.*

tionem: nam propria Iesu patria, Bethleem erat: sed in sua peregrinus erat, in aliena ciuis. Peregrinus, quia ibi nō possidebat quicquam: Ciuis, quia vtcunque in Nazareth domunculam habebat: vt & quoque ipse exul videretur, qui exulum reductor venit. Reuersi sunt itaq; in Nazareth antequā irent in Aegyptum, vel fortassis abeundo in Aegyptum, prius tamē vale facto suis in Nazareth, ac rebus suis compositis, in Aegyptum descenderunt.

Idem & parētes eius cur redierint in Nazareth.

Ecclesia in Anna vidua, filia Phanuel pulchrè describitur.

Porrò hæc vidua per allegoriam Ecclesia est, quæ semper testificata est huic veritati, quæ Christus est ipse. Vocatur Anna, id est Gratia, seu Misericordia: nam hęc verè gratiosa est in conspectu Domini. Hæc filia Phanuel, id est, vult⁹ Dei: quia ex facie Dei expressa per Spiritum sanctum. Hæc tribus distinguitur statibus: Puellari nempe, quando in domo paterna manebat, nulli viro coniuncta: & hic est status naturę legis; Coniugali, quādo viro copulata est; & annis septē, quando adhuc viuebat vir eius: quod tempus legis Mosis declarat, propter statum primi Sabbati, quod est dies septima: Viduali, quādo mortuus est ipsius vir, de quo Dominus prænuntiauit: *Veniet dies, cùm auferetur ab eis Sponsus, & tunc ieiunabūt, siue lugebunt.* Et bene 84. annorum est, quando testificatur hæc vidua: quoniam legitimum Euangelij testimonium eam desiderat ætatem, quæ Christi resurrectionem, & nouæ vitæ institutionem in exactione mandatorum ipso octogenario numero significat, quaternario tamen addito, quod hæc iuxta Euangelij legem intelligantur. Et quod ait: *Vsq; ad annos octoginta quatuor.* pulchrè exprimit nostram infirmitatem. Non enim perfectè Diuina mandata complemus, secundum Euangelij exactionem, ob carnis petulantiam non domitam omninò, verùm condonat Deus quod deest, & pro perfecto habet: quemadmodum & apud Philosophos, iustus dicitur, non qui exactissima ratione est iustus, sed qui pro humana facultate, vt datur, iustus est. Dicitur hæc vidua de tribu Aser, hoc est, beatitudine, scilicet: In pane pinguis, qui præbet delicias Regibus. Scribitur non discessisse de templo, id est, Christo; in quo semper permanet, salutem in electis, qui dicunt: *Et non discedimus à te: viuificabis nos, & nomen tuū inuocabimus, neque nocte tempestatis, neque die serenitatis.* Dicitur ieiunijs, & obsecrationibus intenta: quoniam officium Ecclesię viduæ, est, lugere mortem sponsi, & filiorum suorum, qui pereunt; & precibus continuis pro eorum salute incumbere. Hac ipsa hora superueniens, loquebatur per os Apostolorum, qua Simeon, id est, prisci patres. Vt enim cessauit loqui, superueniens Ecclesia illorum dicta confirmauit: nec enim prædicatio continet Apostolica aliud, quàm illud ipsum, quod Prophetica prędictio. Hinc pulchre verbo Græco vtitur Euangelista ἀνθωμολογεῖτο, quasi vicissim respondens dictis Simeonis. Cùm hac igitur sancta vidua, & nos quoque vt veri filij discamus lugere, ieiunijs & obsecrationibus vacare, vt nostram, & aliorum salutem operari valeamus; præstāte Domino nostro Iesu Christo: cui cum Patre, & Spiritu sancto reddatur omnis benedictio, laus, honor, gloria, potestas, & imperium, in secula seculorum, Amen.

Marc. 2. Ecclesia vt vidua sit annorum octoginta quatuor.

Quid est quod ad eum tantùm numerum dicitur peruenisse, minimè complesse.

Iustus quis Philosopho rum voce.

Gen. 49. A quo tēplo eadem nunquam discedat. *Psalm. 49.*

Eiusdē post verba Simeonis, ipsa hora superuenientis iudicium.

TRACTATVS XLIV.

In illa verba Matth 2. *Qui cùm recessissent, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Aegyptum, & esto ibi, vsque dum dicam tibi: futurum est enim vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum, &c.*

Matth. 2.

CVM hæc Angeli apparitio à B. Matthęo post discessum Magorum statim facta enarretur, dubitatur, an contigerit in Bethleem, vnde Magi discesserant, & beata Virgo cum infante remanserat, an verò in Nazareth, post obseruata omnia, quæ legis erant, præcepta, circa puerperam, & infantem: vt insinuare videtur beatus Lucas. Dicendum est, probabilem non videri (mihi saltem) sententiam eorum, qui asserunt, statim regressis Magis in regionem suam, factam fuisse Angeli visionem hanc: tùm quia Christus præsentatus est quadragesimo die in templo: & perfectis legis obseruantijs reuertisse dicitur in Nazareth, vt habetur Lucæ 2. Non ergo obedijssent Angelo solicitanti, dicentique: *Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Aegyptum:* alioqui non esset opus, vt surgeret Ioseph: tum quia per illos 27. dies fuissent Ioseph & Maria in magno timore, & afflictione; tum denique, quoniam Herodes, qui cum Magis non venerat, nec è suis quemquam miserat, illis fidebat, nec erat tam facilis caussa iracundiæ, vel putandi se illusum. Cùm ergo deberent infantem ducere ad templum, frustra vexarentur antea. Deinde non videtur rationi consonum illud Abulensis, Christum cum parentibus in Nazareth mansisse biennio, paullò antè, vel

Quando apparuerit Angelus in somnis Ioseph dicens in Aegyptum veniret.

Confutatur prima opinio

II. opinio etiam quæ refellitur.

Episc. Abul. quaest. 58.

post Herodis edictum de occidendis pueris à bimatu & infrà: tum quia non videretur esse verum quod dicitur: *Qui cùm recessissent, ecce Angelus Domini apparuit, &c.* vbi indicatur, paulò post discessum factam apparitionem fuisse: tum quia non fuisset tam repétina opus fuga, qualis insinuatur inde, quòd surrexit nocte, & accepit puerum. Minus etiam placet sententia Epiphanij. qui contra Alogianos scribens ait, per biennium in domicilio Bethleemitico Mariam virginem hæsisse cum puero, & trigesimo tertio Herodis regni anno natum Iesum: trigesimo quinto aduenisse ad eam Magos, & post illorũ discessum fugisse Christum in Aegyptum: trigesimo septimo anno regni sui Herodem fuisse instructum. Multa siquidem ex istis dubia sunt, neque communiter recepta, & impugnata à nobis superiùs. Ergo dicendum est, apparitionem hanc factam fuisse in Nazareth, post perac̃ta munera legis, vel in Hierusalem: tunc enim propè completum Magorum recessum erat, nec deerat caussa Herodem mouens, nempè promulgatio Simeonis, & cõfessio Annæ, quæ ad aures eius peruenire facilè potuerunt: idcircò futura erat Christi perditio in caussa secunda, licèt ob lites à filijs Aristobulo & Alexandro intentas, propter quas Romam Herodes, vt se purgaret, redire est coactus, impedita, ac retardata: noluit enim accusationis caussas nouo scelere facere grauiores: sed post pacatum Cæsarem, elapso biennio, reuersus est, & in regno suo confirmatus à Cæsare Augusto. Neque probatur ex illis verbis: *Qui cùm recessissent, ecce Angelus Domini apparuit, & cat.* statim vno, aut altero die à discessu Magorum proximè factam esse apparitionem: siquidem hic est familiaris mos sacris literis, vt quæ non sint simul continuata atque connexa, quasi continuata essent, enarrentur, quemadmodum enim dicimus, Mulier concepit, & peperit, nec tamen putandum est, simul concepisse illam & simul peperisse, sed partum post cõceptum, mensibus nouem expletis: sic etiam hic dicitur in litera, quòd quando Ioseph venit de Aegypto cum puero & matre eius, habitauit in Nazareth. Sequiturque: *In diebus autem illis venit Ioannes Baptista predicans in deserto Iudaea, & cat.* & tamen inter aduentum Christi ex Aegypto, & prædicationem Ioannis, anni plusquam viginti intercesserunt. Itaque nihil mirum, si hic dicitur: *Qui cùm recessissent, apparuit Angelus, & cat.* cùm hæc tamen post mensem circiter facta sit apparitio. Illud prçterea, *Ecce*, rem nouam denotat, licèt nõ ita propinquam, sicut & illud: *Ecce virgo concipiet* quod multos post annos gestum est. *Ecce Angelus Domini apparuit in somnis.* Antequam Christus per incarnationem imminutus esset atque contractus, iuxta illud: *Minuisti eum paullò minus ab Angelis*, Angeli vigilantibus loquebantur de illo: nũc in somnis, seu dormientibus, vt minor significetur. Ideò corroborabatur eorum ministerio: aliorum sermonibus tamen excellentia Deitatis Christi, & humanitatis, quantum ad superna dona & cœlestia demonstrabatur. Ita ergo puer Christus, quod ad casus humanos attinet, regebatur per suos, ac per Angelos, ac si non esset Deus. Quare sicut prudentis hominis, nihil de futuris præscientis, nisi probabiliter, fuisset, fugere regnum irati Regis, ita & Christus fugit: ac licèt post biennium esset futura occisio; caussa tamen eius, videlicet iracundia concipiens homicidium, cùm Angelus venit, præsens aderat, quàm humana vitare docuit fuga. Beatissima quoque Virgo ita solicita erat, ne Christus infans è manibus caderet, quasi Deus nõ fuisset: quoniam esset Deum tẽtare, in huiusmodi rebus expectare miracula.

Esai. 7. Matth. 1.

Cur Angeli in somnis de Christo loquuntur.

Psalm. 8.

III. opinio, etiam inepta.

B Epiphan. in haeres. 51.

Humana Christus qua tectus prouidentia.

IV. sententia quæ probatur, ac recipitur.

Quomodo accipiendum illud: Qui (Magi) cùm recessissent, &c.

Mos sacrarũ Scripturarũ.

Matth. 2. Infra 3.

Circa somnia autem animaduerte, quædam contingere ex dispositione corporis, vel ex solicitudine mentis: atq; hæc præsagia interdum sunt futurorum, quæ habent caussam in nobis ipsis. Somnia enim, quę eueniunt ex causis corporalibus, sunt signa infirmitatis. Somnia quæ ex solicitudine mentis fiunt, signa sunt eorum, ad quę ingenium nostrum propendet, & inclinatur: aliorum verò haud sunt per se signa. Ideò quicunque ad alia eiusmodi somnia extendunt, plerunque errare deprehenduntur. Existũt rursus alia somnia, quę ex illusione diabolica proueniunt: & hæc nullius sunt roboris, vel momenti. Alia item sunt ex reuelatione Angelica, vel visitatione diuina, & huiusmodi vera rectaq; sunt somnia, & signa certissima futurarum rerum. Nec expedit anxiè versari circa somniorum significationem: quia diuina Deus ipse interpretatur, cùm opus est, & sua esse, facit cognoscere. Quę verò ex affectione vel dispositione corporis pendent sõnia, nihil, prçterea quę diximus, significant aliud. Et quanquã demus, sydus esse caussam euentus, & somnij præcedentis, impiè tamen scrutamur, ac cum manifesto periculo conscientię, quòd dæmon se ingerat, cùm vis syderis ipsius ac similitudo somnij cum euentu prorsus ignoretur. Scriptura sacra pluries somniorũ scrutatores redarguit. *Nõ obseruabitis*, inqt, *somnia*; & Eccles. 5. *Multas curas sequuntur somnia*;

Variæ caussæ somniorum adferuntur.

De eorum significatu quid verè sentiendum sit.

Eccles. 5.

Eccl.34. Ibidem. Cato.

somnia; & Ecclesiast.34. *Somnia*, inquit, *extollunt imprudentes.* Iterum: *Multos errare fecerunt somnia, & exciderunt sperãtes in illis.* Ethnicus quoque vates cecinit:

Somnia ne cures,

Et:

Ceperunt somnia plures.

Et Virgilius:

Virg. lib. 6. Aeneid. post medium.

Sed falsa è cœlo mittunt insomnia manes.

Magnus Alexander versiculo Græco somniorum fidem frequenter eleuabat. Cicero libr. de diuinatione docet, somnia prorsus esse vana. Plinius Iunior solatur Suetoniũ, qui per insomnium vidit, causa sibi indicta, certo die casurum; quem monet, ne caussam ea die dicere supersedeat. Somnia enim ista cõtraria, hoc est, egregiam actionem portendere. Etenim tale quid sibi etiam accidisse. Deus tamen frequenter emittit visitationem suam dormienti, vt ait Sapiens: & loquitur pluries in somnis, quàm in vigilia: tùm quia homo in se magis collectus est dormiens, quàm vigilans: tùm quia Dominus, qui posuit tenebras latibulum suum, ad suæ maiestatis occultationem, expectat in somnis homines alloqui, tùm denique, quòd homo dormiens magis agatur quàm agat, atque in diuina patefactione suscipienda magis vt patiens habeat se, quàm vt agens, mediusque sit inter viuentem ac mortuum: vt homo aliquo modo mortuus vitæ nostræ dici possit, & ita verum sit: *Non videbit me homo, & viuet.* Talia somnia diuina fuerunt, Pharaonis illa, & Nabuchodonosor Regum, & hæc quæ in Euãgelio narrantur de Iosepho, & de vxore Pilati, secũdùm Hieronymum, & de Iuda Macabæo, 2. Macab. 15. de his etiam loquitur Iob c.7. & 33. & liber Ecclesiastici cap.34. Numerorum quoque 12. ait Dominus: *Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei; vel per somnium loquar ad illum.* Ioseph ob Christi meritum pro nobis, & exemplum Præpositis obediendi nobis præstandum, voluit Iesus per Iosephi prudentiam in humanis, in eam verò superantibus per reuelationem in somnis factam regi & gubernari, subdiq; Angelis ipsis, secundùm Dionysium: cùm tamen ipse vel per se, vel per Angelos, in vigilia alios instruere soleat: qua ratione ipsemet ab Angelo confirmatus, per se ipsum Angelum confirmauit. Simili ratione, quoniam stare fecit infantes innocentes, & Andream Apostolum Crucem magno amore amplectentem, fugit ipse, & Crucem est deprecatus. Sanctissimæ virgini verò nulla narratur facta reuelatio, ne in reuelationibus, quæ minoribus fiunt, efferamur insolentiùs, vel habentibus eas,

Somnijs non fidendum, etiam Philosophorum iudicio.

Eccl.34. Cur ferè in somnis Deus homines alloquatur. Psalm.103.

Exod.33. Gen.41. Dan.2.& Infra 4. Matth 27. Hieron ibid. 2.Mach.15. Iob c 7.et 33 Eccl.34. Num.12.

Christi exemplũ obedientiæ, & modestiæ.

B.Dionysius lib. de cæl. hierar. c.4. circa finem.

Cur non B. Virgini, sed Iosepho, Angelus apparuerit in somnis.

inuideamus. *Dicens*. Videbatur Iosepho, quòd Angelus loqueretur, veruntamen phantasmata tantùm mouebat, laborans in phãtasia, vt apes in alueario. Nec enim dormiens propriè audit, neq; loquimur illi nisi vt eum excitemus. *Surge*. Eleuant Angeli à terrenis homines, & veloces ipsi diligentiam suadent: Dæmon vero contra deprimit, somnumq; ei suadet, ac socordiam. *Accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Aegyptũ.* Hoc eodem ordine, amore eos, & honore prosequebatur, vt primo quidem loco puerum haberet, deinde matrem. Ac vt Deus teneriùs prolem iuuat per matrem; ita fortius tuetur, atq; defendit per virum. Accipe igitur puerum pugillo mundum continentem, & matre sibi proxima potiorem. Deinde ait, Accipe matrẽ, non inquit sponsam; vt virginitas insinuetur: & fugam præcepit. Est autem dignum omni admiratione, cernere quis fugiat; videlicet Verbum æternum incarnatum, quod vinci nequit: & vbi victum videtur, magis resurgit, & gloriosius vincit. Quos fugiat, homunciones scilicet vermibus, ac vermibus debiliores. Quò fugiat; nempe in Aegyptum, terram barbaram, & Hebræis ob antiquum odium inimicam, & filijs Israel interdictam, ne eò fugisse cogitare posset Herodes. Quorsum fugiat; nimirùm vt se verum hominem ostendat, & veram carnem assumpsisse, quæ subiecta est timori, & alijs perturbationibus. Voluit enim per omnia fratribus similari: vt indicetur quã vitam Pater Filio suo præfixerit, plenã scilicet periculis, & ærumnis, regnumq; eius non esse de hoc mundo à principio ostenderetur, & vt hac ratione furor Herodis magis accensus amplius diuinæ gloriæ inseruiret: nam diuinæ prouidẽtiæ est ita vincendo suum illustrare nomẽ; & vt hac fuga insinuaretur regnum Dei à Iudæis ad Gentes transferendum.

Fugit verò in Aegyptũ, & propter propheticum Oseæ testimonium; & vt Aegyptijs, quibus olim plurima mala intulerat, filium suum mitteret, quasi reconciliationis signum. Adhæc Moses veteris legis autor, metu Pharaonis fugit ex Aegypto versus Palæstinã: Iesus nouæ legis autor, metu Herodis fugit ex Iudæa in Aegyptum, Spiritu Dei nouam vicissitudinem indicante, qua Aegyptus vera, erat futura Iudæa; Iudæa verò, & Hierusalem vera spiritualiter Sodoma, & Aegyptus, vt Dilectus in Apocalypsi testatur. Præterea, vt notat Chrys. vel Autor oper. imperf. quo impleatur id dictum est: *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem, & ingredietur Aegyptum, & cæt.* Idem docet Eusebius lib. de demonstrat. Euangelica,

Angelus Iosepho ... apparuit in somnis.

Angelorum bonorum ac malorum studium.

Puer Iesus cur fugerit.

Deut.17. Hebr.2. Ioan.18.

Quarobcausas fugerit Christus in Ægyptum.

Oseæ 11.

Exod.7.8.9.10.11.12.14. Supra 2.

Apoc.11. Autor oper. perf. in Matth. hom 3 item 2. oper D.Chrysostomi. Esa.19.

Euse li.6. de demonstr. Euang. c.20. sub init. tom.1.
Athanasius tom. 1.
Theodoret. in Esaiam.

gelica, & alij permulti Patres: quos inter est Athanasius libro vno de Incarnatione Verbi: & quod dicitur; *Ecce Dominus*, Hebraicè habetur Iehoua, quod Christus hoc loco appellatur. Nubes verò leuis, est sacrum illud corpus quod ex virgine sanctissima accepit: vt docent Cyrillus, Procopius, & Eusebius in prædicto libro de demonstratione. Rursus in Aegyptum se recepit Dominus; vt Aegyptum omnigenis idolorum monstris, atq; portentis repletam sua præsentia illustret, & sanctificet. Nam cùm duę essent nequitiæ veluti officinę, Babylon, & Aegyptus, vtranque Christus suscepit, Babylonem per Magos, Aegyptum verò per se ipsum; præsagium sanctificandi totum mundum. Postremò, vt soletur infirmos, præbeatq; exemplum iustis tempestiue fugiendi persecutores, & occasiones peccandi, & pericula omnia, ne Deum tentare velle videamur, maximè dum pueri, & parui sumus. Christus dum paruulus est, fugit; magnus autem vltrò sese offert petentibus eum ad mortem. Nempè qui docere venerat, & prodesse, noluit antequam doceret, & prodesset, abire: voluit nobiscum esse, vt omnis ætas exemplũ haberet. Et tu ergo, cùm Christum paruulum habes in te, dum teneres in fide, ne omnibus eum manifestes, sed tantùm idoneis, qui te ipsum ad fouendum illum iuuare possunt, alioqui tutior eris inter extraneos. Sunt enim hypocritæ, qui semen in te nascentis Christi per humanam prudentiam restinguere volũt. Fuge ergo in Aegyptum, id est, inter eos, qui hæc non agnoscunt: qui nihil te impedient, & nihil apud te autoritatis habebunt. At tui volunt moderari tuas cogitationes, & ad humanam prudentiam dirigere: quas tu dictis Angelicis fouere debes. Angeli sunt, Scripturæ sacrę, traditiones etiam Ecclesiasticæ, Sanctorumque exempla, & sententiæ, quibus omnibus quasi Angelis, & nuntijs Dei, diuinam eius voluntatem agnoscimus. Et Christus paruulus non nisi cũ matre versatur, ac domesticis, & adorantibus, fugitque alios: grandior autem factus inter peccatores versatur: ita vt baptizaretur velut peccator, & amicus publicanorũ diceretur, adeò vt etiam cũ ipsis sit in Crucem actus. Saluare enim venerat quod perierat. Item voluit Christus experientia cognoscere animas peregrinorum, vt nos reducat in patriam. Vt enim natus est vt corruptam naturam repararet; ita fugit, & exulat, vt Adam cũ posteritate à Paradiso exulantes reuocaret. Nec ostendit metum, sed desiderium potius nostræ salutis: quandoquidem eo tempore, quo vita solet esse cha

Per nubem leuem apud Prophetam quid.
Cyril. in Esai. Procop. ibid. Euse lib 1. de demonstr. Euang. c. 4. & l. 8. demonst. 9. & lib. 9. c. 2. initio, tom. 1.
Fugiat in Ægyptum mysticè quis.
Matth. 11.
Luc. 19.
Gen. 3.

rissima, se morti pro nobis obtulit. Fortiusq; est, in terra sua, id est, Aegypto infantem vincere dęmonem, vbi dominabatur, quàm in propria patria, hoc est, Iudæa, vbi non habebat dominium, vbi per innocentes pueros, quibus quasi pro clypeo vsus est infans puer dæmonem superauit. Pugnauitq; Dominus cum eo more Parthorum, qui dum fugiunt, sagittas retrò iaculantur, iuxta illud:

Christi fortitudo.
Parthorum mos pugnandi qualis.

Fidentemq́ fuga Parthum, versisq́ sagittis.

Virg. lib. Georg. 3

Dices; Quas sagittas Christus est iaculatus in dæmonem? Respondeo: vt prætermittam infantes pueros, qui pro Christi gloria interierunt, & gloriosum in ętate illa tenella triumphum de dæmone reportârunt, in primis proiecit sagittam humilis obedientiæ, quia obediuit Deus Angelo non per matrem sanctissimam præcipienti, verùm per Ioseph, non vigilantem, at dormientẽ, qui est vltimus gradus apparitionis, & debilior. Mundus autem per inobedientiam Adæ perditus, volentis scire bonum, & malum, atque ad Satanæ persuasionem diuini præcepti rationem curiosius perscrutantis, aptè restauratur per inobedientiam cæcam Filij Dei. Proiecit & aliam quoq; sagittam in carnem: quoniam passus est frigus, tenebras, peregrinationem, mansionem in terra hostili. Quemadmodum enim Zare cum filio rubro egressus est de vtero matris: sic Filius Dei ab initio cœpit Crucem pro nobis portare, & assuescere duris & laboriosis qui pastor futurus erat, & miles, docuitque moderari amorem immoderatum nostrũ in filios, quos vt idola colimus; propterque eos ditandos amorem Dei sæpè deserimus, atque præcepta eius conculcamus. Impleuitq; figuram Iosephi: hic enim liber erat, & patri præ alijs fratribus charus: at in Aegyptum seruus descendit, fugiens fratrum suorũ inuidiam. Pręsagium illud fuit, quod semen Iudæorum futurum erat seruum in terra Aegypti: ita & Christus liber cùm esset, & patri suo summè dilectus & charus in hunc mundum vt seruus descendit ad nos liberandos, & vt nos ei seruiamus, quo alios à mundo liberemus.

Quas Christus fugiens sagittas Parthorum more in dæmonem sit iaculatus.
Gen. 3.
Infra 38. Zare Christi typus. Ioan. 10.
Ioseph qualis Christi typus. Gen 37. Supra 15.

Vsq, dum dicam tibi. Cæcam Domini Angelorum exigit obedientiam Angelus, quã & pręstat Filius Dei. In quo docet nos obedientiam pręstare superioribus nostris. Nã si ille maior, sapientior, & sanctior, inferiori Angelo præcipienti obsequitur, & Maria Iosepho minori paret: quid ni tu parenti tuo, vel Episcopo, vel præceptori tuo, & Regi morem geras? Euangelium enim nouum tales fructus habet, qui apertè indicant, non esse ipsum verum. Nam primò docet

Christi exemplum obedientiæ.
Quid nouũ doceat Euangelium Hæreticorum.

docet non obedire, ait enim: Noli parere Papę, vel Concilio: Noli audire sacerdotes, vel Religiosos. Populus verò qui illos odit, libenter hoc audit. Deinde progreditur, & inquit: Noli obedire Regi, vel Imperatori, aut Principi tuo, atque ita omnem eneruat obedientiæ vim nouum istud Hæreticorũ Euangelium.

Vt ausus fuerit impius Herodes occidere Messiam.

Futurum est enim, vt Herodes quærat puerũ ad perdendum eum. Futurum erat nõdum in se, sed in caussa, id est, voluntate Herodis: eratque illud quęrere cum executione. Neque tantùm die vna, neq; in vno loco eum ad necem quæsiuit, si, eo mortuo, Ioseph timuit ire in Iudæam.

Mirum est autem, quomodo in Herodis mentem ac cogitationem venire potuerit, vt occideret Messiam. Sed excęcatus est miser affectibus suis: & Deum esse non credens, vel non actu intuens in voluntatem Dei de Messia Rege, putabat apud se, deliberabatq; eius necem posse perficere: quod iniquum scelus fuisset atq; flagitium. Nam etsi liceat timenti iustè à se possessi regni vsurpationem, puerum, quem suspectum habet, in carcerem trudere, non tamen licet vllo modo interficere: quanto minus id licebat iniusto alieni regni inuasori atque vsurpatori, alterique iam à Deo traditi, neq; illud tum quærenti.

Hoc eius quantum scelus.

Ioseph obedientia cæca.

Qui cùm surgens accepit puerum, & matrem eius nocte, & secessit in Aegyptum. Proponit Euangelista promptam obediẽtiam Iosephi. Nihil cunctatus est, non est caussatus itineris longitudinem & difficultates, neque de victu laborabat, vt verus Abrahæ filius, qui Genes. 12. exiuit de terra sua. Adhæsit igitur verbo Dei, etiam si contrarium videbat. Audierat Christum verum mundi Saluatorem esse: nũc verò animaduertit, quod nec se ipsum saluare poterat: nec tamen dubitauit, aut mali aliquid suspicatus est: Si Saluator est mundi, quomodò nõ seipsum saluat? Si Deus, quid opus est ei fuga tam longingua? Hæc nimirùm est natura fidei, quæ etiam in tentatione manet, tametsi omnia videantur desperata, atque aduersa. Ad hũc modum Abrahæ promiserat Deus per Isaac filium multiplicandum semen suum: & interim eundem præcipiebat occidi. Sic populo Israël in Aegypto libertatem promittebat, terramque melle & lacte manantem. interim tamen prius affligebat, & per desertum Euæ ducebat. Dauidi regnum promisit, & interim tamen eum è patria fugari permittebat. Sic etiam promittit se nobis prospecturum de omnibus necessarijs: & tamen paupertatem immittit. Ita etiam promisit Christus: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi:* cùm tamen nihilominùs visus sit minus oculatis, atq; videatur suos dereliquisse. Qui ergo crediderit, nõ festinet, sed verbo Dei firmiter adhærescat, intellectum captiuans in obsequium Christi: quia, *Cœlum, & terra transibunt: verba autem Dei non præteribunt.* Et nocte fugit Ioseph: quoniam semper humana cautela adhibenda est, ne Deus tentetur, nisi vbi peculiariter idem Deus prohibeat: nam tunc manifesta esset diffidentia. Vt Christus dixit: *Cum autem inducent vos in synagogas, & ad magistratus, & potestates, nolite solliciti esse qualiter, aut quid respondeatis, aut quid dicatis.* Et Exod. 34. peccarunt Iudæi relinquentes custodes vrbium, quãdo omnes ascendebãt ad templum ter in anno ex præcepto legis: quia Deus custodiebat, ait enim in prædicto capite Dominus: *Cum enim tulero gentes à facie tua, & dilatauero terminos tuos, nullus insidiabitur terræ tuæ, ascendente te, & apparente in conspectu Domini Dei tui ter in anno.*

Gen 12. Hebr. 12. Luc. 2. Matth. 1.

Fidei natura.

Gen. 12. & alibi. Infra 22.

Exod. 3. & alibi.

1. Reg. 16. Infra 18.

Matth. vlt.

Isai 28. 2. Cor. 10.

Cur nocte fugerit Ioseph.

Luc. 12.

Exod. 34.

Quando fugerit.

Deinde nota, fieri potuisse vt illa ipsa nocte, qua admonitus fuit ab angelo, fugerit. Alij verò autumant, vna priori nocte admonitum se ad iter accinxisse, & pręparasse omnia, & sequenti, vel tertia nocte iter arripuisse. Caussa porrò nocte fugiẽdi fuit, quoniam aliquo modo noti erant: & paucę erant sarcinulæ, vt vel nocte eadem desumi possent. Et si in Hierusalem facta admonitio est, vti diximus, in ciuitatem prius Nazareth venerunt, vt sumerent necessaria: & Messias ignis ipse, & lux, propter nos luce, & calore egere voluit. Et, vt diximus, eadem, vel sequenti nocte, instante Angelo, profecti sunt; ne, si viderentur ire in Aegyptũ, illuc eum persequeretur Herodes: quomodo Vriam Prophetam in Aegyptũ se recipientem, extractũ de Aegypto, Rex Ioachim interfici iussit: vt habetur apud Hieremiam. Et vt doctè considerauit Simon de Cassia, nõ præmonuit Ioseph Virginem, vt diceret se ipsius esse sororem, vt olim præmonuerat Abraham Saram, veritus propter eius pulchritudinem mortem incurrere, si se fateretur vxorem: & tamen B. Virgo specie, & pulchritudine sua Saram & Rebeccam superauit. Nec item ipsa sublata est in domum Aegyptij Regis, sicut Sara in domũ Pharaonis: sciebat enim, quòd maiori custodia munita esset quàm Sara, à quo sæpè ipsa responsa acceperat, & talem gratiam Deus in Virgine matre posuerat, vt nec propter eius excellentem pulchritudinem immundè posset concupisci. Nouerat hoc Ioseph experimento sui, qui nunquam ex ipsa carnis tentationem præsenserat,

Hierem. 26.

Simon de Cass. lib. 2. cap. 21.

Gen. 12.

rat, quamuis secum pariter habitaret. Hæc ille in sensu. Secessit ergo in Aegyptum per Galilæam eundo. Fit custos primogenitorum Aegypti (quos olim interfecerat) iam sibi reconciliatæ. Initium autem reconciliationis fuerunt idola corruentia: datque diem tenebris illatis à Moyse, ipse Sol iustitię, & lux mundi Christus. Et qui olim iratus venit in igne in Aegyptum, vt eam percuteret & succenderet, nunc in nube refrigerante descendit subditus mulieri, magis etiam salubriter idola percutiens, non homines. Nam ingressus ciuitatem Solis (quæ Heliopolis Grę̀cè dicitur) venit in templū, in quo erant idola trecēta & sexagintaquinque, iuxta numerum dierum anni, quos Sol percurrit, quib⁹ diebus singulis diuinus exhibebatur cultus: ad ingressum autē Virginis cum Christo vniuersa idola corruerūt, & impletum est illud Isaiæ: *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem, & ingredietur Aegyptum, & commouebuntur simulacra Aegypti à facie eius.* Vocat nubem leuem, sanctam illā humanitatem, in qua diuinitas delitescebat. Hoc autem etsi fabulosum esse, aliqui scribere audeant; tamen verū esse comprobatur, tum ex Eusebio Cæsariensi, qui libr. de demonst. Euang. locū Esaiæ prędictum sic interpretatur; tum verò ex prophetia Hierem. quam sacerdotibus Aegypti protulerat de aduentu Virginis cum infante, & quòd vniuersa idola ante illam forent euertenda, vt in vita Hieremiæ docet Epiphanius, cuius hæc sunt verba: *Idem Propheta sacerdotibus Aegypti signum exhibuit, dicens: Oportere olim cuncta eorum simulacra concidere, simulq; manu facta omnia præcipitari, vbi Aegyptum ascendet cum suo infante virgo enixa, Deo similis. Id quod tandem vsu venit illis.* De codē Propheta scribens in sua synopsi Dorotheus, ait: *Hieremias iste signum dedit sacerdotibus Aegyptiacis, quòd oporteat simulachra eorum concuti, & decidere per Seruatorem, puerum, ex Virgine nasciturum, & in præsepi iaciturum. Propterea etiam nunc Virginem in lecto, & infantem in præsepio collocant, & adorant. Et cùm caussam olim Ptolomeus Rex percunctaretur, responderunt, mysterium ipsis esse à maioribus traditum, quòd illi à sancto Propheta acceperint.* Sic ille. Denique hoc verisimile redditur. Certè Athanasius libro vno de humanitate Verbi hoc vaticinio vehementer Iudæos premit. Euseb. etiam lib. de demonst. Euang. hoc loco Iudęos vrget. Nec tantùm Græci, sed & Latini. Nam Augustinus lib. de consensu Euangelistar. hoc agit oraculo in Iudæos. Vnde quod sequitur, idem confirmat: *Et cor Aegypti tabescet in medio eius,* vel liquescet igne Spiritus sācti, siue, vt Septuaginta habēt, vincetur, scilicet Euangelica prædicatione. Subdit verò: *Et concurrere faciam Aegyptios aduersus Aegyptios.* Quod sic exponit Theodoretus, Prophetam his verbis prædixisse, quòd Christus nō venit mittere in terram pacem, sed gladium. Eusebius docet hoc esse idem cum illo Euangelij: *Tradet autem frater fratrem in mortem, &c.* Ad hæc, si ad arcam Domini pręcedentibus sacerdotalibus tubis, & septies vrbem circumeuntibus muri Iericho corruerunt; & si ad ingressum arcæ Domini in templū Dagon, corruit ipsum idolū, ac confractū est, vt tradit Regum liber 1. quanto iustius erat, vt ad ingressum veri filij Dei in carne in templum idolorum, corruerent idola? Ex quo Princeps sacerdotum fani illius, vocatus Aphrodisius, accedens adorauit puerum Iesum: & alloquens eos qui secum venerant, dixit: Hic nisi esset Deus deorū nostrorum, corā eo non se prosterneret. Nos ergo quod deos nostros facere vidimus, nisi cautè fecerimus, omnes sicut Pharao, periculum incurremus. Dicitur autem morā traxisse in Aegypto per septem annos, & nonnulla alia priuata miracula ibi, & in reditu ex Aegypto edidisse. B. Brigitta lib. 6. per totum caput 58. recenset, vt specimen quoddam, & præsagium futurorū ederet. Non negauerim tamen, librum de infantia Saluatoris meritò fuisse, vt apocryphum à Gelasio damnatum, in quo Christū multa edidisse miracula in infantia, haud satis probabilia, & certa tradebatur.

Necesse autem fuit eum extra terrā Promissionis fugere, quia nec in Nazareth, nec in alia parte tutus fuisset, siquidem vbicunque hæreret Ioseph, cognosceretur quòd non esset incola, sed aduena, oportuissetq; recessus de patria sua causam exponere; quā si aperuisset, Herodes quoque nouisset. Quòd si Ioseph caussam occultasset, suspicionem contra se cogitandi dedisset. Cùm etiam Herodes inquireret pueros natos in Bethleem, posset ex suspicione animaduertere in puerum, quem parentes de terra, & ditione sua abstulerāt. In Deuteronomio, & apud Hieremiam, populo, & nō priuatis prohibetur descēdere in Aegyptum. Hinc priuati nonnulli (vt 2. lib. Machab. dicitur, & in Actis) descenderunt in Aegyptum: quanto ergo magis ex reuelatione, & præcepto Angeli descendere licuit Ioseph cum Virgine, & Filio Dei?

Quod si pergas inquirere, qua via descēderit Ioseph in Aegyptum, dicendum est. Aegyptum, terrā esse quasi inaccessam ex omni parte, & tantummodò per mare ex parte Occidentis ad eam esse aditum; & ita

Exod. 11. & 12. Supra 10. Exod. 9. Psalm. 17.

Heliopolis quid sonet. Ibi quid fecerit Christus puer.

Isai. 9. Contra eos, qui Christi in Ægyptū introitū, eius simulacra corruisse, qui negant.

Nubes leuis apud Isaiam quid mysticè.

Euseb. lib. 9. de demonstr. Euang. ca. 2. tom. 1.

Hier. 73. Epiphan. sub fin. operis.

Doroth. Tyri Episcop.

Cur Virginē in lecto, & Infantē in præsepio fideles adorent, teste Dorotheo.

Athan. tom. 1. sub init. Euse. li. 6. de demonst. Euang. c. 20. & li. 8. c. 5. to. 1. Aug. lib. 1. de consen. Euang. c. 16. 17. & 30. tom. 4.

Theod. in Isa. cap. 19. tom. 1. Luc. 12. Euseb. li. 6. de demonst. Euā. ca. 20. & lib. 5. cap. 8. Iosu. 6. & seq. 1. Reg 5.

Aphrodisij cuiusdā idolorū antistitis de Christo testimoniū, referente hoc Episcop. Abulens in cap. 2. Matth. quæst. 60.

Christus fugiens quamdiu moratus sit in Ægypt. B. Brigit.

Cur fugerit Christus in Ægyptum, hostilem terram, cùm id lege prohibetur.

Matth. 2.

Deut. 17. Hierem. 43.

Cap. 1. Act. 2.

Qua via descenderit Ioseph in Ægyptum.

facilior via descẽdendi in Aegyptum erat, in Ioppen portum ad mare interius peruenire, quod nouem tantùm leucis distat à Bethleem, inde verò ad Aegyptum sunt octoginta leucę. Sed ne diu expectare in portu illo cogerentur, & maris nauigatio infanti noceret, in Gazam Palæstinæ oppidum venerunt, quod intra terrã promissam continentur, distatq; à Bethleem viginti leucis: vltra quod Bersabee intra desertum: vnde dicitur, *à Dan vsq; Bersabee*; in quibus signantur termini Septẽtrionales & Australes terræ Promissæ. A Gaza verò ad Babylonem Aegyptiam, primã terræ Aegypti ciuitatẽ cultam, censentur quinquaginta leucæ, siue ducenta milliaria Italica: & hoc iter potius tenuerunt, tametsi deserti pars magna esset emetienda. At via Hebræorum per circuitum facta, scilicet spatio quadraginta annorum, infra duos menses absolui poterat, si tota terra ab Oriente in Occidentem quingentis diebus perambulari potest, seclusis impedimentis, vt tradunt Mathematici. Deus autem populum Israëlem recta non eduxit via, ne in egressu suo hostium bella expertus, regredi cogeretur, sed per viam maris rubri, quod est Orientale ipsi Aegypto, circumducendo per desertum Arabiæ perduxit, vt ingrederentur per partem Orientalem in terram Promissionis: nam si recto tramite venissent filij Israël, ingressi fuissent per terrã Aquilonarem, & sic per regionem Philistinorum. Et hæc de via satis sit annotasse.

Quib⁹ termini signantur termini Septentrionales & Australes terræ Promissæ.
Iudic.20. 1.Reg.13. 2.Reg.3. Infra 24. Ibidem. 3.Reg.4.
Exod.16.
Tota terra (secundùm Mathematicos) ab Oriente in Occidentem quot diebus perambulari possit.

Per hunc autem Aegypti ingressum, moramque quam in ea traxit, promeruit Dominus, vt Aegyptij inter primos fidem ei susciperent, & sanctissimi viri atque perfectissimi vitam planè admirabilem, atque diuinam, eremum colentes traducerent. Mansit ergo ibi. Et in Aegypto inuenitur Christus: è contrario verò in Hierusalem, quæ ciuitas sancta erat, Pharisęi iusti erant, neq; tamen apud eos est Christus. Non ergo locus, vel vestis, vel officiũ homines reddunt sanctos: nõ omnes qui versantur Hierosolymis, electi sunt: vt è contrario non omnes qui in Aegypto degũt, id est iudicãtur peccatores, ob id reprobi sunt. Vnde Christus: *Publicani, inquit, & meretrices præcedent vos in regno Dei.* Docet autẽ Christus non solùm obedire maioribus, atq; ab initio ferre crucem, & incommoda, verum etiam exemplum dedit fugiendi occasiones peccandi; & offerendi Deo non debile, vel cæcum, vel claudum, at forte, & pingue sacrificium. Noluit mortẽ eo tempore, quo iudicari posset non sponte mortuus ob defectum vsus liberi arbitrij, sed cùm de eo credi posset id: *Oblatus est quia ipse voluit.* Noluit etiam suauem mortem sub titulo innocentis, sed asperam, & ignominiæ plenam, sub titulo malefactoris, secundùm illud: *Et cũ iniquis deputatus est*, & vt insignis latro in medio latronum. Docet præterea cedere, vt Christus Herodi cessit irato. Magnum quid videretur si aquila fugeret passerculũ, aut cederet muscæ: multo maius est, cedere Deum Opt. Max. vilissimo Herodi, debilissimo, deterrimoque. Cedat igitur vir vxori suæ iratæ, & vxor etiam viro suo iracundo, tametsi ratione, sensuq; careat.

Ægyptij inter primos Christi fidẽ amplexi sũt, eremumque mira vitæ sanctimonia coluerunt.
Vbi inueniatur Christus. *Matth.27.*
Matth.21.
Fugiẽs Christus in Ægyptum nobis documenta quę præbeat.
Leuit.21. Malach.1.
Isai.53.
Ibidem. Marc 15.
Christi humilitas.

Sequitur textus: *Vt impleretur quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem: Ex Aegypto vocaui filium meũ.* Hoc testimonium desumptum esse ex c.11. Oseæ iuxta Hebręam veritatem, & non iuxta Septuaginta interpretes, certum est, atque exploratum: nam hi transtulerunt: *Ex Aegypto vocaui filios eius.* Vnde Græci quidam cùm nõ inuenirent istud testimonium in libris suis, dixerunt fuisse à Iudæis post publicatũ Euangelium expunctum, atq; reiectum, cùm tamen nõ spectet ad Iudæos hæc culpa, si qua fuit. Ambigitur tamen, an in sensu literali, an verò in mystico fuerit citatus hic locus ab Euangelista. Nam Iulianus apostata, & Imperator ausus est dicere, Matthæum illusisse Gẽtibus, quòd locum de populo Israël aptauerit ad Christum. De Christi reditu ex Aegypto prophetauit Balaam Numer.24. Ex quo loco potuit Euangelista citare hoc testimonium, teste B. Hieron. & ante eũ Euseb. Cæs. lib. de demonstr. Euang. Ait enim Balaam: *Deus eduxit illum de Aegypto, cuius fortitudo similis est rhinocerotis.* Prænuntiauit & Oseas apertius c.11. ex quo mutuatus est Euangelista hoc testimonium, secundũ mysticum sensum, id est, allegoricum, quem, vtpotè principaliter significatum à Deo, & præcipuè intentum, produxit Matthæus. Ideò asserendũ est, citasse Matthęum in sensu prophetico pleniori, seu potiori: nam illa quę de alijs viris excellentibus, qui historico more in scripturis, quasi in typum & figuram Christi narrantur ac citantur, perfectè implentur in Christo iuxta spiritũ interiora penetrantẽ, vt ait Hieron. in locum illum Prophetæ. Christus enim verè est filius Dei, & in eo populo quasi in typo designatus, atque de Aegypto vocatus. Ideò Euangelista non dixit: Vt impleretur quod dictum est de eo à Domino; sed, vt quod dictum erat de filio Dei primogenito Israële, adimpleretur plenius in vnigenito, & primogenito eius filio Iesu Christo. Cœperat enim hoc impleri, quando de Aegypto populũ Hebræorum vocauit. Verùm quia popu-

Locus à Matthæo productus iste: Ex Ægypto vocaui filium meum, vnde desumptus fuerit.
Osee 11.
Iuxta quem sensum ille locus fuerit ab Euangelista productus, literalem, an mysticum.
Num.24. B.Hieron. in Matth. c.2. tom.9. init. Euseb. li.9. de demonst. Euang.4. tom.1.
Solutio quæstionis propositæ.
Hiero. in Ose. c.11. tom.6. prope init.
Exod.14.

populus ille non adeò verus filius erat, sed tantummodò corpus eius; ideò nunc impletum est, quando caput totius corporis, & populi ex Aegypto est vocatum.

Contra Iulianum apostatam. Hebr.10. Idçò deridendus Iulianus Imperator, audens reprehendere, quæ non intellexit; non capiens, illam legem vmbram, & Figurã extitisse nouç: & excellentes viros, Christi, excellentes verò fœminas, virginis figuram gestasse. Falsum etiam est, Matthæum, qui Hebraicè Euangelium scripsit ad Hebræos, Gẽtibus voluisse illudere. Si autem Hebræis illudere decreuit, aut malignus, aut imperitus fuit. Malignus, si apertum finxit mẽdacium: imperitus, si nequaquam intellexit, de quo dicerentur hæc.

Cur Septuaginta verterunt in Osea: Ex Ægypto vocaui filios eius. Quòd verò Septuaginta interpretes trãstulerunt, *Ex Aegypto vocaui filios eius*, fecerũt studiosè, ad celandum regi Ptolemæo mysterium Trinitatis, quod in Scripturis ipsi apprehenderunt. Neque tamen propterea à sensu legitimo declinârunt, quoniam omnes, quotquot erant in illo per fidem, & dilectionẽ, vocati sunt ab operibus tenebrosis luti & lateris, & ex veris angustijs Aegypti, atq; à vero dominio Pharaonis, videlicet diaboli. *Exod.5.* Verus Pharao quis.

Alter sensus Cornelij Iansenij. Sunt rursus alij, qui docent tunc impleri Scripturã, cùm idem fit, quòd illa commemorat, etiamsi non fuerit propriè ab autore immediato intentum, & cogitatum: vt Christus, verbi gratia, Pharisæis obiecit: *Hypocritæ, rectè de vobis prophetauit Isaias, dicens: Populus hic labijs me honorat; cor autem eorum longè est à me.* *Matth.15.* *Isai.29.* Quòd propriè & primò nõ de illis, sed de sui temporis hypocritis dixit Isai. quod tamen æquè etiam quadrat in hypocritas omnium seculorũ. Ita cùm ait impleri prophetiam Isaiæ, dicentis: *Auditu audietis, & non intelligetis; & videntes videbitis, & non videbitis, &c.* *Matth.13.* *Isai.6.* hæc verba non de his solùm prædicta sunt, quibus Christus tunc in parabolis loquebatur, sed primò de obstinatis Iudæis ipsius Prophetæ tempore, vel in genere de omnibus omnis temporis reprobis Iudçis. Vnde & Paulus illud obiecit Romanis Iudæis, quatenus in ipsos verè quadrabat. *Act.vlt.*

Simili ratione illud quod dicitur Matt. 13. cap. *Vt impleretur quod dictum erat per Prophetam dicentem: Aperiam parabolis os meum:* *Psalm.77.* hoc non de Christo primò & principaliter, sed de se ipso dixit Assaph, cùm mirabilia Dei beneficia vellet cantare. Et huic simile videri potest testimonium quod infra producitur de trucidatis infantibus: *Vox in Rama audita est, &c.* *Matth.2.* *Hierem.31.*

Ad hanc rationem volunt ista verba intelligi: *Vt adimpleretur quod dictũ est à Domino per Prophetam dicentem: Ex Aegypto vocaui filiũ meum.* Vt si quis verba faciens de parente nimis anxio & solicito de filij sui salute, diceret; vt impleretur illud Maronis: Simile.

Omnis in Ascanio cari stat cura parentis. *Virg. in Aeneid. lib.1. circa fin.*

Hic sensus Iãsenij quid incommodi habeat. Sed vt, quod sentiã, aperire nõ detrectem, noua hæc est, vt mihi videtur, interpretandi ratio, & per illã non euademus argumenta Iuliani dicentis: impositum fuisse Gentibus ab Euangelista: & facilè fuit Deo lumẽ infundere Prophetis, vt dum hęc, & similia testimonia de se scriberent, ad Messiam, cuius vaticinia præcipuè fundebant, & eius typum, & imaginem in dictis eius, & factis gerebant, respicerent, & in eo magis impleri intelligerent, vt ita non tantùm in illis, sed præcipuè in Messia ad literam implerentur. Alioqui si illa esset vera impletio, omnia, tam prædicta de Messia, quàm non prædicta, implerentur in Christo; & tam dicta à Poëtis & profanis autoribus, quàm à sacris vatibus: quod profectò non potest absurdum non videri. Ideò standũ in priori responsione.

III. Sensus, Ruperti Abbatis. Vel tertiò etiam dici potest, quòd Oseas cap.11. teste Ruperto Tuitiens. in commentarijs eius Prophetę, ad literam loquatur de Herode, & de Christo. Ait siquidem: *Sicut mane transijt, pertransijt rex Israël* (id est, Herodes, cuius regnum citò finẽ habuit.) *Quia puer Israël, & dilexi eum, & ex Aegypto vocaui filium.* Quis autem est alius puer Deo dilectus, nisi Christus ad literam, quem ex Aegypto (vt Eusebius exponit) mortuo Herode reuocauit Dominus? *Euseb. Cæsar. loco citato.* Nec obstat, quod de pręterito dixerit, *Vocaui filium*: quia cùm Propheta loquatur, præteritũ more suo posuit pro futuro: maximè quia Oseas Prophetam agebat, non historicum. Præterit pro futuro acceptio, quibus maximè con sueta. Et subdit Oseas: *Et ego quasi nutritius Ephraim portabam eos in brachijs meis* (id est, permittebam me portari à nutritio Ioseph) *& nescierunt quòd curarem eos*, scilicet merito, & exẽplo meo. Atq; ita hoc testimonium ad literam citatum est ab Euangelista Matthæo. Impleta est autem hæc Prophetia in reditu Christi ex Aegypto, adferturque ab eodem Matthęo ad ingressum Christi probandũ: quod non absq; mysterio & ratione factum fuisse cogitandum est. Cur B. Matt. hoc Oseæ de reditu Christi ex Ægypto testimonium protulerit. Voluit namque significare, Iudæam, expulsa luce Christo, factam esse Aegyptum: & contra, Aegyptum ea recepta, factam esse Iudæam. Hinc in Apocalypsi scriptum est: *Et corpora eorum iacebunt in platea ciuitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma, & Aegyptus, vbi & eorum Dominus crucifixus est.* *Apoc.11.* Herodes, alter est Pharao qui occidebat primogenita filiorũ Israël: *Exod.1.* Christus tamẽ postmodum reuersurus ad

cam est, eorum conuertendo reliquias: peregrinando absque peccato venditionis Ioseph, assimilatus est fratribus peregrè in Aegyptum proficiscētibus. Christus igitur vt Israël, per mare baptismi Ioannis Baptistæ transijt, & quadraginta dies, deserti intrauit in terram, prædicando regnum Dei.

Gen. 37.

Tunc Herodes videns quòd illusus esset à Magis. Tunc ergo, tunc scilicet cum Magi recessissent, & Angelus apparuisset, & Ioseph & Maria in Aegyptum descendissent; qui dixerat futurum, vt Herodes quæreret puerum, videlicet nō ita citò. Tunc ergo propinquitatem aliquam cum prędictis denotat, & sequelam ostendit, non ad omnia, vt edictum Herodis pueros iubentis interfici indicat, sed ad recessum Magorū, ante quē videre non poterat se illusum, & ante recessum Christi. Si ergo recessus Christi post biennium ferè contigisse dicatur, vt Epiphanius docet, & Episcopus Abulensis, (quanquam rationibus diuersis) videlicet imminēte edicto Herodis de necandis pueris: profectò tunc difficile est, ex Euāgelio deducere causam, quare post biēnium Herodes viderit se illusum: nec enim verisimile videtur, quòd tum demum audierit de Christi nomine in templo ex dictis Simeonis, & Annæ vatis: siquidem antea recētior hęc fama erat. Neq; tunc Romę erat Herodes. Nam vigesimooctauo anno regni sui Romæ Augustus Cæsar filios à patre dissidentes sibi recōciliauerat, licèt post sint refricata vulnera, & trigesimo regni sui anno obtinuerit, vt de eis iudiciū fieret in Berith maritima vrbe Iudææ: & in his occupatus, ne ante caussam confectam nouum crimen adderet, distulit necem vsque ad trigesimū secundum annum regni sui: non ergo videtur tunc, id est, post biennium. Neq; rursus videtur tunc, nempe post quadraginta dies vbi se agnouit illusum, & post biēnium iratus est: quoniam illusio ab Euangelista, vt causa iræ adfertur, sicut ira causa necis. Ergo exponendum est, quòd tunc, id est post quadraginta dies, & Christi fugam, viderit Herodes se delusum, & tūc iratus sit valde, sed impeditus alijs negotijs, confecto biennio occiderit infantes. Ante purificationem enim Virginis, & præsentationem Christi in templo, non se vidit illusum, nec iratus est, Deo illum obcæcante, ne infans cū vita periculo maneret in Bethleem. Illa autem obcæcatio cōtingere potuit, vel quòd esset alijs negotijs & curis grauioribus, quæ non sinerent cogitare de Magis, præpeditus: vel quòd putauerit, Magos multis diebus eguisse ad inquirendum, humanaq; inuestigandum Messiam industria ac diligentia. Nec enim credebat, stellam illis orituram fore, & indicaturam domum, vt orta est, & indicauit: vel existimabat, Magos illusos fuisse, & nullum talem infantem inuenisse, & præ pudore, vt illusos, nihil sibi renuntiantes, recessisse. Quemadmodum enim audita historia stellæ, quæ illis apparuit in Oriente, & duxit illos in Hierusalē, cuius in ingressu deliteuit, rebatur fortassis Herodes illusionem fuisse, & non veram stellam: ita putare poterat, Magos Messiam Regem in Bethleem non inuenientes, in regionem suam redijsse, & erubuisse deceptos reuerti ad eum: vt doctè & acutè cōiectat August. lib. 2. de consensu Euangelist. Post purificationem autem ac præsentationem, quia in Hierusalem Herodes erat, habuit occasionem ex dictis Simeonis, & Annę, vel audita fama incerti autoris, non autē illorum duorum, inquirendi in eum, & cogitandi se à Magis illusum.

Quando videt Herodes se illusū à Magis.

Epiphan. Episcopus Abulensis.

Post bienniū hoc factum minimè fuisse, vt quidam opinantur.

Luc. 2.

Cur primùm vt illusus fuit Herodes, nō occiderit infantes.

Luc. 2.

Mira Herodis Regis cæcitas, ac stupor.

B. Aug. c. 5. tom 4.

Luc. 2.

Ac licèt Christus sit in templo pręsentatus, publiceque ab illis prædicatus & commendatus, non fuit tamen omnibus datum Iesum videre pręsentatum: quemadmodū nec omnibus concessum est, intueri à morte reuocatum. Verùm vt ibi tantùm manifestatus est testibus præordinatis à Deo, vt ait B. Petrus, ita hic non omnibus, sed expectantibus consolationem Israël, qui gnari eius quod Messiæ imminebat periculi, nomen eius nequāquam detexissent, nec euulgassent: etsi difficile fuerit rumorē non spargi incertum.

Iesum qui viderint in templo præsentatum tantummodò.

Act. 10. Luc. 2.

Videns. Certa scientia: quia ex rumore dicto excitatus, misit in Bethleem exploratores, & cognouit, Magos illic mansisse, visoque Messia lætos & tacitos recessisse. Vidit etiam quòd non recesserunt quasi illusi, vt putabat ipse: & quòd in egressu Hierusalem stella iterum antecedebat eos. Potuit & rescire de pastoribus, de quibus omnes qui audierunt, mirati sunt, & de ijs quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos, qui nec omnibus locuti sunt, & cum prudētia tantum mysterium detegebant: vt demùm audiens rumorem, neque intelligens, rumperetur. *Quod illusus esset.* Ergo eis cōfidebat: at præter mentem Magorum hoc fuit, nam omninò redijssent ad Herodem, nisi admoniti ab Angelo fuissent. *A Magis.* Vera sapientia est, illudere dæmonibus, iuxta illud: *Draco iste quem formasti, ad illudendum ei:* qui tamen nostra socordia, atque oscitantia nobis frequenter illudit. Hieremias quoque à Domino decipitur. *Seduxisti,* inquit, *Domine, & seductus sum.* Apostolus etiam cùm esset astutus, dolo Corinthios cepit. Tam mali enim sumus & desides, vt vix, nisi decepti,

Vt viderit Herodes se illusum ille infelix.

Ibidem.

Magorum simplicitas.

Psalm. 103. Quibus illudere sit vera sapientia.

Hierem. 20. 2. Cor. 12.

bonum

Iratus cur fuerit Herodes & valde.

bonum sequamur. *Iratus est valde*. Iratus quidem, ob cótemptum, & damnum, quod suspicabatur sibi imminere, amisionem scilicet regni: valde verò, quia iram conceperit designantem crimen homicidij innocétibus infantibus: valde etiã, quoniam quo quis maior est in oculis suis, eo magis irascitur, si contemnatur, quia tanto cótemptus maior sibi videtur.

Idem quando occiderit infantes.

Et mittens occidit. Ne intelligas, statim, sed post biennium: quod ex duobus verbis euinci potest Euangelij. Primùm quidem, quia Angelus dixit: *Futurum est vt Herodes quaerat puerum, ad perdendum eum*. Haec autẽ apparitio cum acciderit à die purgationis, si statim facta fuisset infantium interfectio, haud dixisset Angelus, Futurum est, sed, imminet periculum praesens. Deinde deducitur ex eo, quòd infferit occidi pueros à bimatu, & infra. Cùm enim hanc necem moliretur, vt occideret infantes secũdum tempus quod exquisierat à Magis, consequitur, à Christo nato vsque ad tempus infantium cędis, biennium ferè interfluxisse.

Dilatae caedis infantium quae causae.

Causae porrò differendae cędis sunt antedictae occupationes, propter quam Romam venire, & causam dicere ad se purgandum de obiectis per filios criminibus, apud Augustum Caesarem coactus fuerat: & fortè vt ob sparsos rumores irae eius, puer fugatus rediret. Causa verò ita continuatè narrandi ea, quae interruptè acciderunt, & non simul, non sine arte descripta est. Mens enim Euangelistae fuit, assignare causam interfectionis, nempè iracundiam: quemadmodum iracundiae causam assignat, fuisse ignitam illusionem. Causas autem dilationis reticere, breuitatis, & autoritatis diuinae fuit, quae non curat probare omnia, aut omnium reddere rationem integram: quo pacto Matthaeus cap. 9. introducit Archisynagogum Iayrum nomine, patrem puellae, quasi post nuntios dicentes, *Defuncta est*, & non dicentes, in extremis est, nẽ intermedia, quae referunt Marcus & Lucas recenseret. *Mittens ergo occidit*. Non desunt Regi impij ministri, qui voluntati eius pareant. Nam secundùm iudicem populi, sic & ministri eius: & qualis Rector ciuitatis, tales & habitantes in ea. Et Rex qui libenter audit verba mendacij, omnes ministros habet impios. Huius autem Innocentium necis meminit Macrobius: qui secundo libro Saturnalium, capite 4. recenset, Augustum Caesarem, audita infantium infra bimatum in Syria nece, & quòd inter eos vnum ex filijs suis, qui in Bethleem alebatur, interfecisset, dixisse: *Praestat esse porcum Herodis, quàm filium*. Cuius etiam dicti Augusti meminit Dio Cassius Nicaeus in vita Augusti Caesaris. Philo quoque in breuiario de temporibus, lib. 3. de Herode sic scribit: *Iteinque proprium filium, quem ex vxore tribus Iuda susceperat, interfecit; quòd diceretur in lege promissus Christus, natus*. Sic ille.

Diuinae historiae quid proprium.

Matth. 9.

Eccles. 10.

Macrob. li. 2. Saturnal.

Augusti Caesaris dictum de Herode infanticida.

Dio Cass. Philo.

Anabaptistarum Herodianum hoc infanticidium pernegãtium ratio diluitur

Vanum est ergo Anabaptistarum ad infirmandã hanc caedis infantium historiam argumentum, quòd alij Euangelistę de hac caede infantium nihil locuti sunt: nam si haec argumentatio quicquam valeret, efficeret ipsam Lazari suscitati historiam vanã quam solus Ioannes scribit. Sed certè idcircò eam, Deo disponente, caeteri silétio praeterierunt, vt, quemadmodum Chrysologus ait, tam grãde miraculum, quo nullum in Iudaea fuit illustrius, Ioanni omniũ Euangelistarum supremo describendum relinquerent. Ioannes ergo, & Marcus, & Lucas nihil de aduẽtu Magorum & infantium caede meminerunt: quoniam de vtroque Matthaeum abunde locutum viderunt. Sed etsi Ethnici atque infideles Scriptores haec tam celebria Christi opera memoriae non prodiderint, neque curandum est, neque mirandum. Nam, quod ad eos attinebat, habebant illi sibi magis accommodata, & plausibilia argumenta, quae describerent: nostra autem in damnum eorũ vergebant, & in eorum Deos, & in Principes, quibus adulabantur. Ex parte verò Dei necessarium erat, vt sacra nonnisi per autores sacros dispensarentur, & nonnisi cum eloquentia diuina magis, quàm humana; ne res per se alioqui illustres verborum phaleris fucarentur, neque essent quouis modo suspectae de falsitate. Nam tales Scriptores in alijs sępè mendaces deprehensi sunt. Solent etiam interdum magni historiographi necessaria in historia omittere: quo pacto Quintus Curtius omissa à Plutarcho de Alexandro Magno recenset; Cornelius verò Tacitus de Nerone quaedam refert à Suetonio suppressa; vt, quòd Christianis pro luminaribus accensis ceu facibus in coenis suis vteretur. Ex quo vel Iosephus Iudaeus pauca retulit de Christo; cùm tamen ad laudem atque decus suae gentis, opus illud Antiquitatum Iudaicarum conscriberet: quem Egesippus peruetustus historicus accusat, quòd diuinam Domini nostri Iesu Christi resurrectionem, ac pleraque eius diuina opera volens, sciensque tacuerit. Non mirum ergo, si inter caeteras Herodis saeuitias hanc infantium occisorum crudelitatem Iosephus non recensuerit, cùm alia maioris momenti, vel obliuione, vel iniuria, vel malitia praeterierit. Quare nec mirandum, si res tam

Petrus Rauẽ. serm. 63. in princ.

Cur alij tres Euangelistae hanc histor. praetermisẽrint.

Ethnici Scriptores eandẽ quare neglexerunt.

Neroniana in Christianos saeuitia.

Cornel. Tacit. lib. 15. Annal. post med.

Ioseph. historicus quo nomine ab Egesippo notetur

Idem cur Herodis infanticidij nõ meminerit.

tam comperta, & explorata, vt de aduentu Magorum ad Christum, à nullo Ethnico sit memoria, literisque commendata. Quòd si ab Euangelista prodita, mendacij potuisset argui, Fidei hostes minimè pepercissent, sed libenter contradixissent: vt quidam eorum demonstrant libri. Nam promptiores sumus ad falsum refellẽdum, quàm ad asserendum verum. Non ergo Christi gesta negabant, verùm magiæ, superstitionique tribuebant. Quare vel ipse Mahometus omnium hominum impurissimus nihil cõtra Christum dicere est ausus: imò contra eum commendat, vt magnum Prophetam à Deo ante se missum, vt humilitate, & signis mundum vinceret; se autem, armis post eum missum ad debellandum orbem.

Naturæ nostræ ingeniũ deprauatum.

Mahometi testimonium de Christo honorificũ, & illustre.

Cædes autem ista, vel omninò violenta fuit, vel dolosa, ne pueri absconderentur; vel persuasa, consultaque propter Romanos, ne quid illi molirẽtur aduersus Iudæos scientes nouum Regem natum in Iudæa. Potuit item proprij filij spõsione alijs propriorum filiorum cædem suadere: quod incredibile non videtur, si Turcarum Regi immanissimo dantur filij primogeniti sibi subditorum Christi cultorum etiam nunc Constantinopoli. Vnde mulieres tantùm plorare inducũtur filios suos, quasi viri cõsenserint in eorum mortem.

Herodiana puerorũ cædes violentane, an extiterit fraudulenta ac subreptitia.

Mulieres dũtaxat quare, non viri hic plorare suos filios inducũtur occisos.

Porrò magnis de causis hanc puerorum cædem permisit Deus Opt. Max. Primò, vt diuina ipsius potentia, sapientia, atque bonitas conspicua esset & illustris, visque sanguinis infantis circumcisi, qui per cœnum exercitum dæmonem potentissimum expugnauit, infantesque saluauit, vel accelerando in eis ex priuilegio liberi arbitrij vsum, vel non accelerando, vt alij volunt: præsertim cùm Ecclesia oret: *Deus, cuius hodierna die præconium Innocentes Martyres non loquendo, sed moriendo confessi sunt.* Si non loquendo, ergo sine vsu rationis, vt etiam Augustinus infra producendus asserit. Salus autem quam consecuti sunt, minor est quàm sit cunctorum Martyrum grandiorum, & fortè quàm omnium puerorũ maior. Nam isti peculiari quadam ratione secuti sunt Agnum, atq; eius familiares fuerunt. Omnem ergo ætatem vult saluare Christus, nec sinere sui causa perdi morientes, qui Saluator aduenerat. Si profuit eis olim Circuncisio; & modo Baptismus prodest. *Sinite*, inquit idem Christus, *paruulos & nolite prohibere eos ad me venire.* Illos igitur fuisse saluos, docet Ecclesia Catholica, quæ eosdem peculiari solẽnitate colit. Docent & Patres, quos inter Bernardus serm. de Innocentibus ait: *Si quæris eorum apud Deũ merita, vt coronarentur, quære & apud Herodem crimina, vt trucidarentur. At fortè minor Christi pietas, quàm Herodis impietas, vt ille quidem potuerit innoxios neci dare, Christus non potuerit propter se occisos coronare?* Et Augustinus serm. de Epiphania: *Ille de vestra corona dubitauit in passione pro Christo, qui etiam Baptismum paruulis prodesse nõ æstimat Christi. Non habebatis quidem ætatem, qua in Christum passurum crederetis, sed habebatis carnem, in qua pro Christo passuro passionem suam, & mortem sustineretis.* Sic Augustinus.

Cur Deus infantes permiserit occidi.

Sanctorũ Innocentium merita.

Apoc. 14.

Luc. 2.

Matth. 19.

B. Bern. ser. 1.

D. *Aug. serm.* 66. *de diuers.* c. 3. *tom.* 10.

Declarauit se etiam Christus fortem, & verum cunctorum Dominum, qui seruulos vita cariores morti pro se exposuerit.

II. Ratio permissæ cædis infantium.

Tertiò præsagium dedit grandiorũ Martyrum in vera Iudæa Ecclesiæ Catholicæ & orthodoxæ post occidẽdorum. Et vt olim Dauid inferẽs arcam Domini in Bethleem immolauit hostias & pacifica, vt habetur 2. Reg. 6. ita cùm Pater æternus humanitatẽ Christi intulit in Bethleem, etiã illi immolatæ sunt victimæ filiorũ. Nam si idolo suo Moloch Iudæi sacrificabãt filios suos, iuxta illud: *Immolauerunt filios suos, & filias suas dæmonijs, &c.* quid mirum, si Deo immolẽtur Iudæorum filij, qui per mortem hanc ad salutem æternam peruenerunt.

III. Ratio.

2. *Reg.* 6.

Psalm. 105.

Præterea lætificauit Patres qui erant in limbo, atque Angelos miro gaudio affecit, dæmones verò confudit, quos facti sui pœnituisse probabile est, cùm viderent infantium animos ab angelis deportari in sinum Abrahæ clamantibus: *Ex ore infantium & lactentiũ perfecisti laudem propter inimicos tuos; vt destruas inimicum, & vltorem*: qui fortè, vt pij viri nonnulli meditãtur, Christum, atq; eius matrem lætabundi inuiserunt.

IV. Ratio.

Luc. 16.

Psalm. 8.

Matth. 21.

Adhæc, iustè puniuit amorem carnalem, & peccata parentum in re maximè chara, nempe filijs. Vltus est enim insigne illorũ scelus, quoniam parentes illorum Messiam suum inter ipsos natum ignorârunt: nec locum nascenti illi dederunt; quem tamen in eorum cõfusionem & dedecus Magi è longinquo venientes adorauerunt, & donis cumulârunt. Ante eos tamẽ puniuit crudelitatem Herodis ipsius, qui in quatuor sæuire permissus est filios, nempe in Antipatrum, Aristobulum, Alexandrum, quos priuatis de causis interfecit, & in paruulum quem habebat in Bethleem, quem quidem, vti diximus, communi de caussa auferri de medio iussit, qui in sanguine suo, vt reliqui omnes, baptizatus est. Pueri in sanguine suo baptizati sunt, matres verò in lacrymis suis de interitu filiorũ suorum. Hinc Origenes in hom. huius Euangelij: *Hi ergo cùm iniustè,* inquit,

V. Ratio.

Matth. 2.

Herodis infanticidæ parricidia.

Orig. hom. 3. *in diuerses, in fin. tom.* 2.

inquit, *vel impiè occiderentur, in pace, in quiete multa pro nomine Domini passa, de hoc mũdo sub lati sunt in Ecclesia aeterna per secula in Christo mansuri. Eorum verò parentes pro ipsorũ merito passionis, dignã mercedis accipient retributionem à iusto, aeterno Domino Deo.* Hæc ille. Scribit etiam Niceph. Callist. lib. 2. c. 14. Ioannem Zachariæ filium, alterum cum dimidio annum agẽtem, vnà cum matre Elisabetha in spelunca quadam ad regionem montanam saluum conseruatum, fortasse Herodis sanguinariam effugientem manum. Fuitq; iniquus, & pessimus hic Herodis actus, nam vel vnum non licebat ei interficere. Sed vt vulnerata fera sæuire solet in occurrentes omnes, quasi se vulnerauerint, sic Herodes in omnes infantes sæuijt innocentes.

Niceph. Call. Ioan. Bapt. paruulus hoc tempore vbi fuerit seruatus.

Item, hac nece dedit exemplũ patientiæ, fidei, castitatis, & ab infantia seruiẽdi Deo. His itaq; de causis Innocentium permissa à Deo est interfectio. Occidit autem infantes omnes illius regionis, ne cui deinceps esset ansa dicendi, se esse Regem illum, quem Magi venissent olim adoraturi, sed popul⁹ intelligeret interfectos eius tẽporis omnes fuisse. At hæc cautela eo tẽpore, quo humilis expectabatur Christus, vna erat. Cernis in Herode, quã corrupta sit natura nostra, & ad vniuersa vitia procliuis, quorũ nullũ non committeret, nisi metu pœnæ, vel spe præmij, vel laudis coërceretur. Prauum est cor hominis; & sensus, & cogitatio hominis, prona sunt ad malum: & arbor mala nõ potest bonos fructus facere, nisi illos, de quibus Christus: De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ. Deinde apparet, quòd radix omnium malorum, est cupiditas, & inordinatus amor sui: auaritia in Principe perniciosissima. Apparet insuper in Herode, quàm perniciosus existat Princeps malus Reipublicæ. Vt enim ille ex illusione Magorum in Innocentes desæuijt: sic impij Principes ex leui causa nonnunquam sæuiunt in subditos, belligerantur in damnum pauperum, atq; innocentum. Et, *Quidquid delirant Reges* (vt est in prouerbio) *plectuntur Achiui.*

VI. & vltima ratio cædis infantium à Domino permissæ.

Cur omnes occiderit pueros Herodes Bethleemiticæ regionis.

Hierem. 17. Gen. 6. Matth. 7. Infra 15.

De Herode edocemur ttia. 1. Tim. 6.

Horat. lib. 1. epist. 1 ad Lollium, init.

Omnes pueros qui erant in Bethleem, & in omnibus finibus eius. Intellige omnes secundũ tempus assignatum à Magis: putabatq; Herodes, eũ esse in Bethleem ex Michææ prophetia. Fines, vocat villas & domos vicinas extra vrbem, in quibus, vt ferè accidit, ex Bethleem aliqui erãt: non vltra fines Bethleem, quia nõ putabat certò, eum esse alibi: quęsiuit fortè etiã primò illum solum, nempe Christũ, & quanquã occisio in Bethleem acta narretur, tamen etiam inquisitio per alia loca diligens facta est. Vnde Ioseph in reditu de Aegypto timuit in Iudæam ire, etiam post cædem puerorum, & mortẽ Herodis. Fuit autem numerus puerorum Innocentium, interfectorum in Bethleem & finibus 14. millia, vt tradũt Aethiopes, quos Abyssinos vocant, & hos in Canone asserunt, quia illos ritu suo ac more sub illo numero celebrant. *A bimatu, & infra.* Si Magi, vt est probabile, stellam non viderunt ante Christum natum, sed in ipso tantùm die natalitio, occidit tamẽ omnes infra bimatum affectu vindictæ perturbatus; & ob securitatem, ne ille euaderet occasione ętatis, quã minorem matres mentirentur: tum quia subitò pueri neci erant tradendi, ne qua insurgeret rebellio populorum, vel pueri absconditi seruarentur. Possumus etiam exponere *Infra*, non absolutè, sed secundùm tempus quod exquisierat à Magis, vt anno maiores, ne crudelis videretur: vel ne rebellarent populi. Fecit autem primò dolosè describi infantium nomina, indicta causa, ne etiam casu aliquo euaderent; posteaq; descriptos vocauit ad cædem, non autem infra bimatum, ne Christus, cui sydera famulabantur, in minorem transfiguraretur ætatẽ, vt insinuat Augustinus sermone quodam de Epiphania: quia eadem ratione transfigurari posset in senectutem, desperassetque eum se posse occidere, & eum timeret, crederetque eum planè intelligere, quæ moliebatur. Neque ætati bimatus obstat, quòd monstrantur ossa etiam illorum Innocentium, quæ ætatem maiorem testificantur. Respondemus enim, fieri potuisse, aliquos inter Innocentes fuisse procerioris staturæ, ac proinde ex eo tempore habuisse maiora ossa, quàm communes infantes. Fortassis etiam aliorum Martyrum cũ illis sunt admixta ossa, etsi omnia esse ferãtur Innocentium.

Quando occiderit Herodes infantes; cur in Bethleem, & quibus in finib⁹ eius. Mich. 5.

Matth. 2.

Quomodo à bimatu & infra pueros occiderit Herodes.

Illud etiam, infra, quem sensum commodum recipiat.

B. Aug. ser. 7 de Epiphan. sub init.

Sequitur textus: *Tunc adimpletum est quod dictum est per Hieremiam Prophetam, dicentem: Vox in Rama audita est, &c.* Ad huius testimonij Prophetæ intelligentiam, quæro in primis, quid commune habeat Rama, quæ est iuxta Gabaa in tribu Beniamin, vt habetur Iosue 18. & Iudic. 19. cum Bethleem, quæ est in tribu Iuda? Deinde quid Racheli cum infantibus istis, qui erant potius Liæ filij? Nam ex Rachel Iudas non est, sed ex Lia. Ad hæc, cur non recipit consolationem Rachel super ijs, qui pro Christo occubuerunt? Et quomodo dicuntur non esse, quorum pretiosa mors fuerat in conspectu Domini? Ad primum dubium nonnulli respondent, Rama haud accipi pro loco certo aliquo, verùm nomen ad-

Hierem. 31. Quid cædi sanctorũ Innocentium cum Rachele plorante filios suos. Iosue 18. Iudic. 19.

Psalm. 115. Solutio quorundam, minimè probabilis.

iectum esse ad rē, & significare excelsum, quo pacto Hieronymus transtulit in Hieremiam, vnde desumpta est hęc prophetia, dicens; *Vox in excelso audita est*. At contra hoc est interpres, qui primus transtulit ex Hebræo in Græcum, B. Matthæum; qui magnæ est autoritatis, Ille enim Rama intellexit, locum esse proprium, relinquens illam vocem minimè interpretatam: qui creditur fuisse Lucas, aut Euangelista Ioannes, aut certè alius Apostolicus vir: vt interim omittam Septuaginta interpretes, qui Rama habent, vti ille.

[Q]uorsum [h]ic Rachelis [f]iliorum suo[r]um ploratus [in]ducitur?

Ad secundum dicunt quidam, Rachelem ideò deplorasse hos pueros quasi suos, quoniā eius sepultura in Bethleem fuit. Verùm hoc certè valde est tenue & infirmum, asserere, Rachelem ex sepultura maternum ius acquisiuisse: quod enim id adoptionis genus esset à sepultura?

[I]. Solutio, e[t]iam inepta. [G]en. 35.

Alij verò aiunt, quòd Rachel non significet mulierem, at locum illum, vbi cæsi sunt infantes: siquidem Rachel humata in Bethleem fuit. Sed id incertum est, quia nec ex Scripturis apparet, & ex friuola coniectura diuinatur. Nunquid enim à paruo sepulchri loco quicquid Bethleem intra fines continebatur, erat denominandum, vt quicquid natum esset ibi, pro filijs indicaretur?

[I]I. Solutio, [it]em improbabilis.

Rursus alij inquiunt, quòd tribus Iudæ, & tribus Beniamin contiguæ erāt, ideò sub ea cęde aliquos ex filijs Rachelis posse comprehendi. Sed reuera, tametsi propter loci propinquitatem aliqui sint occisi, non ideò tamen minus ad Liam pertinet, plorare super filios suos, quàm ad Rachelem: quare igitur & Lia non inducitur plorans filios suos?

[Q]uid est [q]uod Rachel [n]oluit conso[l]ari super fili[o]s suos, quia [n]on sunt. Solutio nō [a]ccipienda.

Ad tertium respondent nonnulli, & exponunt, *Quia non sunt*, scilicet mortui, sed viuunt, ob idque noluit consolationem, quia non eguit, idcircò nō est pro re aucta, at pro re amissa consolatio. Dura profectò ac violenta interpretatio, & quæ haud satis constat cum ploratu. Si enim est res aucta, cur plorat? Et si plorat ex vno, scilicet amissione secundùm carnem, cur non ex altero recipit consolationem, ex augmento videlicet secundùm spiritum, secundùm quem salui erant?

[A]ltera com[m]odior.

Pro sensu ergo notandum, Rama distare à Bethleem per quatuor leucas, ítiq; per mediam Hierusalem, vt habetur Iudic. 19. Est autem Rama non longè à Gabaa, vt dicitur ibidem. In Gabaa autem Beniamin ob insigne illud & antiquū flagitium, quo libidinis gratia Gabaonitæ vxorem Leuitę ad mortem redegerunt, magna illa, & memorabilis clades trib⁹ Beniamin edita fuit; ita vt sexcenti Beniamitæ soli de tota tribu illa remanserint. Ad hæc, considera, Rachelem introduci in Scriptura, vt æmulam Liæ propter eius filios, vnde ad Iacob virum suum dicebat: *Da mihi liberos, alioquin moriar*. Introducitur ergo Rachel ob illud scelus, filios suos à Deo percussos deplorare, ploratumque suum implere in hac cæde filiorum Liæ æmulæ suæ: quia pro Christo filij Liæ occubuēre, & absque peccato; sui autem propter scelus admissum, ac pro Belial sunt interfecti. Ideò noluit consolari, quia verè non sunt, id est, perierunt à gloria Domini. At isti Liæ filij verè existunt, & sequuntur Agnum, quocunque ierit, cantantes canticum. Neque verò ad literam hæc accipias sic, vt mulier illa plorauerit pro bona sorte filiorum sororis; sed hæc in Christi Ecclesia ad exemplum adferuntur, vt intelligamus mysterium: scilicet, quàm sit sors morientium diuersa, & dissimilis; & alij mortui Deo sint, & ob id deplorandi; alij verò non lugendi, quia beati mortui in Domino, & pro Domino; & sua felicitate, qua perpetua illi perfruuntur ac gaudent, excitant dolorem ijs, qui infeliciter ceciderunt; implentque eorum mœstitiam, vt nequeant vllo modo consolari. Sic frequenter loquitur Deus in sacris voluminibus, præsertim verò in parabolis. Atque hunc sensum verba confirmant Origenis in homilia super hoc Euangelium, dum scribit: *Duas nunc rationes habet hoc verbum: vnam quam aliquanti dixerunt ad Beniamin pertinentem filium Rachel affinitate Iuda generationis coniunctum; qui Iuda filij pro Domino nec mortui sunt. Plorauit ergo Rachel filios quasi nihil passus in aduentu, vel pro aduentu Domini: &, quasi non essent, existimauit, ad illos qui pro Domino mortui sunt & martyrij tulerunt coronam. Ita ergo antiqui dixerunt. Et est alia ratio. Ipsa Rachel plorare dicitur, hoc est, genus Beniamin affinitatem ipsam generationis Iuda habens, extendit enim & illuc suam crudelitatem Herodes, sine misericordia omnes affines Iuda, Beniamin filios interficiens. Prius in Bethleem interfecit omnes: postmodum misit in circuitu regionum sine misericordia manus, nullumq; viuum dereliquit infantem: ideoq; plorare dicitur Rachel, hoc est, generatio Beniamin. Vel propter ea adhuc nominat Rachel, omnium nostrum pietatem per illos demonstrans circa filios, vel proximos, in nomine Rachel vniuersas pias matres (vt dixi) significans*. Hæc ille. Eundem sensum sequitur autor lib. Quęstionum Noui & Veteris Testam. sic scribens: *Quantum ad historiam*, inquit, *pertinet; Rachel filij sunt tribus Beniamin*.

Marginalia: [I]udic. 19. — [In]fr. 14. & se. — Liæ filiorum quanto melior conditio quàm illa filiorum Rachel. — Gen. 30. — Apoc. 14. — Rachelis filios suos plorantis mysterium. — Infra 19. — Orig. homil. 3. in diuersos, tom. 2. — Autor lib. qq. Vet. & Noui Testam. mixti q. 62. tom. 4. oper. D. Aug.

Rachel filij qui, secundũ Augustinum. Iudic. 19. Infra 2. & se.

Porrò olim pro maleficijs proprijs, operibus scilicet Sodomitarũ, & stupro, quod in cõcubinam viri Leuitæ gesserant, à reliquis tribubus extincti, & erasi sunt. Quamobrem consolationem recipere velle negatur, sciens nullam spem eorum, qui periisse noscuntur. Filij autem Liæ in primæuis annis, vt Saluatoris caussa occisi sunt. Vnde eorum caussa planctum non vult adscribi, quia & innocentes occisi sunt, & propter Deum, à quo sine dubio mercedis gratia æterna vita donati sunt. Quapropter planctum Rachel filijs dicit competere, qui & in præsenti, & in futuro erasi sunt. Illi autem carnaliter plancti, spiritualiter cõsolati sunt. Filij autem Rachel carnaliter conuersati flammis spiritualibus consumentur. Idcircò autem Liæ filijs occisis adimpletum planctum Rachelis Euangelista testatur; quia tunc plangere filios suos cœpit, quando filios sororis suæ in tali causa vidit occisos, vt in æterna vita heredes existerent. Cùm enim aliquid aduersum aduenit, ex felicitate alteri⁹, infausta sua miserius luget. Hęc ille. Quia ergo in Gabaa & Beniamin occisi sunt pęnè omnes Beniamitæ, nõ fuit eiusmodi cædes magno sine clamore & luctu mulierum filiarum Rachel.

Eorum sors infelicissima.

Alter sensus.

Alij simplicius dicunt, hoc testimonium non de his infantibus propter Christum interfectis, sed de decem tribubus in captiuitatem abductus cum magno mœrore; vt exponit Hieronymus, intelligendum. Vnde Rachel auia Ephraim dicitur deplorare filios suos Israëlitas: quo significatur, populum Israëliticum amarè ploraturum captiuitatem & necem suorum. Quoniam autem sub Herode non minor clades, & proinde fletus & lamẽtatio facta est pro infantibus interfectis, quã olim cùm populus in captiuitatem abduceretur: Ideò Euangelista dicit, verba Hieremiæ impleta, vera fuisse, quæ tamen de alijs, & in sensu nonnihil diuerso prædicta fuerunt. Quare ad confirmandum prædictum sensum, sequitur in Hieremia: *Hæc dicit Dominus; Quiescat vox tua à ploratu, & oculi tui à lacrymis, quia est merces operi tuo, ait Dominus, & reuertentur de terra inimici, &c.* Vbi Hieronymus scribens ait: *Hoc iuxta literam necdum factum est: neque enim decem tribus, quæ in ciuitatibus Medorum exulant, atque Persarum, reuersas in terram Iudæam legimus; sed iuxta spiritum, & in passione Domini completũm est, & hucusq; completur, quando de toto orbe saluatur Israël, & Rachel dicitur; Quiescat vox tua à ploratu, & oculi tui à lacrymis. Et est sensus: Plorare desiste. priora enim opera tua respexit Dominus, &c. Melius autem de paruulis intelligimus, quòd mercedem habeant effusi sanguinis pro Christo, & pro terra Herodis inimici, teneant regna cœlorum, & reuersi sint in sedem pristinam. quando pro corpore humilitatis, corpus receperint gloriosum*

B. Hieron. lib. 6. in Hierem. ca. 31. tom. 5.

Hierem. 31.

Hieron. ibid.

Quid sit: Quiescat vox tua à ploratu & oculi tui à lacrymis.

Philip. 3.

Hactenus Hieronymus. Plures sensus protulimus, sed prior nobis magis placet. Nomine ergo Rachel Euangelista illas mulieres nominat: tum quia mater illarum Gabaa, quas in typum assumit; tũm quia filiorum auida, consolata est: habens etiam filios affligebatur: imò patiens Beniamin mortua est, illumque, filium doloris vocauit. Matthæus igitur alludit ad Hieremiæ prophetę verba, vt ipse ad verba libri Iudicum. Et vt indicet magnum ploratum in Bethleem, testatur eum auditum in Rama, quæ propinqua Bethleem ciuitas est. Ait ergo: *Vox in Rama*, vel, *in excelso audita est.* Id est, ad literam alta: quia innocentium vox sanguinis clamans, *Ploratus*, paruulorum, *Et vlulatus multus*, Matrum, qui non ita transijt, vt filiorum. Falsò etiam ponitur, quòd soli filij Iudæ, Liæ ve sint mortui: quoniam post reditum à captiuitate Babylonica mixti erant, & confusi, eo quòd viri de Iuda, & Beniamin habitabant Zabulon, & Nephthalim. *Rachel plorans filios suos.* Nempè mulieres Bethleem figuratæ per illam, de qua Hieremias, & liber Iudicũ meminerunt: & quia imitatrices Rachel in amore, & dolore filiorum amissorum, non vt sepulta in Bethleem est: nam, vt dixim⁹, hoc per se nõ sufficit. *Et noluit consolari, quia non sunt.* Id est, quia obierunt; vel, vt Hebraicè legitur, quia non est; quia nimirùm ne vnus quidem superest. Sic iudicat mundus, quasi actum sit de sanctis, postquam mortui fuerint, cùm tamen tunc ipsi incipiant viuere: *Iustorum animæ*, inquit Sapiens, *in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt oculis insipientium mori, &c. Illi autem sunt in pace.* Vel, vt exponit Origenes, quia non sunt, scilicet consolantes, cùm quælibet domus suos filios lugeret interfectos. Estque Rachel typus Ecclesiæ matris filium Ioseph iustum, & primò multa perpessum post promisionem deplorantis: quem quidem planctu beato luget, id est, iustos necdum beatos corpore & animo. Plorat & occisores martyrum Ecclesia; sed tales non sunt filij sui: at de Martyribus non vult consolationem hic, verùm in cœlesti gloria. Sed in his sensibus non loquitur modo, quia non impletũ tunc. Multi multa alia in hunc locum cõgerunt: nos tamen his paucis, quæ probabiliora duximus, contenti sumus.

Cur matres infantium occisorum Matthæus nominet Rachel. Gen. 30. Infra 35.

Iudic. 20.

Ploratus, & vlulatus quid differant.

Quæ Rachel ploret filios suos. Hierem. 31. Iudic. 20.

Mundi huius stultum de sanctis iudicium quod sit.

Sap. 3.

Orig. in Matth. hom. 3. in diuersis, tom. 2. Rachel Ecclesiæ typus qualis.

Illa quos filios suos non ploret, ac de quibus nolit consolari.

Laudemus igitur nos Deum, qui nullam ætatem à salute, atque à gloria cœlesti arcet, aut respuit, omnes amplectitur, sitit omnes, omnes amat, qui pro omnibus carnem, atque mortem assumpsit. Nostrum est tales

Dei opt. Maxim. quantus zelus animarum. 1. Tim. 2.

Quid illi debeamus. *Galat. 3.*

nos illi exhibere, vt salutem nostram non videamur odisse, vel negligere, certi & securi, quòd vt in Christo Iesu nõ est Iudęus neque Græcus, non est seruus, neque liber, non est masculus, neque fœmina: ita nõ est puer, vel vir, non est infans, aut senex, nullumq; est ætatis discrimen propter eximiã Domini nostri Iesu Christi gratiam, qui cum Patre, & Spiritu sancto viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

TRACTATVS XLV.

Matth. 2.

In illa verba: *Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph in Aegypto, dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & vade in terram Israël: defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri, &c.*

Ioseph. li. 1. de bel. Iud. c. 21. Herodis mors imminens quàm parricidialis illa, quamq; fuerit cruenta.

MOrtem Herodis describit Iosephus, lib. de bello Iudaico: siquidem horrenda fuit, & infelicissima. Nam postquam Aristobulum, & Alexandrum filios interfici iussisset, & incidisset in morbum lethalem, Antipatrum filium, quem vinctum tenebat, neci dedit: quæsiuit etiam cuiusq; vici ex Iudæa nobiles & primores in locũ, cui nomen est Hippodromus, & Salomen sororem, & Alexam maritum eius ad se vocauit: *Scio*, inquit, *mortem meam festis gaudijs celebraturos esse Iudæos. Verùm per alios lugeri potero, & præclarißimos honores sepulturæ assequi, si quæ præcipio feceritis. Hos viros, qui habentur in custodia, cùm animam efflauero, statim militibus circumdatos occidite; vt etiam inuita omnis mihi Iudæa, omnisq; domus illacrymet.* Hæc ille. Pessimè ergo mortuus est, vt pessimè vixit. Nam, vt scribit idem Ioseph. lib. Antiquitatum, mortem acerbam pertulit, febri, dysenteria, scabiei voracitate, podagra ac verẽdorum putredine, generatione vermium, spirandi difficultate, ac tremore membrorum malam animam soluit. Et sic omnes tyranni, & pauperum oppressores infelicem & horribilem mortem subire coguntur: siquidem mors peccatorum pessima. Ideò tutum non est, emendationem vitæ differre in finem: nam difficillimum est benè mori malè viuentem; quemadmodum impossibile est, iustum malè mori. Iustus enim si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Sexto autem ætatis Christi anno Herodes mortuus est, & quadragesimooctauo Augusti, & septimo ætatis suæ redijt puer ex Aegypto, vt tradunt omnes Chronographi, & histor. Scholastica. Nam Herodes superuixit Christo nato per sex annos, quia Christus natus est trigesimosecundo anno Herodis, qui regnauit triginta septem annis; & septimo, regnante Archelao, redijt. Quamquam Caietanus obseruãs quasdã supputationes parum certas, & constantes, dicat Christum reuersum de exilio anno quarto ætatis suæ: & Nicephorus Callistus in sua historia, Ioseph per triennij tẽpus exilium apud Aegyptios tolerasse scribat; Epiphanius verò hæresi 51. in Alogianos scribens, post biennium ætatis Christi dicat profectum in Aegyptum, atque in eo per alterum biennium diuersatum esse. Verùm certior, & communior est prior sententia. Constat enim Christum natum quadragesimo secundo anno Augusti, cuius quadragesimo nono mortuus est Herodes, & cœpit regnare filius eius pro eo: & eo tẽpore reuersus est Christus de Aegypto. Et ita elapsi erant septem anni. Regnabat autem Archelaus tyrannicè, quia locum patris sui tenebat in primo anno: sed regnum erat in lite positum, donec per Augustum Cęsarem data est duplex Tetrarchia Archelao, cum spe concedendi regium honorem, si rectè, & prudenter, regnum illud administraret.

Ioseph. lib. 17 antiq. c. 9. Herodis Ascalonitę quã infelix interitus, ac miserandus exitus fuerit.

Psalm. 33. In eos qui in vitæ finẽ differunt emendationem.

Sap. 8.

Quando redierit de Ægypto Christus. *Histor. Schol. cap. 23.*

Herodes quot annis regnauerit. *Caietan.* Aliæ opiniones minus probabiles de tempore reditus Christi. *Niceph. Cal. lib. 1 Eccles. histor c. 34.* *Epiphan.* Quando natus Christus.

Regnum Archelai quale.

Ecce Angelus Domini. Promptitudo, & celeritas Angelorum designatur. Meritò se Solem iustitiæ Christus, & lucẽ mundi vocauit: lux enim sublatis omnibus statim obicibus, ac impedimẽtis, ipsa etiam ferre nolenti, insinuat sese, & sui copiã facit. Statim ergo ac mortuus in te fuerit Herodes, id est dæmon, & Herodis ministri, scilicet mundus, & caro, intelliges ad te redire Christũ, quem peccatis tuis ad mortem quęsieras, & expuleras. Et bona est equidẽ annuntiatio mors malorum; tum vt Dei iustitia cõmendetur; tum vt ab oppressionibus iusti & pij respirent, ac quiescant; tum vt mali terreãtur, & ab imitatione arceantur. Et quater legitur apparuisse angelus in somnis Ioseph amico Angelorum: quod ad puritatem, & prudentiam attinet, qui extra quidem puerum seruabat, & Mariam matrem nutriebat; interiùs verò puer nutriebat matrem, ac custodiebat vtrumque.

Ioan. 8. & 9. Lucis ingenium. Ad nos quando redeat Christus vitijs nostris expulsis.

Mortis malorum cur bona sit annuntiatio.

Ioseph Angelorũ amicus, idem qualis seruus Dei.

Accipe puerum, &c. Fidelis & prudens, atque diligẽs seruus fuit Ioseph. cui Deus tantam commisit familiam: itaque humanum studium erga puerum adhibebãt, ac si puer diuinas non haberet vires, vt diximus: quoniã verè homo erat, & miracula à Deo sine caussa expectanda nequaquã sunt: hinc parentes affligebantur amisso eo, & dixerunt; *Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Veram siquidem humanitatem ostendere volebat. *Et vade in terram Israël.* Non quasi Iudęis versari in Aegypto nõ liceret: nam etsi

Matth. 24. A Deo nequaquã sine caussa expectanda miracula sunt.

Luc. 2. Quibus vetitum Iudæis vti in Ægyptum nõ ileant.

Deut.17. *Hierem. 43.* etsi toti populo id prohibeatur, Deut.17.& Hiere. 43. priuatis tamen non erat illud illicitum, vt constat ex lib.2.Machab.ca.1.& Act. 2. maximè verò ex reuelatione fas id erat Ioseph. Sed tamen Christus inde reuocatus est. (Cur redierit de Ægypto Christus.) Primùm, vt cessaret parentũ labor in terra aliena. Deinde, vt Christus haberetur Iudęus, nõ alienigena, vel Samaritanus, vt obijciebant Pharisæi; vel Magus, vel Aegyptius, qui in Beelzebub principe dæmoniorum eijceret dęmonia; nec amicus Gentilium, ex quo dixerũt: *Quo hic iturus est, quia non inueniemus eum? nunquid in dispersionem gentium iturus est, & docturus gentes?* (II Ratio. *Ioan.8.* *Luc.11.* *Ioan.7.*) Quod ergo dicebant: *Quare cum publicanis & peccatoribus manducat Magister vester?* publicanos qui Iudæi erãt, intellige. (*Matth.9.* III.Ratio. Quibus cum publicanis & peccatoribus Christus mãducaret.) Præterea vt iustus haberetur legem obseruans, nec facilè contra eam crederetur prædicans. Itẽ, vt puer aliquid faciendo in templo eos disponeret, & præsagium futurorum exhiberet, sicut fecit in Aegypto, quã vt medicus visitauit: (IV.Ratio.) quoniam vtraq; semper ostendenda natura fuit, licèt occultiùs in pueritia. Et qui etiam minister erat circuncisionis, prouidentiæ etiã diuinæ fuit, vt mortuo Herode rege Iudæorum puer Iesus rediret in terram Israël, & vt post Herodẽ nullus constitueretur rex Iudæorum à Romanis, etsi id filij Herodis, & inter eos potissimũ Archelaus, impetrare contenderint. (V.Ratio. *Rom.15.*)

Non determinat autem locum angelus, ne ad vnum duntaxat locum videatur adstrictus, verùm in genere ait: *Reuertere in terram Israël.* (Cur indefinitè Angelus dixerit: Vade in terram Israël.) Tum ob consolationem Ioseph: nam ex visione Angeli significantis ei quid facto opus esset, solatium accipiebat, & securus erat. Deinde, vt Ioseph postea dubius cogeretur ad eum cõfugere consilij gratia: (II.Ratio.) nam si Angelus præscripsisset locũ certum, nequaquam dubitaret, itaque non esset ei opus orare & consulere Dominum: qua ille occasione merendi caruisset. Nam cùm ignoremus quid agere debeamus, aiebat bonus illę Iosaphat, hoc solùm habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad Dominũ. (*2.Paral.20.*) Ad hæc, Deus sicut non deficit homini in necessarijs, sic in ijs quę non sunt necessaria, haud prouidet modo plusquã naturali. (III.Ratio. Quid proprium diuinæ prouidentiæ.) Omnes autem reuelationes supra naturam sunt; ideò desiderari solùm debent in ijs rebus, in quib⁹ homo nullo modo potest prospicere per humanam prudentiam. Aderat tamen in dubio isto facultas prouidendi Iosepho: sed tamen quia contingere poterat ipsum dubitare, & timore affligi; rursus eũ Angelus per quietem admonuit, vt iret in Galilæam. *Defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri.* (Quinam illi defuncti, qui quærebant animã pueri.) Pluralis numerus pro singulari ponitur: vel sceleris administros consiliarios computat Herodis, qui sicut squamę illi vniebantur, & mortui erant. Ita cùm Scriptura sacra testatur solum Pharaonem quæsisse occidere Moysen, Exod.2. tamen cap.4. dicitur: *Vade & reuertere in Aegyptum: mortui sunt enim omnes qui quærebant animam tuam.* (*Exod.2.* *Infra 4.*) Et cùm eisdem ferè verbis præcipiat angelus reditum Iosepho, quib⁹ olim Deus locutus est Moysi, videtur quod Moyses, sicut in plerisque alijs, ita etiam in sua fuga typum Christi pueri prętulerit. (Reditus Christi ex Ægyp. vbi præfiguratus.) Mortui ergo sunt, vel actu inter occisos ab Herode, vt filij eius Alexãder & Aristobulus, qui cũ ipso viuente super regno contendere ausi sunt, & coram Romanis eum in ius vocare. (Isti nebulones quomodo defuncti.) Antipater autẽ licèt non contenderet contra Herodem, tamen anhelabat ad regnum & mortem patris desiderabat: vt refert Iosephus lib.17.antiq. (*Ioseph.c.3.*) Ideò istos etiam verisimile erat quęrere animam Christi, per quẽ timebant regno se priuandos, sicut & timebat eorum parens. Veruntamen isti ante Herodem interfecti sunt eius mãdato. (Alter sensus.) Vel mortuos intellige, quantum ad munus, & voluntatem persequẽdi, vt satellites, & ministri eius. Ante mortem autem, quia non erat quietus Herodes, venienti tali puero post edictum, periculum erat ne id resciret ex itinere: tum quia Maria, & Ioseph noti erant ex desponsatione, & ex ijs quę acciderant in templo. (*Luc.4.& seq.*) Porrò animam ab animãdo dictam, intellige vitam, iuxta illud: *Animam eius serua*, id est, vitam. (Anima vnde dicta. *Iob 2.*) Vnde Helias dixit: *Derelict⁹ sum ego solus, & quærunt animã meam vt auferant eam.* (*3.Reg.19.*) Et Dauid ad Abiathar: *Si quis quæsierit animam meam, quæret & animam tuam.* (*1.Reg.22.*) Christus ergo præter verbum animã rationalem habebat: aliàs non esset homo, nec humanam carnem haberet, quæ ab anima rationis compote speciem sumit. (Veræ Christi humanitatis argumenta.) Deus etiam, vel angelus, haud possunt esse forma hominis. Scriptura insuper omnes affectus tribuit Christo, qui animæ humanæ tribuuntur: nam contristata est anima eius vsq; ad mortem: proficiebat sapientia, & ætate, & gratia, admiratus est, timuit, & quæ sunt generis eiusdem. (*Matth.26.* *Luc.2.* *Matth.8.* *Marc.3.* *Infra 14.*) Non esset quoque anima nostra sanata, vel Angelus nobilitatus, nec anima iusti esset sedes sapiẽtiæ; nec diceret: *Deliciæ meæ esse cum filijs hominum*, sed cum brutis. (Si verus homo Christus non fuisset, quid inde. *Prouerb.8.*) Mentitur ergo Arius, negans animã rationalem, sed verbum loco animæ ponens; & Apollinaris hæreticus, concedens tantùm animam sentientem, negans tamen ratiocinantem. (Aduersus Ariũ & Apollinarem.) Vide etiam nihil ei esse denuntiatum de punitione defunctorum, vt vitemus appetitum vindictæ, curiositatem iuxta sciẽdi ea quæ Deus decreuit iusto suo

iudicio

iudicio facere. Sat enim nobis est vt per viá præceptorum incedamus, & Deo relinquamus iudicia sua. Et ex morte persequentiú Christum nota, persecutioné temporalem perpetuam non esse, habet vices suas, & cómutationes, nunc pax, nunc bellum est.

Expenditur: Qui consurgens, accepit puerum.

Qui consurgens accepit puerum. Non dicitur, accepit filium, & vxorem suam, quasi nutritius, & nó pater. Deinde nó dicitur, nocte, quia non erat tanta instantia: defuncti enim erát qui quærebát animam pueri. Nam oportebat eum quędam necessaria itineri emetiendo pręparare. Ad hęc, cùm Ioseph in Aegypto septem annis vixisset, vt asserit histor. Schol. & haberet aliqué modú œconomię, supellectiliaq; domestica, de quibus dispositurus esset, & aliquorum etiam amicitias, inurbanum fuisset, amicis insalutatis, recedere, ne suspicionis alicuius cótra se fomentum præberet. Nam quæ in tenebris, & in abscondito aguntur, suspecta sunt de malo, nam *Qui malè agit, odit lucem.* Secus accidit, cùm è Iudæa decessit, quoniam periculum vrgebat. Hęc autem quia rationi consentanea sunt, vt nota relinquúntur ab Euágelista. Rediuit etiam Christus non noctu, at cum lumine ad reliquias filiorú Israël, mortuis prius obstinatis. Aduerte etiam, Angelum Domini implentem promissionem suam: dixerat siquidem; *Et esto ibi vsque dum dicam tibi:* sed non tam citò, ne angustieris. *Accepit puerum.* Vide quomodo exprimatur cura paterna Ioseph. Sciebat autem puer quod rediret ad terram mortis, non lac, & mel, sed fel, & acetum manantem.

Histor. Schol. in Euangel. cap. 23. Quando sustexit Ioseph in Iudæam rediturus. *Ioan. 3.* *Infra 11.* Redit° Christi mysticus ex Ægypto. Ioseph paterna in Christú prouidentia. *Exod. 3. Leuit. 20. Num. 13. Deut. 6. Matth. 27. Psalm. 67. Ioseph. li. antiq. 16. & 17.*

Audiens aút quòd Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode patre suo. Ad huius historię intellectum considerandú est ex Iosepho, Herodem Antipatris Idumæi, atq; templi cuiusdam gentilium æditui filium fuisse: & ad Iudaismum conuersum septé genuisse filios, qui hoc ordine illi nati sunt: Antipater primus, Alexander secundus, Aristobulus tertius, Archelaus quartus, Herodes quintus, Antipas sextus, Philippus septimus. Ad primum horú, nempe Antipatrú, ex iure primogenituræ regnum pertinebat, & tamen Alexander & Aristobulus illud sibi vendicare conabantur, non solùm in fratrem, sed etiam in patrem. Regnum verò Iudęorum ad sacerdotes de stirpe Machabęorum spectabat, qui illud longo tempore tenuerant: quorum postremi fuerunt Aristobulus, & Hyrcanus. Hi fratres erant, atq; maior eorum erat Hyrcanus, ad qué regnum de iure pertinere videbatur. Multis auté inter eos bellis gestis, & mortuo Aristobulo, mansit Hyrcanus in regno: cui amicus erat Antipater, Herodis pater. Habuerat autem Aristobulus filium quédam nomine Alexandrú, qui accepit in vxorem filiá Hyrcani patrui sui nomine Alexandrá, ex qua genuit Aristobulum, & Mariamnem fœminam: hæc autem Mariamne in vxorem accepta est ab Herode: qui duos filios ex ea suscepit, nempe Alexandrum, & Aristobulum; & sic isti propriè erant de genere Regio, quia erant nepotes Hyrcani, & Aristobuli: nam auus eorú, scilicet Alexander, erat filius Aristobuli, & auia eorum, scilicet Alexandra, erat filia Hyrcani: ideò iuxta rectam lineam ex vtroq; latere competebat ei regnú Iudæorú. Quare & patri suo anteire volebant, cótendentes in iudicio corá Roma. de regno. Herodes tamé obtinuit: & illi duo filij propter quasdam suspiciones parricidij à Salome Herodis sorore accusati apud fratrem Herodé, iussu eius primùm in vincula coniecti, deinde innocétes laqueo necati sunt. Et cessauit successor de stirpe Iudæorum. Antipater autem maior erat ætate, natus ex Iudæa quadam Docin nomine, vt ait Iosephus, & non erat de genere Regio ex parte matris, vt contendere posset de iure regni cum fratribus suis viuentibus, Aristobulo, & Alexandro: mortuis autem illis haud dubiè ad eum spectabat regnum. Sed postea ob suspiciones quasdam Herodes pater cóiecit illum in vincula. Cùm autem rumor semel in aula sparsus esset, regé Herodem occubuisse, Antipater exultans de morte patris, multa custodi carceris pollicebatur, quo se liberum dimitteret: quod cùm pater ægrotus cognouisset, eum occidi mádauit. Remanserunt autem quatuor filij Herodis, quorum maior erat Archelaus, & istum instituit in Regem & successorem Herodes: iubens tamen, vt coronam sibi non imponeret, sed acciperet illam de manu Romanorú, vt lib. 17. antiq. c. 8. tradit Ioseph. qui dicitur hic regnare pro Herode patre suo, quoniam successit ei in regno. Nam etsi alij duo fratres eius, nimirùm Herodes, & Philippus, partem paternæ hæreditatis habuerint, attamen non præcipuam portionem, vel nomen Regium; Archelaus aút habuit ab Augusto hęreditatem duplicatam, & Regij nominis spem, ac promissionem, si se benè in administratione gereret: interim Tetrarcham constituit, ideò dicitur regnasse pro eo. Hic autem nouem annis regnauit: sed postea ab Augusto ob delicta sua in ordinem redactus, Lugdunum Galliæ est relegatus: vt lib. 2. de bel. Iud. ca. 6. docet Iosephus. Post hunc auté Cyrinus Pręses pro Romanis administrauit, qui Coponiú procuratorem Iudaæ constituit. Deinde secutus est M. Ambiuius: cui successit Annius

Herodis Ascalonitæ genus, & liberi. Iudæorú regnú ad quos eorum sacerdotes spectaret. *1. Machab.* Regni successor quando extinctus de vera stirpe Iudæorum. *Ioseph lib. 17. antiq. cap. 6. & alibi.* Antipatri Herodis filij interitus. Herodis successor Archelaus. *Ioseph.* Cur ille dicitur regnare pro Herode patre suo. Quamdiu regnauerit infelix. *Iosephus.* Præsides Iudææ.

Ruff[illegible]s

Ruffus, sub quo obijt Augustus Cæsar: vt refert Ioseph.lib.18.c.3. post hunc à Tiberio missus est Valerius Gratus, in cuius locum post 11.annos Pilatus tandem suffectus est. Herodes autem, qui quintus erat filius, in Galilæa succesit Antipæ, cui illam priùs Augustus dederat: quanquam reliqui eruditi viri tradant, vnum & eundem esse Antipam & Herodē, siue Antipam cognomento Herodem. Sed anno decimoquinto Tiberij iam Pilatus erat in Iudæa, & Herodes in Galilæa, & Philippus in Iturça, in qua est Nazareth. Namque Augustus duas Tetrarchias dederat Archelao, id est, Iudæam, Samariam, & Idumæam, secundùm Iosephū, reliquas duas duobus eius fratribus. Nam Antipæ attribuerat Galilæam, cui succesit postea Herodes, & Ituræam Philippo. Regnabat autem in Iudæa Archelaus.

Idem.

Luc.3.

Herodis filijs hæreditates ab Augusto attributæ.

Ioseph. lib.17 antiq.cap 13. & lib.2. de bell.Iud.c.4.

Pro quo notandū est, Iudæam multipliciter accipi. Primò pro tota terra Iudçorū, id est, Israëlitarū omnium, qui sunt in duodecim tribubus, & sic accipitur illud: ***Notus in Iudaa Deus, in Israël magnum nomen eius:*** vbi Israël, & Iuda pro eodem ponuntur, sicut ibi: ***Facta est Iudaa sanctificatio eius, Israël potestas eius:*** verùm hoc modo non sumitur hoc loci, quoniam Archelaus non regnabat in vniuersa Iudæa, imò nec omnes Iudæi possidebant totam terram promisionis. Deinde sumitur Iudça pro sorte Iudæ tribus tantummodò, vt distincta est à Galilæa. Verū hac ratione non accipitur Iudça in Scripturis: & Archelaus non tantùm regnabat in tribu Iuda, sed etiam in tribu Beniamin. Tertio modo accipitur Iudæa pro tota terra, qua tunc potiebantur Iudæi: nam cùm antea vel Hebræi, vel Israëlitæ dicerentur, aut filij Israël, nō tamen alicuius tribus vocabantur ex nomine. Ex die aūt, qua redierunt de Babylone, appellati sunt Iudæi, vt ait Ioseph.lib.11. Antiq. Nam viri de tribu Iuda primi redierunt in terram Chanaan, quæ prouincia ab eis nomen accepit, vt dicatur Iudæa: continetque quantum olim continebat tota terra Israël, præter terram Samaritanorum, in eius ciuitates miserant Assyriorum Reges alias gentes, qui Samaritani dicti sunt, qui quidem habitabant in vrbibus regni Israël: cuius regni caput erat Samaria. Quando autem duæ tribus residuæ, scilicet Iudæ, & Beniamin, translatç sunt in Babylonem per Nabuchodonosor, manserunt Samaritani in terris, quas prius occupauerant. Porrò in terris tribuum Iudæ, ac Beniamin gentes nullæ collocatæ sunt per Nabuchodonosor, teste Iosep.& vt dicitur 2.Paralip.36. & 3.Esdr.1. ***Sabbatizauit terra septuaginta annis***, id est, requieuit à cultura.

Iudæa quot modis accipi consueuit.

Psalm.57.

Psalm.113.

II. acceptio sacris literis incognita.

III. acceptio.

Iudæi primū quād do sic appellati.

Ioseph cap.5 sub finem.

Idem lib.10. cap.11.

2.Paral.36.

3.Esdr.1.

Non enim permisit Deus illam occupari ab alijs, quoad de captiuitate Iudæi redituri erant, qui post reditum non solùm terram suarum recuperârunt tribuum, sed & alias quoq; vrbes multas quas possederāt tribus, quæ translatæ fuerant in Assyrios. Ex quo Iudæi tēpore Christi posidebant Galilæā prouinciam: nā habitauit Christus in Nazareth quç erat in Galilæa, in tribū Nephthali, & Zabulon. Samaritani enim, vel nō occupârāt omnes vrbes decem tribuum, quæ translatæ erant per Assyrios, vel saltem desierant eas posidere: paruam enim terram, seu ditionem ppsidebant Samaritani. Atq; ità Iudæa continet totam terram, quam tenebant Israëlitæ, præter illam Samaritanorum. Sic enim distinguitur Iudæa contra Samariam, sicque vsurpatur Iudæa Act.1. cùm dicitur: ***Eritis mihi testes in Hierusalem, et in omni Iudaa, & Samaria:*** atq; hac rōne non distinguitur Iudæa cōtra Galilçam, verùm includitur in ea. Et sic Herodes pater Archelai vocari poterat rex Iudææ, quoniam in vniuersa terra, in qua Iudæi erant, dominabatur. Quarto modo sumitur Iudæa pro media parte regni Iudæorū, cuius prçcipua pars erat sors Iudç, & pars aliqua sortis Beniamin: & sic Iudça contra Galilæam distinguitur. Etsi enim in Galilæa Iudæi habitarent, non vocabatur tamen Iudæa, ideò Ioseph noluit ire in Iudæam, in qua regnabat Archelaus, sed in partes Galilææ. Ita etiam c.4.Matth.accipit, cùm ait: ***Et secuta sunt eū turba multa de Galilaa, & Decapoli, & de Hierosolymis, & de Iudaa, &c.*** Et similiter capitur Luc.3. Iudæa tanquam vna Tetrarchia. Herodes siquidē Rex totius regni Iudæorum, moriens, instituit Archelaum in regē, ac totius regni hçredem & successorem: iubens tamen, nē coronā sibi, vt diximus, imponeret, sed illam per Romanos acciperet, teste Ioseph. Venit ergo Romam Archelaus hoc nomine. Fratres autem eius, Herodes & Philippus, eò se quoq; contulerunt, petentes partes paternæ hæreditatis. Itaque decreuit Octauianus Augustus distribuere regnū in quatuor partes, quas Tetrarchias nominauit: quarū duas tradidit Archelao, quæ hic dicuntur Iudæa: Galilæorum Tetrarchiā verò tradidit Herodi, Iturçæ porrò, atq; Trachonitidis regionem asignauit Philippo. Archelaus ergo medietatem paterni regni obtinuit, & nobiliori parte dicitur regnare in Iudæa; in quem modum Carolus V. vocabatur Rex Hispaniarum, tametsi haberet Flandriam, Siciliam, Neapolim, aliasq; prouincias.

Iudæi tempore Christi quàm terram possidebant.

Luc.4.

Act.1.

IV. acceptio Iudææ.

Matth.4.

Luc.3.

Iudææ Tetrarchiæ à quo primùm institutæ.

Timuit illò ire. Meritò timuit, vti angelus confirmauit. Nam Dei cōsilium est, in his, vbi

Fugienda pericula, quan-

um in nobis est.

vbi non præcipit contraria, via nos pruden ter periculis occurramus, & cùm oportet, timeamus etiam. Neq; mirum, quando ipse salus aliquando timuit. Existunt aút humani timores ab infirmitate carnis, & fragilitate, qui vel à constantissimis viris sæpè vitari nequeunt: sed non euertunt tamé robur spiritus, ac mentis. Et certè qui tradunt in viros sapientes ac fortes non cadere vllam perturbationem, Stoici sunt opinione, & phantasia: at qui vita, & factis ac moribus id præstet, nullus (opinor) erit. Prudenter ergo timuit Ioseph, ne quid temeritate sua in puerum, eiusq; matrem peccaret. Quare docemur, tametsi Deum habeamus, timendum tamen nobis esse eo ire, vbi regnant iniquitatis filij. Imò verò quia nobiscú est Deus, idcircò timendum est, nulla siquidé maior iactura, nullú damnum maius, quàm Christum perdere. Monentur etiam illi, quibus cura aliorum cómissa est, ne teneros agnos, dum tales sunt, deferant in eas regiones, vbi plurimú nequitia valet. Ergo Archelaus, licèt non quæsierit animam pueri, tamen si inuenisset, occideret: & probabilius erat in Galilæa non inuenturum fuisse, quòd ad suam ditionem minimè spectaret. *Illò ire*. Nempe in Iudæam, & Hierusalem, vbi templum, in quod fortassis venire cogitabat, vt Deo gratias ageret solennes: vel putabat puerum in Iudæa educãdum, sicut ibi natus erat. Et si antea non habitasset Ioseph in Bethleem, nec postea deinceps, sed causa census tantùm eo venerit, atque discesserit in Nazareth, vt habetur apud Lucã: poterat tamé, quia pauper erat artificio suo vbicunque vellet manere, & viuere. Vel timuit illò ire, propter trãsitum, eo quòd ab Aegypto in terrã Chanaan, (vt est in Exo.) itur per terram Philistinorum, quæ est in forte Iudę, vt habetur in eodem libro: ideò secessit, id est deflexit, siue declinauit à recto itinere in partes Galilææ. At hoc non videtur posse consistere: tum quia Angelus ostendit ei locum ad habitandum, deinde quoniã quouis anno veniebãt ad templum: & anno duodecimo cùm Christus ascendit Hierosolymã, & disputauit in templo, Archelaus regnabat. Non ergo in trãsitu erat, sed in mansione, & habitatione periculum.

Humani timores vnde.

Nulla maior iactura, quã Christum perdere.

Præpositis quid cauendum.

Matth. 2.
Luc. 2.

Ioseph cur timuerit venire in Iudæã.
Infra 4.

Altera solutio quorundam.
Exod. 3.
Infra 15.

Quid incommodi habeat

Luc. 2.

Et admonitus in somnis (scilicet diuino oraculo, quia Grecè habetur χρηματισθείς) *secessit in partes Galilaa*. Hoc tantùm ex litera colligitur, quòd limitauerit locum Angelus, nočtu admonens nos de Nazareth in Galilææ: semper enim aliquid nobis relinqtur, quo Deo cooperari possimus, vt vtamur rationis munere, ne data videatur frustra. Et licèt in Galilæa Herodes dominaretur.

Nos sibi vult cooperari Deus.

siue Antipas, Archelai frater: tamen quia nouerat fratres esse inter se discordes, cùm Archelaus institutus à patre esset hæres, & successor regni, ac totius terræ Israël; ideò verisimile est quod fauerit voluntati, ac factis patris. Solent namque filij, vt bonorum, ita & inimicitiarum paternarum hæredes existere. Herodes auté & Philippus haud quaquam dominabantur ex voluntate patris, quin potius contra ipsius & Archelai volútatem: ideò Philippus & Herodes non fauebant studijs paternis, vt propter eum vellét occidere puerum, qué ipse persequebatur: nec passus esset Herodes aliqué de Galilęis in Iudæã trahi, vt fratri suo Archelao satisfaceret, vel gratificaretur. Atq; hæc est vera causa, propter quam Ioseph nó est ausus ire in Iudæam: quoniã ibi regnabat Archelaus, & iuit in Galilæam, vbi ipse non dominabatur. Idcircò ob differentiam dominij ausus est redire nunc in terram Israël, & nó tempore Herodis eius patris, qui in vniuersa illa terra regnabat.

Archelaum potius in Iudæa, quàm eius fratres in Galilæa regnantes cur timuerit Ioseph.

Et veniens habitauit in ciuitate qua vocatur Nazareth. Ciuitas Nazareth sita est in sorte Nephthali, distatque septem leucis à mari Mediterraneo, duabus à móte Thabor Orientali sibi, tribus verò à ciuitate Naim. Neque mireris, Ioseph virum de tribu Iuda, deque progenie Dauid, habitasse in tribu Nephthali: quia ante captiuitatem Babylonicam licebat habitare extra suam sortem: sicut Leuita, qui manebat in Bethleé, venit ad habitãdum in domo Michæ, vt habes in lib. Iudic. Neq; tantùm Leuitis hoc licebat, qui carebãt prædijs, verùm etiam laicis, qui acceperãt possessiones determinatas, ac certas. Nam legimus in libro Iudicum, senem quendam de tribu Ephraim, tanquam peregrinum habitasse in Gabaa, quæ erat in tribu Beniamin. Non erat autem licitum habere perpetuas possessiones; ne confunderentur. Post captiuitatem Babylonicam autem etiam perpetuò possessiones tenere fas erat, quia redeuntes, erant de Beniamin, & Iuda; & tamen possidebant prædia in tribu Zabulon, & Nephthali. Tutus auté Christus erat in Galilæa, quia non sperabatur ex illa oriundus. Ex quo quidam dixit: *Scrutare Scripturas, & vide quia à Galilaa Propheta non surgit*.

Nazareth vbi sita.

Quomodo Ioseph vir de tribu Iuda, deque Dauid familia, habitare potuerit in tribu Nephthali.
Iud. 17.
Quando & quibus olim Iudæis extra suam sortem habitare permissum.
Infra 19.

Cur secessit in Galilæã Christus.
Ioan. 7.

Vt adimpleretur quod dictum est per Prophetas, Quoniam Nazaraus vocabitur. Illud, *Vt*, in primis consecutionem, nòn causam significat. Intellige auté impleri prophetiam à Deo: quia enim prophetia prænuntiatio est, non præceptum, etiam scientem nequaquam obligat. Alioqui Iudæi debuissent Christum occidere, quoniã hoc erat de illis

A quo impletur prophetia.

prædi-

prędictum. Debuissent deinde sibi ipsis pęnas infligere: nam & hoc in diuinis oraculis continetur. Nesciret prӕterea quis modum & tempus implendi quӕ prӕdicta sunt, licèt per se implenda nō ignoraret. Ideò fortasis in tempore & modo erraret implendi. Dimittendum ergo, vt prӕnuntians impleat quӕ prӕdixit: quia non iubet, vt nos ipsos ingeramus in implendis ijs, quӕ propter ipsum sunt adimplenda. Quamobrem etsi Ioseph venisset in Iudӕam, atque ibi habitasset, Deus tamē inuenisset iustam occasionem vt Nazarӕus vocaretur. *Per Prophetas*, Lyranus legit in singulari per Prophetam, & referendum esse censet ad verba Isaiӕ cap. 11. Sed cùm omnes Grӕci, & Latini codices in plurali legant, per Prophetas. non videtur solida expositio. Quanquàm reuera codex Syriaci Euangelij, qui creditur à quibusdam esse genuinus, & proprius Matthӕi, in singulari habeat, per Prophetam. Osiander homo hӕreticus tradit hoc loco, per Prophetas, non esse intelligendos eos, qui vaticinia de Messia literis consignata reliquerunt, sed illos, qui interna Spiritus sancti vnctione literas Propheticas & ipsi intelligunt, & postea alijs enarrare, & interpretari solent, quales prisca ętas vocabat filios Prophetarum, & Paulus simpliciter Prophetas appellat: de quibus ad Corin. *Si quis*, inquit, *videtur Propheta esse, aut spiritualis, cognoscat quӕ scribo vobis, quia Domini sunt mandata.* Et ponderat ob id dictum ab Euangelista: *Vt adimpleretur quod dictum est*, nō autem quod scriptum est: quia isti Prophetӕ ex verbis Isaiӕ colligebant Christū habitaturum in Nazareth, atque ab ea vocandum Nazarenum. Sed in hunc sensum est primò, quòd quoties Matthӕus aliàs citare solet Prophetarum scripta, solet illis verbis vti: *Vt adimpleretur quod dictum est.* Secundò facit, quòd si ab eiusmodi Prophetis palàm esset dictum, & ex Scripturis demonstratum Christum Nazarenum vocādum è ciuitate Nazareth, quomodo Scribę & Pharisӕi dixerunt ministris missis ad capiendū Iesum: *Nunquid à Galilӕa venit Christus?* & quomodo laudatus ille, & doctus Nathanael dixisset: *A Nazareth potest aliquid boni esse?* Non potest igitur hic sensus locum habere. Tertiò alij putant, non vnum aliquem citari, quia omnes testantur hoc vno ore: tametsi negent quidam in veteribus hӕc Scripturis reperiri, sed in Prophetis, quos non habemus, vt Origenes, Chrysostomus, & Theophylactus in Matthӕum tradunt. Sed si ex talibus propheticis libris citasset, fuissent sanè primoribus Iudӕorū, & Scribis, & Pharisęis illi libri notissimi. Et tamen Senatus Iudӕorum obiecit Nicodemo: *Scrutare Scripturas, & vide quia à Galilӕa Propheta non surget*: quod profectò non dixissent, si hoc testimonium legissent, aut cō pertum, & notum illis fuisset. Plenior ergo atq; certior videtur sententia Hieronymi, qui ex illis locis, vbi flos vocatur, deducit hoc. Dicitur enim apud Isai. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos* (siue Nazarenus) *de radice eius ascendet.* Et in Cantic. *Ego flos campi, & lilium cōuallium.* Quam ad significationem proximè accedunt loci Prophetarum, qui illum germen vocant: vt Isai. 4. Hier. 23. & 33. ac Zach. 3. ac 6. Malach. 4. vbi semper Chaldӕus Paraphrastes habet loco illius verbi Hebrӕi צמח Messiam. L x x. Interpretes in postremis verbis Hieremiӕ, & Malachiӕ vertunt ἀνατολὴν, & Hierony. Orientem in Malachia, germen verò in Hiere. & Isa. 53. dicitur: *Et egredietur sicut virgultū de terra sitienti.* Pro verbis autem illis: *Egredietur virga, &c.* Chaldӕus Paraphrastes habet: *Et egredietur Rex de filijs Isai, & Christus de filijs filiorum eius crescet* Aptè verò dicitur Christus germen, vel flos, vel tenera planta, quòd sine corruptione de Virgine sit genitus, vt germē, & flos de terra oritur: quod prӕterea nulla peccati vetustate infectus, omni virtute viruerit, & floruerit, suauitatem odoris sui longè ac latè spargens. Et in nomine virgę agnouit Chaldęus Paraphrastes eius Regiam dignitatem, & pleriq; etiam ex Patribus. Et in hoc testimonio sicut designatur Messias in Bethleem nasciturus, ita rectè significatur in Nazareth educādus cùm Nethser appelletur, quam vocem Hieron. vertit, florem; Aquila, Symmachus, & Theodotion, germen. Atq; hęc verba: *Quoniam Nazarӕus vocabitur*, Euangelistӕ sunt, non alicuius Prophetarum. Dixerunt tamē eius florē, eo quod esset habitaturus in Nazareth. Si hoc: *Nazarӕus vocabitur*, ad contemptum pertinet, quòd scilicet non esset habendus è familia Regis, iuxta illud: *A Nazareth potest aliquid boni esse?* & illud: *Scrutare Scripturas, & vide quia à Galilӕa Propheta non surgit*, potest non incongruè exponi: Quoniam Prophetӕ etiam despicabilem futurū eum prӕdixerunt, nempe propter peccata populi. Et benè Iesus ita latuit, ne de familia Dauidis à principio agnosceretur. Sic enim & Herodes, & Romani aduersus eum irritati fuissent, &, quod plus ad rem facit, plebs ad arma concurrisset, velut legitimū Regem nacta, paucis omninò miraculis visus, & Rex Iesus appellatus. Hac ergo ciuitatis, & prouinciӕ appellatione dum Nazarӕus, ac Galilӕus habetur, nō est ab vllis ad arma festinatū: omnia prius visa sunt, quā cuius

Lyranus in Matth. Quomodo legendū sit, per Prophetas, an per Prophetam in singulari. I. Sensus.

Alter sensus Osiandri scilicet hominis hӕretici.

4. Reg. 4. *1. Cor. 14.*

Impugnatur dupliciter.

Ioan. 7.

Supra 1.

II. Sensus.

Origen. *Chrysost. hom. 9. in Matth.* *Tom. 2.* *Theophyl.*

Ioan. 7.

IV. Sensus cęteris probabilior. *B. Hieron. in Matt c. 2. to. 9 initio.* *Isai. 11.* *Cant. 2.*

Hieronym. in Malachiӕ 1. 4. tom. 6. pro pe finem. *Isai. 53.*

Christus quā aptè flos dicatur.

Virga Christi quid.

Luc. 2.

Hier. li. 4. in Isa c. 11. tom. 5. initio ferè, & in lib. de optimo gener. interpretandi.

Christū florem Prophetӕ cur vocēt, *Ioan. 1.* *Infra 7.* *Isai. 53.*

Quonā Christi consilio sit factum, ne statim ab initio Dauidis filius haberetur.

cuius esset familiæ, sciretur. Nō igitur mirū si Prophetę eum Nazaræū appellandū prædixerint: verū obscurè adeò, ne Prophetarū iudicio quod prima appellatiōe celabatur. agnosceretur ac proderetur. Atq; ita cū germen eū, ac florē appellant, id quod Nazaręus significat, dicūt, & nomen ipsius tegunt: suo aūt tempore ex descriptiōe orbis, quę à Luca narratur, patria eius probabitur.

Nazaræus quid sonet.

Luc. 2.

Hoc diligēter animaduertendū est, quod Nazarenus si scribatur per literā Zade צ, descēdit à Nazareth, & florē significat, siue floridū, siue virgultū, siue germinantē, siue custodē vel custoditū.

Dupliciter scribitur hoc verbum.

Erat enim Christus homo custoditus à deitate, & custos hominum, siue Nozer, vt Hebręa vox habet apud Iob: *Quid faciam*, inquit, *tibi, ô custos hominum?* & Dauid: *Nō dormitabit, neq; dormiet qui custodit Israel?*

Iob 7.
Psalm. 120.

Pręterea vox illa, vastantē, seu deuastatorē designat, iuxta illud Isa. *Voca nomen eius, accelera spolia detrahere, festina prædari.* Habes ergo vbi Christus in Scripturis appellatur custos, vel deuastator, vel flos.

Nazaræus rursus quid.
Isa. 8.
Christus Nazaręus in quibus adumbratus.

Si verò scribatur per Zaim ז, significat consecratū, siue religiosum, siue coronatū, siue sanctificatū: atq; ita Christus figurat⁹ est in Samsone filio Manue Nazaræo ab vtero matris suę, vt narratur in li. Iud. & Iacob moriens, inquit: *Fiāt in capite Ioseph, & in vertice Nazaræi inter fratres suos.* Quia vt ille post carcerē factus est princeps Aegypti, ita Christus post mortē mundi Princeps. Vnde inquit; *Data est mihi potestas in cœlo & in terra.* Hinc lex Nazarenorū præscribitur. Hæc nimirū bonū est nō ignorare propter irrisiones Rabbinorū hęreticorūq; nostri seculi.

Iudic. 13.
Gen. 49.
Supra 41. & seq.
Math. vlt.
Num. 6.

Et reuera Christus Nazaren⁹ dicitur in primo significatu: vnde ipse flos odoriferus est totius sāctitatis. Quanquā negari neq; possit, neq; debeat Christū, Sanctum à Prophetis vocari: nā Sanctus sanctorum appellatur à Daniele, & Sanctū substantiuè dictus est ab Angelo, & princeps omniū Nazarçorū, scilicet eorum qui Deo sanctificātur & consecrātur.

Christus flos est totius sanctitatis.

Dan. 9.
Luc. 1.

Enimuerò hęc significatio haud cōgruit voci Nazareni, vt deducitur à Nazareth ciuitate, quę scribitur per Zade, nō per Zaim, vt dictum est, & vt cōstat ex titulo crucis Romę asseruato, & ex Euang Syriaco, & ex veterū Hebręorum cōment. ac proinde priores significationes pręferendæ sunt, quæ Prophetarū testimonijs confirmatur.

Vera scriptio vocis Nazaræi magis cōueniat Messiæ.

Porrò occasio huiusce nominis fuit, quòd putabatur communiter natus in Nazareth, vt habes apud Ioannem, & ex Actibus, item ex Matthæo, & Marco. Dæmonesq; ita primò vocarūt; deinde turba, vt Matthæus idem testatur; postea mali, vt Pilatus, qui titulū scribi mādauit; posthęc Angeli, eodem teste Marco; postremò Apostoli, vnde Petrus dixit: *In nomine Iesu Christi Nazareni surge, & ambula.*

Huiusce nominis occasio qualis.

Ioan. 1. & 18. & 19.
Act. 2. & 3. & 10.
Math. 26.
Marc. 16.

Supra 1.
Infra 16.
Ibidem.
Act. 3.

Et certè Nazareth hoc loco, & Ioan. 1. & titulo crucis Romæ asseruato cum Zade scribitur: & sicut fuit vaticinium nasciturū in Bethleem, ita quod in vrbe Nazareth esset educandus: & magis quadrat dici à loco Nazarenum, quàm sanctū: & viri quidam eruditi eandē esse putāt Nazareth cum Hasor, vel Enhasor cum Zade, quia hæc in tribu Nephtalim sita est. Idem est autē, Nazarçus & Nazarenus, si cum Zade scribitur: sicut Latinè florēs, ac floridus, sicut & Nazaræus & Nazarenus cum Zaim idem sunt, si recipiantur pro sanctificato. Et Græcè aliter scribitur Nazarçus, cùm Christo tribuitur, & illis legalibus Nazaræis: nam hi per α in medio dicuntur ναζαραῖος, vt dicitur Thre. 4. cùm verò de Christo vt ciue Nazareth scribitur, per ω in medio ναζωραῖος, vt hic habetur, & Ioan. 19. Marcus etiā Latina lingua scribens Romę Euangelium, dixit imitatus Latinos, Ἰησοῦν Ναζαρηνόν.

Nazaræus, & Nazarenus quando vnū sint, & non diuersa.
Num. 6.
Thren. 4.
Ioan. 19.
Marc. 16.

At pulchrè equidē in Nazareth B. Virgo repræsentatur: siquidē illa custodita fuit singulari gratia, & priuilegio, & ab originali peccato præseruata, & à pudore cōceptus, & ab onere vētris, & à corruptione, & dolore partus, & à subiectiōe viri, & à multiplicatione cōceptuum, & demùm ab incineratione: quibus quidē omnibus miserijs omnes reliquæ fœminæ subiectæ sunt. Fuit etiam per virginitatem, atq; odorem virtutum suarū verè florida, quemadmodū per partum fuit fructifera: vt ex tanta matre rectè Christus nomē assumere potuerit Nazareni, etsi hoc nomē ludibrio, ac contemptui esset Apostatę Iuliano qui Christianos Galilæos, & Nazaræos per contemptū vocabat: quemadmodum Christum ob eandem rationem Galilęum, & fabrū sæpè solitus erat appellare. Dixit enim moribundus miser, Vicisti Galilæe, vicisti.

B. Virgo quā pulchrè in Nazareth sit repręsentata.
Gen. 3.

Christianos, Nazaræos, Christū, Galilæum & fabrum ex contemptu vocare solebat impius Apostata Iulianus.

Nos verò in nomine Iesu Christi gloriemur atq; odorē huius floris, qui Christus est, & mater eius, per fidē sentiamus, vt possimus dicere; Post te curremus in odorem vnguētorum tuorum. Huiusce quoq; floris pulchritudinem libenter spectemus, & cōtemplemur, vt & nos Nazareni efficiamur, hoc est, custoditi per singularem Dei gratiam, ne malignus nos tangat, omniquē custodia seruemus cor nostrum; vt in eo benè custodito, & virtutum odoriferarum floribus vestito, ornatoq; diligentissimè Christum Dominum tanquam in sua patria Nazareth existētem custodiamus; ne fortè nobis obijciatur illud: *Viuit Dominus, quoniam filij mortis estis vos, qui non custodistis Dominum vestrum Christum Domini*: quod dictum est seruis

Cant. 1.

Nazareni quomodo esse valeamus.
1. Ioan. 5.
Prou. 4.

1. Reg. 16.

Quos seruet atque custodiat Christus & quomodo

Saul negligenter ipsum custodientibus. Nam vt Rex à populo custoditur,& populum ipse tanquam custos communis seruat; in eundem modum Iesus eos, qui illū in se ipsis seruant,atque custodiunt per fidē tum per se,tum per Angelos diligenter custodit. Non enim dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israël. Oportet simul nos esse verè floridos, vt simus Christi bonus odor in omni loco,eius fidem,atq; doctrinam vita, & moribus nostris adornantes,quo nostro exemplo alios ad Deum adijciamus & pertrahamus;præstante Domino nostro Iesu Christo, cui cū Patre & Spiritu sancto tribuatur omnis honor, gloria, laus & potestas,& imperium in secula seculorum,Amen.

Psalm.120.

2.Cor.2.

TRACTATVS XLVI.

Luc.2.

In illa verba Luc. 2. *Puer autem crescebat, & confortabatur spiritu, plenus sapientia: & gratia Dei erat in illo. Et ibant parentes eius per omnes annos in Hierusalem, in die solenni Paschæ. Et cùm factus esset annorum duodecim, ascendentibus illis Hierosolymam secundùm consuetudinem diei festi,consummatisq; diebus, &c.*

Christi diuina indoles.

HActenus Euangelista Christi Domini nostri descripsit humilitatem vsq; ad fascias, vagitus, & cunas, imbecillamque corporis infantiam se deijcientis,ac deprimentis, & quomodo alienæ vocis testimonio prædicatus, atque commendatus extiterit. Cæterùm paullatim accrescens ætas augebat corporis modum,ac vires, in quo velut in domicilio relucebat indoles quædam suauissima, atq; amabilis, aliquid prę se ferens homine maius,vt iam dotibus suis redderetur admirabilis & manifestus. Nam hæc Christi pueri disputatio,qua tantùm sapientiæ lumen ostendit, & diuinitatis suæ magnitudinem ex parte declarauit, haud absimilis est pyropo lapidi, quem animal quoddam in fronte gestat, & noctu solet splendorem mirabilem emittere: sed dum venatores eius vitæ insidiantur vt capiant,tegit gemmam illam, & splendorem suum celat, & prauitate sua se à venantibus tuetur. Ita puer Iesus disputando exeruit thesauros suæ sapientiæ; sed protinus, ne caperetur, sua se paruitate & humilitate, qua parentibus subditus erat,occultauit, & euasit. Quòd si sacræ historiæ multa admiranda enarrant, quæ pueri in ipsa sua tenera pueritia egerunt; quid igitur putemus de ipso puerorum omnium purissimo

Christi pueri cum doctoribus in tēplo disputatio qualis meritò videri possit. Pyropus lapis vnde.

Luc.2.

Qualis puer Iesus extiterit.

Domino Iesu?Multa præclara dona habuit Ioannes Baptista puer, multa præclara Samuel,& Salomon puer ingeniosus: sed quāto maior Creator creatura, tanto maior est Christus Ioanne,& alijs.

1.Reg.2.& 3. Sap.8.

Puer ergo crescebat. Nempe in assumpta à nobis natura, quæ sola capax est augmenti: & more aliorum puerorum succrescebat; ne Hæretici occasionem errandi, vel somniandi maiorem haberent. Nam ignorātes quidam Dei sapientiam, suis cogitationib' ac figmentis permoti, opinati sunt, Christum nō accepisse verum corpus humanū, sed illud vel è cœlo attulisse,vel alia quauis via imaginarium, seu phantasticum habuisse. Perinde quasi ignominia fuisset, ac dedecus,à muliere mutuasse corpus,& cum eo prodijsse.Nec videbant stolidi, primùm se notam Deo inurere, vt qui aliquid creauerit, vel in creata natura instituerit vitiosū ac reprehensibile.Deinde hāc œconomiam descensus Filij Dei ad nos, futuram esse simulationem quandam à Dei maiestate, & veritate alienam, si homo videretur is,qui homo non esset. Adhæc,non aduertebant, oportuisse ipsam humanam naturam, non aliquid pro ea imaginarium, ac fictitium, Deo satisfacere,vt ad hoc restitueretur,cuius gratia facta erat.Crescebat ergo in aliorum hominum morem per ætatum gradus incremento corporis,vt veritas acceptæ humanæ naturæ declararetur. *Et cōfortabatur spiritu, & implebatur sapientia* (ita enim dicitur Græcè.) Hoc ad interiorem hominem spectat, quod scilicet per ætatis incrementa augebatur robur spiritus, & sapientia. Quod quidem non est cęterorum more hominum intelligendū, quibus id,quod nondum assecuti erant,accidit;sed nimirùm fiebat apparere pro corporis incremēto interioris hominis perfectionem, & robur spiritus, & sapientiam; & extendebat se ad ætatem spiritus, vt ignis ad plura ligna extendit sese,maiorq; se ipso fit,cùm idem sit nec nisi extensus vim exerat suam.Ea enim quæ non apparent, dicuntur non esse apud mundi sapientes. Alioqui perfectissimus fuit Iesus, omnium Theologorum sententia,in ipso acceptæ à nobis naturæ initio.Et si nihil vetet dicere, Christum verè profecisse in sapientia,& spiritu, quod attinet ad scientiam nō diuinam,& beatā,ac infusam, sed experimentalem quā vocant, vt quod alijs modis iam nouisset cognitione experientiæ apprehenderet:quod eum verum hominem fuisse indicat. Vnde Ambros. hoc loco fatetur, Iesum profecisse secundùm quod homo erat: *Secundùm carnem,* inquit, *vtique sapientia Dei implebatur, & gratia.* Et Theo-

Puer Iesus vt creuerit.

Contra eos, qui Christū aliunde,quā ex Virgine corpus suum accepisse dogmatizant.

Quare Christus corpore paulatim adolesceret aliorum hominum more.

Quomodo intelligendū sit quod Christus cōfirmabatur spiritu & implebatur sapientia. Simile.

De his quæ non apparēt, & quæ non existunt,idē est iudicium apud mundi sapientes.

Ambros.lib.2. in Luc. ca.21. tom.5. initio ferè.

Theoph. apud Thom. tom. 10

Christus sciẽtiam acquisitam habuit, siue quam Theologi vocant experimentalem.

Theophyl. vt citatur in Catena Aurea: *Sicut Verbum in carne passum fatemur, quamuis sola caro fuit passa, quia caro Verbi erat quæ patiebatur: ita proficere dicitur ex eo quòd humanitas proficiebat in ipso.* Et hæc mihi dicta sint in Magistrum sententiarum, qui illam scientiam acquisitam in Christo non videtur agnoscere. Vt enim cùm eius sacrosanctū in Virginis vtero formandum fuit corpus, non fuit expectatus ille dierum numerus, qui in aliorum generatione requiritur, vt semen aptetur ad figuram corporis, ac demùm in illud infundatur anima, sed eodẽ momento & maternum semen adhibitum, & humanum corpus anima humana prçditum fuit, & factus est vnus Deus, & vnus homo Iesus Christus, & mox omnes sapientiæ & scientiæ Dei thesauri in eo habitauerunt: verùm sicut ex vtero matris prodiit haud repentè voluit corpus suum in virũ perfectũ euadere, tametsi fuerit de eo prophetatum: *Fœmina circumdabit virum:* quod potius de perfectione interiori, quàm de corporis mole Propheta sensit: sic noluit etiam repentè declarare illos thesauros sapientiæ, & scientiæ, ne quid mõstrosum videretur velle introducere, verùm expectabat, vt pro ætatum gradibus (id quod etiam in alijs hominibus vsu venit) interioris animi diuitiæ apparerent, & facultates, & nouum habitum sapientiæ experientia acquisitæ compararet. Quod sanè exemplo nobis esse debet, vt ne quis supra ætatem quicquam audeat: quod exemplum si obseruaremus, nequaquam essent in Ecclesia Dei monstrosi illi abusus, quos quotidie cernimus, vt pueris Abbatiæ, pinguia sacerdotia, Episcopatus, ac supremi in Ecclesia gradus dentur, quibus vix digni sunt ij, qui per omnes ætates ad senectam vsque in summa & sanctitate, & doctrina vitam traduxerunt. Plenus etiam sapientia, qua nos impleret: alioqui ipse non plenus sapientia, sed ipsa est sapientia. ¶ *Et gratia Dei erat in illo.* Non enim erat obnoxius vitijs ijs, quibus solet laborare illa ætas, vt ineptia, lasciuia, inconstantia, mendacio, leuitate, sed cœlestis quædam inerat illi sapientia, & gratia spirans modestiam, castimoniam, suauitatem, pietatem, & singularis Dei fauor apparebat in eius facie, dictis, & factis, vt se amabilem, & gratiosum omnibus redderet ob tantam indolem. *Et gratia Dei,* inquit, *erat in illo.* Veluti in fundamento, vt quisquis futurus esset gratiosus apud Deũ, propter illum hoc haberet.

Conceptionis Christi priuilegium singulare.

Coloß. 3.

Hierem. 31.

Ne quis supra ætatem quicquã audeat Christi exemplum docet.

Ecclesiæ maximi abusus vnde.

Qualis Christi pueritia.

Quomodo gratia Dei erat in Christo

Et ibãt parentes eius per omnes annos in Hierusalem in die Paschæ. Hoc ait ob historiam, quam mox est narraturus. Maribus tantùm præceptum fuerat Exod. 23. vt quotannis ter ascenderẽt in Hierusalem festa celebraturi Paschæ, Pentecostes, & Tabernaculorum, vt populus legem Dei certius disceret, & memor esset beneficiorum à Deo acceptorum. Dispensabatur tamẽ cum ijs qui remotiores erant ab Hierosolymis de festis Pentecostes, ac Tabernaculorũ. Parentes Iesu tamẽ quotannis profecti sunt ad festum Paschæ, & fortassis etiam ad alia duo festa, licèt hic tãtùm Paschæ fiat mentio ob sequentem historiã, etsi non parũ Nazareth distaret ab Hierusalem. Quod nostrã planè arguit in fide negligentiam. Nam illi nulla asperitate viarum prohibentur venire vel è longinquo: & tamen multi Christiani reperiuntur, qui ne semel quidem in anno tẽpli sui ingrediuntur limina, imò ingredientes derident, & calumniantur: & ita maiori studio frequentantur œnopolia, popinæque, ne dicam lupanaria, quàm templa, & Martyrum basilicæ. Quanquam ad festa illa seruanda lege non tenerentur infantes; cùm illa ætas sensu careat ad ea mysteria, & beneficia Dei capienda; cum tamen pueri incipiunt esse grandiores, haud sunt negligendi, sed in templum deducẽdi ad sacra, & verbum Dei audiendum, vt simul cum ætate pietatem imbibant: quoniam Bonum est viro, cùm portauerit iugum Domini ab adolescentia sua: & sequetur illud quod ait Salomon: *Erudi filium tuum, & refrigerabit te, & dabit delicias animæ tuæ.*

Quibus lege præciperetur ter in anno Hierusalem ascendere.

Exod. 23. & alibi.

Christianorum notatur in cultu diuino negligentia.

Ea lex ascensus in Hierusalem ad festa recolẽda, quos minime obligaret

Thren. 3.

Prou. 29.

Collige hinc contra Hæreticos, qui templa Dei destruunt, & cultum pernegant certis in locis impendi Deo. Nam etsi Ioan. 4. Christus dixerit: *Venit hora, quando neque in mõte hoc, neq; in Hierosolymis adorabitis patrẽ:* exclusit solum illã loci constructionẽ, quia tantùm licebat in Hierusalem sacrificare, in figuram Christianç Ecclesiæ. At postquam venit Christus, & extra portam, teste Apostolo, passus est, suo sanguine consecrauit vniuersum orbem: ideò in qualibet parte potest orari, iuxta illud: *Volo viros orare in omni loco, leuantes puras manus.*

In dirutores templorum, sacrarumque Ecclesiæ cæremoniarum contẽptores hæreticos.

Ioan 4.

Olim tãtùm vbi licebat sacrificare.

Hebr. 13.

Diuini cult⁹ amplitudo in noua lege.

1. Tim. 2.

Et cùm factus esset (siue, vt Græcè habetur, *natus*) *annos duodecim.* Christus in primis est Iesus, siue Saluator omnium ætatum vt eas sanctificet: vt enim eius ad homines aduentus sanctificauit humanam naturam assumptam, & à diuinitate habitatam ob eius vtilitatem; ita etiam ætates eius, nostras ætates sanctificàrunt. Nouũ faciet Dominus super terram, quòd çternitas, siue ille, cuius egressus à principio, à diebus æternitatis, mensuretur tempore, quod solùm est mensura rerum quæ corrumpuntur, quæ multç eius creaturæ non mensurantur, vt cœli &

Quòd omnes hominis ætates, Christi ætates sanctificauerunt.

Hierem. 31.

Michæ. 5.

Angeli: & ob amorem tuum, vt digneris transcendere tempus, & cótemnere omnia temporalia & fluxa, quo particeps fias æternitatis in Christo cogitans & amans ęterna. Prima autem ętas Infantia est, ad 7. annum perueniens: in qua imperfecta sunt & ratio & corpus, ita vt fari nesciat. Secunda Pueritia, dicta à puritate peccati, præsertim lasciuiæ carnis: & hæc à 7. anno inchoatur, & in 14. terminatur: in qua ratio imperfectè est iam disposita, non tamen corpus. Tertia est Adolescentia, à 14. ad 21. in qua tum ratio, tum corpus sunt disposita, sed non perfectè, quia in vtroque adolescit. Quarta est Iuuentus, à 21. ad 28. vel secundùm alios, ad 30. in qua vtrumque est dispositum, ac completum, etiam ad iuuandum alios, vnde dicta est iuuentus. Quinta est Virilis ætas, à 31. vsque ad 50. in qua vtrumq; completum est & idoneum ad per se agendum: & in hac Christus operatus est nobis salutẽ in medio terræ. Sexta est Senectus, à 50. ad 70. in qua corpus decrescit, & declinat. Septimum est senium, vel grauitas, in qua vtrumque decrescit ac minuitur vsque ad mortem ob frigus, & corporis corruptionem. Annos autem vitæ nostræ accipimus à Dauide, qui in Psalm. 89. ait: *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni* (quos etiam Dauid ipse vixit, triginta enim annis vixit vt priuatus, quadraginta verò regnauit) *si autem in potentatibus, octoginta anni: et amplius eorum, labor & dolor.* Non me præterit, beatum Ambrosium secutum sententiam Solonis in epist. 82. ad Horontianum, annos vitæ humanæ diuisisse in decem ætates, cuilibet tribuendo septem annos, nempe in infantiam, pueritiam, adolescentiam, iuuentutem, ætatem virilem, maturitatem, perfectionem, senectutem, senium, & decrepitam denique ætatem. Sed non est hic locus de istis latius disserendi. Christus ergo erat in secunda ætate, quod attinet ad corpus: quoniam ratio in eo erat perfectissima, iuxta illud: *Mulier circumdabit virum*. Et Christus voluit manè operari, siue prima hora, id est, in natali suo, trahendo Angelos ad se pastores, & Magos, & fugiendo in Aegyptum. Deinde hora tertia, siue in pueritia, quando se disputando detexit, parentibusque obsequentem ac morigerum se præstitit. Et hora sexta, in iuuentute & virili ætate prædicando, miracula edendo, vitamque charissimam pro nobis eo tempore impendendo, vt maximus in omni ætate visus atque cognitus, omnes ad se traheret, in quo tractorum salus, & virtus Dei per Christum trahentis, & charitas eius erga nos sanctificandos apparuit. Quanquã

> *Marginalia (left):* Hominis ætates describuntur. Infantia. Pueritia vnde dicta. / Adolescentia / Iuuentus. / Virilis ætas. / *Psalm.* 73. Senectus. / Grauis ætas, siue decrepita. / *Psalm.* 89. 1. *Reg.* 2. / *B. Ambr. to.* 3. B. Ambros. cum Solone, quot faciat hominis ætates. / Hora prima, tertia, & sexta, in quibus voluit Christus operari, quęnam sint. *Hierem.* 31. *Luc.* 2. *Matth.* 2. *Ibidem. Luc.* 2. / A quibus senibus voluerit Christus manifestari. *Ibidem.*

autẽ senex non fuerit, voluit tamen à senioribus detegi ac prædicari, seu benedici: vt à Simeone, & ab Anna Prophetissa. Ante annum 12. noluit operari, ne phantasma putaretur, aut monstro simile videretur: & ne malum exemplũ daret liberè ante tempus agendi, & prædicandi, conscendendiq; cathedras, & gradus Ecclesiæ supremos ante ætatem occupandi. Nam vt passer, qui nondum editis pennis extra nidum volare tentat, facilè cadit, & ad mortẽ rapitur: & Phaeton inexpertus (vt fingitur à Poetis) Solis equos & currum gubernare volẽs, miserabili casu prolapsus est atque extinctus: ita omnes illi quotquot ad Ecclesiam Dei administrandã assumũtur, vel ante mores integros, atq; inculpatos, vel ante sapientiã & doctrinam functioni suæ necessariã & idoneam, etiamsi alioqui ętas adsit, vel etiamsi docti sint atq; vita conspicui, ante debitam tamen ætatem & iustã, si gradus affectant altiores, profectò mihi Phaetontes sunt, se ipsos vnà cũ illis quos assumunt regendos, præcipitãtes: vel ceu passerculi, qui ante ortas pennas volitare pertentant suis fidentes viribus: neophyti etiam sunt, & testimonio Apostoli, indigni, qui ad alta Ecclesiæ subsellia subuehantur, ne in superbiã elati in iudicium incidãt diaboli, id est, in eandẽ cum diabolo condemnationem, in quam ille ex arrogantia incidit, vt exponit Oecum.

Ascendentibus illis Hierosolymam, secundùm consuetudinem diei festi. Intellige parentes eius Mariam & Ioseph (à quibus non diuellebatur puer Iesus) & hoc secundùm consuetudinem: nam cõsueuerant per singulos annos eo ascendere ad celebrandũ Pascha. Virtus verò boni operis, & dulcedo ex frequẽtatis actibus perspicitur. habere autem meditandi, orandi, ieiunandi, eleẽmosynamque dandi habitum, excellentissimum est, & meritum non solum non imminuit, verumetiam auget: nã quantum discrimen est inter fructus acerbos & maturos, tãtundem est inter opera bona sine habitu, & eadem cum habitu perfecta: vnde vel Philosophi lumine naturali agnouerunt virtutes nihil aliud esse, quam habitum quẽdam ad promptè & cũ delectatione operandũ. Consuetudo etiam nõ præcepta, vim obtinet legis, quia lex est scripta in mente, & morib9 probata, & plus potest lex viua quã mortua in charta præscripta. *Consummatisq; diebus.* Azymorum, qui septem erant: debentque festa integrè, non ex parte tantùm celebrari, & coli: & ex templo non est in domum reuertendum, nisi prius ministerio sacrorum officiorum, vel verbi diuini quod promitur finis imponatur. *Remansit*

> *Marginalia (right):* Quare Christus vsque ad annum 12. operari noluerit. / Inepti & indigni ad Ecclesiasticos gradus, & dignitates promoti, quibus similes meritò censeantur. / Illi quales Apostolo, in iudicium quale incidant diaboli. 1. *Tim.* 3. *Ibidem. Oecum.* / Parentum Iesu consuetudo pia. / *Exod.* 23. *& alijs in locis.* / Bonæ actionis assiduitas quàm vtilis, & salutaris. / Philosophorum de virtutibus iudiciũ. / Consuetudo cur obtinet vim legis. vt dicitur. / Dies festi quomodo celebrandi sint à nobis.

Puer Iesus cur remanserit in Hierusalem. / Isai. 9. / Luc. 2. / Matth. 2. / Luc. 2. / ibidem. / Matth. 2. / Ibidem.

puer Iesus in Hierusalem. Puer Græcè dicitur παιδίον, id est, puerulus: & fortè alludit Lucas ad Isaiæ ca. 15. *Paruulus natus est nobis*: vbi non verterunt παιδίον. Redeuntibus parentibus è Hierusalem, nec videntibus prę turba: & quia grandiusculus voluit manere sub communi cura ætatis sibi similis: vt infans fuit sub ea quæ exhibetur infantibus: vnde cum matre inuentus est à pastoribus, à Magis, à Simeone, & Anna, & in fuga Aegypti, atque reditu. Non viderunt ergo eum præ multitudine, neq; adstringebantur ad eam curam iam grādioris pueri. Ideò nemo debet beatam Virginem socordiæ, aut negligentiæ accusare. Primùm enim notat illum officiosissimum, atq; obsequētissimum parētibus, vt nunquam ab eorum latere, præter ipsorum voluntatem, discesserit: quare ne somniare quidē poterāt, vt, fore ipsis reuertētibus ipse in Hierusalem permaneret.

Nulla vel minima Virginis matris negligentia puerum Iesum in Hierusalē remansisse. / I. Ratio.

II. Ratio.

Deinde quę tanta adhiberi custodia poterat in eo obseruando, si inobseruatus ipse esse voluisset? erat enim Deus omnipotēs; & multis modis poterat efficere, vt nullum prorsus studium, nullaque obseruandi satis esset industria, quo minus ipsis nescientibus remaneret in Hierusalem: etsi vna res erat ad id efficiendum idonea. Nam credibile est, vicinos & cognatos summa charitate affectos in puerum Iesum, quem tametsi Christum non agnoscerent (id enim ad 30. circiter annum vsq; non fuit promulgatum) eius tamen mores omni ex parte absoluti, atq; perfecti, & dignitas oris ac vultus, atq; suauitas pueritiæ prouocabant omnes eo vt frui optarent: quare mater sinebat eū cum illis interdum versari, ne nimiæ zelotypiæ argueretur. Atque hinc quidem factum est, vt facilè è manibus elaberetur, neq; eius in Hierusalem potuerit à parentibus agnosci remansio.

Quando primùm Iesus agnitus fuerit Christus.

Quæ res puerum Iesum summè omnibus charū & amabilem redderent.

B. Virginem filium amittendo grauiter deliquisse tradunt Centuriatores.

In dubium vocant Magdeburgenses Cent. 1. libro 1. an parentes Iesu in eius sibi crediti custodia per negligentiam deliquerint. Et respondent: Solet hic de peccato Mariæ dubitari ob amisionem filij Messiæ, facta collatione ad peccatum Heuæ, quæ salutem hominum initio peruertit, & amisit: exaggeratur factum Mariæ: quia circa maius obiectum versatur, nempe mūdi Saluatorem. Sed cùm ea res alterius fori sit, & in commentarijs explicari talia soleant, contenti sumus in præsentia breui explicatione: quòd vtraque delicta, Heuæ & Mariæ, non sunt exigua. Heua sciens, & volens fecit contra mandatum Dei; Maria insciens, & cōtra voluntatem suam amittit filium: sed nihilominus grauiter peccat. Idē sentiunt Brentius homil. 19. in Lucam, Melanchthon & Lutherus in Postilla. Losius discipulus colligit ex hoc Mariæ peccato, in sanctissimis viris multa, & magna hærere peccata, & Mariam in extremos animi languores deductam esse, vt vereretur se huius peccati æternas pœnas iusto Deo daturam.

Gen. 3. / Brentius. / Melancht. / Lutherus.

Impia illorū sententia refellitur.

Prima ratio à Patribus. / August. li. de Nat. & Gratia, c. 36. to. 7. / Ambros. epist. 79. à med. li. 10. epist. to. 3. circa fin. / Theophyl. / Matth. 1.

Sed in hos omnes impios nugatores sententia Augustini militat: *Cùm de peccatis agitur, de sancta Virgine Maria propter honorē Domini nullam prorsus habere volo quæstionem.* Et Ambros. epist. ad Theophilum: *Claudat sua ora perfidia, obmutescat, ne matrem Domini aliquo audeat temerare conuitio.* Et Theophyl. hoc loco asserit: *Ioseph. & Maria quærentes puerum, de amisso eo minimè suspicabantur, quòd sapientissima (Maria) non congrueret ita suspicari, vt quæ plurimas de hoc puero acceperat reuelationes: sicut & Iosepho reuelatum erat ipsum esse ab Spiritu S. verùm quærebāt ab eo, quo pacto ab eis abijsset ne fortè illos reliquisset.* Hæc ille ferè. Nemo etiam ex Patribus aliquid immodestius, aut contemptius fecisse Mariā, aut dixisse quàm par erat, iudicauit. Deindequi sunt isti Doctores, qui hanc quæstionem ventilant, an scilicet deliquerit B. Virgo in amisione filij sui? Certè nullus est ex veteribus Catholicis Patribus, vel ex recentioribus, qui de tali dubitauerint quæstione: quia nunquā aliquis existimauit in Mariam culpam vllam vel leuissimā cadere potuisse (præseruante eam Spiritu sancto) nedum grauissimā, vt isti fingunt. Tertiò, quomodo insciens, & contra voluntatem amittēs filium, nihilominus grauiter peccauit? Nā qui non voluntate peccant, nequaquā peccant. Vnde August. Disputat. contra Fortunatum: *Ego dico peccatū non esse, si nō propria voluntate peccetur: & hoc arbitror omnibus apertum esse, atq; perspicuum.* Isti verò rem tam apertam, & planam, præ studio, & libidine contradicendi & maledicendi, non vident; quod satis indicat Euangelium, dum ait: *Existimantes autem illum esse in comitatu:* & ideò satis causæ erat nō inquirendi toto die illius itinere. Vnde eo verbo videtur Euangelista indicare eos omni culpa vacasse. Accedit, quòd si beata Virgo peccasset, de se potius, quàm de puero queri potuisset. Et amica prorsus fuit illa interrogatio: *Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Quartò impia est blasphemia, aut blasphema impietas, Mariam cum Heua cōferre. Illa enim seducta in pręuaricatione fuit, serpēti obediuit, Deo rebellis, ambiuit deorum scientiam, mortis inuentrix, & peccati admissi excusatrix; hæc verò fide insignis, inuentrix gratiæ, vitæ parens, Domini mater, & cōculcatrix capitis serpen-

II. Ratio. / III. Ratio. / B. Aug. circa me. disp. to. 6. & lib. 1. Retract. c. 16. to. 1. initio. / Confirmatio rationis. / IV. Ratio. / 1. Tim. 2. / Gen. 3.

Ibidem. Heuæ cum B. Virgine cōparatio qualis sit. *B. Bern. ho. 2. de B. Virgine, Ibidem.*

serpentis, benedicta mulier, sancta virgo. Non decet cōferre venenum cum antidoto, ancillā cum domina, noctem cum die, stultißimam cum sapientißima, superbißimam cum humillima. Ita enim docet nos Bernardus illas inter se conferre: *Redditur,* inquit, *fœmina pro fœmina, prudens pro fatua, humilis pro superba, quæ pro ligno mortis gustum sibi porrigat vitæ, & pro venenato cibo amaritudinis, dulcedinem pariat fructus æterni.*

V. Ratio à testimonio vel hæreticorū. *Zuinglius. Bullinger.*

Postremò Zuinglius, & Bullingerus in Lucæ secundum, prouidentia Dei factum esse, vt puer Iesus maneret Hierosolymis, tradunt, non pueri contumacia, aut vlla parentum negligentia. Et licèt Maria grauißimos senserit dolores hoc triduo; nō sunt tamen referendi ad vllum negligentię, quę fuerit in parentibus, peccatum, vt docet Terranigra. Maiores etiam fuerunt dolores Virginis, quos tulit in triduó paßionis Christi, quàm in hoc Christi amißi triduo: sed constat in cruce non desperasse, nec effœminatum aliquid, & contra decorum fecisse, sed stabat fide constans iuxta crucem: ergo nec hoc loco.

Contra Philippum Melanchthonē.

Ioan. 19. Quomodo B. Virgo ignorauerit, Iesū puerum remansisse in Hierusalem. *D. Dionys. Areop. c. 7. cæl. hierar. circa med.*

Existimantes autem illum esse in comitatu, &c. Existimabant vt rem factu haud difficilē; ideò non fuit error in Maria, sicut nec originale crimen, sed incogitantia, vel pura nescientia, vt sic loquar, quam etiam in Angelis ponit sacer Dionysius. In comitatu autem Nazarenorum, vel virorum, vel fęminarū, qui distincti omnes venire, & reuerti ob honestatem, & pietatem, ex consuetudine, traditioneq; soliti erant. Et viri tantùm ibant ex lege: Maria, & Iesus ex cōsuetudine. Et si Maria mater Dei, filium suum Christum Saluatorem & Doctorem, in quo sunt omnes thesauri sapiētiæ & sciētiæ absconditi, annos natum duodecim, in templum ducebat ad festum Paschæ: discant parentes Mariā imitari, & liberos suos ad basilicas deducere, vt illos Deo offerāt, & pro ipsis rogetur, benedicanturq; à Sacerdotibus, & videant quæ ibi etiam pro eis gerantur. Discāt & pueri imitari Iesum, sinentes se deduci à parentibus ad templa, vt doceantur adorare, & orare. Nunc verò magna est oscitantia, & socordia in pueris benè instituendis. Et illud in primis à parentibus peccatur, quòd ad pietatem filios suos non informant. Deinde, quòd ad luxum etiam, & turpiloquium permouent, atque alliciunt. Tertium, quòd increpiti defendunt scelus quibuscunque fucis possunt. Quartum, quòd benè monentes, ob sceleraque prædicta obiurgantes, odio penè Vatiniano persequuntur. Intueantur parentes in exemplum Abrahæ, de quo ait

Nazarenorū vel venientiū vel redeuntiū mos. *Exod. 23. & 34. & 2. Paralip. 8. Coloß. 2.* Parentes cū filijs quomodo se gerant exemplo Mariæ. Filij parentibus quid debeant exemplo Christi. Parentum in cura liberorū quatuor abusus grauißimi.

Gen. 18. Abrahæ veri patris familias exemplū.

Deus Genes. decimò octauo: *Scio quod præcepturus sit filijs suis, & domui suæ post se, vt custodiant viam Domini, & faciant iudicium, & iustitiam: vt adducat Dominus propter Abraham omnia quæ locutus est ad eum.* In quæ verba Chrysostomus scribit: *Magna hæc est virtutis augmentatio. Non enim tantùm mercedem accipit, quia ipse benè egit, sed & quia præcipit natis suis, largas retributiones accipit. Is enim qui principium præbet, ac initia, etiam eorum, quæ postea fiunt, autor est.* Origenes quoque lib. 1. in Iob: *Omnia, quæ deliquerint filij, de parentibus requiruntur, qui non erudierint, neque corripuerint filios suos. Huius euidens exemplum in Heli ostenditur, & in filijs eius, atque in alijs alibi. Hæc sciens gloriosus Dei famulus Iob, non solùm à manifestis peccatis obseruat filios suos, sed & ab occultis, ne mali aliquid in corde suo cogitarent.* Hæc ille.

B. Chrysost. hom. 42. ante finē, tom. 1. Duplex præmium Abrahæ apud Deum. *Origen. inter init. & med. lib. 1. in Iob, tom. 1. 1 Reg. 2. Iob 1.*

Et requirebant eum inter cognatos & notos. Ecce comitatus, de quo supra. Et vir Dei sequitur lumen rationis, quando non habet altius lumen: vt Magi amissa stella, puerum quærunt in Hierusalem. Voluit ergo Dei filius primò apparere in pueritia, vt omnes ad se traheret etiā illa ætate. Deinde, vt silentium Christi, & humilitas vsque ad Baptismum magis elucescat, dum non ex ignoratione, vel ex verbo de integro ad se facto eius illustris doctrina videatur prodisse, sed ab initio, tametsi in exemplū nostrum celata, & occultata, ne adolescentes ac neophyti arrogantiores sint, velut picæ, ac psittaci edocti, sine experientia, & gustu loquantur. Tum, vt discamus, dum vsus rationis, & liberi arbitrij excitari incipit, atq; acui, applicare nos ad diuina, eaque eligere, spreto carnalium amore parentum, quibus Pater spirituū est præferēdus, vt viuamus: vt habes ad Heb. 12. Oportet enim obedire Deo magis, quàm hominibus, vti Apostolorum princeps docuit Petrus: imò puer iste iam grandior monebit: *Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus.* Etsi enim multum parentibus debeamus, plus tamen debemus Deo, qui dedit etiam ipsos parentes nobis.

Matth. 2. Quare Christus in pueritia se primū manifestauerit. II. Ratio. III. Ratio. *Hebr. 12. Act. 5. Matth. 10.* Deo, quàm parentibus cur plus debeamus.

Porrò hęc ætas annorum est duodecim: quoniam Deus, qui vocat ad se, non decipit, cùm sit magni consilij Angelus. Ad tractandum autem cum hominibus, qui decipi, & decipere solēt, opus est annis quatuordecim in pueris (siquidem in puellis sat est annus duodecimus) ad hoc, vt validum testamentum sit, & ratum matrimoniū, contractus, profeßio, & alia negotia: in religione approbata (quę modò ætas ad profeßionem faciendā iustis de causis prorogata est per sanctā Synodum Tridentinā, quo dolis

Isai. 9. Ante 16. annum expletū pueri cur professionem facere non debeant.

& frau-

& fraudibus occurratur: nam tam in fœmina quã in mare exigit sexdecim annos expletos, Sess.25. in materia de Reformat. ca. 15.) quia opus est experiẽtia, ne decipiamur. Item, ne parentes carnis se velint æquare, vel præferre Christo vocanti ad se, vt sæpè facit. *Sinite*, Christus dixit, *paruulos venire ad me, & ne probibueritis eos, talium enim est regnum cælorum.* Pannus albus colorem quemuis faciliùs imbibit: tenera cera promptiùs accipit figuram sigilli in ea impressi: equus, dum pullus est, ingredi pro arbitrio sessoris facillimè potest, qui autẽ non capit Christi consilia, difficiliùs alijs illa suadet; sicut apostata nequaquam laudabit religionem, à qua defecit, ne vituperare videatur. Ideò parentes ne existiment filios, vel filias perditum iri per religionis ingressum, quoniã non secus quidam eos deplorant, atque insaniunt, quàm si publicè, & in loco infami pudicitiam prostituissent. Filij verò edocti Christi hoc exemplo, qui inscijs parẽtibus remansit in Hierusalem, caueant parentes in huiusmodi rebus consultare: quod enim consilium præstabit caro & sanguis? Ideò audi Hieronymum: *Licèt*, inquit, *paruulus ex collo pendeat nepos: licèt sparso crine, & scissis vestibus, vbera quibus te nutrierat, mater ostendat: licèt in limine pater iaceat, per calcatum perge patrem, siccis oculis ad vexillum Crucis euola. Solum pietatis genus est, & in hac re esse crudelem.* Et si curandum sit per eos, quoad eius fieri poterit, vt cum bona eorum venia & benedictione religionem adeant. Præsertim verò caueant parentes, ne vel ad religiosam vitam inuitos & reluctantes cogant filios, & filias, ne post aliquot annos, ementitis ac fictis de causis, cogant eos magno cum scandalo egredi ad matrimonia ineunda: vt nõ semel alicubi factum videmus. Neq; similiter ad connubia inuitos compellant filios, vel filias, quoniam eiusmodi talia ac tanta onera sunt, vt ad ea subeunda tolerandaq; propria quoque voluntas absq; omni violẽtiæ specie maximè debeat accedere. Quãquam humana vsque eò progressa malitia est, vt omnem legem per se sanctam, Reiq; publicæ conducibilem, soleat quandoque præuaricari. Sed satis est, legem commune bonum prospicere. Præterea, vt discamus ire ad festa, vel templa; sic tamen, vt Iesum in eis non perdamus: etsi fortè perdidimus, discamus recuperare, quomodo fecerunt Christi parentes. Ad hæc, vt intelligamus iuxta spiritũ sic accidere, vt præ cogitationum turba obruatur anima, quæ quasi filium iam sibi peperit Christum fide, & amittitur eius visio, dum puer est adhuc, & elongatur vnius diei spatio, eo quòd putatur Iesus esse in comitatu, id est in turbis, quæ reuertebantur ad propria, vacantes carni, & sanguini. Habebat interea ciuitas Hierusalẽ puerum Iesum filium Dei, & ignorabat. Ignoratæ autem rei nullus est vsus. *Medius vestrum*, ait Ioannes, *stetit quem vos nescitis*: at ea ignorantia carebat reprehensione, cũ reuelasset adhuc nemo, quis esset: at tunc reprehensi fuerunt, cùm dixit Dominus: *Nũc autem viderunt, & oderunt, & me, & Patrem meum.* Hoc idem nobis nunc accidit, qui in tãta oblata luce tenebris gaudemus; illumq; factis ipsis videmur ignorare.

Mansit ergo Iesus sine parentibus non ob aliquã inobsequentiam, quoniam semper fuit subditus illis: neque quod timeret impeditum iri à parẽtibus, quos sciebat esse sanctissimos: sed vt illi cum dolore quærendo mererentur; doceretque nos quærere Iesum, id est, salutem nostram: & ne desperemus, si perdidimus: atq; vt doceat nos assiduè visitare Dei templa, & carnis gloriã fugere; & præliari sine Heua, & viribus carnis. Estq; hæc prima quasi velitatio Christi agentis se in prælium, in præsagium eorum quæ iam vir grandior erat effecturus.

Et non inuenientes. Eum scilicet inter cognatos & notos, id est, carnis cognatione coniunctos. Ideò aiebat Paulus: *Etsi cognouimus secundùm carnem Christum, nunc tamen nõ amplius nouimus.* Atque hoc illum ipsum est, quod Iudæos etiam nunc impedit, quo minus hunc Iesum inueniãt. Cùm enim Messiam suum præstolentur suæ tantùm gentis liberatorẽ, Iesum verò hunc cernant à Gẽtibus coli & adorari, non putant hunc esse illum olim Iudæis promissum Christum, videnturq; adhuc illum quærere inter cognatos, inter notos: sed tamdiu dum eũ ita quærunt, non inuenient. Quærunt etiam inter cognatos & notos ex nostris illi, qui cùm aliquam exerãt beneficentiam in proximum quemque, vt beneficia ecclesiastica distribuunt, id contẽplatione cognationis potius, quàm affectu in Christũ faciunt, persuadentq; sibi (nihil enim facilius, quàm decipere se ipsum) se ob Christum eam conferre beneficentiam: verùm nõ inueniunt Iesum. Nam si Iesu gloriam quærerent, in eos in primis essent benefici, qui magis indigent: vel eos eligerẽt, qui essent ecclesiastico muneri magis idonei & appositi. Non inuenitur etiam Christus Iesus inter cognatos, quia inimici hominis, domestici eius: quoniam cognatio carnis vult opprimere cognationem spiritus. Ideò cùm Abraham, si sapis, egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui; & Propheta: *Audi*, inquit, *filia, & inclina aurem tuam, & obli-*

Marginalia (left): Conc. Trid. Ratio. — Marc. 10. — In teneris assuescere bonis moribus, quantum interest. — Filij religionem ingressuri quid à Christo puero discere debeant. — Hier. epist. 1. tom. 1. init. — Parentibus quæ maximè cauenda. — Festa, templaque adeuntibus quid cauendum exemplo Christi.

Marginalia (right): Ignorantia Christi quæ damnabilis. — Ioan. 1. — Infra 15. — Quare puer Iesus inscijs parentibus remanserit in Hierusalem. — Apud quos non inueniatur Christus. 2. Cor. 5. — Iudæi Iesum cur inueniãt nunquam. — Alterum genus hominũ Christum quærentium nec inuenientium. — Vt Christum inueniamus quid nobis facto opus sit. Mich. 7. Matth. 10. Gen. 12. Act. 7. Psalm. 44.

& obliuiscere populum tuum, & domum patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum. Nulla planta in loco vbi nascitur, producit nobilem fructum, sicut facit inserta in aliam arborem: ita & tu eradicare de terra tua, & inserere in Christū, & edes fructus præstantes, ac dulces. Non ergo repertus est Iesus inter cognatos, & notos: reuertantur parentes in Dei ciuitatem, atque in templū ingrediantur, & inuenient eum in ijs, quæ Patris sui sunt, occupatum. Neque enim parentes suos ille tam diuturno desiderio macerasset, aliorum vt cognatorum sequeretur comitatum, nisi quæ Patris erant sui, fuissent peragenda. Ergo inuenitur inter eos, qui diuina tractant, & meditantur, vt Doctores, cum eisq; versatur familiarisimè. *Post triduum.* Quærit B. Bernardus in homil. huius Euangelij, vbi fuerit puer Iesus per illos tres dies hospitatus? Certè non est à pietate alienum, illum, qui summam amplexatus est paupertatem, vt sua nos paupertate ditaret, pauperum aliquorū vsum fuisse hospitio, quibus cum etiam cibum emendicaret. Alij verò scribunt, Christum prima & secunda nocte mansisse apud Sacerdotes, qui cognoscebant matrem eius Mariam, & per tres illos dies continenter disseruisse.

Penes quos inueniatur Christus tantummodò.

B. Bernard.

Vbi Christus hoc triduo in Hierusalem fuerit hospitatus.

Inuenerunt illum in templo sedentem in medio Doctorum. Verisimile existit, Dominum Iesum, vel signo occulto tetigisse eorum corda ad reuerentiam sibi exhibendam: vt quādo eiecit vendentes & ementes de templo, excitauit ad timorem; vel sanè initio gratia in quærendo, & in respondendo sapientia eorum animos sibi cōciliārat, vt in medio datus sit sibi locus, quo commodiùs ab omnibus, & fructuosiùs audiretur. Non enim sine fructu cœpit Iesus disputare, vel verba disseminare. Et materiā de qua erat institutus sermo, verisimile est fuisse magni momenti, nempe (vt mihi plum est credere) de Messia, eius conditione, & natura, atque eiusdem aduentu, quem magnis rationibus Scripturarumque testimonijs imminere iam, atque instare, apertè probabat Dominus Iesus, ex sceptro inprimis ablato ante quadraginta annos; deinde ex hebdomadibus Danielis, Docuit præterea, cur Deus, diceretur potius Deus hominum, quàm Angelorum: quia factus est homo, & filius Abraham, qui filio suo propter Deum non pepercit, nec Pater filio. *Audientem illos, & interrogantem eos.* Id quod etiam fecit, cùm vir iam maturus interrogauit Pharisæos quid eis videretur de Christo, cuius esset filius? Qui cùm respondisset, Dauid, iterum intulit: *Quomodo ergo Dauid in spiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo, &c.* Ex quo colligitur, Christum duas habuisse naturas; & ita non offenderentur, cùm se hominem diceret filium Dei. Virtus est pueri, ex humilitate audire & discere. Non ait, docentem, quanquam ipse sit, qui docet hominē scientiam. Sit autem (ait Iacob frater Domini) omnis homo velox ad audiēdum, & tardus ad irā. Beneque interrogare, signum est scientis & intelligentis. Et Christus quidē Dominus priùs egit excellentem discipulum (siquidem audiebat, & interrogabat, iuxta illud: *Audi tacens, & pro reuerentia accedit tibi gratia bona.* Adde etiam quod respondebat: nā infra inquit, *Mirabantur omnes super prudentia, & responsis eius*) quàm egerit Doctorem, vel præceptorem: quamquā suum illud interrogare, docere esset. Dixit enim olim quidam, se multa à discipulis didicisse. Multa ergo ab hoc edoctos fuisse qui aderāt, verisimile videtur: quemadmodum Samaritana dixit: *Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia quacunque feci: nunquid ipse est Christus?* Ne dicerent illi, vt cæco nato: *In peccatis natus es totus, & tu doces nos?* Si ergo Christus sapientia Patris audit, interrogat, respondet tu ne fidas tuo intellectui, vel cogitationibus, sed audi, vt discas: in Ecclesia interroga quæ ignoras, vel de quibus dubitas, responde quod nouisti circa illud, de quo interrogaris. Cùm hæc ars quærendæ animarum salutis, & dignitate, & fructu cęteris longè antecellat, reliquæ autem vt perdiscantur, & tempore, & laborib⁹, sumptuque indigeant magno, quo pacto hanc omnium maximam sine labore, & sumptu nemo consectatur? Reliquæ autem humano ingenio, & industria repertæ artes, & q̄ nil amplius adferunt emolumēti, quàm vt temporariæ vitæ commodis inseruiant, licèt manu contrectari, & oculis peruideri queant: nequeunt tamen sine magistro, & institutore cōprehendi. Hanc verò, quæ & inuisa est, & occulta, quæque non oculis solùm, sed ne animo quidem nisi purissimo potest perspici, ineptum est credere, solam eam non egere doctore, & præceptore. Ad hæc, eius error, atque ignoratio nō temporarium dispendiū, nec quod facilè reparari possit, verùm animæ interitum, ac exitium parit sempiternum. Quæ ergo tanta vecordia est, in re tanti momenti homines suis fidere ingenijs, & aliorū doctrina non se tradere instituendos, quò rectè sentire, atque docere qui possit. Ex quo Hieron. ad Paulinum rectè ait: *Agricolæ, cæmentarij, fabri metallorum, lignorumq; cæsores, lanarij quoque & fullones, & cæteri qui variam supellectilem, & vilia opuscula fabricantur; absq; doctore esse non possunt*

Quomodo Christus sedeat in medio doctorū.

Ioan.2.
Matth.21.

Qua de re sermonē tūc illi Doctores haberent. Syluester de his disputasse ex B. Vincentio probabiliter existimat.

Gen.49.
Matth.2.

Hebr.2.
Gen.22.
Rom.8.

Puer sibi, viro quā similis Christus.

Matth.22.
Psalm.109.

Virtus est pueri, ex humilitate audire, & discere.

Psalm.93.
Iacob.1.
Prouerb.17.
Eccles.32.

Interrogare Christū, quale erat.

Ioan.4.
Infra 9.
1.Cor.1.

Ars salutis animarū quærendæ, quanto alijs artib⁹ & disciplinis sit dignior, & excellentior.

Huius artis ignoratio quā sit perniciosa.

Hieron. epist. 103 circ. med. to.3. in princ.

possunt quod cupiunt. Quod Medicorum est, promittunt Medici: tractat fabrilia fabri: sola Scripturarum ars est, quam sibi passim omnes vendicant. Scribimus indocti, doctiq; poëmata passim, hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc vniuersi præsumunt, lacerant, docent, antequam discant. Hæc ille.

Nota etiam, quòd priusquā definitè loquatur Iesus, interrogat; quia vbi nō est auditus, non est sermo effundendus. Interrogat, vt ex responsione ritè suscepta, regno Dei aptos, ineptosúe dijudicet respōdētes. Nota ergo, Christum inueniri in templo, quoniam extra Ecclesiam, videlicet corpus suum, & sponsam suam, haud inuenitur. Si Paulus, tātus Apostolus, cum Petro, & alijs Apostolis Ecclesiæ columnis contulit Euangeliū; quidni debebat Lutherus, vel Caluinus conferre? Doctores Ecclesię audiēdi, & interrogandi sunt, in re præsertim ad fidem, intelligentiáve sacræ Scripturæ pertinente, iuxta illud: *Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi: maiores tuos, & dicent tibi.* Et vbi sit eorum consensus in aliquo dogmate, non est vllo modo contradicendum: quoniam esset Spiritui sancto per eorū ora loquenti contradicere atq; repugnare.

Stupebant autem omnes, &c. Videntes effectum mirabilem sapientiæ, & ignorantes causam, scilicet Deitatem, & diuinam in eo sapientiam delitescentem, obstupebant: & qui non stupent, nō audiunt, id est, non intelligunt Euangelium: & quando aspiciebant ad dicta Christi, admirabantur, cōuincebanturq; ab Spiritu sancto: quando verò mundi spiritu docti respiciebant ad ea quæ extrinsecus adueniunt, vt, genus ac ętatem, dicebant: *Nonne hic est fabri filius?* & quam habet admirationem, obstupescere illos ad puerum Iesum disputantem, quando in virum effectum citra admirationem audire nequiuerunt? Hinc Marc. 6. *Cœpit* (Iesus) *in Synagoga docere: & multi audientes, admirabantur in doctrina eius, dicentes: Vnde huic hæc omnia? & quæ est sapientia quæ data est illi, & virtutes tales, quæ per manus eius efficiuntur? Nonne hic est faber, filius Mariæ, &c. Frater Iacobi, & Ioseph, & Iudæ, & Simonis?* & Ioan. 7. *Iam autem die festo mediante, ascendit Iesus in templum, & docebat. Et mirabantur Iudæi, dicentes: Quomodo hic literas scit, quum non didicerit?* Et quod Christo accidit, idem quoque Apostolis docentibus contigisse refert Lucas, Act. 4. *Videntes autem* (scilicet, Principes Sacerdotum) *Petri constantiam & Ioannis, comperto quòd homines essent sine literis, & idiotæ, admirabantur, & cognoscebant eos, quoniam cum Iesu fuerant.* ¶ *Super prudentia.* Grçcè habetur, super intelligentia, & vtraque in eo splendebat in disputatione supra ætatem, emittebatque vt Sol radios in aurora, postea verò maiores in meridie emisit. *Et responsis eius.* Signum veritatis est, satisfacere obiectis, & refellere argumenta facta in veritatem: Et Sophista Gentilis, vel Iudæus cæcus, vel Mahometus, aut Hæreticus nequaquam audit alios etiam generali in Cōcilio loquentes, neq; vult interrogare, sed lege cauet, ne detur responsum; & cùm audit, cogitat diuertere, digredique à proposito, ne vero demonstrato, acquiescat. Et Hæreticus asserens in Scripturis hoc nō inueniri, ponit se totas lectitasse, vidisse, intellexisse, atq; memoria tenere, cùm ait, Non est in Hebræo codice, vel Græco: tacitè insinuat se vniuersos codices Hebrços & Grçcos diligenter euoluisse atque expendisse. Videtur exemplum prębuisse Christus Dominus, non pueris modò, sed omnibus etiam euntibus ad diem festum, vt interrogent Doctores ac Sacerdotes de die festo, deque rebus pertinentibus ad religionem, quo pueri præ alijs religionem discāt ac pietatem: alij verò, quatenus prudentius Deo inseruiant. Deinde exemplum dedit, quo pacto nos geramus, quoties cum ijs loquendum nobis est, qui in aliquo gradu positi sunt; quos reuereri, quib⁹ parere nos oporteat: nempe vt tametsi eruditione & sciētia illis simus superiores, ea vtamur tamen dexteritate, vt eos quidē admoneamus veritatis rerum de quibus agitur, sed rationē interea dignitatis eorum, modestis atq; prudentibus verbis proponendo potius, & interrogando, quàm docendo, habeamus.

Ac primò quidē mirantur de intelligentia, prudentiave, postea verò de responsis: quòd sub ea occasione sciscitandi, quasi ab eis discere vellet aliquid, accipiebat respondendi ansam, ac si apertiùs & planiùs declarari sibi posceret, quę rogasset eos, atque ex eius responsionibus multa in medium posuisse, quæ ad eorum percipiendam veritatem, oculos aperirent. Vt, exempli gratia: si quæsiuisset quænam illa esset salus, & redemptio, quā expectarent à Messia futurā, corporea, an spiritualis? ipsi verò dixissent futurā temporariam & corpoream: respondebat ipse, qui id fieri posset, cū apertè declarent plura Prophetarum testimonia; vt illud: *Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio. Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus eius.* & alibi: *Ex vsuris, & iniquitate redimet animas eorum. Et videntes admirati sunt.* Sciebat Maria illum esse Deum, & filium altissimi, sicut & Ioseph non ignorabat esse conceptum de Spiritu sancto, & verū Saluatorem ac Emanuelem.

Non

Marginalia (left, partly cut off): ...rat. | ...uid quod ...hristus pri⁹ ...àm loquatur, interro... | ...clef. 32. ...uare Christus inuenitur templo. | ...d. 2. | ...eut. 32. | ...ur. 21. | Doctores Christū pue... eum audien... es vnde stu... erent, admi... arenturq;. | ...eorundem ...cōstantia. ...atth. 13. | ...arc. 6. | Ioan. 7. | Act. 4. | Iesu prudentia, & intelli...

Marginalia (right): gentia vt sese declarauerit. | Signum veritatis quod. | Hæreticorū veritatis osorum, amantium mendacium, subterfugium. | Christi in templo doctores interrogātis, documenta duo. | Christus disputandi cum Doctoribus in templo, quam ansam captauerit. | Psalm. 129. | Psalm. 71. | Cur Ioseph & Maria, videntes puerū Iesum in templo disputantem, admirati sint.

Luc.1. Matth.1. Ibidem. Isai. 7. 1.Cor.1. Simile.

Non ergo admirabantur de scientia quam depromeret, cùm esset sapientia Dei Patris; verùm quòd eam ostenderet eo tempore, & ea ętate. Quemadmodum non stupemus quòd Sol luceat, sed quòd ante horam consuetam luceat. Hoc enim non erat reuelatũ eis; at postquam factũ est, indicata est eius rei causa, saltem Mariæ matri conferenti verba in corde suo, & per eã Iosepho. Tantùm ergo admirati sunt, non intelligentes noui huius rationem mysterij, & videntes eum in medio Doctorum omnibus esse admirationi.

Luc.2.& sup.

Quando mater ad Iesum dixerit: Fili, quid fecisti nobis sic?

Non dicuntur sibi placuisse, nec de tali sese iactasse filio. Et sequẽtia verba: *Et dixit mater eius ad illũ*, intellige, cùm dimissis Doctoribus, solus esset cum parentibus: neque enim in publico expostulasset prudentissima & modestissima virgo. *Dixit mater eius ad illum*. Quæ plus iuris in eum habebat, & potestatis: ac matres quidẽ melius, dulciusque expostulare cum filijs nouerunt, quàm patres. *Fili, quid fecisti nobis sic?* Vide quanta modestia, & dexteritate loquitur; vt indicet, se non ex ira, sed ex amore, & affectu glorię filij loqui. Non ergo apertè increpat nec suam accusat negligentiam: nam nouerat diuino id consilio factum; sed quærit caussam cur id fecerit. Experta erat videlicet, illum etiã in tenella ætate agere omnia prudenter, ac irreprehensè; sciebatque ab illo, vt Domino, Deoque, cuncta esse benè disposita. Quamobrem dixerat paulò ante Euangelista: *Puer autem crescebat, & confortabatur spiritu, & implebatur sapientia, & gratia Dei erat in illo*. Hæc autem est in primis sancta quædam, & tacita querela, ex excellenti quodam, & peculiari matris amore, & fiducia diuinitùs collata proueniens: sicut aliàs sæpè facere Prophetæ cum Deo solitisunt. Ex quo Isaias inquit: *Quare errare nos fecisti, Domine, de vijs tuis? indurasti cor nostrum ne timeremus te?* & Hieremias: *Iustus quidem tu es, Domine, &c. Quare via impiorum prosperatur, benè est omnibus qui præuaricantur & iniquè agunt?* & Dauid: *Vt quid, Deus, repulisti in finem? iratus est furor tuus super oues pascuæ tuæ?* & Moyses: *Cur, Domine, irascitur furor tuus contra populum tuum, &c. quiescat ira tua, & esto placabilis super malitia populi tui.* Nulla enim in re magis apparet exaltatio sponsæ Dei, quàm in hoc, quòd sponso suo facit delicias, vel proponit querelas illo ad id mouente; admistas tamen sancta quadã reuerentia, & suauitate.

Cur non Ioseph, sed mater id dixerit.

Filiorũ correctiones maternæ quàm paternæ solẽt esse dulciores iocundioresque.

Christus etiã puer nihil vnquam imprudenter, & dignum reprehensione dixit, vel fecit.

Sanctissima Virgo nunc Christũ quo modo videri possit reprehendisse.

Isai.63.

Hier.12.

Psalm.73.

Exod.32.

Quãto Deus sponsam suã honore dignetur.

Deinde Maria pro aliorum salute, & pro filij sui gloria non recusat verbera, nedum verba.

Tanti Chri-

Vt ergo Christus manifestaret gloriam suam, seque purgaret ab omni specie vanæ gloriæ in eo quod fecerat, diceretque se ita quęrere gloriam Patris, & prętere a nos doceret quomodo affectui sit materno respõdendum: ita intus, & secretò interrogabat. *Quid ergo fecisti nobis sic?* Quasi dicant, Non dolemus, imò gaudemus quòd alijs te proferas: sed quare mutatus es nobis in crudelem, & inhumanum, qui poteramus adesse gloriæ sanctæ tuę in salute istorum promouenda? Et nominando simul se cum Ioseph B. Virgo declarat quòd foris erat humilis, & modesta: diuitię autem eius, & opulentia erant virtutes, vt prudẽtia, fides, humilitas, quibus freta præferebat, ac prænominabat sponsum Ioseph. Quod exemplum, si mulieres quæ viros habent, imitarentur, honoremq; mariti suo ipsarum anteferrent, domus profectò essent pacatisimę, & summa in concordia vitam traducerent.

stus faciebat gloriam Patris, & hominum salutẽ, vt nullã sanguinis, & carnis rationem habere videtetur.

In eo quod B. Virgo Ioseph bono[illegible] gratia sibi pr[illegible] posuit, qualia nobis de[illegible] dent suarun[illegible] documenta virtutum.

Dolentes quærebamus te. Per triduũ dolor hic durauerat, natus inprimis ex priuatione consolationis tam dulcis pueri Emmanuelis amati. Deinde ex amore, & cõmiseratione, ne puer tener, ac delicatulus, illo triduo aliquid in humanitate, nisi vellet vti miraculo, pateretur incõmodi. Ad hęc ex timore negligentiæ propriæ in custodiendo tali deposito. Bonarum enim mentium est, ibi culpam agnoscere, vbi culpa non sit. Cœpitq; B. Virgo doloris gladium à Simeone prophetatum experiri.

Amissi puer[illegible] Iesu caussæ doloris virgini matri quę nã extiterun[illegible]

Quid proprium bonæ mentis.

Luc.2.

Non puto autẽ verum esse quod quidã meditantur, timuisse Virginem, ne offensus puer flagitijs populi recepisset se in cœlum, alio tempore vẽturus, vel timuisse ne alios nutritores quæreret: quoniã nouerat quanto affectu & charitate ipsum nutrirent atq; educarent. Vel timuisse, ne, quod olim Herodes facere decreuerat, nũc opportunitate inuenta, interficerẽt alij, quia sciebat nullam esse potentiam, nullamve sapientiam cõtra eum. Vel metuisse ne seorsum vellet sibi ipsi viuere: quoniam sciebat, ipsum esse Emmanuelem, & nobiscum, vt cõuiueret, vitamq; cœlestem, & diuinam doceret, ad nos de cœlo descendisse.

Minus piæ, ac solidę quorundam Virginei timoris ac doloris o[illegible] filij iacturar[illegible] rationes confutantur.

I. Ratio. Matth. 2.

II. Ratio. Prou. 21.

III. Ratio. Matth 1. Isai. 7. Baruch 3.

Miris etiã modis Sectarij hæc verba deprauant, dum vnus eorum ait: *Mater accusat filium, quæ quasi perturbata dicit: Non debebas hoc nobis facere: hæc enim verba dolor expressit.* Alter vero: *Nõ solum filio, sed etiam fide erga Deum Maria priuatur, dum hæc cura semper remordet. Deus irascitur tibi, & fortaßis non vult, vt tu amplius sis eius nutricandi officium præstes.* & Lutherus: *Quid potuit cogitare Maria, nisi sua culpa iam ipsum filium Dei, & Deo Patri ipsam indignam, cui filium suum semel commiserat, denuo repeteret?* Brentius in Luc.2.

Eiusdem te[illegible] quã impias, & indignas B. Virgine [illegible] tiones adferant Sectari[illegible]

Caluinianus. Coruinus.

Lutherus in postilla.

Brentius. Exod 20. Matth.15. Exod.21. & aliàs.

caput: *Me tuā esse matrem nō ignoras, te filium: nouisti præceptum illud Dei: Honora patrem tuū, & matrem tuam: nouisti pœnam, quam exolutu- ri sunt immorigeri parentibus: cur igitur fecisti nobis sic, qui tibi nullam nos ita contristandi occasionem præbuimus, sed quibus potuimus beneficijs te prosecuti sumus, & multa incommoda passi tecum, sed gratiam modò nobis rependis!* Sed hæc putida sunt, & minimè ferenda, quæ Christo filio Dei, aut Mariæ sanctissimæ culpā aliquam impingunt: quæ retulisse, expugnasse sit.

Christus, & Maria nulla vnquam in re fuêre culpabiles.

Sed antequam explicemus Christi Iesu ad parentes responsum, considerandū, nos hoc Euangelio maximè commonefieri, ne Iesum nostra socordia, negligentiaque deperdamus: quia esset iactura rei perquam pretiosissimæ. Et varijs quidem rationibus contingit perdere Christum. Nam quidam amissa fide, & per hæreticorum somnia incedentes perniciosissimè aberrant, nec illis spes aliqua est verum Christum inueniēdi, nisi redeant Hierosolymā, id est, ad Ecclesiam Catholicā, in qua sola delitescit Christus, & inuenitur sedēs in medio Doctorū, dum veterum Patrum, & antiquorum doctorum scripta, & fide euoluimus, illorumque doctrinæ adhæremus. Alijs autem Catholicis potissimùm cauendū est, ne in festis diebus celebrandis, dum cibo, & potui, conuiuijs, genioq; vacamus; dum pompæ, & vestibus magnificis, famulisq; ostentandis incūbimus; dum otio, & ludis, & iocunditatibus parum honestis attēdimus, Iesum qui in nobis paruulus est, & tenera salus nostra, quæ parum intelligit, aut amat, aut minus operatur, & patitur, amittamus: ita vi dæmon in die diuino cultui applicato, animarumque saluti promouendæ consecrato maximum compendium faciat, dum nos diuinarum rerum in obliuionem ducit, & ne adsimus sacris, doctrinæque Christi audiendæ cohortatur, corporis curam gerere & carnis seruire commodis persuadet. Perdimus ergo Iesum, cùm gratiæ diuinę iacturam facimus: at vbi perdidimus, nequaquā tamen est desperandum, sed quærenda est à dolētibus. Et facilè est dolere, si agnoscatur Iesus, & pretium gratiæ Dei, quod quidem est infinitum, quandoquidē ipse quæsiuit eam nobiscum cum dolore valido, & lachrymis. Et cùm non amittatur nisi solo peccato, quod est veluti spina in pede, quā acu acutiore extrahere solemus inde, & vt membrū luxatum, & diuulsum loco, haud potest in locum sine dolore vehementi restitui suum: illud quantum in nobis est fugiamus atque euitemus. Cum dolore accessit peccatrix fœmina ad Christum: ad patrē prodigus ille. Moyses quoq; sapienter admonuit: *Cùm quæsieris ibi Dominum Deū tuum, inuenies eum: si tamen toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ.*

Quid nos docerat Euangelium hoc.

Pueri Iesu amittendi, eiusdemq; inueniendi quę nā rationes existant.

Ecclesia Catholica sola est Christi latibulum.

In cultu diuino varij abusus Catholicorum notantur, atq; damnantur.

Diebus maximè festiuis Catholicos dæmon impugnat, & vincit sub ipsorum vitio.

Quomodo amittitur Iesus: Idem rursus inuenit.

Gratia diuina quàm cara & pretiosa.

Quomodo sit peccatum in anima.

Sine dolore pœnitentiæ non inuenitur Christus. Luc.7. Infra 15. Deut.4.

O Virgo sanctissima, per eum dolorem quem id temporis sustinuisti, obsecro te vt ego inueniā filium tuum, Dominū meum, & Deum meum, cui commendē cor meum ne vagari amplius per vana permittat.

A B Dei genitrice quid postulandum.

Tridui ergo spatio quęrendum cum dolore, cum gemitu: atq; hi quidem tres dies sunt, Cōtritio, Confessio, & Satisfactio. Cōtritionis nox est, culpa tenebrosa, & infernus; dies verò, est gratia Dei. Confessionis nox est, expressa enumeratio, atq; integra peccatorum apud Sacerdotem; dies verò, est absolutio pretiosa. Satisfactionis nox, labor est emendationis, atque conatus in euincendis, euellendisq; radicitus, qui remanent, prauis habitibus, & propensionibus; dies verò, serenitas est, claritasq; conscientiæ. Inuenitur Christus in templo Dei: siquidem in Ecclesia Dei Sacramentum est reconciliationis fructuosum, in quo homo audit, interrogat, atque respondet. Audit, dum discit grauitatem peccati: Respondet, se accusando: Interrogat quomodo peccata, eorumq; vitet occasiones.

Quale illud triduum sit, quo à nobis quærēdus est Christus.

Quid quod ille inuenitur in templo Dei, & audiens quidem, & interrogās.

Perditur etiam Iesus à iustis, sanctisque hominibus per gustum, & consolationem: neq; inuenitur, dum vacant carni, & parentibus. Subtrahitur verò hæc diuina consolatio, quo agnoscatur Dei donum esse: diligentius custodiatur, dum habita est: sapiat dulcius inuenta: tum vt fugiamus leuiora delicta, quorum causa amittitur plerumq;: atque vt discamus, etiam sine consolatione diuinis incumbere mādatis. Vt verò quamprimùm quęsita inueniatur, oportet esse parētes Christi ab affectu, & cura salutis propriæ: deinde Mariam, videlicet illuminatā, & Ioseph, id est, augmenti desiderium: quoniam talis gustus solet conferre lumē maius diuinorum, & profectum ampliorem. Opus etiam deuotionis lacrymis, quibus Magdalena ad monumētum Christum inuenire promeruit cōsolatorem. Inuenitur autē post triduum fidei, amoris, & operis. Fides suam noctem habet, cùm captiuat intellectum in obsequium Christi: dies verò eius, est assensus certus ipsius, seu firmitas assensionis, vt magis hæream' fide acceptis quàm sensu comprehensis. Charitas, pro nocte habet labores, ac molestias quas patitur libenter quis pro amato: pro die verò, eius suauitatem, & feruorem. Opus verò noctem habet suam, hoc est, difficultatem in operando, quoniam nonnisi perdendo homo animā suam, Christum amissum inuenit,

Iesum quomodo sancti etiam & boni viri amittant nec inueniāt. Diuinæ consolationis subtrahendæ quæ causa.

Ea quomodo statim inueniri valeat.

Ioan.20. Quinam illi tres dies, post quos tandem inuenitur Iesus. 2.Cor.10.

Matth.17. Ibidem.

uenit, sicut custodiēdo animam suam, perdit, diem verò cōsolationis, quia iam natus est homo in mundum.

Ioan.16.

Quæramus igitur Christum, & quidem anxiè, atq; solicitè: nam procul dubio magno cū fructu inueniemus nostro, siue præmonstrante stella gratiæ præuenientis nos ex misericordia, siue dolore luminoso (vt loquar ita) & cum augmento profectus nostri coniuncto nos in templum gloriæ cœlestis deducente ad videndum eum sedentē in medio beatorum, quos sua sapientia suspēsos, & omni admiratione, stuporeq; repletos tenet: cui cū Patre, & Spiritu sancto, ab omni creatura debetur omnis honor gloria, & imperium in secula seculorū, Amen.

Iesum quærentes si inuenerimus, quid assequimur. *Psalm.58.*

TRACTATVS XLVII.

& vltimus, in illa verba: *Quid est, quòd me quærebatis? nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse? Et ipsi non intellexerūt verbum quod locutus est ad eos. Et descendit cum eis, & venit Nazareth; & erat subditus illis. Et mater eius conseruabat omnia verba hæc in corde suo. Et Iesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia, apud Deum, & homines.*

Luc.2.

MAgna ratione expendendum venit pueri Iesu responsum ad parētes exhibitum, ita vt ab illo absit omnis superbia, parentum contēptus, & amarulenta increpatio. Quoniam ergo puer Iesus secundùm humanitatem quidem filius erat Mariç virginis, quantum ad curam verò ab Angelo prçceptam erat filius Ioseph; propterea illi plusquam alij parentes suos filios amissos, debebant obseruare Iesum, ac diligere, tum quatenus Deus erat, tum quatenus secundū spiritum caput omnium erat electorum ac princeps, atq; idcircò omnem ei debebant reuerentiam, & famulatum. Quod attinet verò ad corpus, tenebatur ipse lege diuina illis, vt parentibus amantissimis subesse, maximè cùm esset Emmanuel, quem quasi indiuidua comes semper Maria sanctissima sectata est. Quapropter Christus his verbis nequaquam reprehendit eos, quasi deliquissent quærendo eum: nec rursus reprehendit quòd eum quæsissent inter cognatos, & notos, cùm scire deberēt eum esse in templo; sic enim exponit Gangneus. Sed certè quia nunquam ibi manserat Christus sicut nunc, ignorare poterant eum in templo esse.

Ioseph & Maria quid debuerint Christo: quid vicissim illis Christus debuerit.

Exod.20.& alibi. *Matth.2.* *Isai.7.*

Minus commoda solut. Gagne.

Hæc Domini responsio: Quid est q me quærebatis, &c. quo-

Neq; sunt cum contumelia, & animi excandescentia legenda, sed placido & quieto animo, vt ea Iesus protulit. Verba autem ipsa haud sunt omninò blanda, verùm aliquantisper aspera, ac subacerba. Loquitur enim tanquam illis superior, & magna cum autoritate, vt præsentes iudicare possent se plusquam hominem esse, quasi dicat: Quæ caussa est vobis me requirendi, nisi quia me hominem esse nouistis, quem parentum affectu prosequimini, neq; de natura diuina nunc humanæ prç ferenda cogitatis? Et insolitam libertatem assumēs, sub parentum bonorum persona omnes filiorum creatores, & adolescentū institutores occultè admonuit, in negotio Dei, parentum rationē non esse habendā: *Qui amat*, inquit, *patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus*: &, *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus.*

modo accipienda sit.

Quatenus parentes à nobis negligendi.

Matth.10.

Act.5.

Voluit igitur Dominus Iesus in eis quasi perfectis viris, & in quibus non erat periculū retrocessionis, vel tentationis, foris præ se ferre acerbitatem quandam verborum, & acrimoniam magnis & iustis de caussis. Primùm quidem, vt temperaret affectum carnis, doceretque, omnem parētum amorem diuino postponendum. Nam in Dei Ecclesia nulla est pestis perniciosior, quàm immoderatus, & immensus ad consanguineos affectus, ex quo malè ecclesijs Dei prospicitur, & grauia scandala oriuntur. Vnde isti affectui opponit curam eorum, quç Patris sui sunt: vt alibi, cùm laudatus Christus à fçmina fuisset: *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti*, respondit: *Quinimò, beati qui audiunt verbū Dei, & custodiunt illud.* Quo nomine beata Virgo in primis à filio commendatur: quia credidisse prçdicatur ab Elisabetha. Rursus, cùm illi esset obiectum: *Ecce mater tua, & fratres tui forū stant, quærentes te alloqui*, respondit: *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? Quicunque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, soror, & mater est.* Cùm ergo Maria Virgo præ cæteris mortalibus, voluntatē Dei fecerit, meritò ipsa ea quoq; ratione & mater Christi, & soror, & frater est. Ita hic etsi in speciem asperius dixerit: *Quid est quod me quærebatis?* subditur tamen, quòd Iesus erat subditus illis. Hinc Basil. lib. de vita solitaria, concione antepenultima rectè, & salubriter admonet: *Cognatos tuos ne plusquā Dominum curaueris: quibus si vnà cum Christo mortuus es, quid iterum inter eos versari cupis?* Et iterum: *A propinquis, amicis, & parentibus tantum affectu separatos esse oportet, quantum mortuos à viuis.* Hæc ille sapientissimus Pater.

Quare Christus sic acriter, & acerbè responderit. I. Ratio.

Ecclesiæ Dei abusus magna ex parte vnde oriātur.

Luc.11.

Quib9 Christus tacitis verbis matrē suam cōmendauerit. *Ibidem.* *Matth.12.*

Maria Virgo duplici ratione est mater Christi.

B.Basil.

A parentibus & consanguineis, teste Basilio, quantū affectu separatos nos esse oporteat.

Secundò, B. Virgo typum gerebat Synagogæ, matris carnalis in breui reijciendæ, quærētis Messiam inter carnales, & cogna-

II. Ratio. Maria Virgo aptè Iudæorū Synagogā adumbrauit.

ros, donec in fine inueniat in templo ecclesiæ adoratum à toto mundo, & cum admiratione veneratum, & cognitum ab vniuersis populis, Apostolis, atq; Doctoribus.

II. Ratio. Tertiò, respódit maximè ad matris mentem, declarando se agere negotia Patris sui, & eius gloriā in hac disputatione, non propriam quærere. Atque, vt ponderat Leontius, introducit Saluator Patrem pro patre, pro nutritio illo corporis illum verū, pro alieno proprium Deum qui in cœlis est, cuius domus erat templum, in quo tūc Christus versabatur. Sic denique respondet, vt suo hoc tēplo velit docere alios perfectioris obedientiæ prestandæ rationem, & formam, & sermone, & opere: quasi præludat ad ea, quæ post Baptismum docendi, & disputandi munere ad Patris gloriā apud Iudæos erat editurus. Sic etiam respondet, vt neget ipsi matri, & viro eius caussam fuisse necessariam ita dolenter inquirendi, aut periculum vllum ob suam absentiam extimescendi, quando citra patris voluntatem faceret nihil. Qua responsione ostendit, parentes nihil reprehensione dignum fecisse, quòd amiserint eum: id enim diuinæ prouidentiæ dispositione ostendit factum fuisse, non ipsorum negligentia, quandoquidem ipse se Messiā exhibere debuerit. Nec peccârunt, amissum tantum thesaurum requirendo: nec tam ingratus Christus fuit, vt paternam, & maternam erga se charitatem, & solicitudinem negligeret, aut repudiaret, sed procul etiam illos absens, ac se anxiè quærentes, ac dolentes commiseratus. Nec denique obiurgatiunculam matris, & expostulationem amarulenta alia obiurgatione rependit, vt Brentius hæreticus putauit: quia id nō decebat coram alijs efficere, qui legis sanctæ Dei de honorandis parentibus fuit obseruantissimus. Et sæpè qui in Scripturis loquitur ad alios, non tam ad illos qui adsunt, sed in illis absentes alios meditatur: vt Christus cū maledixit ficulneæ, maledixit Iudæis, vt sterilibus arboribus, & exitio proximis. Ita hoc loco in parentibus suis loquitur Dominus ad alios parentes, qui affectu carnali erga filios feruntur, & illis viam salutis præcludere tentant.

Leont. Episc. — *Ioan. 2.* — *Matth. 21.* — IV. Ratio, ac postrema. — Contra Centuriatores. — Christi parētes nullo ipsorum demerito eum amisisse. — *Brentius.* — *Exod. 20 & alibi.* — In Scripturis quid obseruandum. — *Matth. 21.* — Quid ficulneæ maledictio designauerit.

Sed iam expendamus Iesu responsum. Ait ergo: *Quid est quòd me quærebatis? Nesciebatis, &c.* Igitur id debebant scire, ac proinde sciebant. Quasi dicat, in genere oportebat vos scire, versari me in negotijs Patris mei, & in procuranda salute hominum. *Meus enim cibus est, vt faciam volūtatem Patris mei, Qui ad euangelizandū pauperibus misit me.* In specie autē nescire effectum diuinæ prouidentiæ, vt quòd tunc disputādum illi, ac prædicandum foret, vel Angelis quidem, nedum nobis viatoribus conuenire potest, ac conuenit: quā ratione etiam nesciunt diē iudicij, teste Domino.

Ioseph & Maria Christum esse in his q̄ Patris sui erant, cur sciebant. — *Ioan. 4.* — *Isai. 61.* — *Luc. 4.* — Ijdē quomodo dicantur idipsum ignorasse. — *Matth. 24.*

Quid est ergo quod me quærebatis? num semper vobiscum futurum me arbitrabamini, qui ad omnium salutem veni? Incipite ergo iam hinc discere, me vobiscum non semper futurum: sed, cùm in rem Patris fuerit, nihil à vobis cùm abiero, dicturum me, ne aut à vobis mora eunti mihi fiat; aut ipse iniquus videar, qui parentibus carnalibus non caruerim qui videntur, cùm pareo Patri qui non videtur.

Quaten' cū suis parentibus Christus manere debebat.

Est igitur familiaris, & doctrinæ plena obiurgatiuncula: *Nesciebatis*; quasi diceret: Quid est quod me vestri gratia quærebatis? nesciebatis, id est, ad vos spectabat tamen hoc scire, quod aliquando oportebat me ipsum ostendere, & operari in his, quæ Patrem attingerent. At illi propriam consolationem quærebant, quæ tametsi esset spiritalis, in loco tamen magnum est eam dimittere: *Et ipsi non intellexerunt verbum quod locutus est ad eos.* Ex hoc impie elicit Erasmus, Mariam dubitasse de Christi diuinitate: & Origenes in Lucam annotat in hoc verbum, Ioseph & Mariam necdum plenā fidem habuisse.

Consolatio spiritalis interdum vitis sanctis dimittēda est propter Christū. — Huius sententiæ: & ipsi nō intellexerunt verbū quod locutus est ad eos, multi sensus falsi proferuntur, ac confutantur. I. sensus Erasmi, & Orig. — *Orig. hom. in Luc 80. 19. 2.*

Sed certè cùm Maria non ignoraret se matrem Domini esse, & Iesum filium altissimi, & Emmanuelem peperisse, & prophetissam prędictam ab Isaia (vt exponunt Basilius, & Cyrillus) se esse, non poterat de Christi diuinitate ambigere, quæ à fide in Scripturis commendatur. Ioseph quoque nouerat Christum de spiritu sancto conceptum, & de Virgine matre natū, & Iesum dici, & Emmanuelem: quo igitur modo hęsisset in eo scrupulus vllus, an Deus esset, quem vt Deum viderat ab Angelis, à Pastoribus, & à Magis adorari, & coli?

Luc. 1. — *Ibidem.* — *Matth. 1.* — *Isai. 7.* — *Infra 8.* — *Bas. in Isa. c. 8.* — *Cyril.* — *Luc. 1.* — *Matth. 1.* — *Ibidem.* — *Isai. 7.* — *Luc. 2.* — *Ibidem.* — *Matth. 2.*

Lutherus in Postilla huius Euangelij nō veretur Mariam rudem, & ignorantem, & errori obnoxiam facere: & Mariæ similes omnes qui se fatigant frustra, Christum in loco proprio, vel templo non quęrentes: & solum locum, in quo inueniatur Christus, esse Dei verbum.

II. Sensus Lutheri.

Sed hoc esset ex mystico sensu errorem perniciosum eruere, & confirmare, cùm non omnia quæ credit Ecclesia, Scripturis contineantur, vt docet Basil. lib. de Spiritu sancto, cap. 27.

Basil. tom. 1. circa fin.

Centuriatores verò Cent. 1. lib. 1. *Nequaquam*, inquiunt, *perfectissima fuit Maria, sed habuit ipsa quasdam imbecillitates.* Sed certè non habuit nisi illas, quæ ipsi fuerunt communes cum Christo, vt famem, sitim, laborem,

III. Sensus Magdeburg. Christi & matris imbecillitates quænam

fuerint nobis cũ communes.

rem, dolorem, quæ virtutis exercendę materiam præstabant, sed non fœdas, vt errores, peccata, vel leuissima. Et nescientia nõ est imbecillitas, qua etiam sancti & perfecti viri, quandiu in corpore peregrinantur, nõ caret: quia ex parte cognoscunt, & per speculum in ænigmate vident, & sancti Angeli in cœlis à nescientia purgantur per nouas reuelationes ab alijs acceptas, teste Dionysio lib. cœlest. hierarch. Sed hæc nescientia peccatum non est, maximè si ignorentur illa, quę Deus vt scirentur, nondum explicauit. Et multa nescire licet absque piaculo. Et teste Chrysost. homil. 5. de prouidẽtia: *Satius est*, inquit, *ignorare benè, quàm scire malè: nam vt illud reprehensione caret, ita hoc veniã meretur.*

1. Cor. 13. — *B. Dionys. c. 7 de cœl. hierar.* — *B. Chrys. to. 5.*

IV. Sensus Culmani. — Huius hæretici inepta argumentatio.

Sed quidam Lutheri discipulus Culmanus dictus, imperitum se prodit Dialecticum, argumentatur enim: *Si errauit Maria ergo & Ecclesia errare potest. Plena gratia erat Maria, & tamen errauit. Et permittit Deus huiusmodi desperationes, & ignorantias in sanctis, ne desperemus, si accidant similia.* Sed iste ex falso antecedẽti infert falsissimũ consequens. Et rectiùs sic inferas: si in rebus creditu necessarijs nunquã errauit Maria, quia in gratia confirmata; ergo Ecclesia, cuius ipsa typum gerebat, in necessarijs non errat, nec Spiritus sanctus eã errare permittit, quæ est columna, & firmamentum veritatis. Et isti nõ distinguunt inter ignorantiã culpa non carentem, quæ vinci potest, & aliam, quæ omni culpa caret, & inuincibilis dicitur.

1. Tim. 3. — Duplex ignorantia apud Theologos, vincibilis, & inuincibilis dicta.

V. Sensus Lossij.

Alius, Lossius nomine: *Christi parentes nõ intellexerunt verbum Domini propter carnalem imaginationem de regno Messiæ temporali: quia expectabant à Iesu non doctum aliquem, & peritum Rabbinũ, sed illustrem in seculo Regem.* Sed profectò Maria nouerat Messiam spiritualem, & à peccatis saluantem: vnde & Iesus fuit appellatus, Quia ipse saluum faceret populum suum à peccatis eorum, vt Angelus prænuntiârat.

Maria qualẽ regem Christum tãtùm agnoquerit. *Matth. 1. Luc. 2.*

VI. Sensus Gagnei.

Accedit alius sensus Gagnei doctoris Parisiensis, qui verbum illud, *Ipsi non intellexerunt*, explicat de templo sancto Patris sui, ad cuius sanctificationẽ annuntiandam venerat, vt patet Ioan. 2. quãdo expulit ab eo vendentes, & ementes, dicens: *Domus mea, domus orationis vocabitur*, & Matth. 21. Et cõfirmatur autoritate Euthymij: *Non intellexerunt verbum*, inquit, *quod erat de templo.* Adde Origen. homil. 20. in Lucam, qui per ea, quæ Patris sunt, intelligit templũ, quod est domus Dei. Nesciebant ergo hoc quod ait: *In his quæ Patris mei sunt*, an significaret in templo, an aliud quiddam altius, & quod magis edificeret audientes, id est, templum Dei viuum, & Ecclesiam. Sed certè hic sensus quoque ad rem facere non videtur: nec sermo erat de corporali templo purgando, sed de negotio salutis animarum per Iesum Messiam, atq; per eius Euangelicam legem promouendo. Hic enim per ea, quæ Patris sunt, negotia, quæ illi mandauit Pater, intelligenda sunt, non templũ, nec erat Christus solitus manere in templo, vt ex eo colligerent: *Oportebat me in his, quæ Patris mei sunt, esse*, id est, in templo: quia enim dixerat: *Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te*; Ipse respondit: *In his quæ Patris mei sunt*, quasi diceret: Non hic est pater meus verus, alioquin in domo eius mansissem, sed Deus est pater meus verus; & propterea in domo illius sum, id est, in templo.

Ioan. 2. Isai. 56. Matth. 21. Euthym. — VII. Sensus Origen. *Orige. tom. 2.* — Cur improbabilis ille sit.

Eiusdem sententiæ sensus tres producũtur veri, atq; legitimi. Primus.

Sed his omissis, proferamus sensus veriores, & literæ magis cõsonos. Primus sit, vt dictum: *Non intellexerunt verbum*, referatur non ad Ioseph, & Mariam parentes Iesu, sed ad circumstantes Iudæos, quoniam putabant patrem eius esse Ioseph. Tales enim imaginatione venturi Messiæ temporalis, & carnalis decipiebantur, putantes Ioseph esse patrem eius. Deinde quia idem est dicere: *Ipsi nõ intellexerunt*, ac illud, quod alibi ait: *Et non cognouerunt, quia patrem eius dicebat Deum.* Atque hic sensus planus est, & verus, & omni scrupulo vacat, nisi quòd responsum Christi datum fuit parentib[9] suis qui interrogauerãt. Sed hoc soluitur, quòd in suis parentibus sermonem ad alios dirigeret, vt aliquando facere solet.

Ioan. 8. — Propriũ doctrinæ Christi quid.

II. Sensus, Caietani, & aliorum.

Secundò alij, inter quos est Caietanus, referunt hanc sẽtẽtiam ad Mariam, & Ioseph hoc modo, vt quemadmodum interdum singulare ponitur pro plurali in sacris literis, ita hoc loco plurale ponatur pro singulari. Nam quod Matt. 27. dicitur de duobus latronibus blasphemãtibus Iesum, Lucas indicauit ad vnum tantùm referendum esse, vel per figuram Synecdoches, vt pars pro toto, & totum pro parte accipiatur: ita hic de parentibus pro illorum altero, id est pro Ioseph, qui confectus tristitia, & dolore quęrendi amissum dilectum Iesum, minimè comprehendit verborum Christi intelligentiam. Requirit enim vera Scripturarum intelligentia animum ab omni affectu, & cura vacãtem, quo diuina capere valeat: quem quia sæpè homines ad Scripturas legendas non adferunt, idcircò permulta secus quàm veritas habeat, & quàm Spiritus sanctus earum autor velit, intelliguntur.

Plurale pro singulari, & contra, Scripturæ sæpè vsurpant. *Matth. 27. Luc. 23.* — Qualem requirat animum intelligentia Scripturarum. Scripturæ à quibus non sine errore percipiantur.

Causa autem cur excipienda veniat Maria, duplex est: altera, quia Maria erat Prophetissa doctissima, plena fide, & in Scriptu-

Mariam dici nõ posse Christi verba assecutã minimè

fuisse dupliciter.
Isai. 8.

rarum lectione, & intelligentia exercitata, quare non poterant verba tam dilucida & perspicua eam latere. Altera verò, quia his verbis proximè adiungitur: Et mater eius cōseruabat omnia verba hæc in corde suo: & difficile est memoria quenquam conseruare ea dicta, siue facta, quæ intellectu non apprehendit.

Memoria facilè intellecta cōseruat, & retinet.

III. Sensus. Si Ioseph & Maria verbū Christi non intellexerūt, vnde factum fuerit.
II. Ratio.

Tertiò, alij interpretātur de Maria & Ioseph citra omnem figurā, & synecdochen, qui etsi nossent eum filium Dei, & cœlestē originem habere; tamen non intellexerunt verbum Christi: siue quòd admiratione, & lætitia de Christo inuento absorpti essent; siue quòd hoc nōdum eis fuerat patefactū distinctè, & reuelatus vocatiōis suæ cursus. Vnde & perpetua quadam circa eum admiratione tenebātur, prȩsertim si quando clarius in ipso sese spiritus proderet. Nec ob id quod pleraq; similia ignorarent, infeliciores erant: nam satis est cuiq; tātum operum Dei nouisse, vt ipsum impensȩ amet, & voluntati eius totum se accommodet; reliqua reuelanda eis in suum tempus differebātur, nec vniuersa vnico momento nouit B. Virgo, sed quotidie proficiebat & sciētia, & fide & meritis; nec erat in illa vel vllus error, vel eorum quæ scire interesset, ignorantia, vel fides tardior, aut remissior quā esse deberet. Ignorauit enim nonnulla, de quibus Gabrielem interrogauit prȩceptorem: *Quo modo*, inquit, *fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Et amisso Christo, proculdubio ignorabat vbi esset, & anxia, & dolens quæsiuit. Ita audiuit hoc Domini responsum, & non intellexerunt illi ad quid tunc illud potius, quàm alio tempore fecerit, & ad id per triduum à matre requiri voluerit. Et singularis modestiæ fuit argumentū, quòd etsi nō sit assecuta sermonem, tamē non rogat amplius vel pro materna libertate, aut muliebri loquacitate aliquid opponat, quo suam, & sponsi sui Ioseph causam ageret.

Operum Dei notitia quæ cuique sufficiat.

Maria Virgo quales animi defectus non senserit.

Luc. 1.

Eius modestia quomodo declarata.

¶ Similia interdum accidunt Prophetis, vt Nathan de fabricando templo; & Helisæus dixit: *Dominus celauit à me, & non indicauit mihi.* Quare non veretur Beda scribere hoc loco: *Virgo autem siue quæ intellexit, seu quæ necdum intelligere verba Euangelij potuit, omnia suo pariter in corde quasi ruminanda, & diligentiùs scrutanda recondebat.*

Prophetis non omnia Deus reuelabat.
2. Reg. 7.
4. Reg. 4.
Beda lib. 1. in Luc. c. 8. prope finem, tom 5.
III. Ratio.

Erant etiam hęc verba ambigua, & non satis elucebat in quem sensum dicerentur, an videlicet significaret quòd in Hierusalē manere vellet, & in templo versari, an aliorum more adolescentium, quibus Hierusalem erat sacra academia, & quotidie ibi velut in schola legem, & Prophetas audire; an prȩterea in animo haberet non amplius inter priuatos parietes cum parētibus latere, an potius prædicandi munus aggredi, & ita suam diuinitatem prodere. Vel non intellexerunt figuratā eius verbi, gestiq; Christi in templo differentis intelligentiam: idcircò Maria conseruabat in corde suo. Non enim verè dicitur intelligere is, qui solùm quod simpliciter, nudaq; ex litera capitur, accipit, si non eruat mysterium quod latet. In Maria enim, & Ioseph Synagoga vetus, & lex Iudæorum (quæ instar viri est) intelligitur, qui corporeum quidem pascha obseruabāt quotannis, nescij quòd post Iesum grandiusculum, iamq; annorum duodecim factum, quando doctrina perficeretur Apostolica, & verus agnus patescere inciperet, debebat illud cessare, ac debebant eum ipsi Iudæi, vt verum pascha agnoscere, iugeque sacrificium non amplius repetendum, atq; celebrandum. At illi hoc ignorare volentes, & manere in veteri consuetudine, & vmbratili, ita hactenus quæsierūt Messiam inter cognatos suos, nec inuenire potuerunt: ideò quo magis reuertuntur ad sua, tanto elongantur magis à Hierusalem, & à teplo, vbi est, nimirùm ab Ecclesia Dei: quando in tertio die generalis resurrectionis increpabuntur; & nequicquam proderit eis tunc inuenisse, quia eius verba nō apprehendērunt. Et hoc de his qui verè amiserunt: secùs de reliquijs Iudæorum, quibus accommodari potest, quod Ambrosius in Lucam scripsit: *Christus*, inquit, *post triduum reperitur in templo: vt esset indicio, quia post triduum triumphalis illius passionis in sede cœlesti, & honore diuino fidei nostræ se resurrecturum offerret, qui mortuus credebatur.* Hæc ille.

Quid etiam: Et ipsi nō intellexerunt.

Propriè quis censeatur intelligere.

Maria & Ioseph Iudæorum Synagogam, vetusq; sacerdotium aptè repræsentarunt.
Num. 28. & sæpè alibi.

Iudæi Messiam suum cur nunquam inueniant.

Ambr. lib. 2. in Luc. c. 22. tom. 5. initio.

Possunt etiam interdum Prophetæ, etsi magni, quædam ad tempus ignorare, quo diligentiores fiant in illis inquirēdis, & scrutandis. Ita enim Petrus priori sua epistola de Prophetis loquitur: *De qua salute exquisierunt, atque scrutati sunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetauerunt, scrutantes in quod, vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi, &c.* In quæ verba sanctus Maximus scribens, ait: *Vim quidem scrutandi, & inquirendi de rebus diuinis habet natura hominis sibi insitam ab autore suo; reuelationes verò gratia Spiritus sancti aduenēns facit. Nec enim licet dicere, quòd sola gratia operabatur in sanctis cognitionem mysteriorum sine facultatibus ad percipiendam cognitionem à natura datis. Non igitur absque Spiritus sancti gratia solis viribus naturalibus cognitionem verā, & mysteriorum consecuti sunt; alioqui superuacanea fuisset Spiritus sancti gratia, quæ nihil efficeret ad manifestationem veritatis. Neque gratia Spiritus sancti operaretur in Sanctis sapientiam sine mente eam recipiente.*

Propheticus quædam interdum celentur, nec patefiant.
1. Petr. 1.

S. Maximi sententia.

Sine gratia Spiritus sancti posse nemini contingere diuinorum cognitionem mysteriorum.

Sancti post reuelationes acceptas ra-

tiones reuelatorum inquirunt, Maximo teste.

Gen 15.

Luc.1.

Mariæ & Ioseph quid profuerit Christi verbum non percepisse.

Scripturas scrutari,& scrutando intelligere, vtile est.

:ipiente. Id autem declarant omnes Sancti: siquidem post reuelationes factas, inquirunt rationes reuelatorum: vt Abraham, quomodo possessurus sit terram, Moyses, David, Daniel, & Zacharias, quærentes rationem visionum. Hæc Maximus.

Quod ergo dicitur: *Non intellexerunt verbum:* vtile illis fuit, vt per gratiam Spiritus sancti inquirerent, & inuenirent. Quod insinuatur de Virgine, cùm dicitur: Et mater eius conseruabat omnia verba hęc in corde suo. Vtile quoque nobis est, vt Scripturas scrutemur, & scrutando intelligamus.

Rupert. Tuit. Si Maria (inquit Rupertus) Christi verba nõ intellexit, quomodo cõseruabat omnia verba conferens in corde suo?

Isai 8.

Luc.1.

Ad hæc Rupertus lib.1. in Cantica proponit dubium, quomodo parentes dicta Domini non intellexerint, cùm tamẽ sub dat Euangelista: *Mater eius cõseruabat omnia verba hac in corde suo.* Igitur ecce duo quasi repugnantia. Si enim nesciebat, quomodo quærens dolebat, dolens quærebat? Si autem nesciebat, quomodo, vel de quibus in corde suo conferebat? Ergo neque à dextris, neque à sinistris sermo fit, quia veraciter magna hæc prophetissa, quid ageretur, non ignorabat, quoniam gratia plena erat, & tamen dolens quærebat, quoniam dispẽsationi diuinę ipsa suo silẽtio seruiens, quãuis cum illis quęrentibus quęreret, tempus tacendi custodiebat, & dolentibus condolebat. Hæc ille ferè. Ipse enim Rupertus in Commentarijs in Matthæum, in principio lib.2. duo supputat Mariæ tempora, alterũ tacendi, dum Christus in terris docebat, alterum loquendi, dum Christus est in cœlũ assumptus. Ac iam res ipsa postulabat non tacere, sed loqui, vt per illam Apostoli instruerentur de multis: & ita Rupertus Mariam docet simpliciter ignorasse q̃ Dominus illi dixit in templo, quod instar aliorũ pro ignorante se gesserit, agnitumque mysterium celaret, vt suo tempore declararet. Ita enim Christus dicitur ignorare diem iudicij, quod illum non detegat. Id verò confirmare videtur Bernardus homil.4. super Missus est, circa medium, docens Mariæ fidem, & scientiam singularem: quod inde comprobat, quòd B. Virgo per Angelum (priusquã ab illo homine esset sibi traditũ Euangelium) omnia acceperit, ne mater videlicet Dei à cõsilijs filij videretur amota, si corũ quę in terris tam propè gererentur, remansisset ignara.

Idem. Duplex Maria tẽpus obseruauit, tacẽdi, atque loquendi, teste Ruperto.

Matth. 24.

B. Bernard.

B. Virginem Dei matrem cur decuerit diuinitus edoceri.

Decuit etiam eam (vt ibidem tradit Bernardus) cœlitus instrui, vt rerum tempus, & ordinem tenẽs, ipsa melius postmodum scriptoribus ac prędicatoribus Euãgelij reseraret veritatem.

Idem. In arrogãtissimam nostri seculi hæreticorum sentẽtiam, Nihil obscurum, ac difficile sacras literas cõtinere.

Sed profectò, quomodocunque intelligatur hic locus, mirum est quosdã ex nouellis hæreticis eo impudentiæ deuenisse, vt scripturas apertas ac per se claras, & perspicuas doceant, nullisq; commentarijs indigere; cùm Apostoli ante mortẽ Iesu de crucis mysterio etiam apertè dicta non intellexerint. Sicut nec illud: *Modicum & iam non videbitis me:* Et post resurrectionem, & apertum sensum ad intelligẽdas scripturas, verbum Ioãnis de discipulo qui non moritur, ostendit idem Ioannes nõ fuisse ab Apost. Domini intellectũ: & Apostolorum Princeps Petrus cõtestatur, in Paulinis epistolis multa esse difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles deprauant, sicut & cęteras scripturas, ad suam ipsorum perditionem.

Luc.18.

Ioan.16.

Luc. vlt.

Ioan.21.

2.Petr. 3.

Et descendit cum eis, & venit Nazareth. Pulchra consequentia, vt à Hierusalem descendamus in Nazareth: hoc est, ab obedientia, & cultu Dei, ad obedientiam & obsequium parentum, ac superiorum. Ita enim fiet, vt quod est Dei, Deo; & quod est hominis, homini tribuatur. Vni & soli homini velle obedire, impiũ est: Deo obedire soli, homines verò, siue parentes, siue præpositos contemnere, seditiosum est. Regula Apostolica est, ipsum primò agnoscere Deum, illiq; obedire. Deinde verò homines, parentes, vel maiores, ac præfecti, secundùm Deũ, & propter Deum sunt omni reuerentia, obedientiaq; prosequendi. *Et descendit,* inquit, *cum eis in Nazareth.* Mirè etiam hodie Iesus condescendit nostris infirmitatibus, & rudibus ingenijs, quo capi queat. Non ergo disputauit pro gloria temporaria quærẽda, quam si quæsisset, nequaquã ab Hierusalem discessisset. *Et erat subditus illis.* Etsi ad horã Iesus se à parẽtibus exemerit, vt veluti pręludium quoddam futurorum ostenderet; statim tamen ad solitã subiectionem, quam filij eius ætatis parentibus suis debent, regreditur. Ne quis enim putet præteritum factum ex inobedienti animo processisse, & vt infinitum, & admirandum nobis obedientiæ exemplum præberet, vt pareamus superioribus nostris, etiam sapientia, vel charitate, vel ætate minoribus nobis. Ipse etenim sapientia Dei, & sanctis Sanctorum minus sapiẽtibus, & minus sanctis obsequẽtem se, atq; dicto obedientem præstabat ad doctrinam nostram, quod sciret in ecclesia Dei plures sępè ad grad⁹ supremos promouendos, qui nec sanctitate, nec sapiẽtia cum subditis essent comparandi. Tamen in hoc apparet hęc illorum sapientia, & sanctimonia, si præcepta maiorum non detrectent, sed impleant primi. Quid magni est, subiectum esse parentibus filium? Sed nimirùm cogitabat bonus, & sapiens Euangelista, quantæ esset humilitatis, & submissionis, tã multis annis eum, qui sapientia erat Dei Pa-

A Hierusalẽ descẽdere in Nazareth, mysticè quid

Matth. 24.

Deo, & eius locum tenentibus obedire, hæc vera est, & optima obediendi formula.

Rom.13.

1.Petr.2.

Finis disputationũ Christi erat gloria Patris, & salus animarum.

Christi pietas & obedientia.

De Christo cur dictũ ab Euangelista: & erat subditus illis.

1.Cor.1.

Dan.9.

Signũ sapientiæ, & sanctitatis quodnam sit.

1.Cor.1. Coloss.2.

tris,& in quo delitescebant omnes thesauri sapientiæ & scientiæ, subiectũ esse voluisse Mariæ,& Ioseph, quasi ab eis regi opus haberet.

Totam penè Christi vitam quo vno verbo explicat Euangelista Lucas.

Matth.13.

B.Basil.c.6. constit. Monastic. circa fin, tom 2.

Multi igitur hoc desiderio sciendi, quid ab anno 11. ad 30. fecerit Christus, discruciãtur: quibus hoc verbo Lucas satisfacit: *Erat Iesus subditus illis.* Orabat, ieiunabat, silebat, pauperibus parẽtibus collaborabat: ex quo & faber,& fabri filius à turba vocitatur. Basil. in const. Monasticis: *Verisimile est*, inquit *cũ homines illi essent* (scilicet Maria,& Ioseph) *& iustitia & pietatis cultores, tenues tamen, neque necessarijs ad viuendum copijs satis instructi (quod ille ex præsepi intelligi potest, in quo venerabilis ille fœtus est fœtus) solitos eos in assiduis corporis laboribus versari, & hac ratione quotidianum sibi victum quæritare. Porrò Iesus cum his vt diuinæ literæ prædicant, esset subiectus, sine dubio in perferendis etiam vnà cum ipsis laboribus, morigeram declarabat suam obedientiam.* Hæc ille.

Maria,& Ioseph iustitiæ, & pietatis cultores.

Luc.2. Isai.1.

Quibus in rebus & qualẽ Christus Mariæ & Ioseph præstiterit obedientiam.

Quid pariat inobedientia

Deniq; obediebat in omnibus licitis,& honestis,& medijs, atq; indifferentibus: exemplumque est nobis seruandi præcepta Dei, & præponendi eum parentibus, à quibus se ad tempus subtraxit. Confunditurque hoc documento Christi omnis nostra propria voluntas, causa omnis peccati, & supplicij, atq; impedimentũ omnis virtutis & gloriæ. Confundãtur scelerati filij parentes calumniantes, illosq; odio habentes, ac eorũ recusantes imperium. Benè præscribitur in lege: *Qui maledixerit patri suo, vel matri, morte moriatur:* & filius cõtumax,& proteruus iubetur lapidibus obrui. Ab Ethnico dictũ est: *Dijs,& parentibus, & præceptoribus æquiualens minimè reddi potest.* Cõfundantur simul Ecclesiæ nolentes vocem audire, contra Christi verbum: *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit.* Et in alio loco: *Qui Ecclesiã non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.*

Contra filios parentibus inobedientes

Exod.21. Leuit.20. Prou.20. Matth.15.

Socrates, Dijs, parentibus, ac præceptoribus parem gratiã referri posse negabat.

Luc.10. Matth.18.

Contendant ergo parentes ducere filios suos Hierosolymam, vt discant pietatem, & sacra: & vbi hęc didicerint, ne grauatè descendant cum eis in Nazareth, quo morigeros experiantur filios suos. *Et mater eius conseruabat omnia verba hæc in corde suo.* Gloriosa, atque inter, ac super omnes mulieres benedicta Maria, facta est discipula Christi, quę verba Christi in corde cõseruat suo: nõ conseruaret autem, nisi intelligeret. Quis enim mente teneat quod non capit, nisi vbi latere mysterium credat, vt interrogando, & orando, mereatur intelligẽtiam? Aberat autem à B. Maria prorsus omnis iracundia, quę animũ impedit (vt ille inquit) ne possit cernere verum. Erat armarium (vt sic dicã) diuinę scientię & sapientię, vt de his minutis circumstantijs instrueret Ecclesiã,& doceret Apostolos: plura enim patefacta sunt plus omnibus dilectæ matri.

Parẽtes quid præstare debeant filijs suis, exẽplo Mariæ & Ioseph.

Luc.1.

Maria Virgo in eo quod conseruabat omnia verba Christi in corde suo, quid indicauerit.

Maria Virgo minimè iracũda; eadem sapiẽtissima, diuinarũque rerum scientissima.

Luc.2.

Quid per omnia verba, Hebræo more.

Ibidem.

Quàm vtilis animanti ruminatio.

Ac licet hic nõ apponatur verbum, *Conferens*, vt supra, supplendum tamen est. Et omnia verba vocat res, siue facta, siue mysteria: sicut de pastoribus nil legimus dictum. Collatio autem mirificè confert, vt homo animal sit mundum, non deglutiens, vel deuorans piper, sed dentibus mandens, ruminans, vt eius acrimoniam,& calorem persentiat.

I. Modus.

Zachar.8

Quot modis prudentissima Virgo Christi verba conferret.

Conferebat verò Christi gesta cum prędictis à Prophetis. Ait enim Zacharias cap. 8. *Hæc dicit Dominus exercituum: vsquequo veniant populi, & habitent in ciuitatibus multis, & vadant habitatores vnus ad alterum, dicentes, Eamus, & deprecemur faciem Domini, &c.* Et rursus componebat cursus ętatis cũ signato implendo.

II. Modus.

Luc.2.& seq.

Vt enim aduentus pastorum impletur in pastoribus Ecclesiæ, ita amissio Iesu quęsiti inter cognatos & notos,& inuentio in Ecclesia implenda erat in tota Synagoga,& in Christiano quouis malè custodiente Christum, & per peccatum amittente.

III. Modus.

Ioan 8.& 10. Matth 26. Ioan.19. Luc.23. Ibidem.

Conferebat item ætates seculorum cum ætatibus Christi Iesu, infusa cum acquisitis, prospera cum aduersis: vt hoc prosperum cum eo, quòd voluerunt eum lapidare, vel quando erat in medio eorum tacens in domo Caiphæ,& Pilati,& Herodis: vel quando stultus,& reus mortis, sedebat in medio duos inter latrones in cathedra crucis, docens nos vulneribus suis amorem.

Cur in corde conferret.

Lutheranarũ impudentia fœminarum.

In corde autem conferebat, quia non erat loquax & garrula; vt Lutheranæ fœminæ docentes, quæ nõ intelligunt, verbumq; in corde seruatum atque collatum in terra, vt granum multiplicat, & vt odor in vase positus vas ipsum reddit odoratum.

Matth 3.

Quo de ætate Christi profectu nunc loquatur Euang.

Et Iesus (qui Saluator est, cõmodè, vt expediebat nostræ saluti) *proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines.* Tale quid superius dixit Euangelista: intellexitq; de ætate puerili vsq; ad duodecimum annum, hic verò intelligit de reliqua ętate.

De profectu Christi in sapientia,& gratia, opiniones quinque.

Quinque autem hic docet Euangelista. Primum quòd Iesus proficiebat. Secũdum, quòd sapientia. Tertium ętate, siue statura, vt Gręcè dicitur. Quartum, gratia. Quintũ apud Deum, & homines. Et prius sapientia, quàm ætate; & prius ætate, quàm gratia. Huius autem profectus sapientiæ,& gratiæ quintuplex sensus existit.

I. opinio Arianorum.

Primus quidem, vt de Christo Deo intelligatur: ex quo Ariani hunc locum producebant ad probandũ, Christum inferiorem Patre in sapientia, vt ex eorum parte proponit Cyrillus, & soluit, tum in libro de recta fide ad Reginas, tum libro Thesaur. Ad hæc Theodoretus in libro Hęreticarum fabularum, hæreticũ

B.Theod. lib. 4.Haeret. fabul. part.2.

docet

Contra Apollinarem gradus constituētem in deitatis substātia.

docet Apollinarem Laodicenum ponentem gradus in Trinitate, his verbis: *Eius enim inuentum est illud, magnum, maius, maximũ: tanquam magnus quidem sit Spiritus, maior autem Filius, maximus autem Pater. Quid autem hoc magis ridiculum esse potest? Si enim vnam reuera esse dicit Trinitatis substantiam, quomodo eandem & paruam, & magnam existimauit? In corporibus enim quantitas & qualitas eiusmodi mensuras efficiunt.* Hæc ille, tollens à diuinitatis substantia gradus, vt etiam Athanasius qui in Symbolo ait: *Et in hac Trinitate nihil prius, aut posterius; nihil maius, aut minus; sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales.*

Mag. Athan.

II. opinio, & ipsa damnabilis.

Alter sensus; vt attribuantur hęc humanitati Christi, ita vt in ipso crescerent, & augerentur habitus virtutum, & gratiarum decursu temporis. Sed & hoc vt hęreticum à Patribus reijcitur, & Scripturis: quanquā in hunc errorem Erasmus impegerit. Et Scripturæ quidem ab eo momento, quo in vtero matris formatus est, eum virum vocant. Ait enim Hieremias: *Creauit Dominus nouum super terram: fœmina circūdabit virum.* Quòd cum ad molem corporis referri non possit, ad sapientiam, qua plenus erat ab initio, reducēdum videtur. Quem locum sic exponit Hieronymus: *Iuxta incrementa quidem ætatis per vagitus, & infantiam proficere videbitur sapientia, & ætate; sed perfectus vir in ventre fœmineo solitis mensibus continebitur.* Hæc ille.

Eras. tamen ab ea non abhorruit.

Hierem. 31.

B. Hiero. li. 6 in Hiere. to. 5.

Christi hominis à conceptu omnimoda plenitudo.

Ioan. 1.

Infra 3.

Ioan. 11.

Dicitur præterea plenus gratia & veritate: & non datus ei Spiritus ad mensuram: & Isaias scribit, septiformem Spiritum super eum requieuisse. Asserunt etiam Patres illum ab initio beatum extitisse; quos intereſt Augustinus lib. 4. de consensu Euangelistarum, & Leo Papa epist. 97. cap. 3. vbi testatur, diuinitatem assumptam humanitatem beatificasse, vt glorificata in glorificante permaneat.

Aug. tom. 4.

Leo Papa.

Sapiētia beatorum quatenus augeri non possit.

Cum ergo sapientię beatorum nulla accessio fieri possit, quod ad essentialem attinet gloriam; Christus qui ab initio beatus extitit, incrementū sapientię suscipere nullo pacto valuit.

Præterea hunc profectū Christi in gratia & sapientia in Christo infuisse, aperte Patres non concedunt. Audi Damascenum lib. 3. fidei orthodoxæ dicentem: *Proficere autem dicitur sapientia, & ætate, & gratia: ætate quidem, crescens: per incrementum autem ætatis, sapientiam, quæ ipsi inerat, in apertum promens: item & proficientiam hominum, & cōsummationem in sapientia, & gratia, bona Patris voluntate: id est, Dei agnitionem, & hominum salutem propriam proficientiam faciebat, omnifariam quod nostrum est, sibi peculiariter addiscens. Qui verò proficere ipsum dicunt sapientia, & gratia, vt horum accessionem, additionemq́; subinde suscipientem, non ex extrema carnis existentia vnionem factam astruunt, neque secundùm hypostasin adorant vnionem, à Nestorio vana sapiente persuasi.*

B. Dam. c. 22.

Quē solū in Christo profectum in sapientia & gratia agnoscant Patres.

Nestor. hæres.

Cyrillus in illud Ioannis: *Vidimus gloriā eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre: Plenus*, inquit, *erat veritate, & gratia, &c. Non enim mensura sibi datur, vt cæteris, nec de foris accedit, sed vt in perfecto perfecta substantialiter inest, à Patre naturaliter habita. Sed si plena est, inquies, gloria eius gratiæ, & veritatis, quomodo sapientia, ætate, & gratia profecisse apud Lucam scribitur? aut quid accedere potest ad plenum, vltra quod nihil est? Sed non vt Verbum, & Deus profecisse intelligitur, verùm quia magis eum indies homines admirabātur, illorum potius de Iesu opinio, quàm illius perfecta crescebat gratia; vt magis indies cognoscentes, magis illum procedere, ac gratia crescere arbitrarentur.* Gregor. Nazianzen. citatus à B. Thoma in Catena Aurea super Lucam: *Dicitur secundùm Humanitatem proficere, non quòd ipsa susciperet augmentum, quæ ab initio fuit perfecta, sed ex eo quòd paullatim manifestabatur.* Idem docet Alcuinus lib. 2. de Trin. cap. 1. Bernard. homil. 2. super Missus est.

Cyril. lib. 1. in Ioan. c. 17. to. 1. init.

Soli Christo sine mēsura datus est Spiritus teste Ioanne.

Ioan. 3.

Greg. Nazian. apud D. Tho. tom. 15.

His paucis Patrum testimonijs ero contentus ad demōstrandam Christi animam ab initio perfectam, & plenam fuisse: quod Bucerus negauit, & in dubium reuocauit Erasmus. Et ita cogimur, hunc profectum, quem Euangelista Christo tribuit in sapiētia, & gratia, non referre, nisi ad Humanitatem Christi, non in seipsa, sed alijs rationibus, quę cum fide Catholica magis cohęrent, interpretari.

Bucer. & Erasmus facti Ecclesiæ malignantium doctores, de animæ Christi à sua creatiōe, & vnione cū verbo, gratiæ, & sapientiæ plenitudine quid senserint.

Primus igitur sensus Catholicus hic est, vt crescere dicatur in ostensione sapientiæ & gratię, & in existimatione hominum. Ita dicitur 1. Paral. 11. *Proficiebat Dauid vadens, & crescens*: & 2. Paral. 17. *Creuit Iosaphat, & magnificatus est vsque in sublime:* non quidem in seipso, sed in hominum opinione, & sensu. Idem significauit Baptista Ioannes: *Illum oportet crescere, me aūt minui.* Nec enim Christus augeri poterat in seipso, sicut nec Ioannes pro Christo sanguinem fundens imminui. Sed vt Christus auctus est in hominum cordibus, quia agnitus, & habitus est pro Messia, ita Ioānes imminutus est opinione hominum: quoniam qui priùs vt Messias habebatur, & quod ipse in se agnoscere nūquam est ausus, imò horruit, postea agnitus est Præcursor Christi.

I. Sensus Catholicus, III. in ordine.

1. Paral. 11.

2. Paral. 17.

Ioan. 3.

Matth. 14.

Quomodo oportuerit Christū crescere, Ioannē autē minui, vt ipse dixit.

Ioan. 1.

Quia verò sæpè accidit, vt quod altū sit apud homines, abominatio sit apud Deum, ne exi-

Proficere Christum a-

ne exi-

pud Deū & homines cur dixerit Euangelista.
Luc.10.

ne existimares ostentationem aliquā monstrosam, siue Pharisaicam, & apparentem, subdit, quòd proficiebat apud Deum, & homines. Id est, talis intus erat apud Deum, qualis apparebat foris apud homines: nec hominibus probabatur tantùm, sed etiam Deo ipsi. Quemadmodum de Samuele dicitur, quòd proficiebat, atque crescebat, & placebat tam Deo, quàm hominibus: quanquam Samuelis nō tantùm in opinione hominum, sed etiam in re ipsa, ac verus esset profectus.

1.Reg.2.
Duplex pueri Samuelis profectus, quinam ille.
Cyril. Alex. & Ioan. Damasc. prædict. in locu.

Hunc primum sensum indicârunt Cyrillus, & Damascen. citati superiùs. Hac ratione dicimus Solem proficere, non quidē in se ipso lucis, vel caloris incrementum suscipientem, quia idem est, & eodem modo se habet in tenebris, & in vespere, & in aurora, & in meridie, sed in eius ostēsione ac demonstratione. Hinc Gregor. Nazianz. oratione in laudem Basilij: *Iesus, inquit, vt ætate, ita etiam sapientia, & gratia proficiebat: non quòd hæc in illo incrementū caperent (quid enim eo quod à principio perfectum est, perfectius esse poßit) sed quod paullatim patefierent, & elucerent. Eodem modo Basilij virtus eo tempore nequaquam, vt opinor, accrescebat; sed culturam, occupationemq́; maiorem accipiebat, vberiorem nempe materiam suppeditante potestate.* Hæc ille. Et rectè quidem: ad hunc sensum Ioannes de Christi dilectione in fine Apostolis exhibita, atque ostensa dixit: *Cùm dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos*; id est, maiora dilectionis suæ argumenta illis ostendit.

Profectus Christi, Soli comparatur.
Greg. Nazian. circa med. orat. tom.2.
Nihil eo quod à principio perfectū est, perfectius esse potest, ait Nazianz.
Ioan.13.
Quid illud: In finem dilexit eos.

Secundus sensus Catholicus est, quòd reuera crescebat, & proficiebat, non quidē in se ipso gratia, & sapientia, sed in alijs, siue in mystico corpore suo, quod est Ecclesia: qua ratione soliti sumus dicere: Hic magister multùm proficit, non in se, sed in discipulis suis. Et quod subdit: *Apud Deum, & homines*, significat in his quæ Dei sunt, & quæ hominū, siue ad laudem Dei, & hominum vtilitatem. Hunc sensum confirmat Scriptura, nam Act.6. dicitur: *Verbum Domini crescebat.* & Actor.19. *Fortiter crescebat verbum Dei, & confirmabatur*: quod non potest de proprio profectu intelligi, sed de fructu, quem in auditoribus edebat. Et Psal.88. *Nihil proficiat inimicus in eos, & filius iniquitatis non apponat nocere eis.*

II. Sensus verus, ordine quartus.
Ephes.1. Col.2. & ali.
Simile.
Act.16.
Infra 19.

Deinde tradūt hunc sensum Damascen. superiùs allegatus, & Gregor. Nyssenus, dicens: *Differenter etiam verbum in his qui ipsum suscipiunt, proficit: secundùm enim mensuram illius apparet, aut infās, aut adultus, aut perfectus.* Confirmat illum & ratio. Nam, vt rectè ait B. Thomas, quod in effectu crescit, hoc simpliciter crescere dicitur. Et cùm filij infirmantur, & à morbo incipiunt reualescere, pater ex charitatis affectu, siue Medicus, induens ægrotorum personam, dicere solet: Multum profecimus, multos progressus ad sanitatem comparandam fecimus. Neque nouum est in sacris literis, quæ nostra sunt, tanquam membrorum, Christum tāquam caput sibi assumere, vsq; adeò, vt etiam peccata nostra sua vocare non sit veritus.

Damasc. lib.3 de orthod. fide, c.22.
Greg. Nyssen
B.Tho 3.p.q. 7.art.12. & alibi, tom.12.

Cur quæ nostra sunt, etiā infirma, ipsi Christo Scripturę soleant accōmodare.
Psalm.21. & alibi.

Neq; obstat dictis, Christum eo tēpore duodecim annorum non cępisse docere, vt posset tunc proficere in discipulis: quia nō tātùm verbo docuit Christus, sed etiā vitæ exemplo. Cùm enim omnis Christi actio nostra sit instructio; omnes qui eum familiariter nouerant, eius actionibus excitabātur ad Deum, & ad benè viuendū instituebantur. Huic rei accedit, quòd cùm in templo disputabat, interrogabatq; etiā verbo, & doctrina profectū faciebat in circunstantibus. Deinde quòd Iesus proficiebat sapiētia, & gratia, propositio est vniuersalis, quę ad omne tempus vitæ eius extendi posit, & in quolibet proficiebat suo modo.

Qua ratione Christus adhuc duodenis in discipulis quos non habebat, profecisse dici possit.

Postremus sensus etiam Catholicus est, quod proficiebat sapientia apud Deum, id est scientia, quæ experientia acquiritur, per quam quod alijs modis sciebat, noua quadā ratione apprehendebat: atq; hanc scientiam acquisitam, in Dei gloriam, & hominū salutem suo tempore proferebat. Gratia etiam eadem proficiebat, quātum ad exercitium & meritum, quod attinet ad naturam operis. Quanquam enim omnes Christi actiones ab eadem mensura, siue ab eodem infuso gratiæ habitu proficiscerentur, & ab eadem persona infinita prodirent verbi; aliqui tamen actus ex genere suo perfectiores sunt: quemadmodùm tolerantia crucis maior fuit quàm Circuncisionis: & pernoctatio in oratione maior quàm quæcunq; alia breuiter fusa deprecatio.

III. Sensus legitimus, ordine quintus.
Scientiam parit experientia.
Actiones Christi quanā aliæ alijs fuerint intensiores, efficacioresq́;.
Luc.2.
Infra 6.

Cùm ergo Christus, sicut cæteri homines, ex frequentatis actibus nouos habitus compararet, vt quibusdam placuit, quāuis ex Theologis sapientiores id negent; hinc est, quòd ex maiori habitu sapientiæ, vel virtutis acquisitæ operabatur, ex quibus propterea perfectiora opera proferebat; quia cum perfectiori habitu, excellentiorique virtutis acquisitæ operabatur.

Christus vnde maiores quotidie virtutum habitus compararet.

Cùm autem tribuimus Christo sapientiæ, & gratiæ Dei habitus acquisitos, nō largimur illi scientiam per auditum disciplinæ ab Angelis, seu sapientibus viris profectā, vel per eruditorū librorum lectionē, studiumve cōparatam: non enim decebat, vt qui veniebat omnium hominū doctor,

Sciētia Christi acquisita vnde tātùm accepta.
Angelis vel hominis Christus cur non debuerit habere doctorem.

liquid ab homine, vel angelo disceret: sed illam, quam ipse per seipsum, & suo marte ex creaturis Dei consideratis, vel Scripturis sacris expensis per inuentionem assequebatur, in qua solus Deus est magister, creaturę verò, seu Scripturæ sunt verba, siue libri, quibus traditur, quę altissima est & nobilissima sciētia. Christus ergo homo etsi Deus esset, & propterea scientiam infinitam haberet, & per omnia Patri æqualem, & propterea sapientiam beatorum, quatenus cōprehensor erat, possideret, & præter illam etiam scientiam infusam, quam Prophetæ, & Apostoli Dei munere habuerunt, quatenus homo viator erat, obtinuerit, imò multo maiorem quàm illi, cùm de plenitudine Christi omnes acceperint, atq; in hisce sciētijs crescere nō potuerit, vt Patres docent: tamen in scientia experimentis acquisita illum indies augeri posse & proficere, dignitati eius, aut plenitudini nō solùm non derogat, sed etiā illi ornamento est, & decori. Sunt enim habitus infusi, & acquisiti differentes specie: quoniā illi quidem non pendent à phantasmate, vt isti. Etsi Christus homo erat perfectus per omnia similis nobis, debuit habere scientiam acquisitam, & temporis decursu auctam: tum quod ad species, quas nouè acquirebat, pertinet; tum quod ad habitus qui accedebāt indies. Nam præstat esse causam agētem scientiæ, quàm patientem in infusione.

Quadruplicem scientiā Christus habuit.

Ioan. 1.

Scientia in Christo acquisita in dies augeri salua eius dignitate quomodo potuerit.

Infusi habit⁹ ab acquisitis, quid differāt.

Philip. 2.

Hebr. 2.

Sciētia Christi acquisita augebatur duplicitet.

Aetate verò proficere dicitur, indies maiorem corporis staturam assumendo more aliorum puerorum. Id autem de profectu Christi non sine causa positum est; nempe vt intelligamus, Christum verum hominē extitisse, & more aliorū hominum augmentum, tum corporis, tum animę in sapientia, & gratia accepisse. Ad hæc, vt exemplum nobis proficiendi exhiberet, ne in vtramq; aurem indormiamus, & torpeamus: proficiamusq; non solùm in nobis ipsis, verùm etiam in proximis, eorum salutem non minus quàm propriam procurando.

Christus ętate proficiebat.

Nunc triplicem Christi profectum sapientiæ, ætatis, & gratiæ cur Lucas expresserit.

Notandū verò est, quòd prius proficiebat sapientia, quā ętate: tum quòd naturalis lex respuit sensu maiori vti, quàm ætas corporis patiatur: tū deinde, quo doceret nos plus sapientię tribuere, quàm ętati. Discendum prius quæ ætati conueniunt, quā ætas superueniat: vt pręcurramus studio, ne stulte & inutiliter bonam ætatis partem traducamus. Nos verò contra plerique facimus: ętatem prius amittimus, sapientiā senectuti seruantes, nescimus autē quòd & stultitia nobiscum senescit, & quæ spreuimus pueri discere, multo magis senes contemnimus, & negligimus: præsertim cùm tunc labor intolerabilis, & cōsuetudo refugiat podus. Nunc ergo pueris amanda, colendaque sapientia est, quæ ætatem fluxam, & ad licentiam procliuem regat, & moderetur. Vnde Salomon de ea dixit: *Hanc amaui, & exquisiui eam à iuuentutute mea, & quæsiui spōsam mihi eam assumere, & amator factus sum formæ illius.*

Quare Christus sapientia prius quàm ætate proficeret.

Homines Christū imitantur præposterè, si tamen imitantur.

Sap. 8.

Tametsi ergo prior sit sapientia quā ætas, prior est tn̄ ætas, quàm gratia; siquidem maioris est ætatis inire gratiā. Aetati enim fauetur, cùm aliquod lumē sapientiæ affulserit: ipsi verò ætate gratiam ineunt, cùm apti ad aliquod munus obeundum vidētur. Vt quod iam bellam epistolam videantur posse scribere, vel in aliquo munere militari, vel domestico exerceri, aut artē facere, sicut hic faber, & fabri filius. Atque ita quidem gratiam apud Deum & apud homines maiorem inibat Christus. Ideò vt nos in eo proficiamus qui lapsi per peccatum sumus: nam quicquid spectat ad nos, ipse verè pro nobis Christus suscepit.

Christus cur proficeret ante ætate, quā gratia.

Nos proficere cur debeamus.

Itaq; habes huius loci plures Catholicos intellectus: ex quibus seligat prudens & acutus lector quem velit.

Demus igitur operā strenuò semper, vt proficiamus in Christo Iesu, vel vt Iesus in nobis proficiat, quod in idem recidit. Tum quia scriptū est: *Qui iust⁹ est, iustificetur adhuc: & sanctus, sanctificetur adhuc*: tum quia in via Dei non progredi, regredi est: vt aqua quæ extrahitur instrumēto rotę de puteo, si tantillum remittas, retrocedit rota, & qui nauigat contra cursum fluminis, si vel minimū relaxet manus, regreditur secūdo flumine: tum quod tepidos euomit de ore suo Deus, quasi ingratū & insipidum cibū: tum, quoniā mali proficiunt in peius, in sapientia, & gratia hominū venanda nullum terminum ponūt: tum quia Apost. ad anteriora cōuertit seipsum, quę retro sunt, obliuiscens: tum denique, quoniā cuncta creata à Deo habēt suos progressus, & finē, ad quem tēdunt, vt flumina, plātæ, animalia, hominū corpora. Verū cętera omnia naturæ ductu ferūtur, nullumq; habēt dominiū actionum suarū: solus homo creatus est talis, vt valeat, si velit, seipsum polire atq; illustrare, seq; ipsum ad perfectionē suam promouere, & attollere. Est namque pręceptum Christi: *Estote vos perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est*: at quomodo perfectus eris, si non proficias? quo pacto peruenies ad summū, nisi prius inter medios gradus cōscenderis? Stupenda est profectò & deplorāda nostra in perficiēda sanctificatione socordia; quasi verò aut impossibile sit eā augeri, cū adhuc in stadio sim⁹; aut quasi Christus interdixerit pro-

Ad proficiendum in via Dei quæ, & quàm graues rationes nos inuitent, & impellant.

Apocal. vlt.

Simile.

Bernard.

Apocal. 3.

2. Tim. 3.

Hominis proprium quid sit.

Matth. 5.

Quid remoretur ac retardet hominē à perfectione iustitiæ.

Ibidem.

rit profectum; cùm beatos pronuntiauerit eos, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam; vel proficere, non sit nobis honorificum, vel vtile, & felicissimum. Sumit homo incrementum crescentibus singulis eius partib⁹, videlicet tibijs, brachijs, pectore, & capite: sic homo proficit in spiritu auctis virtutibus, siue Cardinalibus (quas vocant) siue Theologicis & infusis. *Veritatē*, inquit Paulus, *facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput, Christus*. Corpus, siue plātæ, siue animalis, augetur cibo suo sumpto: ita interior homo noster indies augetur alimento, & pane suo, id est, verbo Dei, & salutari Eucharistiæ sacramento, ac exercitio virtutū. Vt enim corpus habet suum augmentum, suum cibum, suam ætatem: ita animus ætatem suam spiritualem habet, infantię modò & pueritię, modò adolescētiæ & iuuentutis, modò virilis, maturæque ætatis. Hinc Ioannes dixit: *Scribo vobis filioli; Scribo vobis patres; Scribo vobis adolescentes; Scribo vobis infantes; Scribo vobis iuuenes*. Cernis differentias ętatis spiritualis? Sed corporis ætas ab infantia incipit, per pueritiam, & adolescētiam, ac maturitatem progreditur ad senectutem, & corruptionem: hominis verò interioris ętas, à senectute initium capit, & corruptione, ac vetustate Adæ, terminaturque in puram infantiam, & simplicitatem, ac innocentiam: vt pulchrè docet

Homo quomodo crescat, & corpore, & spiritu.
Ephes. 4.
Animus suas habet ætates.
1. Ioan. 2.
Ibidem.
Ætas corporis, & animi ætas, habent diuersa principia.

Origenes homil. 13. in Ezechielem. At inquies, quomodo agnoscam me profectum fecisse? nec enim hanc rem tam nobilem, omninò ignotam & obscuram nobis Deus esse voluit: nam qua ratione aliàs homo gratus esset Deo de tanto dono? qui custodiet quod ignorat se possidere? Et quonam modo diceret Paulus Timotheo: *Profectus tuus manifestus sit in omnibus?* Si ergo peruenisti eò vt in corde tuo odium peccati cōcipias, ac sentias, & amorē virtutis; si impulsus in tentationes non cadas, sed facias cum tentatione prouētum; si promptè, & cū delectatione perficis, quę pietatis, in Deum, & quæ charitatis sunt, erga proximum; si verbum Dei cū fructu, & voluptate spiritus audias; si salutem fratrum sitias, eosq; precibus, & correptione in spiritu lenitatis, si opus sit, iuues, atq; eorum etiam infirmitates sustineas, scito te ad aliquem gradum profectus spiritualis peruenisse, attamen non vt ibi quiescas, sed vt vlterius progrediare, iuxta illud: *Et dixi, Nunc cœpi*, & iterum: *Qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibunt me, adhuc sitient*. Quod vt nobis sentire, & reperficere contingat, præstet Dominus noster Iesus Christus, cui cum Patre & Spiritu sancto ab vniuersa creatura tribuatur omnis laus, honor, gloria, potestas, imperium atque gratiarum actio in secula seculorum, Amen.

Origen tom. 1.
Spiritalis profectus in nobis quomodo percipi possit.
1. Tim. 4.
1. Cor. 11.
Gal. 6.
Rom. 11.
Psalm. 76.
Eccli. 24.

FINIS LIBRI TERTII.

INDEX LOCORVM NOTABILIVM SACRAE SCRIPTVRÆ, QVÆ IN HOC tertio Tomo latiùs explicantur.

Primus numerus paginam, posterior columnam indicat.

EX LIB. PROVERBIO.

EX ECCLESIASTE.

EX CANT. CANTIC.

EX LIB. SAPIENTIAE.

EX ECCLESIASTIC.

EX ESAIA.

Gentes

INDEX RERVM QVAE IN HOC TERTIO TOMO CONTINENTVR.

A.

B.

C.

E.

Erasmi

Ioan-

L.

Maria

Q.

R.

S.

Vbi